



GRATIANI CANONES

GENUINI AB APOCRYPHIS DISCRETI,

CORRUPTI AD EMENDATIORUM codicum fidem exacti, difficiliores commodâ interpretatione illustrati

OPERA ET STUDIO

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

Presbyteri Uneliensis,

In Regio Athenæo Jurisconsultorum Collegio adscripti,

Et Jurisprudentiæ Studiis in Regia Academia Præfecti.

PARS I. TOMUS I.

Es de la Universidad de Osma

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI, MDCCLXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA MICHAËLIS ESCRIBANO.

Se hallará en la Librería de Don Bernardo Alberá.

INDEX CAPITUM,

Quæ in hoc Primo Volumine continentur.

De Canonibus, Eccclesiasticorum Conciliorum nomine à Gratiano relatis. . . . . . *Pag.* 1.

Cap. 1. *De Canonibus, qui Apostolis tribuuntur.* . . . . . 4.

Cap. 2. *De Canonibus Concilii Eliberitani.* . . . . . 22.

Cap. 3. *De Canonibus Concilii Ancyrani.* . . . . . 31.

Appendix de Canone 12. *caus.* 26. *quæst.* 5. *nomine Concilii Anquirensis laudato.* . 36.

Cap. 4. *De Conciliis Arelatensibus.* . . . . . 39.

Cap. 5. *De Concilio Neocæsareensi.* . . . . . 50.

Cap. 6. *De Romanis Conciliis, S. Sylvestro Pont. Max. adscriptis.* . . . . . 55.

Cap. 7. *De Concilio Nicæno I. Generali.* . . . . . 67.

Cap. 8. *De Concilio Grangrensi.* . . . . . 105.

Cap. 9. *De Concilio Antiocheno.* . . . . . 112.

Cap. 10. *De Concilio Sardicensi.* . . . . . 127.

Cap. 11. *De Concilio Laodiceno.* . . . . . 136.

Cap. 12. *De Concilio Constantinopolitano I.* . . . . . 145.

Cap. 13. *De Concilio Cæsaraugustano.* . . . . . 152.

Cap. 14. *De Concilio Bilonensi.* . . . . . 153.

Cap. 15. *De pluribus Africanis, sive Carthaginensibus Conciliis, 4. vel 5. Ecclesiæ sæculo celebratis.* 154.

De Canone 11. *caus.* 11. *quæst.* 1. *quem Concilio Carthaginensi* 8. *tribuit Gratianus.* . 192.

De Canonibus, quos retulit Gratianus nomine Concilii Carthaginensis unici. . . . . . 193.

De aliis Canonibus, quos nomine Carthaginensium Gratianus retulit. . . . . . 194.

De aliis Canonibus, quos generatim Africanorum nomine retulit. . . . . . 196.

Appendix de Concilio apùd Valentias. . . . . . 199.

Cap. 16. *De Concilio Milevitano.* . . . . . 199.

Cap. 17. *De Conciliis pluribus Toletanis.* . . . . . 205.

Cap. 18. *De Concilio Ephesino.* . . . . . 244.

Cap. 19. *De Concilio Arausicano.* . . . . . 246.

Cap. 20. *De Concilio Vasensi.* . . . . . 252.

Cap. 21. *De Concilio Hibernensi.* . . . . . 255.

Cap. 22. *De Concilio Chalcedonensi.* . . . . . 259.

De fragmentis, falsò per Gratianum adscriptis Concilio Chalcedonensi. . . . . . 277.

Cap. 23. *De Concilio Agathensi.* . . . . . 278.

Cap. 24. *De Concilio Tarraconensi.* . . . . . 294.

Cap. 25. *De Concilio Epaonensi.* . . . . . 298.

Cap. 26. *De Concilio Gerundensi.* . . . . . 299.

Cap. 27. *De Concilio Ilerdensi.* . . . . . 301.

Cap. 28. *De Conciliis Arvernensibus* 6. *sæculi.* . . . . . 306.

Appendix de Concilio Urbanensi. . . . . . 307.

Cap. 29. *De Concilio Aurelianensibus* 6. *sæculi.* . . . . . 308.

Cap. 30. *De V. Synodo Generali, seu Constantinopolitana II.* . . . . . 322.

Cap. 31. *De Conciliis Parisiensibus.* . . . . . 325.

Cap. 32. *De Conciliis.* . . . . . 300.

Cap. 33. *De Concilio, quod dicitur Martini Papæ.* . . . . . 335.

Cap. 34. *De Concilio Autissiodorensi.* . . . . . 356.

Appendix de Concilio Urbico. . . . . . 357.

Cap.

Cap. 35. De Concilio Matisconensi. . . . . 357.
Cap. 36. De Concilio Hispalensi. . . . . 359.
Cap. 37. De Concilio Rhemensi. . . . . 361.
Cap. 38. De Concilio Rothomagensi. . . . . 367.
Cap. 39. De Concilio Emeritensi. . . . . 369.
Cap. 40. De Concilio Educensi. . . . . 370.
Cap. 41. De Concilio, quod Gratianus sextum appellat, sive Trullano. . . . . 371.
Cap. 42. De Concilio Vermeriensi. . . . . 382.
Cap. 43. De Concilio VII. seu Nicæno II. generali. . . . . 387.
Cap. 44. De Concilio Compendiensi. . . . . 399.
Appendix de Canone 19. caus. 32. quæst. 7. . . . . 400.
Cap. 45. De Capitulis Hadriani Papæ, quæ & aliquandò nomine Concilii Romani laudantur apùd Gratianum. . . . . 401.
Cap. 46. De Capitularibus Francorum Regum, ac præsertim Caroli Magni. . . . . 407.
Appendix de Canonibus, Concilii Lugdunensis nomine à Gratiano relatis. . . . . 416.
Appendix de Canone 11. caus. 36. quæst. 2. nomine Concilii Aquisgranensis laudato. . 418.
Cap. 47. De Concilo Cabilonensi. . . . . 421.
Cap. 48. De Concilio Turonensi. . . . . 429.
Cap. 49. De Conciliis Moguntinis. . . . . 430.
De aliis Canonibus, Moguntini Concilii nomine laudatis. . . . . 433.
Cap. 50. De Concilio Meldensi. . . . . 439.
Appendix I. De Canone 1. caus. 35. quæst. 2., quem Gratianus ità descripsit: Gregorius Papa in Synodo Meldensi. . . . . 444.
Appendix II. De Canonibus, nomine Concilii Mediomatricis à Gratiano laudatis. . . . 444.
Appendix III. De Canonibus Concilii Belluacensis. . . . . 445.
Cap. 51. De Concilio apùd Sanctum Medardum. . . . . 446.
Cap. 52. De Conciliis Eugenii II. & Leonis IV. Pontificum Maximorum. . . . . 448.
Cap. 53. De Concilio Ticinensi. . . . . 453.
Cap. 54. De Concilio, quod dicitur apùd Tansiacum. . . . . 454.
Cap. 55. De Concilio VVormatiensi. . . . . 455.
Cap. 56. De Synodo octava, & nona. . . . . 459.
Appendix de Pseudo-Synodo Photiana. . . . . 466.
Cap. 57. De Concilio Agrippinensi. . . . . 467.
Cap. 58. De Concilio Nannetensi. . . . . 468.
Cap. 59. De Concilio Triburiensi. . . . . 472.
Cap. 60. De Concilio Altheimensi. . . . . 494.
Cap. 61. De Concilio Erphordiensi. . . . . 496.
Cap. 62. De Concilio Salegunstadiensi. . . . . 497.
Cap. 63. De Conciliis Urbani II. Pontific. Maxim. . . . . 498.
De Concilio Melphitano in Apulia. . . . . 498.
De Concilio Trojano. . . . . 499.
De Concilio Beneventano. . . . . 500.
De Concilio Placentino. . . . . 500.
De Concilio Faventino. . . . . 502.
De Concilio Claromontano, seu Arvernico. . . . . 503.
Cap. 64. De Conciliis Callisti II. . . . . 505.
Cap. ult. De nonnullis Canonibus, à Gratiano tributis vel Concilio Maticensi, vel cuidam Concilio Romano. . . . . 509.

IN UNIVERSUM OPUS PRÆFATIO.

PErvagata res est, atque in communi prudentia sita, in Gratiani Decreto, quod ceteroquin ad definiendas sive Scholarum, sive Fori controversias in Occidentali Ecclesia tanquàm magna pars Ecclesiastici Juris habetur, quamplurima contineri, ad quæ tutò quis vel scribendo, vel orando, vel jusdicendo, sine meliorum Codicum adminiculo non possit adniti. Jam pridèm agnitæ sunt frequentes falsorum nominum inscriptiones, passim depravatæ Græci sermonis interpretationes, minùs appositæ interjectiones, atque additamenta verborum, omnia fermè, ut paucis dicam, à suis exemplaribus dissona, & longissimè ab Auctorum intelligentia, sensuque disjuncta. Quod quidèm nemo non videt, quantum sempèr negotii facessere potuerit viris rerum sacrarum studiosissimis, qui vel in ipsis collectionibus Canonum, quas tanquàm venerabilia sacræ doctrinæ deposita scrutari quotidiè debent, non leve errandi periculum extimescunt. Eò devenerant aliqui, ut existimarent, collectionem hujusmodi unà cum ceteris similibus esse de medio omninò tollendam, ut dein ipsa ejusdem memoria, si fieri id posset, penitùs interiret. Sed viris gravissimis, & prudentissimis, qui plurimum tribuere sciverunt vitio illius ætatis, quâ sine delectu opus, qualecumque foret vulgus excipiebat, optimum illud sempèr visum consilium fuit, ut in collectionis emendationem potiùs studeretur, ac totis viribus incumberetur; siquidèm hac ratione Collectoris famæ parcendum videbatur, non enim diris devovendus erat, aut damnandus, qui in obscura sæculi duodecimi caligine non mediocrem sui nominis famam labore, ac studio sibi comparavit, plurimaque utilia in futuræ ætatis emolumentum evulgare scivit, & potuit: prætereà inter falsa, corruptaque monumenta plurima adhùc ibidèm reperiuntur, cum ceteris minimè perdenda; quibus addere juvat, universos Scriptores, & Canonum Interpretes hac collectione usos fuisse, atque alitèr eamdem interire non posse, nisi cum illa Interpretum ipsorum omnium scripta, glossemata, documenta, cum maxima disciplinæ nostræ jactura, simùl intereant.

Hanc ergò suscipiendæ emendationis provinciam Viri sapientissimi adgredi studuerunt; quorum alii meliore ordine fragmenta Canonum distribuere, alii capitum sententias, & verba cum authographis ipsis scripturis, aut saltèm melioris notæ exemplaribus, conferre, ac restituere conati sunt, undè majus Jurisprudentiæ nostræ decus in

dies, & ornamentum accessit. Frustrà laudarem, utpote quos vulgaris fama prædicat, hac in re celeberrimos præstantissimos viros. Pro omnibus mihi sunt & dignitate, & auctoritate, & rerum agendarum prudentiâ, sapientiâque venerabiles Pontifices Maximi, Pius IV., Pius V., & Gregorius XIII., qui in rem hanc & fervidius, & accuratiùs, ut par erat, pro temporis modo hanc emendationem recto consilio meditati sunt, & pari solertiâ exequuti: horum quippè mandato Viri Gravissimi, ex diversis Ecclesiæ Provinciis undequaquè selecti, Romam convenerunt, (fuerat autèm inter ipsos idem Gregorius XIII., antequàm Sedem Pontificiam conscendisset), ibidèmque veterum Codicum collationibus, quos & Romanæ, & exteræ illustres Bibliothecæ palàm fecerant, quoad fieri per tempora potuit, Gratiani Canones correxerunt.

Et quanquàm multa tunc illustrata sapientissimè fuerint, non potuit tamèn integra, & omni ex parte perfecta esse hujusmodi emendatio, quemadmodùm posterior ætas animadvertit; ut enim ajebat tunc temporis Antonius Augustinus, vir hoc in studio apprimè versatus, lib. 1. dialogo 14. de emendatione Gratiani: *utinàm licuisset omnium fontes adire! neque enim adeò in quibusdam laboraremus.* Quamobrèm cum facile sit addere cœptis, viamque, à tot, tantisque viris illustri exemplo præmonstratam, sequi, nihil mihi penitius animo unquàm insedit, nihil optabilius visum est, quàm in eadem emendatione ità elaborare, ut eam, si fieri posset, ad exoptatum finem tandèm aliquandò pro viribus ipse perducerem. Quod ego me perficere posse hodiernis temporibus arbitratus sum, cum post correctionem Romanam maxima supervenerint adjumenta virorum eruditissimorum studio, qui plures vetustos MSS. Codices ediderunt, in quibus Gratianeorum capitum exemplaria, diversis quidèm voluminibus sejuncta, singula tamèn ut plurimùm integra exhibent ur; atque ubi fortè minùs integra sunt, ex collationibus eorumdem Codicum facili possunt negotio suppleri. Prodierunt ex tunc plenissimæ Conciliorum quà generalium, quà particularium collectiones: varia prodierunt Provinciarum acta, solemniumque comitiorum capitularia: prodierunt plures Summorum Pontificum veteres Decretales: editas præterea habemus vetustas Canonum collectiones, quæ post Gratianeam ferè interiisse videbantur: edita quamplura Pœnitentialia antiqua, excerptiones, admonitiones, nomocanones, sive græcè, sive latinè in publicum evulgatos. Quid memorem Codices Sanctorum Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum, ex quibus collectionem suam Gratianus adauxit, hodiè novis illustrationibus, & observationibus mirâ quadam solertiâ editos, atque exornatos? Prodierunt uno verbo tot, tantaque antiquitatis eximia monumenta, ut ex ipsis integræ, nec exiguæ bibliothecæ facilè extruantur. Quibus cùm accesserint elucubrationes virorum eruditorum, qui cœperunt jam Gratianeos Canones critices artis ope discutere; quis exindè non videat facilem viam integræ, & undequaquè perfectæ emendationi paratam esse, ità ut nihil aliud post hæc hodiè desiderari videatur, quàm qui singula sedulo studio colligat, & collecta pro rei merito accommodet?

Quæ cum ità sint, haùd temerè ego emendationi, aliàs perdifficili, manum admovi, & partim laudatorum virorum cum fretus præsidiis, tum observationibus edoctus, partim pro modulo ingenii singula scrutatus, istud opus in publicam lucem edere non distuli in communem studiosorum omnium utilitatem; quæ ut major emergeret, tria potissimùm mihi peragenda proposui, videlicèt in primis genuinos Canones ab apocryphis discernere; deindè corruptos ad emendatiorum Codicum fidem exigere; difficiliores demùm rectà in-

interpretatione, illâ potissimùm, quæ ex integro contextu deducitur, illustrare; in tribus quippè à Gratiano peccatum erat, quibus consulendum videbatur: sunt autèm falsæ inscriptiones, corruptæ sententiæ, explicationes modò parùm aptæ, modò etiàm auctoribus suis omninò contrariæ. Post hasce meas observationes apertiùs exindè liquebit, undenàm emerserint apud Jurisprudentes, & Pragmaticos tot sacræ Jurisprudentiæ monstra, quæ identidèm apùd aliquos ipsorum legimus, parta scilicèt vel ex falsa fragmentorum intelligentia, vel ex nimia fide, quam Gratiano olim sine discrimine præstiterunt. Liquebit, dicam paucis, undenàm quis validum, undè dubium, undè etiàm infirmum sacræ disciplinæ argumentum deducat. Absit autèm à me suprema illa rerum mearum fiducia, quâ credam post hæc Gratiani opus ità dici posse perfectum, ut nihil omninò amplius superaddi, nihil, undè majus lumen fragmentis accedat, inveniri possit. Non erubesco fateri cum Antonio Augustino lib. 1. dial. 13. de emendat. Gratiani: *Multa certa esse creduntur, quæ falsa esse possunt: ut alia falsa credimus, quæ vera esse posteri fortassè cognoscent.* Sanè, si qui fuerunt in observationibus hujusmodi apprimè versati, atque eruditi, ipsi procul aliorum invidia laudandi sunt memoratus Antonius Augustinus, necnon Jacobus Sirmondus, utrique enim multum in hac parte debemus: verùm uterque qualitercumque exercitati aliquandò lapsi sunt, propterea quòd reperta posteriore ætate fuerint, quæ ipsos penitùs latuerunt. Ut exemplum tradam: Antonius Augustinus in dial. 15. lib. 1. de emendat. Gratiani ad canonem 42 caus. 11. quæst. 3. reprehendit Gratianum, Ivonem, & Burchardum, quòd illum Concilio Arvernensi tribuerint, cum potiùs ex Aurelianensi laudandus fuisset; aliud tamèn scripsisset eximius Antistes, si vidisset Synodum Arvernensem II., quam posteà Jacobus Sirmondus evulgavit, ubi legitur memoratum Gratiani fragmentum. Idem evenit Sirmondo ad canonem 4. caus. 1. q. 3., quem legerat in Concilio Nemausensi, ac propterea occasionem arripuit carpendi Gratianum, quòd ex Concilio Arvernensi, seu Claromontano laudasset. Repertum posteà fuit Concilium Arvernense, sive Claromontanum, in quo idem Canon legitur, uti suo loco ostendemus.

Hæc porrò omnia me à suscepto consilio revocare non debent: dummodo enim, quòd per tempora, quibus vivimus, licet, aperiam, pro viribus conatus videbor ad veritatem contendisse, quod solum ab homine ingenuo exoptandum est. Si quid enim posteriore ætate, quod nostrâ latet, inveniatur, non deerunt, quemadmodùm nuspiàm defuerunt, qui novas Jurisprudentiæ sacræ illustrationes palàm exhibeant, veterumque defectum suppleant, aut emendent.

Jam verò, ut materiam universam ordinatè digererem, à Gratianea methodo omninò recessi; non enim illa apta mihi visa est, ut proposito meo satisfacerem. Quamobrèm in tres partes opus tributum exhibeo. In priore disseritur de capitibus Gratianeis, ad Concilia, vel generalia, vel particularia, pertinentibus. In altera persequutus sum Gratiani capita, epistolis, decretisve Summorum Pontificum adtributa. In postrema tradidi, quæ ex Sanctis Patribus, aut Scriptoribus ecclesiasticis Gratianus excepit. Quandò verò Gratianeos Canones, sive capita memoro, eos intelligo, quos hodiè numeralibus notis designatos post Democharis, Contii, & Romanæ correctionis editiones habemus. Duo quippè leguntur apùd Gratianum: in primis Conciliorum, & Patrum sententiæ à Collectore relatæ; deinde ipse Collectoris sententiæ, quibus quæstiones proponuntur, diriguntur, declarantur. Sententiæ quidem Conciliorum, & Patrum præcipuâ ob-

servatione dignæ mihi visæ sunt; ipsæ enim solæ tanquàm leges hodiè & laudantur, & habentur, propterea & nomine Canonis referri, & discretis characteribus apud Typographos edi solent: at sententiæ Gratiani, etsi identidèm exornentur quibusdam admixtis Patrum fragmentis, ut plurimùm mihi erunt inobservatæ: cur enim in privati auctoris doctrinam, atque interpretationem, & studia mea conferam, & sim aliis incitamento, ut conferant sua? Satis mihi erit, si leges ipsæ, sive quæ legum nomine veniunt, expurgentur. Nondùm tamèn ad rem venio, nisi quædam de Gratiano, & Gratiani ejusdem opere generatim attingam, & quid de eo sentire unusquisque debeat, in universum concludam. Intereà verò illud ab humanitate Lectorum jure postulare me posse arbitror, ut, si quid parum comptè, minusque ornatè disserenti exciderit, dent facilem veniam illi, qui, etsi diligentiam omnem impenderit ad obtinendam integritatem, perspicuitatemque sermonis, ut tamèn veritati studeret, debuit in barbarorum ut plurimùm Codicum lectionem incumbere, nec potuit apud solos verè Latinos Scriptores diuturnâ meditatione versari.

OBSERVATIO PRIMA.

Quales generatim esse potuerint Ecclesiasticæ Jurisprudentiæ codices usquè ad Gratiani ætatem.

ETSI maximè utiles sempèr Ecclesiæ fuerint Sacrorum Canonum collectiones, quemadmodùm & cujusque Reipublicæ commodo undequaquè consulitur, cum Juris, quo vivitur, capita congeruntur in unum; siquidèm, quæ variis in codicibus divisa sunt, vel difficiliùs reperiuntur, vel faciliùs pereunt, quæ verò in unum congesta, uno obtutu singula observantur, ac perpetuò custodiuntur; tamèn non raro contigit, ubi plures editæ fuerint collectiones hujusmodi, plurimum exindè dertimenti rebus ecclesiasticis accessisse. Ut enim singularia, quæ exindè emergere potuerunt, incommoda recenseam, primum ex inscriptionibus ortum est, cum v. g. laudaretur ex uno Concilio, quod tamèn in altero, aut fortè etiàm in nullo reperiebatur, aut Sancto cuidam Patri aliquid tribueretu quod alteri, aut etiàm nemini tribuendum esset. Secundum ad sententias pertinet, quæ ex uno in aliud idioma, puta ex Græco in Latinum, converti debuerunt. Tertium in additamentis, aut detractionibus vocum, aut literarum consistit. Quartum peperit vel pravorum, vel depravatorum usus auctorum.

Quod ad primum attinet, non est dubitandum, frequentèr in collectiones menda hujusmodi irrepsisse; fingamus enim, Canones alicujus Concilii codici Canonum fuisse insertos, quin tamèn Concilii nomen inscriberetur, nonne statim ità superioribus Canonibus jungebantur, ut ex eodem deprompti Concilio viderentur? Ex hoc arbitror profluxisse, ut Canones Sardicenses pro Nicænis habiti sæpè sæpiùs fuerint, quòd Nicænis Canonibus subjecti, omisso Sardicensis Concilii nomine, alicubi exhiberentur. Omitto etiàm, antiquissimâ ætate non defuisse perfidos homines, qui impiorum scripta fallendi animo virorum insignium nomine evulgaverint, quamobrèm in Canone, qui hodiè est 59. inter Apostolicos, definiendum fuit: *Si quis, falsò inscriptos, impiorum libros tanquàm Sacros in Ecclesia ad*

po-

populi, & Cleri corruptionem publicaverit, deponitor.

Quod spectat ad secundum facilè itidèm est percipere verborum, imò etiàm sententiarum, varietatem ex linguarum interpretatione profectam. Si enim hac de causa Divina ipsa Scriptura, in Prophetarum oraculis etiàm apud Judæos religiosissimè custodita, in doctrinis apostolicis à Christianis hominibus summo pretio habita, & magno zelo traducta, aliquandò depravata extitit, ut emendatione, teste S. Hieronymo, ex collatione Codicum sive Hebræorum, sive Græcorum indiguerit; mirum esse non debet, idipsum sacris Canonibus, ad disciplinæ ecclesiasticæ stabilitatem conditis, potuisse contingere. Nemo ignorat, Canones antiquissimos fermè omnes apud Græcos editos fuisse, quales sunt Nicæni, Ancyrani, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiocheni &c., qui ad nos non nisi per Latinas interpretationes derivati fuerunt. Quis nos certiores intereà reddat de fide, integritate interpretis, præsertim cum noverimus, græcos & latinos Codices invicèm sæpissimè dissonare? Quis tutò affirmaverit, interpretem græcæ linguæ vires & notas apprimè calluisse, ut nec alienum, vel extraneum sensum affinxerit, ne dixerim omninò contrarium? Prætereà apùd Græcos non una fuit, & perpetua Canonum descriptio, sed penès diversas Orientalium Ecclesias diversis quoquè notis descripti reperiebantur, quemadmodùm eruditi animadvertunt. Quis itaquè nobis fidejussor existat pro latino interprete, quasi optimum Codicem is, non depravatum, fuerit interpretatus?

Tertium mendorum genus ex additamentis, aut detractionibus ortum est; quod optimè norunt quicumque in vetustorum MS. Codicum lectione vel mediocritèr versati sunt; cum enim nondùm inventa esset Ars typographica, & omnia etiàm sacratissima Jura manuscriptis Codicibus continerentur, unicuique fas erat vel transcribendo, vel legendo aut notas marginales adponere, aut glossas, ut ajunt, interlineares inserere, aut commodiorem interpretationem subjicere, aut, quod fortè irrepsisse suspicabatur, litura corrigere. Quid deindè, si hic idem Codex, hujusmodi notis adauctus, aut lituris imminutus, ad alterius manum deveniret transcribendus? Transcribendus erat notis, & glossis adauctus, ut aliquandò in Gratiani Canonibus evenisse propositis in hoc meo opere exemplis adparebit. Quâ enim ratione Amanuensis divinaret, quænam verba germana essent, quænam privati auctoris glossemata? quæ fortè etiamsi divinasset, omnia tamèn, aut ne interirent, aut ut primo auctori honorem deferret, aut commodo studiosorum inserviret, transcribere adamavit. Atque hinc profecta etiàm sunt quarti generis menda, quæ ajebam ex usu depravatorum Codicum evenisse, & quibus præcipuè occasionem præbuerunt improbi homines, qui plura opera, luce prorsùs indigna, Virorum sapientissimorum nomine, uti nupèr attigeram, inscripserunt, in quæ incidentes incauti facilè labi ex imprudentia potuerunt.

Hæc generalia sunt, & pluribus collectionum generibus accommodata: addere juvat etiàm quædam certis collectionum speciebus peculiaria. Siquidèm duo potissimùm esse potuerunt genera collectionum, quarum aliæ privatæ fuerint, aliæ publicâ auctoritate compositæ. De privatis primum dicam. Contigit sæpissimè, ut plures viri, quorum aliqui eruditionis gloriâ clarissimi sunt, ad collectiones Sacrorum Canonum peragendas intenderint, quos nec sui quidèm Præsulis movit auctoritas, sed propensio quædam peculiaris vel ad utilitatem studiosorum, vel ad famam sibi cum honore adquirendam, aliquorum etiàm ut privatis quibusdam cupiditatibus, certisque, in quibus versabantur, circumstantiis inservirent. Quis itaquè horum Collectorum fidem statìm ità probabit, ut nihil apud illos, nisi fir-

firmum, aut certum referri tutò asseveret; ubi præsertim nomen auctoris supprimatur, aut adpositum quidèm sit, sed nec pietate, nec scientiâ hominis satis illustre? Calliditas, imperitia, temeritas, oscitantia, quid in hujusmodi collectionibus operari non poterat?

Publicæ auctoritatis collectiones ad duplicem rursùs classem arbitror referendas. Illas in primis publicas voco, quas à primis Ecclesiæ sæculis unusquisque Episcopus ad suæ Diœcesis commodum per Notarios, quibus Primicerius præerat, fieri curabat. Statim enim ac Concilia celebrari cœperunt, in quibus lege scriptâ Canones editi sunt, Episcopi, à Conciliis redeuntes, Canones ipsos secum adferebant, illosque promulgantes, in peculiari Codice præcedentium Conciliorum Canonibus jungentes, in tabulario Ecclesiæ suæ adservabant, ad quos deindè oblatâ occasione confugerent. Et si quando Episcopi justa de causa à Conciliis abfuissent, aut à Legatis, quos fortè miserant, aut à proximis Coepiscopis Canones in Codicem redigendos postulabant. Immò tanta erat veterum Episcoporum, sicut in ceteris, ità & in hac parte solertia, ut exoptarent etiàm Canones alienarum Provinciarum, aut Diœceseon, ut disciplinam, alibi sapientissimè constitutam, in suam quoquè Parochiam alieno exemplo traducerent, & quodammodò suam facerent. Id observarunt Romani Correctores ad Canonem 1. dist. 20. verbo *Carthaginensium*, ibi: *Eos Canones Sedes Apostolica videtur probasse, & usa eis esse, quandò in Codicem Canonum referendos curavit. Eosdem etiam Græci, quo ordine apud Latinos habentur, cum aliis præterea multis Africanarum Synodorum conjunctos in linguam suam verterunt.*

Quanquàm verò magna hujus generis Collectionibus reverentia debeatur, cum præsumendum minimè sit Sacros Ecclesiarum Antistites, & morum sanctimoniâ, & doctrinâ Canonum venerabiles, aut facilè decipi potuisse, aut, quod turpius esset, alios voluisse decipere, præsertim verò quòd memoratis Codicibus olim insererentur Canones, statim atque in Conciliis editi fuissent; nihil tamèn impedit, quominùs aliquandò fides aut denegetur, aut subdubitando præstetur. Vel enim unius, aut alterius Episcopi, unius, aut alterius Diaconi, apud quem Codices custodia esset, unius aut alterius Notarii, ad quem spectaret aut autographum edere, aut consumptum renovare, improbitas, vel imperitia sat erat, ut integrum, atque optimum volumen vel ausu temerario, vel per imprudentiam labefactaret. Manifestum hujus rei argumentum habemus ex actione 1. Concilii Chalcedonensis. Ibidèm Aetius, & Diaconorum, & Notariorum Constantinopolitanæ Ecclesiæ primus, quem propterea in Codicum Sacrorum descriptione versatissimum fuisse præsumendum est, ità testatur: *In talibus Sanctissimis Conciliis contingit frequentèr* (notanda sanè hæc vox *frequentèr*) *unum ex præsentibus reverendissimis Episcopis aliquid dicere, & quod ab uno dictum est, tanquàm ab omnibus simùl dicatur, & scribitur, & intelligitur.* Id sanè in causa erit, cur in Codicem Canonum referatur tanquàm regula Ecclesiastica, quod ab uno, aut altero, vel disputando, vel etiàm dubitando, aut postulando publicè in Concilio propositum fuerit. Finge præterea, ut de solis Episcopis loquar, quorum dignitas majorem, quàm Diaconorum, aut Notariorum officia, exigit fidem, majorem exigit integritatem; finge, Episcopum quempiam interfuisse Conciliio, ubi acerrimam à Coepiscopis, ut olim fieri solebat, passus sit controversiam: finge dein, victum fuisse, ejusque sententiam, cujus consortes quosdam habuerat, plurium consensione fuisse damnatam, & quidem lato decreto, quod inter Canones recenseretur. Is profectò unà cum sociis, (nisi homines dederis humanis prorsùs affectibus expoliatos,) secum adferens in Diœcesim synodalia

ges-

gesta, & in promulgatione, & in descriptione in tabularium redigenda, nisi supprimet, quod sibi fortè contumeliosum existimat, saltèm plurimum in ejus designatione temperabit. Quòd si non novam controversiam in Concilio moverit, sed antiquam, & jam Canonibus definitam, contra æquitatem excitare velit; quâ solertiâ non curabit, ut Canones ad eam pertinentes, & jam editi, si pro deperditis haberi non possint, saltèm aliâ formâ producantur? Celeberrimum hujus rei exemplum agnoscunt eruditi in Photio Constantinopolitano Patriarcha, qui adversus Romanam Ecclesiam renovato schismate pugnaturus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ suæ Codices vitiavit, ne in ipsis contentionis suæ moram, aut impedimentum haberet. Apertissimam verò ejusdem rei demonstrationem eruere licet ex actis Concilii Chalcedonensis, ex quibus adparet, Sacrorum Canonum Codices ecclesiasticorum quorumdam administrorum perfidiâ fuisse corruptos, ut ex sequenti observatione liquebit.

Altera Collectionum publicarum species illarum est, quæ videlicèt à privato quidèm auctore editæ primùm fuerint, dein verò publicâ auctoritate, sedulâ præeunte deliberatione, in Ecclesia generalitèr recipi potuerunt, de quarum propterea fide, & integritate publico inconcusso testimonio sine ulla hæsitandi causa constaret. Sed frustrà vel unam hujusmodi Collectionem ante Gratianeam quærimus, ut propterea supervacaneum sit in hujusmodi Codicum auctoritate expendenda hoc in loco elaborare. Satis mihi est intereà, & in ipso scribendi initio generatim observasse, quotquot Canonum Codices ante Gratianum editi fuerunt, in incerta penitùs fide vagari, nec aliquem produci unquàm posse, cui tutò in omnibus innitamur: non quòd ego exindè sentiam ità dubitandum esse de omnibus, ut nullum ampliùs hodiè habeamus Codicibus nostris commendatum firmum veræ doctrinæ, pristinæque disciplinæ præsidium. Observata sint hæc, ut adpareat, quàm sit necessarium vetustos Canonum Codices, seu Collectiones invicèm conferre, atque eorum sententias ità perpendere, ne sine discrimine fide omni præstita vel in minimis apicibus temerè judicemus. Ceterùm, quotiès incidimus in illa monumenta, quæ jamdiù apud omnes veluti eximia sacræ prudentiæ capita habentur, quæque cum temporis, loci, ceterorumque adjunctorum ratione conveniunt, præsertim quæ ab Auctorum, quibus tribuuntur, mente aliàs exploratâ, non dissonant, nefas arbitror contradicere, aut etiàm dubitare, ne fortè occasio exindè sumatur improbis hominibus sanctissimas leges, & Sacræ Reipublicæ maximè utiles, in interitum, ac perniciem susdequè vertendi. Sobriè, ac moderatè, sicut in ceteris, ità præsertim in hac re procedendum est, ne hinc nimia credulitas, hinc nimia temeritas officiat.

OBSERVATIO II.

Quales reverà fuerint peculiares Sacrorum Canonum Collectiones antè Gratianeam; & prima de ea, quæ vulgò dicitur Codex Canonum Ecclesiæ universæ.

A Sæculo Ecclesiæ quarto, quo primùm Collectiones Canonum fieri potuerunt, usquè ad Gratiani ætatem innumeræ propemodùm prodierunt; præterquamquòd enim in Episcoporum more positum erat, ut suam singu-

guli conficerent, in qua non generalium tantùm Conciliorum statuta, sed & peculiaria suæ Diœceseos, vel Provinciæ decreta, sacrosque ritus adservarent, privati quamplures alias ediderant, ut in superiore observatione nupèr prænotabam. Verosimile autèm non est, Gratianum, dum suum Codicem componeret, omnes præ oculis habuisse; plurimum enim diligentiæ ejusdem tribuerem, si vel celebrioribus usum fuisse dicerem, quarum fama ad nos usquè pervenerit. Quamobrèm, ut ad Gratianeum opus illustrandum paratus accedam, satis erit mihi celebriores Canonum Codices in præsentia observare, & quid de iis sentiendum sit, saltèm paucis attingere; quotiescumquè enim Codicum singulorum, quibus Gratianus uti facilè potuit, perspicuam tradam & claram imaginem, jam indè tutiùs de ipso Gratiani Codice judicabo. Scio quidèm, nonnullos ex eruditis rem hanc agendam suscepisse, atque etiàm fusè pro rei dignitate tractasse. Non erat tamèn à me omittenda, vel quòd novis adhùc, eisque utilibus observationibus exornari debeat, vel quòd necessitas hujus operis id prorsùs efflagitet. Utar verbis S. Augustini, in Prologo lib. 3. de Trinitate ità scribentis: *Non debet hic labor meus cuiquam pigro, aut multùm docto videri superfluus, cum multis impigris, multisque indoctis, inter quos etiàm mihi non parva ex parte, sit necessarius. Ex his igitur, quæ ab aliis de hac re scripta jam legimus, plurimùm adminiculati, & adjuti, ea, quæ disseri posse arbitror, Deo adjuvante, disserenda suscepi, ut si alia non sunt hujusmodi scripta, sit quod habeant, & legant qui voluerint, & valuerint. Si autèm jam sunt, tantò facilius inveniantur, quantò talia plura esse potuerint.*

Itaquè disseram in primis de Codicibus Græcis, & præ ceteris de illa Collectione antiquissimorum Canonum, quam vulgò *Codicem universæ Ecclesiæ* appellant. Eam edidit Christophorus Justellus in suâ Bibliotheca Juris Canonici veteris notis minimè contemnendis illustratam, in qua continentur Canones 207., videlicèt Nicæni 20., Ancyrani 25., Neocæsarienses 14., Gangrenses 20, Antiocheni 25., Laodiceni 59., Constantinopolitani 7., Ephesini 8., & Chalcedonenses 29. Ideò autèm *Codicem universæ Ecclesiæ* vocarunt, quòd crediderint in Chalcedonensi Concilio generali, quod universam Ecclesiam repræsentabat, fuisse probatum, immò etiàm, uti plures scripserunt, etiàm confirmatum.

Perpendamus acta Concilii Chalcedonensis, ex quibus hæc discussio integra pendet. Ex iis autèm, arbitror, manifestè demonstratum iri, non solùm nullam peculiaritèr tùnc probatam fuisse, ut ajunt, collectionem, sed nec aliquam ibidèm peculiaritèr fuisse selectam, quâ Chalcedonenses Episcopi synodalium definitionum causâ uterentur, quidquid hodiè plures ex eruditis tradiderint. Illud mihi verosimilius est, tunc Episcopos, ad Oecumenicum Concilium vocatos, suam singulos adtulisse collectionem Canonum, quâ unusquisque uteretur, dum suffragium laturus esset: ratus, nullum in Concilio recto judicio ferri posse suffragium, nisi quod veterum traditioni solidiùs inniteretur. Hinc Dioscorum Alexandrinum Episcopum, cum ad Chalcedonense Concilium accessisset, Sanctorum Patrum Athanasii, Gregorii, Cyrilli monumenta in Codicibus detulisse scimus ex actione 1. dicti Chalcedonensis Concilii, ubi ità loquens Dioscorus idem inducitur: *& horum* (Sanctorum Patrum) *testimonia non simpliciter, neque transitoriè, sed in libris habeo.*

Quod de hac collectione dici videtur in Chalcedonensi Concilio, sic paucis colligo. Actione 1. cum quæreretur de doctrina S. Cyrilli Alexandrini Episcopi, qui Synodo Ephesinæ præfuerat, Eusthatius Episcopus Berytî Civitatis Phœnices maritimæ Codicem protulit, ubi & Cyrilli epistola continebatur. Hujus

jus sanè Codicis nomine nullum alium intelligemus, quàm quem Eusthatius idem secum attulerat, ubi Canones unà cum actis Conciliorum, præsertim generalium, servabantur. Inferiùs itidèm in eadem actione 1. legitur, eumdem Eusthatium contulisse Nicænas regulas unà cum epistolis Cyrilli, ac fide Concilii Ephesini, omniaque consona reperiisse. Quomodò autèm conferri poterant hujusmodi monumenta, nisi Codices plures præ Episcoporum manibus haberentur? Illud autèm certissimum intereà liquet, Codicem hunc, quo usus fuit Eusthatius, non esse Codicem, à Justello èditum, cum in hoc & Cyrilli epistolæ, & Ephesinæ fidei exemplar desideretur. In actione 2. *Gloriosissimi Judices* (ità habet Labbeana editio) *& amplissimus Senatus dixerunt: Recitentur, quæ exposita sunt à Sanctis* 318. *Patribus, in Nicæa congregatis: Eunomius Reverendissimus Episcopus Nicomediæ civitatis ex Codice recitavit Symbolum* 318. *Patrum.* Hic erat alius ejusdem Eunomii Codex, quem è Nicomedia secum attulerat. Posteà ità sequitur: *Gloriosissimi Judices, & amplissimus Senatus dixerunt: Recitentur & quæ à Sanctis* 150. *Patribus exposita sunt. Aetius Reverendus Diaconus Constantinopolitanæ Ecclesiæ ex Codice recitavit Symbolum* 150. *Patrum.* Hic erat Codex Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui in manibus Diaconi ejusdem Ecclesiæ servabatur, ne gratis asseramus eumdem Codicem sine causa de manu Eunomii Nicomediensis ad manus Diaconi Constantinopolitani fuisse translatum. Sed mihi videor habere luculentissimum hujus rei argumentum. Quandò petitum est, ut legeretur Nicæna fidei expositio, eam legit Eunomius Episcopus Nicomediæ: Quandò petitum est, ut legeretur expositio fidei Concilii Constantinopolitani, eam legit Diaconus Constantinopolitanus. Quid aliud hæc indicant, quàm ad Nicænæ fidei lectionem Nicænæ Provinciæ Codicem, ad Constantinopolitanæ fidei lectionem Constantinopolitanum Codicem fuisse desideratum? Eunomius Nicomediensis Episcopus princeps erat Episcoporum in Provincia Bithyniæ, ubi sita erat Nicæa civitas, propterèaque in Nicæno Concilio Eusebius Nicomediensis proximè subscripsit antè Theogenem, seu Theognem Nicænum. A quo itaquè meliùs afferri poterat Symbolum Nicænum, quàm ab illo, in cujus Provincia & conditum erat, quique etiàm fortè authographum verosimilitèr servabat? At Symbolum Constantinopolitani Concilii à quonam meliùs peti poterat, quàm à Diacono Constantinopolitanæ Ecclesiæ, cujus fidei ejusdem Ecclesiæ gesta erant commendata? Rursùs in dicta actione 2. paulò inferiùs hæc leguntur: *Gloriosissimi Judices, & amplissimus Senatus dixerunt: Recitetur & epistola Deo dignissimi Archiepiscopi Regiæ, & senioris Romæ Leonis: Beronicianus devotissimus Secretarius Sacri Consistorii recitavit ex Codice, sibi porrecto ab Aetio Archidiacono Constantinopolitanæ Ecclesiæ.* En novam Codicis mentionem. Sed hallucinarentur, qui Codicis nomine hic intelligerent Codicem Canonum generalem, illum scilicèt, in quo præcedentium Conciliorum Canones continerentur. Quî enim fieri potest, epistolam recentem, à Leone Magno scriptam, & quæ sententiam Summi Pontificis circà celebrationem, & causas Chalcedonensis Concilii continebat, vel in ipso Concilii exordio jam in Canonum Codicem generalem fuisse relatam? Res est in aprico posita penès eum, qui singula rei hujus adjuncta accuratè consideret. Quo enim tempore S. Flavianus Episcopatum Constantinopolitanum tenebat, jam Euthychiana hæresis grassabatur, atque Orientales Provincias ferè universas omninò turbabat. Id cum ad Leonis Magni aures facilè pervenisset, non omisit sanctissimus æquè, ac prudentissimus Pontifex veram fidei doctrinam datis literis apùd eum-

eumdem Flavianum exponere triennio circitèr ante Concilium Chalcedonense, atque ad generalis Concilii convocationem, perpetuamque definitionem fidei ejus animum præparare. Istæ epistolæ sunt, quæ, in memorata actione secunda, ut legerentur, petitum est: istæ sunt, quas Aetius Constantinopolitanus Archidiaconus legendas porrexit: Istæ sunt, quas Beronicianus Sacri Consistorii Secretarius recitavit. Epistolæ erant, non ad singulos Episcopos, sed ad unum Flavianum à Leone directæ. A quonam alio peti poterant, quàm ab Archidiacono Flaviani, jam tum vitâ functi? Epistolæ erant ad causas ipsius Concilii, videlicèt ad impugnandam Euthychianam hæresim, pertinentes. A quonam recitandæ erant, nisi ab eo, qui Sacri Consistorii Secretarius electus fuerat? Frustrà itaquè quæritur publicus quidam Codex, cum de peculiaribus epistolis ageretur. Hujusmodi autèm Codicem frustrà etiàm apud Justellum quæreremus, cum in editione Justelli nulla Leonis ad Flavianum epistola descripta legatur. Pergo ad actionem quartam, ubi post lectam epistolam Archimandritarum, ad Concilium Chalcedonense scriptam pro restitutione Dioscori, provocatum est ad scriptos Ecclesiasticos Canones. Hinc *Aetius Archidiaconus Constantinopolis* (sequor Labbeanam editionem) *Sanctæ, & Catholicæ Ecclesiæ dixit: Regula est hæc cum aliis posita à Sanctis Patribus, quam custodientes Sanctissimi Patres Episcopi docent, & clericos, & monachos, & omnes Christum colentes, si aut resultantes, aut acquiescere non volentes, hac utuntur regula. Ex Codice relegit hæc &c.* Lectus autèm est Canon quintus Concilii Antiocheni. Porrò inferiùs ubi de Caroso, & Dorotheo monachis actum est, qui Euthychem Archimandritam suum sequebantur, Canonum paritèr lectio visa est opportuna. *Sancta Synodus dixit: Sacri Patrum Canones legantur, & Commentariis inserantur: Sumptoque libro Aetius Archidiaconus, & Primicerius magnæ Ecclesiæ legit.* Lectus est autèm Canon IV. Concilii Antiocheni. En rursùs Codicem in manibus Aetii Archidiaconi, & Primicerii Constantinopolitani. Sed nihil prohibet, alios Codices præ manibus aliorum Notariorum suis Episcopis adsistentium, aut Episcoporum ipsorum oculis subjectos extitisse. Electus est peculiaritèr, qui publicè aliquandò legeretur, Codex Ecclesiæ Constantinopolitanæ, non ob singularem Codicis prærogativam, sed quòd Constantinopolitanæ Ecclesiæ maximus honor jam tum deferri à Græcis cœpisset; præsertim etiàm quòd Chalcedonensis Civitas in Constantinopolitana Provincia sita esset, imò non longè à Constantinopoli dissita: quamobrèm Constantinopolitani Codices faciliùs, & commodiùs in usu esse poterant, quemadmodum in usu eadem ratione fuissent Codices Antiocheni, si penès Antiochiam Concilium celebratum esset. Discussa postmodùm est causa Photii Episcopi Tyri, & Eusthatii Episcopi Beryti. Postulavit Photius, ut Canones legerentur: Patribus annuentibus, *Atticus Reverendissimus Episcopus Nicopolis Epiri legit.* Lectusque est Canon IV. ex Nicænis. Ecce alium lectorem Canonum Atticum Nicopolitanum, quem sanè verosimile haùd est Codicem Canonum ab Aetio commodatum habuisse, sed potiùs in suo Codice peculiari legisse. Idem sentiendum est de sequentibus; nàm in actione XI., dum dirimeretur causa Bassiani, & Stephani, de Ephesino Episcopatu contendentium, ità Stephanus idem postulavit: *Supplico, ut Canones relegantur.... Gloriosissimi Judices dixerunt: Relegantur hi Canones: Leontius Reverendissimus Episcopus Magnesiæ ex Codice relegit regulam* 95. (is erat Canon 16. Concilii Antiocheni)..... *Idem Reverendissimus Leontius Episcopus ex eodem Codice legit regulam* 96. (is erat Canon 17. Antiochenus). In actione 13. actum est de privilegio Metropolis Ni-

Nicomediæ ab Eunomio, ejusdem civitatis Episcopo. *Gloriosissimi Judices dixerunt : Canones legantur. Beronisianus vir devotus, Magistrianus, & Secretarius Divini Consistorii ex Codice, dato ab Eunomio Reverendissimo Episcopo, legit.* Lectus autèm est Canon IV. Concilii Nicæni. Quid porrò significant isthæc omnia, nisi tùnc plures in manibus Episcoporum Codices Canonum extitisse, ex quibus unusquisque pro data occasione Canones in publicum legeret? Quid non probant postrema laudata verba, ubi expressè memoratur Codex Eunomii Secretario Concilii porrectus? In primis enim & peculiarem fuisse Eunomii Codicem designatur; deindè, cum nullibi in integris hujus Concilii actionibus legatur, Codicem Canonum Episcopis pro occasione legentibus porrectum esse, sed tantùm porrectum esse Beroniciano Secretario, ut in duobus hujusmodi actorum locis animadvertimus, manifestè concluditur, solùm Beronicianum destitutum fuisse Codice, cæteros verò Episcopos suos unumquemque Codices habuisse. Quòd si è contrario publicus Codex pro conciliaribus actis electus fuisset, potiùs Secretario Beroniciano commissum extitisset, nec ipse indiguisset Codicem Canonum modò ab Aetio Constantinopolitano, modò ab Eunomio Nicopolitano porrectum accipere, quemadmodum accepit dictis in locis actione 2., & 13.

Hæc, quæ hùc usquè retulimus, Chalcedonensis Concilii fragmenta illa omnia sunt, quibus ut plurimùm innituntur, qui sentiunt, unum Codicem Canonum in Chalcedonensi Concilio probatum esse, eumque propterea Codicem Ecclesiæ universæ appellare non dubitant. Sed, ùt apertè demonstravi, jam liquet ex ipsis quæ adferunt monumentis, quàm infirmum habeant opinionis suæ præsidium. Ego hic minimè sisto; puto enim, ulteriùs demonstrari posse contrariis argumentis, tantùm abesse, ut tempore Chalcedonensis Concilii confirmatus fuerit, receptusque publicus Canonum Codex, quin potiùs jam tum conqueri cœperint Antistites Sacri de corruptis, depravatisque Notariorum perversitate Codicibus.

Reverà nuspiàm fuit mens Chalcedonensium Episcoporum certum Canonum Codicem seligere, eumque probare; ut enim probarent, & tanquàm integrum proponerent, opus fuisset deliberatione, & plurium Codicum in omnibus capitibus collatione, de qua minimè constat in Synodalibus Actis. Prætereà Concilium Chalcedonense gravioribus detinebatur negotiis, quæ pertractaret, nimirùm curanda erat definitio Fidei, & erroris Euthychiani censura. Hinc in actione 4. ità legitur : *Diogenes, Reverendissimus Episcopus Cyzici, dixit : Synodus proptèr Euthychem facta est, non proptèr aliquid aliud.* Quod tamèn magis observandum est, ad Acta Synodalia spectat, quæ vel in ipso Concilio Chalcedonensi depravata fuisse, & invicèm minùs consona conspiciuntur. In actione 1. lecta sunt Acta Ephesini Concilii, & cum inter cetera deventum est ad id, quod dixerat Basilius Seleuciæ Isauriæ Episcopus, agnita statim est vocum immutatio ab ipsomet Basilio, qui in Chalcedonensi Concilio præsens aderat, ità ajente : *Hanc vocem, quam dicunt me dixisse, ego non dixi his verbis, neque scio ista me dixisse.* Hinc exurgens Juvenalis Episcopus Hierosolymorum exclamavit : *Hæc ergo vox adulterata est?* Replicavit Basilius : *Non sum memor, neque scio dixisse.* In eadem rursùs actione 1. ità legitur : *Consulatu Flavii Zenonis, & Posthumiani, Virorum clarissimorum sub, die 6. idus Novembris.....& postquàm relecta est prima, & secunda Actorum series....Aetius Diaconus, & Notarius, dixit : Petimus sanctam, & magnam Synodum interrogari, auditis propriis vocibus, & gestorum serie, ne aliquid falsatum sit, vel corruptum... & relectâ prosequutione Viri religiosissimi*

Joannis Presbyteri, & Defensoris, Constantius Diaconus, & Monachus dixit: ità non est dictum per vestigia vestra, ut continet &c. Rursùs inferiùs, quædam perhibentur adjecta, quasi à magnificentissimo Patricio dicta, quæ reverà dictæ non fuerant. Ità habent Acta Chalcedonensia : *Quemadmodùm hæc, quæ non est interloquutus magnificentissimus Patricius, gestis inserta sunt? Aetius Reverendus Diaconus, & Notarius dixit : quis vobis hæc dictavit? Ego vobis aliquid addere dixi? aut à vobis, vel certè ab aliis hæc audientes fecistis?...Et postquàm relectum est, Eleusinius Diaconus dixit : non sunt secundum ordinem posita.* Pòst pauca rursùm dubitatum fuit de actorum depravatione circà ea, quæ tanquàm ab Euthyche dicta proferebantur. Quarè plures interrogati, Timotheus, Seleucus, Basilius, & Julianus Episcopi professi sunt, se talia anteà non audivisse. Dein, cum acta relegerentur Codicibus inserta, deventum est ad ea, quæ magnificentissimus Patritius dixerat: *Magnificentissimus Patritius dixit: hanc interloquutionem non dixi, neque enim idoneus eram dicere. Reverendissimus Episcopus hujus gloriosæ Civitatis dixit : quæ dicuntur non fuisse tùnc dicta, dictorum tamèn serie continentur. Adnotate vos Notarii : contra vos enim de hoc certamen est, & opportuno tempore requirenda sunt hæc diligentiùs.* Subdidit autèm Seleucus Episcopus, *Notarios debere de hac re purificare*, quanquàm dein ità concluserit : *Quoniàm verò nunc jussit piissimus noster Imperator fieri inquisitionem, si falsata sunt gesta, nùnc arbitror non convenire de hoc loqui.* In fine hujus discussionis Aetius, & Diaconorum, & Notariorum primus, ità sese excusavit : *usquè ad præsens adprobavimus nos metipsos, in quibus potuimus, & quia sæpè lectione facta nemo nos reprehendit : quoniàm verò ante multum tempus dum chartæ priùs apud nos essent, Asterius, qui nobiscum est Presbyter, & Notarius, nobiscum constitutus, & agens descendit, & chartas nostras abstulit, & schedas, & authenticas ; & est duorum, aut trium mensium tempus, & nihil ex his habemus. Si ergò in posterum aliquid aut dicitur, aut movetur de præsenti negotio, liberos nos esse decet.* Hæc ratio fuit, quarè Euthyches dein acta hujus Concilii tanquàm corrupta accusavit, ut in eisdem actis legitur, ibi : *Precibus datis ab Euthyche Reverendissimo Archimandrita, & accusante gesta quæ acta sunt, tanquàm malignè à Notariis immutata.* Sunt hæc Macedoni, verba tribuni Notarii, & Referendarii, qui ità subdidit : *Cum verò recederem, obvius mihi factus est Asterius* (is est) qui schedas, & authenticas abstulerat, *conjurans me audire ab ipso, quæ volebat effari. Accusabat autèm Reverendum Abraamium, & Notarios, tanquàm immutantes in gestis quædam capitula, & quia necessarium habet ipse metuens hujusmodi malignitatem illos quidèm ostendere talia, sed sine ejus scientia commississe.* Subdidit pòst hæc Euthyches Archimandrita : *Pervidet & vestra Reverentia, quia relectorum actio ostendit, gesta priora esse falsata.* Hæ vero Actorum, & Codicum depravationes liquidiùs adparent ex iis, quæ habentur in actione 16. ejusdem Concilii. Actum ibidèm fuit de jure Romanæ, & privilegiis Constantinopolitanæ Sedis, atque ad eam rem laudatus est Canon 6. Nicæni Concilii, ex diversis tamèn Codicibus, atque etiàm diversimodè descriptus. En verba ipsa actorum Chalcedonensium. *Gloriosissimi Judices dixerunt : utraque pars Canones proponat. Paschasinus Reverendissimus Episcopus, Vicarius Sedis Apostolicæ, recitavit : Tercentorum decem & octo Patrum Canon sextus. Quòd Ecclesia Romana sempèr habuit Primatum. Teneat autèm & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniàm & Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similitèr autèm*

tèm & qui in Antiochia constitutus est, & in ceteris Provinciis Primatus habeant Ecclesiæ Civitatum ampliorum. Per omnia autèm manifestum sit, quòd si quis præter voluntatem Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, hunc statuit hæc Sancta Synodus non debere esse Episcopum. Sanè, si communi consensui, & rationabiliter probato, & secundùm Ecclesiasticam regulam statuto, duo aliqui, aut tres per contentionem suam contradicant, illa obtineat sententia, in qua plures fuerint numero Sacerdotes. Quoniàm verò mos antiquus obtinuit, & vetusta traditio, ut etiàm Æliæ, id est, Hierosolymorum Episcopo deferatur, habeat consequentèr honorem suum, sed Metropolitano sua dignitas salva sit. Constantinus devotus Secretarius divini Consistorii ex dato Codice ab Aetio Archidiacono Constantinopolitanorum Sanctissimæ Ecclesiæ recitavit. Regula sexta 318. *Sanctorum Patrum. Antiquæ consuetudines teneant in Ægypto, ut Alexandrinus Episcopus omnium habeat potestatem, quoniàm & Romano Episcopo hæc consuetudo est. Similitèr autèm & Antiocheno, & in aliis Provinciis Primatus habeant Ecclesiæ Civitatum. Universalitèr autèm illud manifestum est, quia, quisquis præter voluntatem Metropolitani fiat Episcopus, hunc Sancta Synodus definivit non esse Episcopum. Sanè, si communi omnium consensui, rationabiliter probato, & secundùm Ecclesiasticam regulam statuto, duo aliquid, vel tres per contentionem suam contradicant, definitio obtineat plurimorum.* En apertissimè demonstratur, non tantùm in Concilio Chalcedonensi plures fuisse Codices, verùm etiàm fuisse in Codicibus ipsis scriptionis varietatem, & depravationem, tanto minùs autèm publico Codici probando, & confirmando locum fuisse; frustrà enim tum & Romani Pontificis Legati, & Sedis Constantinopolitanæ Patroni actione 16. videlicèt sub finem Concilii diversis Codicibus, iisdemque variam lectionem habentibus, usi fuissent.

Sibi itaquè persuadeant, quicumque voluerint de Codice Canonum universæ Ecclesiæ, per Concilium Chalcedonense probato. Mihi alitèr visum est vel una Chalcedonensis ejusdem Concilii acta perpendenti. Appellant, non ignoro, qui contrà sentiunt, ad Canonem Chalcedonensis Concilii, à Gratiano relatum in can. 14. caus. 25. quæst. 1., necnon ad Novellam 131. Justiniani Imperatoris. Verùm quid aliud, bone Deus! laudatis in locis ostenditur, quàm definitio hujusmodi, ut unusquisque præcedentia Synodorum statuta moribus observet? De codice verò nulla mentio est, imò ne verbum quidèm, ut nemo exindè blandiri sibi possit, fictosque Ecclesiasticos Codices vetustissimæ Ecclesiæ commento suo tribuere.

OBSERVATIO III.

De celebrioribus vetustis Græcorum Collectionibus.

VIX utile fortè vibebitur proposito meo de Græcis Canonum Collectionibus disserere; etenim Gratianus, quem persequi debeo, Græci idiomatis prorsùs ignarus fuit: proindè nihil ex Græcis fontibus derivare unquàm potuit. Scio quidèm, in Gratianeo Codice aliqua legi Græca vocabula; verbi gratia in Can. 39. caus. 24. quæst. 3. jamdiù verò Viri eruditi observarunt, in vetustis Gratiani exemplaribus non haberi, sed adjecta fuisse per Antonium Democharem, & Antonium Contium, qui exçultius Decretum Gratianeum die-

edidere, quos deindè sequuti sunt Romani Correctores. Verumtamèn, cum Gratianus latinis immediatè Codicibus usus fuerit, latinorum autèm Codicum Auctores à Græcis plurima acceperint, juvabit etiàm saltèm pauca de Græcis Codicibus attingere.

Post Codicem, ut ajunt, Ecclesiæ universæ, ab Justello editum, quem suspicor fuisse Codicem peculiarem, alicujus Diœcesis usui apùd veteres destinatum, adparet apùd eruditos Græca Collectio, quam Joannes Doviatius in lib. 3. Prænotionum canonicarum cap. 5. probabilius tribuit Theodorito Cyrensi Episcopo. Tradunt autèm, in ea nihil amplius contineri, quàm quod in Codice, universæ Ecclesiæ nuncupato, comprehendatur, exceptis tantummodò Canonibus Apostolorum, & Canonibus Sardicensibus, qui in hac Theodoriti Collectione leguntur. Si personam Collectoris, videlicet Theodoriti Cyrensis inspiciamus, mihi suspecta quoquo modo videtur; etenim varias ipse passus est controversias cum Dioscoro Alexandrino, à quo ab ipsa sede sua dejectus est; propterèàque non est præsumendus adeo temperatè, maturoque consilio sacros Canones voluisse describere, quemadmodùm Collectorem integræ fidei decebat: præsertim verò quod ejus scripta publico totius Ecclesiæ testimonio reprobata sint in Synodo V. generali, sive II. Constantinopolitana. Si Canones relatos attendamus, ii nec Orientali, nec Occidentali Ecclesiæ placuerunt: non Orientali, in qua scribebat, quia retulerat Sardicenses Canones, quos Orientales tunc improbaverant; non Occidentali, quia Canones, quos tanquàm Apostolicos retulit, uti suo loco dicemus, non nisi posteriore ætate in Occidente recipi potuerunt.

Celeberrima verò inter Græcas Collectiones illa est, quæ in Synodo Trullana, sive Quinnisexta, probata dicitur, & Ecclesiæ Orientali proposita anno 692. Continebantur in ea in primis Canones Apostolorum, deindè Nicæni, aliique prioribus Collectionibus inserti, Sardicensibus tantum exceptis; itèm Canones Carthaginenses, selecti scilicèt ex pluribus Africanis Conciliis ad numerum 133., quales edidit Christophorus Justellus in sua Bibliotheca Juris Canonici veteris tom. 1. pag. mihi 328. Additi præterèà sunt Canones Constantinopolitani Concilii, à Nectario, & Thephilo Alexandrino habiti anno 394. in causa Agapii, & Bagadii, de Bostrensi Episcopatu inter se contendentium. His accessere Canones S. Dionysii Alexandrini, qui medio tertio sæculo floruit Continebant isti responsa quædam Dionysii, quibus satisfiebat interrogationibus Episcopi Pentapolitani. Accesserunt etiàm quindecim Decreta Petri Episcopi Alexandrini de lapsis tempore persecutionum initio sæculi quarti; itèm Canones undecim Gregorii Thaumaturgi Neocæsareæ in Ponto Polemoniaco Archiepiscopi; in quibus agebatur de pœnitentia variorum criminum, præsertim de Idolothytorum participatione circa annum 260.: adjectæ sunt tres epistolæ Athanasii, qui paulo post Nicænam Synodum Ecclesiæ Alexandrinæ præsedit; prior scilicèt ad Ammonem Monachum; altera, quæ est inter festales 39., ubi Libri canonici recensentur; postrema de lapsis in hæresim ad pœnitentiam admittendis, ad Clerum missa, aut quemadmodùm aliis lubet, ad Rusticianum Episcopum. Non omissæ fuerunt Basilii Cappadociæ Cæsareæ Episcopi tres epistolæ ad Amphilochium Iconii Antistitem; quarum prima in 16., secunda in 69. capita distribuitur, tertia unico capite de ciborum delectu adversùs Encratitas absolvitur: præterèà ejusdem Basilii epistola ad Gregorium presbyterum, epistola ad Chorepiscopos, fragmenta duo ex libro de Spiritu sancto ad Amphilochium, & fragmentum epistolæ ad Nicopolitanos in Armenia minore. Hæc pertinent ad annum circiter 370. Laudatus etiam est Gregorius Nyssenus, Basilio coæ-

coævus, & canonicis adnumerata est ejusdem epistola ad Letojum Melitines in minore Armenia Episcopum; laudatus Gregorius alter, scilicèt Nazianzenus primùm, deindè Episcopus Constantinopolitanus, Basilio etiàm, & Gregorio Nysseno coævus, relatusque est in Codicem Canonum ejus liber, qui inscribebatur *Librorum Sacræ Scripturæ Catalogus*, versibus concinnatus. Inserta eidem Codici fuerunt scripta Amphilochii Iconiensis in Licoania, 17. responsa Timothei fratris Petri Alexandrini Episcopi, qui post Athanasium Patriarcha Alexandrinus electus fuit, epistolæ duæ Cyrilli Patriarchæ Alexandrini post annum 412.; una scilicèt ad Domnum, altera ad Episcopos Lybiæ, & Pentapoleos, in septem Canones distributæ; demùm epistola Gennadii ad Summum Pontificem, & Synodum Romanam adversùs ordinationes, quæ datâ pecuniâ celebrarentur. Fuit Gennadius post Anatolium Constantinopolitanus Patriarcha anno 458.

Qualis esse debeat hujus Collectionis auctoritas, facilè unusquisque intelligit. Etsi enim in ea plurima, & quidem venerabilia, sacræ vetustatis Orientalis monumenta reperiantur, tamèn cum Auctores habuerit Græcos quosdam Episcopos in schismata pronos, qui illegitimè convenerant, ut adjicerent quæ Synodis generalibus quintæ, & sextæ deesse arbitrabantur, qui prætereà plura germano Ecclesiæ sensui contraria statuere non dubitarunt, inter cætera clericalem cœlibatum damnavere, non est cur eidem facilè fidere possimus, aut debeamus. Illud unum observandum erit, per hos Trullanos Episcopos in hanc Collectionem relatum esse Canonem Africanæ Ecclesiæ, sub S. Cypriano editum de Baptismate per hæreticos frustrà collato, quod veterem controversiam jamdiù sopitam renovare posse videbatur, aut saltèm veteres Sanctorum Patrum contentiones ad memoriam imprudentissimè revocare. Hanc itaquè Collectionem, arbitror, apùd illos equidèm Episcopos plurimùm valuisse, qui ad Trullanam Synodum convenerant, eamque in suis Diœcesibus receperant; additis deindè Canonibus Concilii Nicæni secundi, cum ad ejus tempora deventum est; verùm ad alios Episcopos, aliasque Diœceses nunquàm pervenisse observandam, nec pro Codice ecclesiasticarum legum habendam.

Novam colligendorum Canonum methodum invexit Joannes Antiochenus, cognomento Scholasticus, qui anno 574. propè finem Imperii Justiniani, pulso Euthychio, ad Constantinopolitanam Sedem evectus est, obiitque anno 578., quo restitutus fuit Euthychius á Tiberio Apsimaro Justiniani successore, quemadmodùm tradunt Evagrius lib. 4. histor. Eccl. cap. 37. propè finem, Nicephorus in Chronico, & in Catalogo Patriarcharum Constantinopolitanorum. Collegit ipse Canones Græcorum Conciliorum, ne Sardicensi quidèm excepto, cujus Canones fortè ex memorata Theodori Cyrensis Collectione desumpserat; eosque omnes in quinquaginta titulos distribuit. Hùc pertinet fragmentum illud epistolæ Nicolai Papæ ad Photium: *Quomodò*, ait Nicolaus, *non sunt penès vos Canones Sardicenses, quandò inter quinquaginta titulos, quibus concordia Canonum apùd vos texitur, ipsi quoquè reperiuntur*? Collegit, inquàm, sed non servato ordine temporum, quemadmodùm alii Collectores consueverant, sed unaquæque congerendo juxtá ordinem rerum, quas pertractandas suscipiebat. Primò enim de Episcopis egit, indè de Presbyteris, Diaconis, Hippodiaconis, cæterisque inferioribus Clericis, dein de Monachis, postremò de Laicis, ac singulis accommodatos Canones ordinatè delineavit. Porrò hic Codex non fuit eadem sempèr specie; nàm cum Joannes illius auctor adhùc esset Presbyter Antiochenæ Ecclesiæ, tantummodò continebat Canones, ab Ecclesiæ Codicibus depromptos, quales erant, qui Apostolici vocabantur, Nicœni, Ancy-

cyrani, Neocæsarenses, Sardicenses, Gangrenses, Laodiceni, Constantinopolitani, Ephesini, & Chalcedonenses; itèm, quos ex epistolis canonicis Sancti Basilii descripserat: at, cum Joannes Constantinopolitanam Sedem tenuit, ecclesiasticis regulis imperatorias etiàm leges adjecit; & en originem *Nomocanonum* apùd Græcos, videlicèt Collectionum, tum ex Jure Civili, tum ex Jure Sacro confectarum. Erat enim hic Joannes in numero *Scholasticorum*, quo nomine tùnc temporis appellabantur *Advocati*, sive qui apùd Magistratus ex Jureconsultorum doctrina clientum suorum causas tuebantur; propterea facilè adduci potuit, ut ecclesiasticis negotiis definiendis Jus etiàm civile adferret, ubi Canonibus ecclesiasticis consonum videretur: præsertim verò quòd tùnc temporis nupèr Justinianus Imperator in urbe Regia novellas Constitutiones ediderat, & promulgaverat, imò universum Civile Jus in novam formam redegisse gloriabatur: Joannes verò favore Justiniani, pulso Euthychio, ad Sedem Constantinopolitanam conscenderat. Nihil itaquè opportunius novo Episcopo videbatur, ut sibi Imperatoris benevolentiam captaret, augeretque, quàm ejusdem Imperatoris Constitutiones in sacros ipsos Codices referre, atque tanquàm Ecclesiæ utiles auctoritate sua probare. Hunc Codicem Justellus edidit in secundo tomo suæ Bibliothecæ Juris Canonici veteris. At, si de ejus auctoritate quæratur, facilè dubitaverim ob animum Auctoris ad seditionem paratum; intrudi enim se passus est, expulso Euthychio, legitimo Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistite, non aliam ob causam, quàm quòd hæresi Incorruptibilium acerrimè obstitisset. Quid expectare nos possumus ab homine schismatico, quique humanis effectibus, spretis ipsorum Canonum sanctionibus, ferebatur? Satis erit ejus manibus, quotiès ejus ingenium laudemus, quòd sciverit Canonico Juri novam formam tribuere, illudque faciliore methodo illustrare: quòd sciverit Legum Civilium, quibus ant studuerat, Collectores æmulari, quorum solertiâ recens Civile Jus non per temporum seriem, sed distinctis rerum titulis dispositum fuerat, atque ordinatum.

Joannis Antiocheni exemplo Photius quoquè Patriarcha Constantinopolitanus anno circitèr 860. Nomocanonem condidit, collectionem videlicèt, ex Canonibus simùl, atque Imperatoriis sanctionibus compositam. Fermè omnia in hoc Codice Photius congessit, quæ superiùs diximus in Codice Trullani Concilii contineri: addidit tamèn plura Concilia à se celebrata, quæ, licèt apùd Græcos venerabilia fuerint, Latinis tamèn tanquàm illicita conventicula sempèr audierunt. Illa Concilia sunt, quibus Ignatius, à Constantinopolitana Sede Photii ambitu dejectus, damnari per vim debuit, & nova Photii dignitas per vim occupata defendi. Addidit prætereà quinque opuscula Theophili Alexandrini, scilicèt *Allocutionem*, cum Sancta Theophania die dominico instarent; *Commonitorium* ex 10. Canonibus constans, Ammoni datum propter ea, quæ gesta fuerant apùd Lyco Ægypti civitatem; *epistolam de iis, qui dicuntur Cathari*, *epistolam ad Agathonem* Episcopum, & *epistolam ad Mennam* Episcopum. (Theophilus hic Alexandrinus circà annum 385. damnationi S. Joannis Chrysostomi subscripsit, quamobrèm fertur ab Innocentio I. communione privatus: quanquàm aliqui tradant, illum se pœnitentiâ expiasse, quam plura pro Ecclesia posteà peracta, & quidèm egregia monumenta testantur). Adjecit insupèr epistolam Tharasii Constantinopolitani ad Adrianum Papam circà annum 787. de ordinationibus per pecuniam minimè faciendis. Singulis autèm Ecclesiastici Juris capitibus Legum civilium, non verba, sed titulos accommodavit, indicans loca, quæ materiei, quam pertractabat, in Jure Civili consonarent.

Ne-

Nemo, arbitror, ex iis, qui unitati Ecclesiæ adhærent, schismatico homini talem fidem habebit, ut hanc Collectionem, Pseudocanonibus undequaquè refertam, recipiat, ut ex ea disciplinam ecclesiasticam aut stabiliendam, derivandamque, aut confirmandam arbitretur: tanto minùs hodiernâ ætate, postquàm ad manus, interpretationemque Zonaræ, necnon Balsamonis pervenit. Zonaras in primis circà annum 1120. & Gratiano nostro, in dissita tamèn regione, ferè coævus, commentariis illustrandam aggressus est Photii Collectionem, & pòst Zonaram Theodorus Balsamon, vir schismaticus, Diaconus primùm Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & Chartophilax, id est, chartis ecclesiasticis, sive archivio, Prætectus circà annum 1170., deindè verò Anthiochenus Patriarcha titulo tenus salutatus; etenim latini tunc Antiochiam occupaverant, suumque ibi Patriarcham constituerant, quod Balsamoni acerrimi odii adversùs Latinos occasionem dedit. Is itaquè manum admovit Nomocanoni Photiano, & nedùm sacros Canones Conciliorum, & Patrum pro lubito accommodavit, verùm etiàm Jura Civilia, ex Codice Justiniani rectè deprompta, reduxit ad Basilica, undè novum jus eà ætate apùd Orientales vigebat. Sed hæc nullo modo pertinent ad rem nostram, cum Gratianeo Codice paulò posteriora sint. Satis sit ostendisse, Codicem Photianum & à schismatico homine tuisse confectum, & à solis schismaticis viris posteriore ætate simùl cum ceteris Græcæ Ecclesiæ monumentis perturbatum, ne dixerim etiàm susdequè perversum.

Quid jam nùnc de ceteris Græcis obscurioris nominis Collectoribus loquar? In medium adferri posset Epitome Canonum Simeonis magistri, & logothetæ (logotheta dicebatur apùd Græcos, cujus munus erat circà res Ecclesiæ communes, ut observat Joannes Meursius in Glossario Græcobarbaro), qui sæculo 9. floruisse dicitur: itèm Alexii Aristini, Diaconi Ecclesiæ Constantinopolinæ, Sinopsis Canonum, quos veluti in epitomen redegit circà annum 1130.; aut alia epitome Canonum, à Constantino Harmenopulo Thessalonicensi elucubrata eadem ætate, ut de posterioribus sileam: verùm omnium istiusmodi collectionum una, eademque apùd nos esse debet existimatio, vel quòd ut plurimum à viris schismaticis compositæ fuerint, vel quòd Photiano Codici ità innitantur, ut alias prorsùs collectiones auctores hujusmodi omninò ignorasse videantur; imò etiàm Photianis ipsis Conciliis eamdem affingant auctoritatem, quam sanctioribus generalium Conciliorum Canonibus se exhibere profitentur.

OBSERVATIO IV.

De Collectionibus vetustis Latinis, quæ peculiaribus Ecclesiis adscribuntur.

VEnio nùnc ad latinas Canonum Collectiones, quæ ad duo potissimùm capita referri commodè possunt. Aliæ enim sunt, quæ peculiarium Ecclesiarum nomine laudantur, sive quæ creduntur ab Ecclesiarum ipsarum Notariis Episcoporum auctoritate ad Diœcesis, vel Provinciæ usum confectæ; aliæ verò privato cujusdam studio elaboratæ, licèt dein vel ob auctoris, vel ob collectionis ipsius merita in pretio habitæ, & plurium usu receptæ. De illis dicam in primis, quæ peculiarium Ecclesiarum nomine hodiè inscriptæ feruntur; &

quamquàm minimè dubitaverim, unamquamque Ecclesiam, sive Diœcesim suum olim habuisse Canonum Codicem, quemadmodùm in præsens in unoquoque Episcopatu sua sunt Synodalia Constituta peculiaria, quibus ecclesiastica disciplina regatur; tamèn ad nostram ætatem paucæ admodùm pervenerunt, & vix duarum Ecclesiarum Codices apùd eruditos vetustatis amatores memorantur. Ii sunt Codices Ecclesiæ Romanæ, necnon Africanæ. Exordior ab Ecclesiæ Romanæ Codice, cujus ratione plura sunt animadvertenda.

Præ primis autèm nuspiàm ferre potui, quod plures vulgò tradunt, Romanam Ecclesiam usquè ad Concilii Chalcedonensis ætatem non alios agnovisse Canones, quàm Nicænos. Videtur hæc injuria valdè gravis priscis Pontificibus maximis, quibus talis oscitantia tribuitur, rerumque Canonicarum contemptus, ut vel ipsa Conciliorum generalium constituta minimi facerent, nec curarent apùd Latinos, quibus etiàm peculiari ratione præerant, palàm exhibere. Quid memorem Sardicensi Concilium, ad quod tercenti circitèr ex Occidente Episcopi convenerant, & saluberrimas regulas ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam constituerant? Me refero statim ad Concilium Constantinopolitanum I. generale II., ad Ephesinum, seu generale III., cujus sanctissimas sanctiones á Romanis potissimùm Pontificibus servari decebat, à quibus, teste Gregorio Magno, tamquàm ipsa Evangelia colebantur. Video undenàm decepti fuerint, qui adeò perperàm de vetustis Romanis Pontificibus senserunt. Inciderant illi in acta Concilii Chalcedonensis, ubi actione 16. cum ageretur de prærogativa Patriarchæ Constantinopolitani, ceteris Orientalibus Episcopis præferri ambientis, Græci legerunt in suo Codice canonem tertium Concilii Constantinopolitani. Eo autèm lecto, Lucentius, Romanæ Sedis Legatus, inquit: *Canones istius Synodi in synodicis Constitutionibus non habentur.* Inciderant præterea in duas epistolas Innocentii Papæ I.: prior à Sozomeno laudatur lib. 8. hist. Eccles. cap. 26., & Nicephoro lib. 13. cap. 33. scripta ad clerum & populum Constantinopolitanum, ubi leguntur hæc verba: *Nos enim, quantùm ad Canonum observantiam attinet, illis obsequendum esse decernimus, qui Nicææ determinati sunt, quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere Ecclesia Catholica debet.* Altera est ad Theophilum Alexandrinum, quem invitat ad Concilium Romæ celebrandum in causa S. Joannis Chrysostomi, ubi hæc habentur: *Tu quoquè judicio accurre ad Synodum proximè in Christo celebrandam, & illic juxtà Nicæni Concilii Canones & decreta contende; alios quippè Canones Romana non admittit Ecclesia.* Moveri etiàm ex eo fortè potuerunt, quòd dicitur in epist. 31. lib. 6. Gregorii Magni de Concilio Constantinopolitano I. ibi: *Romana Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius hactenùs non habet, nec accipit: in hoc autèm eamdem Synodum accepit, quod est per eam contrà Macedonium definitum.* Hæc illa sunt, ex quibus aliquibus persuasum est usquè ad tempora Concilii Chalcedonensis non alios, nisi Nicænos Canones in Romana Ecclesia fuisse receptos. Verùm memorata tàm Concilii Chalcedonensis, quàm Innocentii, & Gregorii loca meliorem desiderant interpretationem, quàm quæ vulgò adfingatur. In Concilio Chalcedonensi minimè dixit Lucentius Legatus, Constantinopolitani Concilii Canones in Codice Romanæ Ecclesiæ non haberi, sed tantùm non habere in *Synodicis Constitutionibus.* Sedis Pontificiæ Legati, inter quos erat Lucentius, dum ad Concilium commearunt, non jam secum detulerant integros Codices Canonum universorum, qui in Romanæ Ecclesiæ archiviis extiterant; neque enim decebat supervacaneis Codicibus gravari. Synodus Chalcedonensis ob unam Euthychis hæresim damnandam congregata est: hæc fuit mens

Leo-

Leonis Magni, qui illud potissimùm Legatis suis commendavit, ne aliud in Concilio promoverent; hinc in actione 4. superiùs jam memorata, legitur: *Synodus propter Euthychem facta est, non propter aliquid aliud*, & pòst actionem 6., quâ jam contra Euthychem satis processum fuerat, clamaverunt Episcopi: *Dimitte nos, pie Imperator, dimitte nos.* Itaquè non alios Legati Pontificis Codices adferre debuerunt, quàm eos, quæ ad fidem Dominicæ Incarnationis illustrandam pertinere poterant, ad summum verò Nicænæ Synodi exemplar, ut enim Nicæna Synodus prima erat ex generalibus, ex ejusdem actis Pontificii Legati normam in novo Concilio celebrando eximiam habere poterant. Paulò alitèr meditati fuerunt Constantinopolitani, qui, de privilegio suæ Ecclesiæ solliciti, non tàm Catholicæ fidei, quàm suam etiàm causam in Concilio pertractari cupiebant, ideòque etiàm illorum Canonum Codicem secum adtulerant, undè sedis suæ jura probari posse credebant. Hinc est, à Legatis Pontificiis minimè allatos ad Concilium fuisse Constantinopolitani Concilii Canones, quos secum habebant Constantinopolitani; atque hùc pertinent illa verba Lucentii legati, quibus professus est, Canones Constantinopolitanos in Synodicis Constitutionibus se non habere, in illis scilicèt Codicibus, quos secum ad Synodum pergens attulerat. Quæ propterea verba, sic commodà, eàque perspicuâ interpretatione illustrata, quam quæso vim amplius faciunt, ut concludatur, Constantinopolitanos Canones Romanis fuisse prorsùs ignotos? Idem quoquè eveniet, si rectâ ratione laudata Innocentii, & Gregorii verba referamus; neque enim pugnandum est obtruncatis, mutilatisque fragmentis Patrum, ut res, meo judicio gravissima, definiatur; sed potiùs oportet eorumdem mentem intimius scrutari. Itaquè Innocentius I. causam agebat S. Joannis Chrysostomi Constantinopolitani Episcopi, & jam diù Coepiscoporum invidiâ atque odio à sua sede deturbato, alio in ejus locum suffecto adversùs sacros Canones, & quidèm celebratâ Synodo, quæ appellatur *ad Quercum*, ubi unanimi sententiâ malorum Episcoporum Vir sanctissimus damnatus fuerat. Hujus Synodi definitionem magni faciebant Orientales Chrysostomo intensi, ità ut, quotiès Chrysostomus, aut alii Chrysostomi ejusdem defensores ad Nicæni potius Concilii regulas provocarent, illi statim novæ Synodi suæ, quam jure Pseudosynodum appellare possumus, decreta producere non dubitarent. Produxerunt in conspectum Innocentii Papæ, qui propterea jure scripsit, se, Romanamque Ecclesiam solis Nicænis Canonibus uti, non ut Canones sequentium generalium Conciliorum excluderet, sed ut illis acquiescere recusaret, qui in Pseudosynodis conditi erant, & Nicænis regulis omninò contrarii. Hanc porrò fuisse Innocentii sententiam, apertissimè liquet ex verbis integris epistolæ ad clerum & populum Constantinopolitanum; pòstquàm enim Innocentius scripserit illis Canonibus obsequendum esse, qui Nicææ determinati sunt, *quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere Ecclesia Catholica debet*, statim immediatè subdidit: *Si qui verò & alii quibusdam proferuntur, qui à Canonibus Nicænis discrepant, & ab hæreticis compositi deprehenduntur, hi verò ab Episcopis Catholicis rescinduntur; hæreticorum enim commenta Catholicis Canonibus assuere non licet, semper enim vel per contraria, vel per illicita labefactare voluntatem student Concilii Nicæni. Non solum igitur his non obtemperandum esse dicimus, sed ipsa potiùs unà cum hæreticis, & schismaticis dogmatibus esse condemnanda, quomodò & anteà in Sardicensi Synodo ab Episcopis prædecessoribus nostris factum est.* &c. Quid his verbis luculentius esse potest? Præterquamquòd enim Innocentius Concilium Sardicense laudet, ejusdemque exemplo se agere profiteatur,

quod sanè indicat, Sardicensis Concilii acta, non solius Nicæni Concilii Canones, Romanæ Ecclesiæ tùm nota fuisse, ità se Nicænos Canones solos recipere asserit, ut cæteros rejiciat, *qui à Canonibus Nicænis discrepant, & ab hæreticis compositi deprehenduntur*, qui *ab Episcopis Catholicis rescinduntur*, quos appellat *commenta hæreticorum*, quæ posteà concludit *unà cum hæreticis, & schismaticis dogmatibus esse condemnanda.* Hæccine fortè esse potuerunt Canones Concilii Constantinopolitani Oecumenici? Videant, qui hanc Innocentio sententiam affingunt, quò progredi coguntur, cum solos Nicænos Canones in Romano Codice extitisse putant, scilicèt ceteros sequentium Conciliorum, etiàm sanctissimorum, & generalium, non solùm Romanis ignotos fuisse, verùm etiàm à Romana Ecclesia reprobatos, atque damnatos, atque ideo Nicænis Canonibus minimè junctos, quòd *hæreticorum commenta Catholicis Canonibus assuere non liceat.* Eadem porrò est sententia Innocentii ejusdem in epistola ad Theophilum Alexandrinum, ubi eamdem Chrysostomi causam agebat, *alios*, inquit, *Canones Romana non admittit Ecclesia* præter Nicænos, id est, à Nicænis diversos, Nicænis contrarios, quos in Pseudosynodis hæretici quidam Episcopi ex invidia ediderunt. Qui contrà sentiunt, non abusi sanè fuissent hoc Innocentii fragmento, si epistolam Innocentii legissent, qualis exhibetur à Baronio ad annum 404 num. 37., qui significationem verborum Pontificis obtulit, qualis reverà affingenda erat; scribit enim: *alios (ab his scilicèt diversos) Romana non admittit Ecclesia.* Restat adhùc expendendus Gregorius Magnus, cujus integra verba afferre juvat, sine quibus recta non potest esse mentis Pontificiæ interpretatio. Scribit ibi Gregorius ad Episcopos plures Orientales de Ciriaco electo Constantinopolitano Episcopo, quem suaserat, ut Oecumenici Episcopi nomen, à Prædecessoribus usurpatum, minimè assumeret, & à quo fidei professionem acceperat, quam Episcopi initio suæ promotionis mittere consueverant. In hac fidei professione Ciriacus dixerat inter cetera, se Eudoxium damnare, quod utpotè novum Gregorius statim probare non potuit, ac propterèà ità scripsit: *Quemdam verò Eudoxium damnavit, quem neque in Synodis damnatum invenimus, neque à decessoribus ejus in Synodis reprobatum. Et Canones quidèm Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant; sed, quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt. Romana autèm Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenùs non habet, nec accipit; in hoc autèm eamdem Synodum accepit, quod est per eam contrà Macedonium definitum: reliquas verò hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab aliis jam Patribus damnatas, reprobat. De Eudoxianis verò nihil hactenùs agnovit. In historia autèm Sozomeni de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur; sed ipsam quoquè historiam Sedes Apostolica accipere recusat, quoniàm multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ nimiùm laudat* &c. Itaquè in primis peto ab illis, qui hoc Gregorii capite utuntur, an tantùm velint usquè ad Concilii Chalcedonensis ætatem nullos alios Orientales Canones præter Nicænos Romanæ Ecclesiæ cognitos extitisse, an verò etiam id asserant pòst Concilium Chalcedonense? Pòst Concilium Chalcedonense quicumque scripserunt, admittere debuerunt non solùm Canones Græcos Conciliorum generalium, verùm etiam provincialium apùd Romanos agnitos fuisse, præsertim verò postquàm Dionysius Exiguus eosdem Romæ evulgavit. Si ergò res tota reducitur ad tempora, quæ Chalcedonense Concilium præcesserunt; eccur ex Gregorio Magno probare nituntur, ad eam usquè ætatem non alios Romæ receptos fuisse Canones, quàm Nicænos? Loquimur quidèm de Gregorio Magno,

qui

qui & Chalcedonensi Concilio, imò etiàm Dionysio Exiguo fuit longè posterior. Aliò itaquè pertinent descripta Magni Gregorii verba, quæ ut intelligantur, monere oportet Synodicarum actionum nomine duo venire posse. Primum prævius rerum discutiendarum tractatus, qui fit, ut unusquisque in Concilio præsens aut proponat, aut respondeat, disputetve, consilium ferat aut suffragium. Alterum est definitio ipsa Synodica, quæ Canonis nomine propriè venit. Quotiès Concilium absolvitur, unusquisque ex Episcopis, ibidèm congregatis, sollicitus quidèm esse solet definitiones synodicas, sive Canones secum in Diœcesim adferre; at prævia tractationis actus, consilio, suffragia doctorum, disputationes anteactæ vix penès illam Ecclesiam manent, apùd quam Concilium celebratum est. Itaquè apùd Romanam Ecclesiam tempore Gregorii Magni desiderabantur acta Concilii Constantinopolitani, non quidèm illa, quibus synodicæ definitiones, & Canones continerentur, sed illa, quæ prævias Concilii tractationes exhiberent, atque ità Gregorium Magnum intelligendum existimo. Reverà ipsa Gregorii verba laudata id demonstrant; etenim conqueritur à Ciriaco in professione fidei damnatum Eudoxium, quem ipse *in Synodis* damnatum non invenerat. Porrò Synodorum nomine non venit sola Nicæna Synodus, sed exindè colligitur Gregorium plures Græcorum Synodos habuisse, quas eâ in re scrutaretur. Quid verò sibi volunt ea verba: *& Canones quidèm Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed quis fuit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt*? Nonne ex his manifestè colligitur, apùd Gregorium extitisse Canones Concilii Constantinopolitani, in quibus damnatos Eudoxianos, non Eudoxium aliquem, se reperisse profitetur? Sanè, si Canones Constantinopolitanos, quales hodiè vulgatos habemus, inspicimus, idipsum agnoscemus, ut concludendum sit Gregorium eosdem in Romana Ecclesia habuisse Canones Constantinopolitanos, quos hodiè ex variorum interpretationibus editos habemus.

Fortè autèm suspicabatur Gregorius, Eudoxii nomen exhiberi potuisse in actis Conciliaribus, qualia apùd Græcos habebantur. Cum enim in Canone 1. Constantinopolitano Eudoxianorum hæreticorum mentio fieret, justa esse poterat Gregorii suspicio, ne in prævia tractatione antè Canonis editionem quædam de Eudoxio hæretico apùd Græcos haberentur. Propterea ait, se hæc gesta in Romana Ecclesia non habere, propterea se non posse tutò acquiescere professioni fidei factæ à Ciriaco, à quo Eudoxius damnabatur. Notatu digna sunt illa verba Gregorii: *Canones, vel gesta Synodi illius*; non enim sanctus Pontifex professus est se Canones non habere, seu fidei definitiones, sed *Canones, vel gesta*, id est, quæ in Concilio ipso prævio consilio fuerant pertractata antè Canones conditos. Uno verbo, una Gregorii sollicitudo eò pertinebat, quòd in Ecclesia Romana incognita esset, nec damnata Eudoxii persona, quam tamen ità liberè Ciriacus in sua professione damnaverat. At de Eudoxianis Gregorius verè professus est eos esse damnandos. Quemadmodùm ergò noluit damnandum esse Eudoxium, quòd in Canonibus Græcis damnatum minimè reperit, ità voluit damnandos Eudoxianos, quòd damnatos in Græcis Conciliis noverit. Novit autèm damnatos Eudoxianos in canone 1. Concilii Constantinopolitani. Ergò Canones Constantinopolitani noti fuere Gregorio, ác propterea Ecclesiæ Romanæ. Non novit damnatum Eudoxium, de quo sermo non est in Canonibus Constantinopolitanis: ergò, quod Gregorio, sive Ecclesiæ Romanæ deerat, erat Eudoxii damnatio, sive, ut ipse Gregorius jure suspicabatur, deerant gesta Synodi ejusdem Constantinopolitanæ, de quibus nihil aliud idem Gregorius se, & Romanam Ecclesiam recepisse testatur, quàm quod ad damnandam Macedonii hæresim pertineret. His

His generàtim præmissis, veniendum est ad eos Codices, qui nomine Romanæ Ecclesiæ veteris hodiè evulgati eruditorum manibus volvuntur. Primus est, quem mutilum edidit Christophorus Justellus in sua Bibliotheca Juris Ecclesiastici veteris pag. mihi 277. Alterum edidit Paschasius Quesnellius, sanctique Leonis Magni operibus velùt appendicem quemdam adnexuit principio tomi 2. operum ejusdem summi Pontificis. Non deerunt fortè progressu temporis, qui novos Codices producant ex latebris Bibliothecarum Romanæ Ecclesiæ nomine, & sic eamdem pluribus Codicibus usam fuisse demonstrabunt. Hæc asseruerim, quòd videam sine ullo gravi fundamento, & non nisi remotissimis, iisdemque levibus conjecturis hujusmodi Codices Romanæ Ecclesiæ adscriptos fuisse.

Quod spectat in primis ad Collectionem Justelli, inscribitur illa: *Prisca Canonum editio latina, complectens Canones Conciliorum Ancyrani, Neocæsareensis, Nicæni, Sardicensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodicenis, Constantinopolitani I. & Chalcedonensis.* Quid hæc Collectio contineret vel hic unus titulus exhibet. Veniâ autèm Viri Clarissimi, cujus cæteroqui studio multa debemus, quicumque hac in collectione efformanda elaboravit, tantæ non est auctoritatis, ut pro Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Principis notario statim recipiatur. Etenim in primis ignarus erat Latinæ linguæ. Exorditur enim: *Incipit instituta Canonum Ancyrensium*, & paulò infrà canonem octavum Ancyrensem ità exhibet: *de his, qui alios suadent idolis immolarem*; & pòst aliqua: *explicit capitula Canonum Ancyrensium.* Concilium autèm Nicænum memorans, subdit: *quod factum est in Niciam*: in canone primo Ancyrensi habet *per remedium aliquem.... habere aut precare*, pro verbis: *per remedium aliquod.....habere aut precari*; in canone 2. dicitur: *in eorum esse potestatem* pro *in eorum esse potestate.* In can. 4. legitur: *aput Idolis* pro *apùd Idola....vita qui antecedet, & qui sequitur*, pro *vita, quæ antecedet, & quæ sequitur.* In can. 5. legitur: *usquè ad præsente tempore* pro *usquè ad præsens tempus*, itèm *extra tempore* pro *extrà tempus.* Cetera omitto, quæ propè innumera unusquisque facilè poterit observare. Sed quia fortè per Amanuensis imperitiam, quæ tamen in tot, tantisque locis facilè non præsumitur, hæc errata contingere potuerunt, inscitiam auctoris ostendunt integra capita, scilicèt ipsorum stylus adeò barbarus, ut diceres ab eo factam Græcorum Canonum interpretationem, qui vel prima Gammaticæ elementa addiscere incipiat. Exemplum trado in uno ex Neocæsareensibus Canonibus, qui tertius est, ità conceptus: *Hi, qui plurioribus nubtiis inciderunt tempus quidem agnitus qui institutum est, conversatio autèm & fides eorum perincidet tempus*: quis sententiam hanc nisi divinando percipiat? Multa deindè sunt, quæ Canonum styli, & Canonum prorsùs inexpertum auctorem designant, seu potius eum, qui exercitationis causâ quasdam sibi perceptiones addiscendi causâ, & privati studii ac meditationis ergò proponat; nàm in can. 14. ex Neocæsareensibus legitur: *Diaconi septem debent esse secundum Canonem, etsi fortiter magna sit civitas, sed ut credas, inquire a volumine Actuum Apostolorum.* Deindè, antequàm Canones Nicænos hic auctor exponat, versuum metro elegiacam Præfationem concinnat, quod nuspiàm publicis Ecclesiarum Notariis in usu fuit. Omitto, nullum ordinem temporum fuisse servatum, nàm Concilii Constantinopolitani Canones pòst Chalcedonenses referuntur, licèt tempore anteriores. Omitto præterea, plures ibidèm esse sententias depravatas, ut ipsemet Justellus, hujus Codicis editor, notis suis marginalibus profitetur, ex quibus omnibus facile est credere, Codicem hunc nullâ unquàm ratione haberi posse tamquàm Codicem Canonum veteris Ecclesiæ Romanæ.

Ma-

Major difficultas fortè erit in explorando Codice Paschasii Quesnelli, qui ità inscribitur: *Codex Canonum Ecclesiasticorum, & Constitutionum sanctæ Sedis Apostolicæ, omnium, qui hucusquè prodierunt, vetustissimus, & amplissimus, qui quidèm in usu fuit in Ecclesia Romana, Innocentio I., Zozimo, & Leone I. Pontificibus, nùnc primùm editus ex MSS. Codicibus Thuaneo, & Oxoniensi.* Refert autèm Paschasius, Codicem hunc Oxoniensem sexcentorum ferè annorum esse, eumdem prætereà ex alio antiquissimo exemplari exceptum, ut proindè saltèm octavo primùm sæculo hæc collectio scripta videatur. Thuaneum verò refert octingentorum circitèr annorum esse, atque optimæ notæ. Sed intereà fatetur, ambos hujusmodi Codices inter se plurimùm dissonare in descriptione capitum, ut quod in uno refertur, in alio aliquando desideretur; quamobrem certa, & indubia fides neutri debetur, cum alterutrum saltèm vitiatum fuisse oporteat. Quomodocumquè autem res sese habuerit circa varia hujus Quesnelliani Codicis exemplaria, mihi persuadere facile quidèm Quesnellius poterit, hunc Codicem antiquissimum esse, & vetusti auctoris manu exaratum; fortè etiam 6. aut 5. sæculo; quin tamèn ne verosimilibus quidèm conjecturis probet, Romanæ Ecclesiæ esse tribuendum. Sanè Codex, Romanæ Ecclesiæ auctoritate confectus, non adeò latuisset, ut non nisi postremâ hâc ætate in lucem prodire potuerit; qui enim curæ habuit privatis manuscriptis Codicibus illum exarare, facilè habuisset nonnullos diligentiæ suæ æmulatores. Prætereà, si Codicem consideremus, præter Ecclesiasticarum collectionum morem, continet plura adjuncta prorsùs à Canonibus extranea, uti demonstrat, & rectè animadvertit Doviatius in lib. 3. Prænotionum Canonicarum cap. 14. Distinguit rectè Quesnellius in sua Dissertatione 12. Operibus S. Leonis subjecta, cap. 2. inter Codicem Canonum, & Scrinia Sedis Apostolicæ: in Codice soli Conciliorum Canones, & decreta Patrum olim edi solebant; in Scriniis verò plura alia gesta, ad Sedem Apostolicam pertinentia, continebantur, eodem fermè pacto, quo alius erat apùd Imperatores Legum Civilium Codex, alia erant Epistolarum, & libellorum Imperialium Scrinia. Deinde verò minimè advertit in suo opere, quod edebat, non Codicem Canonum, sed quoddam potiùs Scrinium ex pluribus compositum nobis se exhibuisse. Urget autèm quàm maximè Quesnellium, quod habet Bonifacius I. in epistola ad Hilarium Narbonensem Episcopum, in qua hæc leguntur: *nulla etenim videtur incognita Synodi Constitutio Nicænæ, quæ ità præcipit, (ut eadem propriè verba ponamus) per unamquamque Provinciam Jus Metropolitanos singulos habere debere; nec cuiquam duas debere esse subjectas.* Itaquè, cum Bonifacius testetur ipsamet Concilii Nicæni verba se referre, hæc verò minimè habeantur in Codice Quesnelliano, quis sibi persuadebit, Codicem Quesnellianum eumdem esse cum Codice Romanæ Ecclesiæ, quo Bonifacius I. usus fuerat? Agnovit Paschasius Quesnellius hujusmodi difficultatem; à qua ut se extricaret, contra omnium Codicum fidem sua interesse putavit, si vim faceret textui, & verba Bonifacii aliter legeret, videlicèt pro illis verbis: *ut eadem propriè verba ponamus*, hæc substituens: *ut eadem propè verba ponamus.* Sed rursùs ipse agnovit, quàm sit infirma responsio, candidè ità profitens: *Sed conjectura est, quàm, donèc Codicis alicujus auctoritate confirmetur, non ausim fidentiùs asserere, etsi necessaria videatur correctio.* Peto ego, undenam necessaria correctio probatur? Respondet ille in nulla ex collectionibus, aut versionibus illa verba haberi. Quid refert tamèn? Habebatur in Codice Romano antè Dionysium Exiguum, qui hodiè periit, & satis est. Subdit Quesnellius verbum illud *propriè* fortè tùnc temporis aliquam significationem habuisse, quam ho-

hodiè ignoremus. Sed indicant hæc hominem omninò argumenti pondere gravatum, & nescientem quò se convertat. Refer ad hanc rem aliqua S. Leonis fragmenta, in quibus adverbium *propriè* usurpatur. Ego facilè intelligo, quo sensu, idem enim apùd Leonem significat, quod adverbium *verè*, hinc ait Cicero: *Honestum, quod propriè verèque dicitur, id sapientibus est solis.* Igitur Bonifacius laudaverat *eadem propriè verba*, id est, *eadem verè verba* Concilii Nicæni, illa propterea, quæ in Codice Romanæ Ecclesiæ non mutato apice tùnc habebantur, quæ in Quesnelliano Codice non videmus, quia idem non est cum Codice vetere Ecclesiæ Romanæ. Nimis operosa res esset singula Codicis capita discutere. Potiùs audiamus ipsius Quesnellii argumenta, quibus plurimùm sibi blanditus est, ut duo probaret, primum, hunc Codicem sincerum esse, secundum, hunc Codicem Romanæ Ecclesiæ proprium olim extitisse: vereor tamèn, ne de eo dicere possimus, quod ipse in dicta dissertat. 12. in additione dixit de Emmanuele Schellestratio, qui breviationem Concilii Hipponensis, quæ habetur in cap. 2. Codicis Quesnelliani, apocryphum dixerat: *ut ità sentiret, adductus est nonnullis argumentis, quæ valida, ac decretoria illi visa sunt, mihi verò admodùm infirma, ac nullius ferè momenti.* Ait in primis, ut sinceritatem Codicis probet, sinceritatem ipsam vel in inscriptione Codicis adparere; at quemadmodùm candiditas animi ex hominis vultu minimè deprehenditur, ità nec integritas libri ex una libri ejusdem inscriptione. Subdit, tertium exemplar omninò simile devenisse olim in manus Jacobi Pamelii. Quid deindè, si vel ipse Quesnellius variantes duos, quos ipse vidit, Codices profitetur? Verùm omittamus hæc omnia: nolim de hac re præcipuè contendere. Dabo libentèr, Codicem valdè antiquum esse, vel etiàm ipso quinto sæculo gravi studio, & procùl fallendi arte confectum. Erat illud opus studiosi cujuspiam, & obscuri collectoris, qui idem minimè evulgavit, sed in scriniolo condidit, fortè verens, ne aliorum Codicum famà vinceretur, obruereturque. Producantur potiùs argumenta, quibus pateat Romanæ Ecclesiæ tribuendum tore. *Id operosum non esse judicio suo* jactat Quesnellius; non est tamèn levis negotii id demonstrare. Ait præ ceteris, Codicem Romanæ Ecclesiæ olim antè collectionem Dionysianam valdè fuisse confusum; et ego libentèr fateor: ait, hunc Codicem suum eadem confusione laborare. Quid ergo? Nùm propterea ejus Codex dicetur Ecclesiæ Romanæ? Quotquot fermè lucem adspexerunt Canonum vetusti Codices, ii omnes inordinati sunt, indigesti, ac propterea ex eadem ratione Romanæ Ecclesiæ per Quesnellium tribuendi. Pergit Quesnellius, & inquit: *Codicis præfatio declarat, ad usum Ecclesiæ Romanæ esse concinnatum; quid enim aliud indicant hæc verba de Nicæna fidei expositione, quàm sancta, & reverendissima Romana complectitur, & veneratur Ecclesia? Quid, quod, mediantibus Victore, atque Vincentio religiosissimis Romanæ Sedis Presbyteris, esse prolatam asserit? nonnullas etiàm subnexas esse regulas, quas memorata suscipiens confirmavit Ecclesia. Eamdem nullis synodicis decretis, sed Salvatoris voce esse prælatam, ac primatum obtinuisse. Denique, quidquid ibi de Romanæ Ecclesiæ fundatione, ac fundatoribus, privilegiisque scribitur, argumento est pro illa Codicem esse exaratum.* Non videtur hoc loco Quesnellius meminisse eorum, quæ dixerat superiùs in cap. 2. seu dissertationis 12. ibi: *Si cui nihilominùs placuerit prologum istum* (sive præfationem hujus Codicis) *ad posteriora tempora differre, contrà ego non contendam.* Si itaquè non est contendendum adversùs eos, qui dixerint posteriore manu præfationem, de qua loquimur, adjectam fuisse, cur ex hac præfatione de Codicis qualitate judicandum erit? Præterea, quacumque

in

in præfatione allata sunt, ne conjecturam quidèm afferunt pro opinione Quesnellii. Auctor præfationis, antequàm ad Canones Conciliorum deveniret, universæ Ecclesiæ, sive sacræ Hierarchiæ majoris præferre voluit imaginem. Persequutus est, quid de Romana, quid de Antiochena, quid de Alexandrina, quid etiàm de Hierosolymitana, aut Ephesina Ecclesia sentiendum esset. Si itaquè, quòd mentionem fecerit de Romana tamquàm majore Ecclesia, censetur Codicem ad Romanæ Ecclesiæ usum edidisse; cum etiàm de ceteris tamquàm inferioribus, singularumque privilegiis loquutus sit, censendus erit voluisse codicem componere ad usum Ecclesiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, Hierosolymitanæ, & Ephesinæ, quod nemo uspiam dixerit. Addamus his, si lubet, nunquàm Auctorem hujus præfationis usum fuisse particulis demonstrativis, ajendo *hanc*, aut *istam* Romanam Ecclesiam, quas voces adhibuisset profectò, si Romæ, & pro ipsa peculiaritèr Romana Ecclesia scripsisset. Præterea hæc eadem præfatio illa est, quam Isidorus, cognomento Mercator, suo codici adnexuit, ut dubium nobis hodiè supersit, nùm Auctor Quesnelliani codicis deprompserit ab Isidoro, an potiùs ab illo Isidorus? Saltèm verò ex eo deducitur, ut, quemadmodùm Isidori præfatio minimè probat, collectionem Isidorianam ad usum Romanæ Ecclesiæ fuisse compositam, ità nec codicis Quesnelliani præfatio idem probet de codice Quesnelliano. Pergit Quesnellius, & ait, in memorata præfatione multa referri ex decreto Gelasii, sive, ut aliis placet, Hormisdæ Papæ de scripturis apocryphis, quod nemo rectè fecisset, nisi codicem Romanæ Ecclesiæ ex ipsis Romanæ Ecclesiæ scriniis componeret. Non video, quænam sit vis hujus conjecturæ. Nùm probro vertendum est cuipiam Auctori, si inter scribendum, præsertim in Præfationibus, Sanctissimorum Pontificum verbis utatur, ubicumquè scribat? Sed estò id probrum, & indecorum fuisset, quod procul omni jure Quesnellius asserit, nùm ego fortè tenebor ab omni probro Auctorem Quesnelliani codicis mihi maximè incertum vindicare? Scio, plures extitisse ex veteribus Collectoribus, qui non omnia, quæ Collectoris officium decent, observaverunt. Cur ego pro obscuro homine, seu Quesnelliano fidejussor existam? Prosequitur Quesnellius: *Canon 6. Nicæni Concilii à Paschasino Legato Sedis Apostolicæ eodem modo lectus est actione 16. Concilii Chalcedonensis, quo habetur in nostro Codice, ut ex eodem omninò desumptus esse intelligatur.* Sed quid prohibet in primis inter tot, tantasque veterum Conciliorum interpretationes plures inter sese consonare? Quid deindè, si dicamus, codicem Quesnellianum pòst Synodum Chalcedonensem editum fuisse, ut propterea ejus Auctor, Canonem 6. Nicænum describere volens, uti voluerit versione Paschasini Legati Pontificis, de qua in Concilio Chalcedonensi constabat? Enervatur verò Quesnellii argumentum apùd eum, qui observet Canonem, á Paschasino Legato laudatum, esse numero sextum, qui in codice Quesnelliano decimus est. Quid dicet hic Quesnellius, cum videat suum à Paschasini germano Romanæ Ecclesiæ codice esse diversum? Agnovit Quesnellius hanc difficultatem, quam *grave momentum non esse* asseruit; vel quia mendosa asserit Acta Concilii Chalcedonensis, ut loco *Canonis 6.* legatur *Canonis 10.*, vel quia Paschasinus fortè laudavit sextum Canonem ex quodam codice Ecclesiæ Siciliæ, cui Paschasinus adscriptus fuerat. Levissimæ sanè responsiones; qui enim sine alicujus codicis fide, sine ulla necessitate, ut suis meri facti conjecturis indulgeat, vetusta Conciliorum generalium acta corrupta asseverat, nescio, an facilè sit audiendus. Quod autèm subditur, Paschasinum in referenda nota numerali usum esse aliquo codice Siculo, mihi ridiculum potiùs videtur; non enim verosimile esse potest verba Ca-

nonum ex uno, notas autèm Canonum numericas ex altero codice recenseri. Nùm Paschasinus duos secum codices attulit, ut, cum verba referre deberet, ad Romanum confugeret, cum numeros, ad Siculum? Si id verum esset, Paschasinum codicem etiàm Siculum habuisse præ manibus, nonne deprehendit Quesnellius se fortè ad Siculorum Ecclesiam delaturum codicem suum, ex ea conjectura, quòd Paschasinus Canonem legerit eumdem, qui est in codice Quesnelliano, aliàs autèm Siculum codicem habuerit? Stomachum porrò movet, quod subdit, in hoc suo codice plura haberi in gratiam Romanæ Ecclesiæ, undè conjecturam capit, in Romana Ecclesia fuisse confectum. Quænam sunt isthæc, quibus gratia fit Ecclesiæ Romanæ, divinis privilegiis decoratæ? Hæc opinione Quesnelli: Dicitur in epistola Innocentii Papæ ad Victricium de Ecclesia Romana, *cui in omnibus causis debet reverentia custodiri*, quæ verba in aliis epistolæ editionibus desiderantur. Observare in primis Quesnellius debebat, nùm in suo codice, quem notæ optimæ esse prædicat, adjecta fuerint è margine in textum translata, an verò in aliis codicibus aut oscitantiâ, aut pravitate Amanuensium omissa. Deindè, nùm unusquisque, in qualibet Provincia scribens, quæ Romanæ Ecclesiæ communionem habeat, idipsum non prædicabit? Sanè, si quispiam benè, uti decet, de Romana Ecclesia scribat, penès Quesnellium Romæ scripsisse dicetur? An recto criterio, prorsus ignoro. In eo convenit, urget Quesnellius, Romanus vetustus codex cum hoc, de quo agimus, quòd in utroque 28. Canon Chalcedonensis desideratur. Verùm id non sufficit: probandum adhùc est, Canonem 28. Chalcedonensem in omnibus aliis codicibus descriptum fuisse, uno excepto Romano. Ego invenio alios codices, in quibus desiderabatur, ut vel in uno Dionysii Exigui codice exemplum perspicuum habemus. Idipsum dicendum erit, si dicatur in utroque codice Nicænos Canones Sardicensibus fuisse permixtos: non una Romana Ecclesia eos permiscuit, sed permiscere potuerunt quotquot Sardicense Concilium, tamquàm appendicem Nicæni Concilii receperunt. Progreditur Quesnellius, & ità argumentatur: Summi Pontifices, inter quos Innocentius I., Antiochenos Canones rejecerunt; Ecclesia quoquè Romana non nisi seriùs Canones Constantinopolitanos recepit. Porrò sive Antiocheni, sive Constantinopolitani Canones in hoc codice habentur propè finem, ut indicetur adjectos posteriore ætate fuisse. Infirmum argumentum penès Quesnellium ipsum, qui fassus est, in hoc suo codice nullum omninò ordinem fuisse servatum, fuisseque admodùm incompositum. Ut quid ergò in præsens ex ordine scripturæ argumentum depromere contendit? Imo exindè argumentum propè invictum mihi in contrarium suppeditatur. Ait Quesnellius, vel ipsâ Gregorii Magni ætate nondùm in Romana Ecclesia fuisse receptos Canones Constantinopolitanos. Ità ille in dicta dissertatione 12. cap. 4. num. 9., in codice autèm Quesnelliano Canones Constantinopolitani relati sunt antè epistolas Leonis Magni, quæ ejus sententiâ tempore ejusdem Leonis insertæ fuerunt. Ergò hic non potest esse Romanæ Ecclesiæ codex. Hic non perstitit Quesnellius, sed aliis ità se se conjecturis involvit, ut modò videatur propositum suum probare velle, modò etiàm recedere: etenim subjungit, nonnulla adesse Canonum Græcorum fragmenta ad Romanæ Ecclesiæ praxim immutata, atque inter cetera Canonem 10. ex Ancyranis, qui ibidèm numero 11. refertur. Is in Græcis codicibus talem exhibet sententiam, ut Diaconus, qui in ordinatione protestatus fuerit se continere nolle, non abjiceretur à gradu, si pòst ordinationem matrimonium contraxisset. Alitèr habetur in codice Quesnelliano. Sed nemo ignorat, in hac parte non modò Romanæ, sed & totius Occi-

cidentalis Ecclesiæ disciplinam diversam à Græca disciplina extitisse. Probat id tantummodò, Quesnellianam collectionem in Occidente factam fuisse, quod sanè ultrò libentèrque fateor. Id autèm novum non fuit Collectoribus, extrà Romanam Provinciam, imò etiam extrà Italiam degentibus. Sufficit observare collectionem Martini Braccarensis, qui in parte 1. cap. 39. eidem Canoni Ancyrano alium sensum affinxit, & quidèm Occidentali disciplinæ conformem. Ait ad rem Antonius Augustinus in lib. 1. Dialogo 10. de emendatione Gratiani: *Cur Martinus ab archetypo discessit? Cum in Occidente esset, noluit Orientis licentiam imitari.* Prævidit hanc responsionem Quesnellius, qui propterea totum se torquet in asserendo Occidentales Collectores Ancyrani Canonis lectionem, & sententiam immutasse, non ideò quòd disciplinæ suarum Provinciarum inservirent, sed quod hanc immutationem ex Romano codice desumpsissent. Quò eum non perducit amor sui codicis, ut eum Romanæ Ecclesiæ nomine decoratum evulgaret! Sanè Martino Braccarensi, longè dissito ab urbe Roma, non potuit esse facilè præ manibus peculiaris codex Ecclesiæ Romanæ: aut si hujusmodi codex etiam apùd Hispanos vulgatus fuerat, miror ità posteà excidisse, ut vel unum, alterumque exemplar unius Quesnellii diligentiâ postremis hisce sæculis emerserit. Amplius Quesnellius inquit, Africanæ Ecclesiæ decreta in Romanæ Ecclesiæ codice adjecta fuisse, quæ etiàm in memorato, quem expendimus, codice habentur. Infirma rursùs argumentatio; necessarium quippè foret ostendere, in Occidentali universa Ecclesia fuisse ignotos Canones Carthaginenses, unicâ exceptâ Romanâ, quandò tamèn liquet, Africanæ Ecclesiæ gesta maximam in toto Occidente primis Ecclesiæ sæculis auctoritatem habuisse, cum in Africa Viri Eruditissimi, æquè ac Sapientissimi, atque etiam optima Ecclesiasticorum Virorum exemplaria extiterint, ex quibus Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, & Fulgentium jure laudare possumus. Cetera non prosequor, utpotè quæ vix levissimum negotium facessere possent. Intereà arbitror parum rectè sensisse Quesnellium, cum Romanæ vetustum codicem invenisse sibi persuasit, quin tamèn hujusmodi codici detrahere velim; imo in hac parte ejus solertiam facilè laudaverim, qui bono publico hoc vetustissimum monumentum, cujuscumque Auctoris sit, nobis ediderit.

Sic à Romanæ Ecclesiæ codicibus, quales hodiè evulgati sunt, expeditus, quædam adhùc disserere debeo de codice Ecclesiæ Africanæ, cujus statuta nuper ajebam fuisse in toto fermè Occidente venerabilia. Codicem hunc evulgavit Christophorus Justellus in tom. 1. suæ Bibliothecæ Juris Canonici veteris pag. mihi 321., præmissâ eruditissimâ Præfatione, in qua antiqua omnia Africana Concilia complexus est. Distributus est liber in canones 133., quibus subscripsisse referuntur Episcopi 217. anno 419. in Concilio Carthaginensi, cui & S. Augustinus, & duo Romani Pontificis Legati interfuerunt. Pòst dictos canones addita est epistola Concilii Africani ad Bonifacium Papam: dein rescriptum Cyrilli Alexandrini Episcopi ad Concilium Africanum: pòst hæc exemplar formulæ fidei, in Nicæno Concilio conditæ: postremò epistola Concilii Africani ad Cœlestinum Papam. Omnia autèm & græcè, & latinè hodiè habemus, quia Græci veteres tantam habuerunt ergà Africanam Ecclesiam venerationem, ut ejus acta ad suas Ecclesias transferre exoptassent. Verùm, si candidè fateri velimus, hic propriè dici non potest codex canonum Ecclesiæ Africanæ, sed acta generalis Concilii Africani, anno 419. celebrati, in quo & aliquot Canones præstituti sunt, & alii, in præcedentibus particularibus Conciliis jam dudùm editi, confirmati fuerunt. Ceterùm in codice Africano, negare non possumus, descriptos præterea fuisse

canones Concilii Nicæni, quos Carthaginem attulerat Cæcilianus à Nicæno Concilio in Africam redux, ut dicitur in principio hujus Concilii, ibi: *Exemplaria fidei, & statuta Nicænæ Synodi, quæ ad nostrum Concilium per Beatæ recordationis olim prædecessorem tuæ Sanctitatis, qui interfuit, Cæcilianum Episcopum adlata sunt &c.* Fortè etiam aliæ græcæ Synodi Africanis Episcopis receptæ tùnc erant, præsertim Sardicensis, & Constantinopolitana generalis, quæ non videntur omissæ à tot gravissimis Antistitibus, ne eos ità credamus rerum suarum amatores, ut alienarum Provinciarum, aut ipsius Ecclesiæ generales regulas aspernarentur. Non est cur diutiùs immorer in hac re, quæ statim liquebit apùd eos, quicumque integrum hoc Concilium evolverint, quale ab Justello describitur.

Illud tantummodò addam, prodiisse in Africa duo opuscula, alterum Ferrandi Diaconi Ecclesiæ Carthaginensis, qui discipulus fuit S. Fulgentii Ruspensis Episcopi propè medium 6. sæculi; alterum Cresconii Episcopi Africani propè finem sæculi 7.; sed ista sunt potiùs canonum breviaria, quàm collectiones; siquidèm in illis referuntur quidèm Africanæ Ecclesiæ statuta, verùm ità concisa, ut quasi per indicem exhibeantur, nec aliàs quispiam illis inniti possit, nisi priùs cum suis autographis consonare prorsùs agnoverit.

OBSERVATIO V.

De cæteris latinis collectionibus ante-gratianeis, privato quorumdam studio elucubratis.

TI quos tamquàm eximios omnes, canonum Collectores latina fama celebrat, facilè numerantur: videlicèt, Dionysius cognomento Exiguus, Martinus Braccarensis, Isidorus Mercator, Regino Prumiensis, Burchardus VVormaciensis, & demùm Ivo Carnotensis. In istis tantummodò sistere juvabit, ut viam ad Collectionem Gratiani omninò paratam habeamus.

Quis, & qualis fuerit Dionysius Exiguus, luculentèr exprimit Cassiodorus, coævus auctor, cap. 23. divinarum lectionum. *Fuit nostris temporibus Dionysius Monachus Scytha natione, sed moribus omninò Romanus, in utraque lingua valdè doctissimus, reddens in actionibus suis, quam in libris Domini legerat, æquitatem; qui scripturas tantâ curiositate discusserat, atque intellexerat, ut undequaquè interrogatus fuisset, paratum haberet competens sine aliqua dilatione responsum.... Qui petitus à Stephano Episcopo Salonitano ex Græcis exemplaribus canones Ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus, atque disertus, magnâ eloquentiæ luce composuit, quos hodiè usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Paucis tradidit Cassiodorus, quæ & ad indolem, ceterasque Dionysii qualitates, & ad ejusdem collectionem pertinent; ex quibus quædam observatu digna occurrunt. Ait in primis: *Fuit nostris temporibus.* Subobscurum adhùc est hujusmodi tempus; nàm scimus, Cassiodorum anno 514. consulatum gessisse, anno autèm 562. nonagenario majorem abiisse. Ex Trithemio supplebimus, quod deest Cassiodoro. Trithemius in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi à Dionysio tradidit confectum esse cyclum Paschalem, ità subdidit: *Inchoavit autèm cyclum suum anno Domini* 531., *& claruit sub Justiniano Magno anno* 540., quibus ferè consonat Beda in lib. de sex mun-

mundi ætatibus anno mundi 4480., tradens, Dionysium primum fuisse, qui Paschales circulos inciperet ab anno Dominicæ Incarnationis, qui tunc incidebat in annum 532. Si fides est Bellarmino, ipse in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis refert, Dionysium scripsisse cyclum Paschalem anno 527. Ex his deducitur, Dionysium Exiguum fortè à tempore Hormisdæ Papæ usquè ad tempora Vigilii floruisse. Dixi: à temporibus Hormisdæ, id est, post annum 514., ut verum adpareat, quod ait Cassiodorus: *Fuit nostris temporibus.* Se se enim refert Cassiodorus ad præteritum tempus, ut indicare videatur propè illa tempora, circà quæ in Consulari dignitate constitutus fuerat, quod contigit anno 514. Floruit autèm usquè ad tempora Vigilii Papæ, quia eum floruisse anno 540. ex Trithemio adnotavimus. His ceteroqui gravissimis conjecturis non consentiunt quamplures, qui tradunt collectionem Canonum à Dionysio Exiguo compositam fuisse, partim circà annum 496., partim circa annum 500.: alii addunt, completam fuisse in epistolis Hormisdæ circa annum 523.; undè verò hæc eruant, qui tà asserunt, non video, nudis fortè conjecturis, ut fieri solet in re, de qua historici Dionysio coævi silent. Imo ipse Dionysius in præfatione secundæ Partis sui Codicis fatetur, se Gelasium Papam *præsentiâ corporali non vidisse*, cum tamèn Gelasius anno demum 496. obierit. Nemo arbitretur nimis fortè curiosam, aut etiàm inutilem hanc disquisitionem meam, in qua solertiùs elaborandum vellem; etenim ex ea fortè in cognitionem devenire possumus, quisnam fuerit hic Dionysius Exiguus, cujus indolis, & ingenii, quâque etiàm de causa novam collectionem adornare studuerit. Fuit, prosequitur Cassiodorus, *Monachus Scytha natione.* En gravissimam, urgentemque conjecturam, quâ fretus opinionem meam jam diù conceptam aperire non dubito. Anno circitèr 518. Monachi quidam Scythæ, quos inter doctrinâ, & pietate excelluerat quidam Joannes Maxentius, propositionem hanc, *unus è Trinitate crucifixus est* proferre, ac totis viribus defendere in Oriente cœperunt; quæ propositio, licèt vera esset, atque Catholicæ Fidei minimè contraria, universo tamen Orienti, jam diù Nestorianorum, & Euthychianorum reliquiis turbato, plurimum attulit incommodum; ex ea enim vulgò à Catholicis creditum erat renovari Euthychianorum errorem, ac si indè deduceretur humanam Christi naturam in Divinam transformatam aliquid fuisse perpessam. Delata causa fuit ad Legatos Pontificios, tùnc temporis in Oriente existentes, apùd quos non destiterunt Monachi se, doctrinamque suam dato fidei libello purgare. Detrectarunt Legati se hanc causam discutere, rati ex eo nova posse in Oriente schismata concitari, ad quæ potiùs compescenda missi fuerant: intereà verò eosdem Monachos acriter objurgarunt, tanquàm novitatis amatores, & innopportunis quæstionibus pertinaces. Monachi Scythæ ægrè tulerunt Legatorum Pontificiorum rationem, statimque aliquot ex ipsis Romam festinarunt, penès Summum ipsum Pontificem causam suam oraturi. Hos Hormisdas, tùnc temporis Romanus Pontifex, in primis benignissimè excepit, prudenter verò causam discutere distulit usquè ad reditum suorum Legatorum ex Oriente, ne fortè, Legatis, à quibus appellabatur, inauditis, in causa procederet. Hic sisto conjiciens, ex istis fortè Monachis fuisse Dionysium nostrum, quem alia de causa Romam è Cœnobiis advenisse prorsùs ignoramus. Quænam enim, amabo, præter memoratam potuit esse occasio Dionysio Monacho, cujus propteréà institutiones, & religiosæ vitæ professio eum ad solitudinem vocabant, in Urbe Roma omnium frequentissima tàm diuturno tempore commorandi? Hæc si vera sunt, facilè intelligimus, quod de eodem Cassiodorus ait: *Moribus omninò Romanus*; decebat enim eum,

cum, qui Romam venerat, Romani Pontificis animum appellationis causâ sibi conciliaturum, ut Romanis moribus indulgeret, videreturque res Romanas peculiari prosequi voluntate. Facilè etiàm intelligimus, quomodo *in utraque lingua doctissimus* esset, qui scilicèt Orientales disciplinas diutiùs edidicerat, deindè verò Romæ diutiùs commorans latinum etiàm idioma addiscere potuerit. Intelligimus, quomodo divinarum Scripturarum sacramenta scrutatus fuisset, qui novis propositionibus doctrinam Dominicæ Incarnationis exhibere unà cum sociis suis contenderat. Intelligimus tandèm, quâ ratione permotus fuerit, ut novum Canonum Codicem apùd Romanos exornaret, improbans Romani Codicis confusionem, ut scilicèt eâ ratione Romani Pontificis benevolentiam sibi captaret, coràm quo sua, vel suorum causa pendebat. Hinc ipse omnium Collectorum primus Codicem Canonum veluti duplicem fecit; in prima enim parte acta Conciliorum, Canonesve comprehendit; secundam Summorum Pontificum decretalibus Epistolis adornavit. Sic animo, & indole Collectoris perspectâ, ad collectionem ipsam veniamus. In prima parte exorditur à Canonibus Apostolicis numero 50., non sanè quòd crederet illos verè Apostolis tribuendos fuisse; imò in sua ipse præfatione admonet, illis plurimos suum non præbuisse consensum. Subdit deindè Canones græcos latinitate donatos, videlicèt Nicænos 20., Ancyranos 24., Neocesareenses 14., Gangrenses 20., Antiochenos 25., Laodicenos 59., Constantinopolitanos 3., Chalcedonenses 25., in quibus finem esse Græcorum Canonum asseruit: adjecit posteà Canones 21. ex Sardicensibus, & 138. ex Carthaginensibus. In secunda parte recenset Epistolas decretales Siricii, Innocentii, Zozimi, Bonifacii, Cœlestini, Leonis Magni, Gelasii, & Anastasii. Fortè autèm in Anastasio opus suum complevit Dionysius, ut in eo integrum quintum Ecclesiæ sæculum concluderet; quod facilè ex eo suspicari possum, quia, uti dictum est, primus Dionysius Exiguus tempora Ecclesiastica cœpit à Dominica Nativitate numerare. Fateor, editas esse tanquàm additamentum Dionysianæ collectionis decretales Hilarii, Simplicii, Felicis, Simmachi, Hormisdæ, & Gregorii junioris; sed hæc esse non posse Dionysii, facilè ex eo uno evincitur, quòd Gregorius Junior vixerit longè post Dionysii ætatem. Nùm verò tantum Dionysianæ collectioni debeamus honoris, ut integrum omninò in ea sacrorum canonum codicem habeamus, certò asserere non ausim. Etenim quod attinet ad priorem partem, quæ potissimùm in interpretatione græcorum canonum consistit, etsi consenserim Dionysium utriusque linguæ valdè fuisse peritum, tamèn plurimum me movet, quod nupèr ex Cassiodoro laudabam, videlicèt Dionysium fuisse *planum, atque disertum, & magna cum eloquentiæ luce moribus suis canones ex græcis exemplaribus composuisse.* Quid indicant aliud hæc verba, quàm Dionysium non servasse literalem ordinem in interpretando, sed eloquentiæ suæ, cum disertus esset, plurimùm indulsisse? Quod si verum est, non erit, cur Dionysii interpretationem ità sequamur, ut ad eam, quasi ad tutissimum veteris disciplinæ præsidium, confugere debeamus, præsertim etiam quòd Dionysium sciverimus ità affectum, ut quantum fieri posset causæ suorum, quam Romæ agebat, patrocinari deberet: præsertim rursus, quòd Monachi Scythæ ejus ætatis novis rebus non delectarentur tantùm, sed & imprudenter inhiarent. Quod pertinet ad alteram collectionis partem, illam profectò magni sempèr feci, non quòd publicâ auctoritate unquàm probatam, confirmatamve sciverim, sed quòd Dionysius, cum Romæ esset, Romanorum Præsulum epistolas authenticas præ manibus habere potuerit, quas describeret, & quas non nisi maximâ petulantiâ corrumpere po-

potuisset. Sed intereà animadvertendum arbitror, non omnes Romanorum Pontificum, quæ tùnc extabant, epistolas per Dionysium in codicem fuisse relatas. Quæ ut distinguantur, triplicis generis Pontificum veterum epistolas perpendere oportebit. Aliæ erant Synodicæ, quæ ad Fidem in Conciliis stabiliendam pertinebant; consueverant enim Romani Pontifices sententiam suam præmaturè significare illis, qui aut Concilium convocare meditabantur, aut ad Concilium ipsum perrexerant. Aliæ erant familiares, quales amicus ad amicum scribere solet. Aliæ demùm decretales, quibus vel interrogantibus Episcopis, vel generatim pluribus ecclesiasticæ disciplinæ capita tradebantur. Prioribus duobus epistolarum generibus omissis, retulit Dionysius solas epistolas postremi generis: proindèque solerter curare debebit unusquisque in exercenda critica arte ad perpendendam veterum epistolarum Pontificiarum auctoritatem, ne fortè ex uno Dionysii Exigui silentio notam falsitatis inurat antiquissimis epistolis, quin primùm animadvertat de quibusnam epistolis agendum sibi proposuerit? Restant adhuc adnotanda postrema illa verba Cassiodori: *Quos hodiè usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Nùm ergo Dionysii Exigui codex ità probatus erit per Romanam Ecclesiam, ut illum quasi proprium omninò receperit, & tanquàm optimum disciplinæ sacræ monumentum? Minimè quidèm dubitaverim, hunc codicem Romanis fuisse jucundissimum, jam diù enim exoptaverant talem habere codicem, qui codicibus Græcis consonus videretur. Reverà in Concilio Carthaginensi anni 419., cui sanctus Augustinus interfuit, proposuerant Legati Pontificii quædam disciplinæ capita ab Africanis Episcopis amplectenda, tanquàm à Synodo Nicæna jam diù constituta. Africani verò, qui in suo codice illa minimè habebant, petierunt, ut mitteretur ad Græcos, qui germana Nicænæ Synodi exemplaria in Occidentem adferret, atque hac de re summoperè Maximum ipsum Pontificem rogarunt. Quænam itaquè melior occasio esse poterat Romanis, quàm in ipsa Urbe uti operâ Orientalis Viri, qui novam faceret Conciliorum veterum interpretationem Græcæ Fidei consentaneam? Id etiàm existimarunt opportunum esse unioni inter Ecclesiam Latinam, & Græcam, quæ variantes canonum codices habere jam in Chalcedonensi Concilio visæ fuerunt; quippè Romani, quotiès hunc codicem Dionysianum in Græcorum conspectum produxissent, eodem tempore producere potuissent nomen Interpretis Græci, cui tanquàm ejusdem nationis Viro fides deneganda facilè non fuisset. Ceterùm hunc codicem publicâ auctoritate donatum prorsùs ignoramus, imò donatum non fuisse vel ex eo probari potest, quòd in ipso inserta sint talia monumenta, quæ ipsius Dionysii testimonio in incerta prorsùs Fide vagabantur, quemadmodùm sunt canones codici præfixi, Apostolicorum nomine nuncupati. Hanc collectionem Dionysii Exigui hodiè editam habemus apùd Justellum in sua Bibliotheca Juris Ecclesiastici veteris tomo 1. pag. mihi 101.

Exemplo Dionysii Exigui Martinus Dumiensis primùm, deindé Braccarensis, Episcopus novam Canonum collectionem adornavit circà annum 570. Fuit ille è Pannonia oriundus, de quo ità scribit Gregorius Turonensis lib. 5. historiæ Francorum cap. 38. *Ad visitanda loca sancta in Orientem properans in tantum se litteris imbuit, ut nulli secundus suo tempore haberetur. Exindè Galliciam venit, ubi Episcopus ordinatur.* Cum itaquè in Orientem perrexisset, linguaque Orientalis valdè peritus audiret, nihil antiquius habuit, quàm latinos vetustissimorum Conciliorum canones græcæ fidei reddere, & novâ latinitate donare, eâ motus ratione, quòd *Canones, qui in partibus Orientis ab antiquis Patribus constituti sunt, græco*

co priùs sermone conscripti sunt, posteà autèm succedenti tempore in latinam linguam translati sunt; & quia difficile est, ut simpliciùs aliquid ex alia lingua transferatur in aliam; simùlque & illud accidit, ut in tantis temporibus Scriptores, aut non intelligentes, aut dormitantes, multa prætermittant, & propterea in ipsis canonibus aliqua simplicioribus videantur obscura &c. Ità idem Martinus in præfatione sui codicis, profitens se simpliciùs, & emendatiùs novam collectionem esse facturum, quàm posteà non juxtà ordinem temporum digessit, sed bipartitus est, ut in prima parte ea referret, quæ ad clericos, in altera quæ ad laicos pertinerent. Utinàm verò id ipse perfecisset, aut saltèm perficere potuisset! Sed neque perficere potuit, neque eam collectionis rationem init, quâ ipse perficeret. Non potuit in primis, quia latinos codices corruptos ipse testatur, & ex corruptis codicibus optima collectio speranda non erat; græcis autèm codicibus licèt ipse, rerum græcarum amantissimus, plurimum detulerit, tamèn jam plura menda accesserant, præsertim propè finem sexti sæculi, quo Martinus scribebat, uti in Observatione tertia exhibuimus. Deindè quænam est optima ratio, quâ Martinus se usum fuisse profitetur, ut magis sinceram, & simplicem collectionem formaret? Non integra canonum verba ipse retulit, sed tantummodò sententias, compendiariâ ratione dispositas, de quo propterea ait Antonius Augustinus: *aliquandò non ità latinè facta, ut græcè habentur, sed ex duobus, vel tribus capitulis diversorum Conciliorum, uno capitulo conscripto.* Hujus rei maximum argumentum est, quòd universa Martini collectio 84. capitibus continetur, quibus complexus est canones universos græcorum Conciliorum, quos retulit Dionysius Exiguus: prætereà Africanos quosdam, Toletanos, & Braccarenses canones adnexuit, quæ omnia longè memoratum numerum excedunt. Si observemus vel unicum caput 32., illud compositum est ex canone 3. Concilii Nicæni, ex canone 15. Concilii Braccarensis, & ex canone 6. Concilii Toletani I. Hanc canonum confusionem rectè observavit Justellus in editione hujus codicis in appendice tom. 1. suæ Bibliothecæ. Illud addam prætereà, Martinum aliquandò græcis canonibus contrariam sententiam affinxisse, quotiès Occidentalis Ecclesiæ moribus adversabantur, uti advertit jam Antonius Augustinus in lib. 1. dial. 10. de emendat. Gratiani ad canonem 9. Concilii Ancyrani, qui à Martino inversâ omnino sententiâ refertur in cap. 39. collectionis. Fidant, quicumquè velint, hujusmodi Interpretibus, & ex iis fulciant disciplinam sacram, quam tradunt, monumentis. Ego meliores, simplicioresve tutiùs exoptaverim: gloriarer quidèm Martinum Braccarensem institutorem rerum sacrarum habere, non autèm uterer eo, tanquàm canonum collectore, in quo non tam doctrina spectanda est, quàm simplicitas, & probata fides.

Quid verò non dicam adversùs Isidorum Mercatorem, in quem hodiè, tanquàm in apertum deceptorem, universi propemodùm Eruditorum calami jam diù exacuuntur? Nomen ille Isidori mutuatus in primis, quo fortè eximiâ Isidori-Hispalensis famâ incautis illuderet, tot figmenta in medium produxit, ut illis præcipuè intermixtis Conciliorum canonibus, novam eo usquè ignotorum decretorum collectionem sub initium octavi sæculi efformatam evulgaverit. Prodiit hæc illicò gloriosè; ut enim vetustissimorum, sanctissimorumque Pontificum nominibus subdolâ Collectoris arte decorabatur, non potuit non decipere quamplures etiàm gravissimos Viros, à quibus tanquàm sacræ antiquitatis venerabile scrinium recepta est sine discrimine. Nostrâ ætate vix est, qui Mercatoris fabulas sequatur, postquàm communi eruditorum suffragio sunt reprobatæ, inter quos est Baronius, Bellarminus, Perronius, Antonius Augustinus, Sirmondus, Petavius,

vius, &, ut innumeros propemodùm omittam, Christianus Lupus inter cetera ità scribens de epistolis decretalibus, ab hoc Pseudo-Isidoro vulgatis: *Quisquis earum natales jam credit legitimos, atque authenticos, censetur nugas vendere, & fabulas.* Supervacaneum est hoc loco falsitatis argumenta expendere, vel quòd hodiè tritissima sint, vel quòd suo loco in hoc opere accommodatiùs adferentur. Generatim adnotasse sufficiat, Decretales Isidorianas plurimùm detraxisse potestati Metropolitanorum, & Synodorum Provincialium, & illarum causâ controversias quamplures exortas fuisse inter Episcopos, atque Archiepiscopos, quarum vestigium adgnosci potest in can. 1. dist. 19.

Non ommittam tamèn pòst proditam hujusmodi collectionem pluribus religiosum fuisse eamdem latiùs producere, ac circumferre, bonâ fortassè fide; arbitrabantur enim rerum sacrarum thesaurum se reperisse. Hinc anno 785. Agilramnus Metensis Episcopus quædam capitula, ex hac Isidoriana collectione derivata, Hadriano Summo Pontifici obtulit, quæ hodiè inter vetera ecclesiastica monumenta recensentur, quasi ab Hadriano ipso Pontifice confirmata. Vidit Stephanus Baluzius antiquissimum hujusmodi codicem in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, ut ipse testatur in præfatione ad Dialogos Antonii Augustini hoc titulo inscriptum: *Incipiunt capitula, collecta ex diversis Conciliis, sive decretis Pontificum Romanorum, ab Agilramno Metensi Episcopo, & Hadriano Papæ oblata.* Similem titulum vidisse se profitetur Natalis Alexander in tom. 13. histor. Eccles. pag. 54. in manuscripto optimæ fidei, & venerandæ antiquitatis Monasterii Lætiensis; ex quibus falsum esse deducitur, quod quidam sentiunt, scilicèt non Agilramnum Hadriano, sed è converso Hadrianum Agilramno hanc collectionem obtulisse. Summis Pontificibus eâ ætate aut prorsùs incognita erat, aut nondùm satis probata Mercatoris collectio, cujus rei argumentum ex eo habemus, quòd Hadrianus Papa Carolo Magno dono dederit codicem canonum anno 774., in quo tamèn nullum erat decretum ex illis, quæ peculiariter apùd Isidorum Mercatorem recensebantur. Licèt tamèn pòst hanc Agilramni significationem apùd Romanos haberi cœperit plurimi hæc Isidoriana collectio, ità ut aliqui ex Summis Pontificibus fragmenta exindè referre non dubitaverint, nuspiàm tamèn collectionem ipsam ità probarunt, ut pro germano canonum & decretorum archetypo illum haberent.

Superiores, de quibus hùc usquè egimus, Collectiones sunt veluti primæ, ad quarum formam posteriores compositæ sunt, ut propterèa in posterioribus nihil propemodùm novi amplius occurrat, sed præcedentium collectionum capita, alio tamèn ordine disposita, modo breviùs, modo fusiùs exhibeantur, iis exceptis Conciliorum canonibus, qui uniuscujusque Collectoris ætati respondent. Hujusmodi sunt Collectiones Reginonis, Burchardi, & Ivonis; quemadmodùm enim Regino ab Isidoro Mercatore, & Dionysio Exiguo, ità Burchardus à Reginone, à Burchardo Ivo Carnotensis acceperunt. Nonnulla de singulis adnotare juvabit. Regino in primis minùs frequenter Isidori Mercatoris fragmenta laudat, quasi de illis dubitasse paulispèr videatur; Conciliorum autèm veterum canones ex Dionysii Exigui interpretatione producit. Præterèa in suam collectionem plura transtulit fragmenta Sanctorum Ecclesiæ Patrum, Basilii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Cassiani, Benedicti, Fructuosi, Bedæ, & Rhabani, quod meâ sententiâ in antecedentibus Collectionibus latinis nuspiàm factum fuerat. Plurima itèm debemus Reginoni, quòd plura fragmenta suæ ætatis nobis exhibeat, quæ alibi non reperiuntur, præsertim Concilii Triburiensis, ut omittam Nannetense, Rhemense, & Rothomagense. Adjecit præterèa leges quasdam

dam Theodosiani codicis, junctâ interpretatione Aniani, leges etiàm Francicas plures, quales habentur in Capitularibus, & codice legum Burgundionum, ac Ripuariorum. Collectionis divisionem eamdem servavit Regino, quam Martinus Braccarensis, videlicèt in duas partes distribuens, & in prima de clericis, in secunda de laicis agens. Sunt, qui putant, ad usum Ecclesiæ Trevirensis jussu Rathbodi Trevirensis Archiepiscopi fuisse compositam, quòd multa habeantur de illa Ecclesia: sed res mihi admodùm dubia videtur; fortè enim de Trevirensi Ecclesia peculiariùs ibidèm aliquandò agitur, quia Regino in illa Diœcesi scribebat, dum Prumiense Monasterium S. Benedicti regeret, in eadem Diœcesi constitutum, labente sæculo nono.

Burchardus VVormaciensis Episcopus initio sæculi undecimi novum Codicem Canonum edidit in 20. libellos distributum, & quidèm methodo non inconcinnâ, ad usum Ecclesiæ suæ VVormaciensis, quem propterèa ad Brunichonem ejusdem Ecclesiæ Præpositum inscripsit; præcipuè verò intendit, ut regulas præfigeret pro pœnitentibus excipiendis: hinc non tam plurium Conciliorum Canones, quam Pœnitentialium variorum fragmenta recensuit. *Id quidèm* (ità ipse in prætatione Codici suo præfixa) *vel eâ ratione maximè flagitare videbaris, quòd Canonum jura, atque pœnitentium formæ in nostra quidem Diœcesi adeò confusa sint, atque inter se discrepantia, ut aut ex toto neglecta, aut omni penè auctoritate destituta, vel modicè in ecclesiastica disciplina institutis apparere possint. Qua de causa sæpè accidit, ut ad pœnitentiæ remedium confugientibus cum ob Canonum descriptionem confusam, tum ob Presbyterorum nostrorum ignorantiam, non facilè subveniatur, &c.* Verùm non ad fontes, uti opus erat, in Canonibus describendis confugit, sed recentium collectionum auctoritati plurimum deferens, quidquid in illis rei suæ adpositum nosceret, id integrum in suum Codicem transferebat. E Reginone præsertim plura deprompsit, sed tali oscitantiâ, ut frequentissimè Canonum inscriptiones depravaret: quippè Regino frequentèr Canonibus præmittit hæc verba, *unde suprà*, indicans de eadem materia inferiùs tractari, de qua superiùs egerat. Burchardus autèm credidit commemorari per illa verba velùt auctorem sequentis fragmenti illum ipsum, qui in præcedente laudabatur, ac propterèa ipse, dum fragmentum idem referret, præcedentis auctoris nomine retulit. His addamus oportet, Burchardum apùd Germanos vixisse, quo tempore Germani Francis infensi plurimùm erant; propterèa Burchardus à capitibus Francicis in Collectionem suam referendis sæpiùs abstinebat. Cum tamèn aliquandò ipsi opportuna essent certa loca Francorum Capitularium, ea referre non dubitavit, laudans tamèn, ex aliis auctoribus propriâ spontè descripsit, undè tot errata nedùm penès ipsum Burchardum, verùm etiàm in in scriptionibus sequentium Collectorum profecta sunt.

Demùm Ivo, Carnotensis Episcopus, qui initio 12. sæculi floruit non longè à Gratiani ætate, auctor fertur duplicis Collectionis, quarum alia *Decretum*, alia *Pannormia* appellatur: utrique autèm eadem Prætatio inscripta est. Pannormia minoris est molis, quam vulgò tradunt primò ab Ivone confectam, deindè verò adauctam fuisse, & tum *Decreti* nomen auctore accepisse. Minùs celeber est Pannormiæ Codex; statim ac enim prodiit Decretum, illud unum visum fuit Ivonis opus, in quod Canonum Interpretes potissimùm incumberent. De Pannormiæ, aut Decreti nomine quærant, quibus majus est otium, nihil enim, aut parum refert in hisce disputationibus immorari. Illud sanè observandum est, in utroque Codice plura esse menda, ità ut non defuerit, qui propterèa Ivonis Carnotensis tamquàm viri sapientissimi opera fuis-

se

se denegáverit. Auctor itaquè hujus operis, quicumque ille sit, non solùm errata Burchardi in suos Codices transtulit, sed fragmenta præcedentium Collectionum modò breviora reddidit, & concisiora, modò interpretatione, & adjecto glossemate fusiora. Quod in Decreto peculiare est, referuntur sæpissimè Juris Justinianei loca, quod latinis collectoribus eò usquè infrequens fuerat. Cœperat quidèm Regino Prumiensis, sed aliquot tantummodò, & ex Theodosiano Codice fragmenta laudare; plures etiàm Leges ex Longobardorum consuetudinibus compositas. Primus Ivo, aut quivis alius Justinianeis Codicibus usus est etiàm inter Ecclesiasticas Collectiones; siquidèm Ivonis ætate tum primùm restaurari cœpit Jurisprudentia Justinianea, cujus studium Ecclesiasticis Viris optimum visum fuit, etiàm rerum ecclesiasticarum causâ; ut propterèà pòst eam ætatem apùd Latinos adparuerint Nomocanones, qui primùm Justiniani ætate apùd Græcos esse cœperant, ut superiùs jam suo loco adnotavimus. Videtur id quidèm S. Bernardo displicuisse in lib. 1. de consideratione cap. 30. ità scribenti: *Et quidèm quotidiè in palatio perstrepunt Leges, sed Justiniani, non Domini.* Verùm sancti viri mens hujusmodi erat, ne quis ità Juris Justinianei sententias perscrutaretur, ut divinas Leges oblivisceretur.

OBSERVATIO VI.

Quid ex prædictis generatim sentiendum sit de Gratiani collectione?

QUÆ hùc usquè præfatus sum, abundè palàm faciunt, qualis esse potuerit Gratianea pòst memoratas elaborata Collectio. Date mihi eruditissimum virum, omnis eruditionis genere præstantissimum, qui novæ Collectioni Canonum adornandæ præficeretur, num fortè sperabimus optimam Collectionem? Quibus enim Codicibus utendum erat? Observavimus primo loco generatim, non nisi corruptos, & depravatos, vel ab ipsa primorum Conciliorum ætate esse potuisse Canonum Codices, depravatas interpretationes, sententias glossematibus intermixtis adauctas, immò etiám aliquandò in contrariam significationem detortas. Privatis Collectionibus fidendum non esse omninò ostendimus; publicas labefactatas fuisse demonstratum est. Nùm Gratianus ad Codicem Canonis Ecclesiæ universæ confugeret? At præterquamquòd Gratiani ætate ignotum fuisse suspicor, jam secundo loco observavimus, nullum unquàm extitisse hujusmodi Codicem, qui totius Ecclesiæ auctoritate probatus indubiam prorsùs fidem faceret. Vetustæ autèm Græcorum Collectiones jam ætate Gratiani Græcôrum schismaticorum perfidiâ erant turpiter deformatæ: omnes non nisi ambitum sapiunt. De duabus Collectionibus, quæ Romanæ à quibusdam creduntur, nihil dixerim. Satis quarto loco de illis disceptatum est: præterquamquòd Gratiano prorsùs ignotas fuisse facilè arbitror, cum ex illis ne unum quidèm fragmentum à Collectore nostro depromptum fuisse adpareat. Collectio autèm Canonum Africanorum per se satis non est, ut novæ Collectioni materiem suppeditet, cum non aliud sit, quàm unicum totius Africæ Concilium anno, uti diximus, 419. celebratum. A Dionysio Exiguo plura immutata fuisse animadvertimus, quemadmodùm etiàm à Martino Braccarensi, quorum tamèn Collectiones vix affirmaverim videri potuis-

se à Gratiano, cujus ætate erant jam propemodùm antiquatæ, atque, ità dixerim, extrà commercium studiosorum. Proferantur nùnc Isidori Mercatoris opera: hinc fortè Gratianus optimam Collectionem elucubraturus erat? Fortè ex Reginone, Burchardo, Ivone, aliisque contemporaneis benè multis, quibus unus, idemque fuit Canonum describendorum fons, & origo? Sanè, cum ad hæc animadverto, non possum non condolere Gratiano, qui, cum vellet novam Collectionem Canonum edere, non nisi depravata, & falsa Canonum exemplaria præ manibus habere potuerit, undè minùs probam Collectionem posterior ætas susciperet. Hæc generatim dicta sunto. Adhùc alia nùnc adnotemus, quibus Gratianeum opus, modò adhùc præ Gratiani manibus existens, modò in publicum evulgatum, modò plurium usu receptum, quasi è specula contemplemur.

OBSERVATIO VII.

De persona, indole, & studio Gratiani.

GRatiani personam demonstrant natalia, susceptaque vitæ ratio; indolem industria, & vis ingenii; studium demùm peculiaris instituti professio; cui addere possumus temporis, & loci, in quo vixit, peculiaria adjuncta. Ut pauca de singulis attingamus, omitto lubens fabellam illam, quæ jam diù S. Antonino displicuit in 3 parte Chronicorum tit. 18. cap. 4., quâ traditum ab aliquibus fuit, Gratianum germanum fuisse Petri Lombardi, & Petri Comestoris, omnesque ex adulterio natos, quorum Mater, ob egregiam nominis famam sibi ab unoquoque partam, fertur nunquàm potuisse de commisso adulterio dolere, aut pœnitentiam demonstrare. Vulgaris opinio est, Gratianum Clusii in Etruria natum fuisse circà finem 11. sæculi, vel principium 12., adolescentiorem verò factum Bononiam se transtulisse, ibidèmque Monasterium S. Felicis, & Naboris ingressum sub regula S. Benedicti diù vixisse, & circà annum 1151. Collectionem suam composuisse; quod tamèn Trithemius in lib. 2. de viris illustribus Ordinis S. Benedicti refert ad annum 1127. Inter Trithemium, ceterosque Scriptores jam intercessit Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, asserens Gratianum anno 1127. Collectioni primam admovisse manum, anno autèm 1151. eamdem penitùs absolvisse. Ad rem hanc faciunt, quæ habentur apùd Gratianum pòst Canonem 31. caus. 2. quæst. 6., ubi apostolorum appellationum causâ petendorum formula exhibetur. Ait Gratianus: *Forma apostolorum hæc est: ego ille Sanctæ Bononiensis Ecclesiæ Episcopus, &c.*, quæ verba demonstrant Bononiæ Collectionem hanc fuisse elaboratam: subditur autèm anno MCXLI., uti habetur pòst Romanam correctionem. Hæc rectè consonant cum anno, quo fortè Gratianus memoratam causam 2. discuteret. Vulgati quidèm, quemadmodum etiàm MSS. Codices aliam lectionem exhibebant: rectè verò visum fuit Romanis Correctoribus aliam potiùs apponere, vel quòd facile fuerit ex memoratis notis MCXLI. hæc fieri MCLXI., quemadmodùm vulgatæ editiones habebant; vel quia annus MCXLI. congruit cum indictione quarta, quæ eodem in loco à Gratiano adnotata est.

Gratiani industriam, & ingenium vel ex una ejusdem Collectione auguramur. Fuit ipse, ut patet, mentis acumine præditus, præsertim verò ut novis

vis artibus, atque distinctionibus Patrum dicta, quæ viderentur adversaria, conciliaret: verùm non satis excultus, uti collectorem decebat: Græcæ linguæ in primis ignarus, deindè ità in sententiarum digestione omnia confundens, ut nullam omninò methodum proponere sciverit, aut aliquandò propositam constanter servaverit. Item tantam habuit recentiorum Collectionum fiduciam, ut sine discrimine quasi res certas, & procùl omni dubitatione captaret, quidquid in ipsis legeret; quod sanè indicat, Gratianum in vetustorum Patrum lectione minimè fuisse versatum, ac propterea nihil aliud disciplinæ Ecclesiasticæ addidicisse, quàm quæ vulgo obscurâ sæculi 12. ætate traderetur. Sed de his fusiùs infrà.

Quâ autèm voluntate, & peculiari animi inclinatione propenderit, licèt nemo quod noverim ex historicis attigerit, facilè tamèn conjicere possumus, cum observemus Gratianum professione Monachum fuisse, & circa finem 11. sæculi apùd Florentiam natum; ineunte autèm, & ambulante sæculo 12. Bononiæ educatum. Fuit itaquè professione Monachus, & quidèm eâ ætate, quâ Monasteriis exemptionum privilegia concedi cœperant, partim ex Summorum Pontificum munificentia, qui ut plurimùm ex Monasteriis Benedictinis eligebantur, ut liquet in Gregorio VII. anno 1073., Victore III. anno 1086., Urbano II. anno 1088., Paschali II. anno 1099., Gelasio II. anno 1119., pòst cujus obitum Cardinalium comitia ad novam Papæ electionem in Monasterio Cluniacensi Sancti Benedicti edita perhibentur; partim ex precibus aut fundatorum, aut eorumdem Monachorum, quibus à Summis Pontificibus ab Episcoporum potestate se, suasque Ecclesias eximi postulabant; uti adparet ex Epistolis Gregorii VII. ad Manassem Rhemensem Archiepiscopum lib. 1. epist. 13., epistolâ 31. ad Lanfrancum Cantuariensem, epist. 30. ad Fratres Monasterii S. Mariæ in Episcopatu Dordonensi, epist. 62. ad Hugonem Cluniacensem Abbatem, epist. 81. ad Udonem Trevirensem, item lib. 11. epist. 15. 49., & 69. uti prætereà adparet ex Concilio Melphitano circa annum 1090. in quo Abbatibus, & Præpositis Monasteriorum decimas sine Episcoporum concessione percipere permissum fuit. Quid referam sexcenta hujusmodi monumenta, quæ Gratianeo sæculo in favorem Monachorum emerserant; quâ ætate nova quodammodò regiminis forma in Monasteriis est instituta, ut propterea vero admodùm simile sit Gratianum ità novis Monachorum institutionibus adhæsisse, ut in sua collectione easdem, quoad fieri potuerit, & proponere, & illustrare adamaverit. Fuit item Gratianus natalibus Florentinus, educatione Bononiensis. Sive Florentini, sive Bononienses eâ ætate adversùs Henricum Imperatorem acerrimè restiterunt, & quidèm communi voluntate nemine dissentiente, ut specialiter de Florentinis testatur optimus Auctor Villani in libro, cui titulus *Chroniche Fiorentine* libro 4. cap. 22. ad annum 1080. necnon in cap. 28. ejusdem libri ad annum 1113. Laudandam autèm censeo Gratiani œconomiam, qui, apùd Florentinos, & Bononienses educatus, inter gravissimas controversias in sua Collectione nihil ad eam rem pertinens disputandum præcipuè, dirimendumque susceperit.

OB-

OBSERVATIO VIII.

De tempore, quo Gratianus Collectioni suæ operam dedit.

CUM dixerimus, medio sæculo 12. à Gratiano collectionem Canonum fuisse compositam, satis superque temporum Gratianeorum improbitatem attigimus. Non sunt hæc silentio prætereunda, cum de collectore agamus, quem sacra antiquitas prorsùs latebat, quique omnia juxtà suæ ætatis mores, & libros discutiebat. Improba tempora appello triplici de causa; primùm ratione diutinarum dissensionum, quæ universam præcipuè Italiam susdequè turbarunt; deindè ratione Sacrorum Codicum, qui aut deperditi erant, aut enormiter depravati, aut ad eruditorum manus facilè pervenire non poterant, si qui fortè integri in Bibliothecarum pulvere latuissent; postremò ratione Ecclesiasticæ disciplinæ plurimùm tùnc temporis lapsæ, quam propterea unusquisque Sacrorum Canonum studiosus, ipsi præ cæteris Summi Pontifices deplorabant.

Nemo itaquè ignorat, quamdiù vexaverint Italiam accerrimæ contentiones ab ætate Gregorii 7. usquè ad integrum fermè 12. sæculum, divisa enim in plures factiones unaquæque regio videbatur gravissimum publicis rebus excidium minitari. Ipsa Romana Civitas, majori zelo sempèr alias defensa, plura etiàm passa fuit incommoda ob frequentes hostium incursiones, modò aperta vi factas, modò callidè attentatas. Eo res pervenit, ut etiàm sacrarum rerum ratione deplorabile schisma diù perseveraverit, pluresque simùl per integrum sæculum de Summo Pontificatu contenderent.

In tanta rerum perturbatione vix concipi potest, qualis fuerit rerum sacrarum vetustissimarum cura, atque inquisitio, undè alterum incommodum Gratianeæ ætati accessit, ut nemo, Canones collecturus, integros posset alicubi Codices invenire: facilè enim constat, in Florentina Civitate Gratianum uti Codicibus non potuisse propter incendium Civitatis, quod bis universas propè urbanas Scripturas perdidit, testante memorato Villani loco citato lib. 4. cap. 29. scribente, anno 1115. mense Maii maximam Civitatis partem ignis impetu exarsisse; rursùs verò anno 1117. novo incendio illa fuisse deperdita, quæ non perierant primo, deperdita præsertim fuisse rerum antiquarum volumina, illa etiàm, in quibus ipsius urbis monumenta vetustissima continebantur. Alibi verò Gratianus quos habuisset libros? Non sanè ex Græcis, & Orientalibus adsequi poterat; cum Græci novo schismate ab Occidentalibus divisi essent, nullamque haberent rerum sacrarum communionem. Gravissimæ scissioni causam dederat Michael Cærularius, Patriarcha Constantinopolitanus, circà annum 1053. in Latinam Ecclesiam universam plurima molitus; quamobrem Bernardus, qui 12. sæculo vivebat, ità scribit ad Eugenium III. *Ego addo & de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & non sunt, juncti fide, pace divisi, quamquàm & in fide claudicaverunt à semitis rectis.* Solis itaquè Latinorum Auctorum Codicibus utendum erat Gratiano, iisque, quemadmodum erant, corruptis, & depravatis, sive non ex autographorum integritate, sed ex pravis collectionibus omninò traductis.

De Disciplina Ecclesiastica 11., & 12. sæculi non est cur fusiùs loquar. Ejusdem corruptelam apprimè norunt, quicumque vel mediocritèr in historia Ecclesiæ versati sunt, adeò ut apùd plurimos dubitetur, nùm res Ecclesiæ in deteriori conditione fuerint, cum fides oppugnaretur ab Hæreticis omnium pessimis, an Gratianeâ hac ætate, cum, salvâ fide, mores Fidelium depravati undequa-

quaquè adparerent. Quicumque voluerit de hac re sobriè judicare, legat S. Bernardum ejus ætatis Scriptorem in libris de consideratione ad Eugenium Papam, ubi plurima fusè exponuntur, & declamatur præsertim adversùs Clericorum abusus. Reverà apùd Concilia illius temporis patet, qualis fuerit Clericorum incontinentia, ambitio, scurrilitas, avaritia, rerum sacrarum contemptus; paucis enim exceptis, qui, suadentibus præsertim, & urgentibus Pontificibus Maximis, vitam communem elegerunt, cæteri pessimum sui ipsorum exemplum præbebant; undè occasio laicis fuit sacra ipsa contemnendi, eisdem Clericis decimas acerrimè denegandi, immò etiam bona Ecclesiarum diripiendi, ac devastandi: deindè verò, cum res in meliorem frugem reverti videretur, non alitèr Laici ad restitutionem adigi potuerunt, quàm si Monasteriis potiùs, vel Canonicis & decimas, & Jura Ecclesiastica concedere se posse obtinuerint, undè Monachi, præ Clericis sicuti ditiores, ità etiàm venerabiliores apùd Laicos facti tùm, & habiti fuerunt. In hisce temporum circunstantiis positus erat Gratianus, cui si quod lumen inter tot tenebricosas caligines affulgere potuit, illud sanè non nisi exiguum fuit, & vix aptum, ut mediocris utilitatis Collectioni prodesset.

OBSERVATIO IX.

De Gratiani methodo, & ejusdem Collectionis argumento.

PErperàm vulgò Gratianea Collectio *Decreti* nomine nuncupatur; neque enim in primis Decretum est, sed potiùs Collectio Decretorum: deindè Gratianus, ut arbitror, hoc nomen Codici suo nuspiàm dedit, ac propterea in melioris notæ editionibus ità solùm inscribitur: *Concordia discordantium Canonum*; atque hoc nomine appellatus est Codex à veteribus, qui non longè pòst Gratianum scripserunt, uti adparet in cap. 20. de electione in additionibus, ubi Innocentius III., Gratianeo sæculo vivens, habet ad Gratianum respiciens: *Quidam verò ad concordiam discordantiam revocantes repugnantiam Canonum prædictorum sopire quodammodò videbantur* &c. Decreti itaquè nomen ex vulgari potiùs appellatione protectum est, ad exemplum fortè Ivonianæ Collectionis, quæ paulò ante Gratianum sub nomine *Decreti* prodierat.

Porrò ex germana illa inscriptione Codicis Gratianei, *Concordia discordantium Canonum*, clarissimum eruimus totius operis argumentum. Cratianus in recentiores sui temporis Collectiones incidens, & pro modo ingenii decreta in illis contenta meditatus, agnovit quædam inter se se videri contraria: fortè etiàm idipsum agnovit ex eo, quòd audivisset quosdam contrariis opinionibus disputantes, singulos autèm Canonum Sacrorum regulis innixos, eodem fermè pacto, quo hodiè Theologorum, quos Scholasticos vocant, sectas divisas, atque in pluribus contrarias frequenter experimur, omnes etiàm ejusdem, quem sibi sequendum proponunt, vestigiis inhærere se profitentes, illud arbitratus est utile esse, si discordantes, ut ipse ait, Canones ad concordiam revocaret. Et en totius Gratianei operis argumentum, ex quo propriè opus idem non meram Collectionem Canonum dicere poterimus, sed quædam potiùs Ecclesiastici Juris documenta variis distinctionibus elucubrata, adjectis pro rei opportunitate capitibus, probationis, & demonstrationis causâ. Quid vero? Paren-

rendum est recepto errori. Vulgus collectionem Canonum credidit, atque hodiè talem præsefert imaginem sui, ut tamquàm vera collectio habenda sit; etenim potissima Canonum descriptorum in præsens ratio habetur, qui & numeris distincti posteriore manu fuere, ut infrà dicemus, & diversis characteribus designati, ità ut Gratianea verba, & explicationes, in quibus potissimùm Gratianus totius ingenii vires insumpsit, minimi habeantur, atque Interpretes tantummodò in Canones ibi descriptos intendant. Per me ità sit: Habeamus opus Gratiani ut meram collectionem. Hac enim de causa emendationem suscepi à Gratiani sententiis penitùs abstinens, cum parum eruditorum intersit. Sed intereà non omittam in Gratiani ipsius methodum aliquantispèr inquirere; ex hac etenim observatione magis magisque liquebit, quale Gratianei Codicis judicium habere unusquisque debeat.

In eo hodiè generatim eruditi universi concordant cum Antonio Augustino lib. 1. de emendat. Gratiani Dialogo 1. ità scribente: *Si artem requiras* (apùd Gratianum) *& ordinem docendi, frustrà laborabis.* Reverà, si præcipuam totius operis divisionem attingamus, distribuitur illud in tres partes; quarum prima complectitur distinctiones 101., secunda causas 36., tertia alias distinctiones 5., sed adjecto titulo *de Consecratione*, ut has fortè à prioribus auctor quoquo modo distingueret. Quid sibi hac divisione voluerit Gratianus, nemo sanus intelligit. Nàm quæ ratio eum movere poterat, ut postremas distinctiones separaret à primis? quæ rursùs ratio, ut varias quæstiones modò sub causarum, modò sub distinctionum titulo discuteret? Unicam, quod video, inter causas & distinctiones diversitatem observandam nobis exhibet, in distinctionibus ab una ad aliam materiem quasi more præceptoris progredi; at in causis ad instar recentium casuistarum quamdam facti speciem proponere, pluribus deindè quæstionibus ex facto emergentibus satisfaciendo. Verùm unus, aut alter ordo vel distinctionum, vel causarum satis erat operi integro elucubrando, nec erat, cur distinctionibus causæ intersererentur. Præterquamquòd eædem fermè materiæ tàm in causis, quàm in distinctionibus discutiuntur, ut videatur auctor in causis eorum immemor, quæ jam in distinctionibus pertractaverat. Exempli gratiâ: in prima parte dist. 22., & sequentibus expendit, quid servandum sit in Ordinationibus Clericorum; at rursus idipsum explicat in secunda parte caus. 1. quæst. 1., ubi de Symoniacis ordinationibus reprobandis sermonem instituit. In causa 27. 31. 32., & sequentibus de conjugiis agit, de quibus jam in distinctione 30. disseruerat. In tertia tantùm Collectionis parte videbatur expendere voluisse, quæ ad Consecrationes Ecclesiarum, Baptizandorum, Confirmandorum, & Ordinandorum pertinebant; sed jam de his sermonem fecerat in distinctione 33. 48. 50. 64. & 65.

Quòd si peculiariter ad singulas distinctiones, & causas descendere velimus, eo clarius constabit nullum omnino ordinem rerum fuisse servatum. Initio quidèm Gratianus generatim de legibus orationem instituit, recto sanè ordine, nisi divisionibus suis rem ità confudisset, ut sæpè digressus fuerit à proposito suo, opusque habuerit lectores, quos secum alio abstraxerat, ad præscriptam materiem identidèm revocare. Hinc cum in 1. 2. 3. & 4. distinctione de Juris naturalis ac positivi discrimine disserere voluerit, monet initio distinctionis 5. *nùnc ad differentiam naturalis juris, & ceterorum revertamur.* Putaret quispiam, Gratianum in hac distinctione 5. aliquid de Jurium differentia tradidisse. Sed expectationi non satisfecit Gratianus, qui, levi occasione arreptâ, totus fuit in explicando munere recèns enixæ mulieris, ut ostenderet ad eam virum eo temporis accedere non debere, nec ipsam mulierem posse in Ecclesiam admitti. Ampliùs digreditur; nàm in distinctione 6. ità exorditur: *Quia verò de na-*

naturæ superfluitate sermo cœpit haberi, quæritur an pòst illusionem, quæ per somnium solet accidere, vel Corpus Domini quilibet accipere valeat, vel, si Sacerdos sit, sacra Mysteria celebrare? Ad rem tandèm venit in dist. 7. 8. 9. & 10., ubi, Juris origine, & causis exploratis, proposita jam diù Juris naturalis, & positivi, imò etiam Ecclesiastici, & Civilis Juris discrimina expendit. In dist. 11. repetit eadem, de quibus jam abundè egerat in distinctione 8. de consuetudinibus inducendis. In dist. 12. de consuetudine disserit: rursùs verò in duabus sequentibus distinctionibus remeat ad Juris naturalis scientiam, tradens nullam in eo dispensationem admitti posse. In distinctione 15. profitetur, se de Jure naturali, constitutione, & consuetudine satis disseruisse, pergere autèm ad leges Ecclesiasticas, quasi de illis nondùm disputasset: recenset propterèa canonicas Scripturas, & Codices authenticos ab apocryphis secernere studet. Optandum esset, ut hujus distinctionis materiem solertiùs investigasset, antequàm Collectioni suæ adornandæ manum admoveret. Postquàm verò & de Conciliis, sive Generalibus, sive Provincialibus, necnon Summorum Pontificum Decretalibus, pluribus distinctionibus multa complexus fuerit, in distinctione 20. & sequentibus de Ecclesiasticarum personarum statu, gradibus, & ordinatione disputat: sed intereà more suo digreditur; nàm, cum antè canonem 3. dist. 25. peculiariter concluderet, Episcopum ab omni etiam, ut ajunt, veniali labe esse debere purgatum, in canone 4., (cui ab auctore Paleæ ad eamdem rem additus est quintus), agit de igne purgatorio. Rursùs, cum dixisset Episcopum bigamum ordinari non posse, datâ occasione quærit, an bigamiæ labes per baptismum tollatur in dist. 26., deindè in dist. 27. & 28. de continentia Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum agens intermiscet disputationem, nùm, qui continentiam vovit, matrimonium contrahere valeat? In dist. 29. en rursùs Gratianum quasdam positivi Juris differentias expendentem; ait enim positivum Jus ex causis, loco, tempore, & persona considerandum esse; atque in hac re valdè perspicua in tota distinctione 30. 31., & 32. variis propositis exemplis immoratur, plura ibidèm congerens, præsertim de Manicheorum superstitionibus, & continentia Clericorum, de qua jam superiùs egerat dist. 27. & 28.; eâque occasione in dist. 33. illud suscipit disputandum: utrùm Sacerdos ordinari possit, qui primùm & uxorem & concubinam habuerit; quod potiùs pertinebat ad dist. 25. aut 26. Sed quid hoc memoro, cum in dist. 34., & sequentibus usquè ad 49. cæteras persequatur ordinandorum Sacerdotum qualitates, de quibus jam in dicta dist. 25. tractaverat? Singularis est ratio in dist. 50., ubi Gratianus, allatis in utramque partem Sanctorum Patrum sententiis, disputat prolixiùs, nùm Clerici graviorum criminum conscii pòst peractam pœnitentiam ad priores gradus restituendi sunt? At, postquàm plura adduxisset ad concilianda, quæ attulit, fragmenta, rem integram ità flectit, & obscurat, ut interpres egeat interprete; etenim nùnc uno, nùnc altero modo distinguit, quasi neutrum probet, ut videre est ad calcem canonum 28. 34. 35. 51. 52. & 61.; ac postremò, re paulispèr explicatâ, quædam sibi rursùs objicit, quin tamèn difficultatem propositam dissolvat. In dist. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. & 61. enumerat varia personarum genera ex iis, qui nequeunt ad sacros Ordines promoveri; atque inter ceteros recensens filios Presbyterorum, occasionem arripuit disputandi, nùm paterna vitia filiis noceant. Præterquamquòd repetit ibidèm, quæ jam demonstraverat in dist. 36. 37. 38. & 39. pergit in dist. 62. & 63. ad personas, quibus jus eligendi tribuendum est, ubi tamèn variis in contrarium argumentis oppositis congruè non satisfacit, ut in

hac re *concordia discordantium Canonum* ipsi defuisse videatur. Ab electione rectè ad consecrationem perrexisset in dist. 64. & 65., nisi plura ibidèm de Cathedrarum prærogativa intermiscuisset. Descendit ad Ordinationes inferiorum Clericorum in dist. 66. 67. 68. 69. 70. 71. & 72., ubi cum aliqua dixisset de non ordinandis extraneis, nisi à proprio Episcopo commendatis, de literis commendatitiis sermonem instituit in dist. 73. Subdit in sequentibus de persona ordinandorum, & temporibus ordinationis in dist. 74. & 75.: sed eâ occasione tempora jejuniorum expendit in dist. 76., subjiciens deindè in dist. 77. & 78. quamplura confusa, atque permixta, ut videatur ibidèm adjecisse, quæ in superioribus fortè oblitus fuerat. Revertitur in dist. 79. ad ordinationes Episcoporum, & in dist. 80. loca illa Episcopis adsignat, quæ sunt frequentiora. His absolutis, ad alia prorsùs se manum admovere profitetur Gratianus in dist. 81. ità exordiens: *Hæc de ordinandis, & ordinatoribus, atque de singulorum graduum distinctionibus, & officiis dixisse nos, sufficiat. Verùm, quia aliquantulùm in his immorati sumus, quædam præcedentibus cohærentia sub epilogo ad memoriam subjiciamus. Debet ordinandus in Episcopum, (ut Apostolus scribit), esse sine crimine, id est, sine peccato mortali, quod non solùm de Episcopo, sed etiàm in quolibet electo ad aliquam præposituram Ecclesiæ oportet intelligi*: quæ deindè longâ distinctione probat, & Patrum sententiis confirmat. Cum verò in canone ultimo adduxisset quoddam Concilii Carthaginensis Decretum, quo præcipitur viduis, quæ alimenta Ecclesiastica percipiunt, ut Ecclesiam precibus, & orationibus adjuvent, hac occasione in dist. 82. quæsivit, nùm Episcopi viduas, & pauperes alere teneantur; & in Canonibus sequentibus ad alia omninò divertens de Clericis lapsis restituendis rursùm agit, quæ erat prolixa materies distinctionis 50. Subdit rursùs de qualitatibus ceteris Episcoporum usquè ad dist. 91., pòst quæ in dist. 92. ità concludit: *Cum autèm ad Ecclesiam venerint, corde magis, quàm voce cantandum meminerint*; proindè in tota fermè distinctione de cantu, & canendi officio loquitur, non omittens tamèn quædam more suo intermiscere, ad Episcopos, & Presbyteros pertinentia, quos sua Parochia non recepit. Nullo autèm modo superioribus nectitur distinctio 93., ubi agitur de obedientia, quam inferiores superioribus exhibere tenentur; ubi tamèn observamus alia quamplura de muneribus Sacerdotum, de improbando despectu sanioris doctrinæ, & alia passim. Longè etiàm distat materies dist. 94., cui est hæc prælectio: *Subdiacono etiàm summus Patriarcha vices suas committere valet.* Et, quod magis est, sub hoc themate tria capita subjiciuntur, singula ferè alium ad finem spectantia; Primum quidèm ad rem propositam pertinet; secundò decernitur, excommunicandos illos esse, qui legatos Sedis Apostolicæ turbant; tertiò cohibentur Archidiaconi, qui suprà Presbyteros jurisdictionem exercere præsumunt. Non minùs longè abscedit Gratianus à superioribus in dist. 95., ubi quærit, nùm Presbyteri possint baptizare, confirmare, & consecrare; adductis autèm contrariis Patrum suffragiis nullam interpretationem adjicit, nec memor est sui propositi, quod in ipsa Operis inscriptione exhibuerat. In dist. 96. meminit, se in can. 8. dist. 79. quædam retulisse de Honorio Augusto, ideòque, quod ibi deesse videbatur, supplet hoc loco, sicut etiàm in sequenti distinctione: ubi tamèn can. ult. demonstrandum aggreditur, Ecclesiam Romanam non consuevisse suscipere legationem sine signatis apicibus. Rursùm ad alia gradum facere se profitetur Gratianus in dist. 98. ibi: *Quæ circà ordinandos sint observanda, multorum auctoritatibus monstrata sunt. Sed quia veritas rei nonnumquàm obscu-*

curatur mutatione provinciæ, decretum est sacris canonibus, ut peregrini, nisi quinque, vel eo amplius suorum Episcoporum fuerint commendati chirographis, non ordinentur. Credideris certè, in sequentibus hanc aut similem materiem pertractari; sed cetera non respondent, nàm statim in longinqua abit Gratianus, ità præfatus in dist. 99. *De Primatibus autèm, quorum suprà mentionem fecimus, quæritur, quem gradum in Ecclesia obtineant &c.* Dein in dist. 100. totus est, ut concludat Episcopis non licere antè acceptum pallium sacras Ordinationes celebrare. Demùm in dist. 101. priorem hanc sui codicis partem absolvit, ajendo duos in una provincia Metropolitanos esse non posse. Quis non miretur tantam rerum confusionem?

Hactenùs de electione, & ordinatione Clericorum tractavimus: Nùnc ad simoniacorum ordinationes transeamus: ità Gratianus, partem 2. sui decreti incœpturus. Jam autèm his ferè verbis professus fuerat intio dist. 81., monens se satis de Clericorum ordinatione fuisse loquutum, quamquàm deindè & de eadem plura subjecerit. Hoc autèm in loco idem fermè peragit; nàm eo ipso, quo profitetur se de ordinationibus tractasse, præparat se ad novam de eisdem ordinationibus, per simoniam scilicèt celebratis, disputationem. Nùm saltèm à digressionibus abstinebit? Minimè gentium; nàm in ipsa causa 1., ubi ceteroqui de simoniacis ordinationibus sibi agendum proponit, quærit, nùm simoniacus hæresi renuncians sit ad Episcopalem gradum recipiendus; eaque occasione plura disputat de baptismo Hæreticorum, de iis, qui à falsis Episcopis ordinantur, de charactere baptismatis, de illis, qui cum hæreticis orant, aut ab ipsis eulogias accipiunt, de remissione peccatorum, quæ non ex hominum merito, sed ex Dei virtute dependet, de alimentis pauperibus suppeditandis, de crimine paterno, nùm illud filiis obsit, de consecratione Ecclesiarum, de dispensatione sacrorum Canonum, & aliis similibus, à simoniacis causis valdè discretis. Transit pòst hæc Gratianus ad 2. causam, ubi plura discutit de judiciis, testibus, accusationibus, appellationibus, uno verbo, de re judiciaria, atque, ut à simonia ad hoc gradum faceret, ità exorsus est: *His brevitèr præmissis, ad ea veniamus, quæ Ecclesia severitate disciplinæ parata est ulcisci, ostendentes, quibus accusantibus &c.* Arbitratus est, ut videtur, Gratianus judiciarias res ità à causis simoniacis dependere, ut de simoniacis causis præmittenda foret exacta disputatio. Causa tertia, & quarta potiùs secundæ cohæret; agitur enim in illis de accusationibus, & restitutione spoliatorum, quemadmodùm etiàm in causa quinta, ubi tamèn plura permixta sunt de Conciliis, & eorumdem celebratione. Eadem judiciorum materies pertractatur in causa sexta. Ad septimam verò sine ordine pergitur, ut inquiratur de coadjutoribus Clericorum ægrotantium, aut senio confectorum, de translationibus, & renunciationibus Episcoporum. In causa octava en rursùs Gratianum revertentem ad simoniacas ordinationes, atque eas, quæ fiunt vivente adhùc Episcopo per designationem successoris. In causa 9. persequitur tractatum de ordinationibus Clericorum, quem totiès se absolvisse jam professus fuerat. In causa 10. alia omninò materies sine ordine subjicitur, videlicèt de rerum Ecclesiasticarum administratione, quæ Episcoporum vigilantiæ, & sobrietati committitur. Sed in causa 11. rursùs arripuit Gratianus causas judiciarias, quod præsertim attinet ad forum competens Clericorum, in qua tamèn re non satis moratus est; nàm statim in caus. 12. denuò regressus est ad bona Ecclesiastica, & ad expendendam potestatem, quam in illos sive viventes, sive morientes exercere possunt Ecclesiastici administri. In causa 13. complexus est Gratianus jura quædam Ecclesiastica decimarum, & sepulchrorum, necnon

eorumdem jurium præscriptiones. In 14. damnantur Clerici ad usuras intenti, eâque occasione discutitur, nùm de usurarum lucris possit quis eleemosynam elargiri? In caus. 15. mirum est, quàm varia & longè dissita simùl congerat Gratianus. Quærit enim 1., nùm crimina sine voluntate commissa sint imputanda? 2., an pro impensis patrociniis liceat Clericis munera exigere? 3., an ex mulieris confessione quis sit condemnandus? 4., an die dominico debeat causa ventilari? 5., an accusato neganti sit purgatio deferenda? 6., an confessio sit cruciatibus extorquenda? 7., an sine Synodo Episcopus valeat Sacerdotem damnare? 8., an spontè confessus se antè Ordinationem peccasse, possit suscepti Ordinis officium exequi? Quæ sanè omnia mentem in varias distrahunt partes, & quemadmodùm ad judiciorum materiem spectant, commodiùs in superioribus à Gratiano pertractata fuissent. In causa 16. 17. 18. 19., & 20. de Monasteriis, & rebus ad Monasteria pertinentibus disserit auctor noster: identidèm tamèn varias quæstiones interserit de præscriptionibus, de alienationibus rerum Ecclesiasticarum, aliasque hujusmodi controversias: cum autèm in causa 20. egisset de Monachis, de uno in aliud Monasterium, sive regulam transeuntibus, occasionem sibi exhiberi commodam arbitratus est, ut in sequente causa 21. de Clericis de una ad aliam Ecclesiam transeuntibus dissereret: immò, quia de Clericis agere ibidèm cœpit, prosequutus est quædam de eorumdem moribus, indumentis, negotiationibus, & judiciis. In causa 22. totus est in jurisjurandi, perjuriique materia, quæ an superioribus cohæreat, facilè unusquisque judicaverit. Abs jurejurando transit ad militiam in causa 23., quæreus 1., an militare sit peccatum; & à similibus gradum ad alia ibidèm faciens, quinto quærit, an judex, vel minister peccet reos occidens? 6., an mali ad bonum cogi possint? 7. nùm hæretici bonis propriis sint spoliandi? & 8., nùm Episcopis, ac Clericis arma sumere liceat? Quoniàm verò quædam attigerat de hæreticis, quærit in causa 24., nùm Episcopus in hæresim lapsus judicare possit, atque alios excommunicare, arreptâque occasione sermonis de excommunicatione instituti, quærit statim, nùm excommunicationis pœna vitâ functis possit infligi; & nùm causâ peccati unius de familia possit tota familia excommunicari? In quæstionibus autèm hujusmodi tradit Hæresum, & Schismatum discrimina, & præcipuas Hæreticorum sectas recenset. Causa 25. integra pertinet ad privilegia, Romanorum Pontificum auctoritate concessa, quâ occasione in fine causæ quærit, nùm privilegio Episcopalis sedis privari debeat Civitas illa, quæ suum Antistitem interfecerit? His expeditis, sequitur causa 26. de sortilegiis, & quidèm fusâ oratione; inter quæstiones tamèn in ea materie propositas hæ insertæ sunt num. 6. & 7., an excommunicatus ab Episcopo reconciliari per Presbyterum possit, eodem Episcopo inconsulto; & nùm morientibus pœnitentia indicenda sit sub temporis quantitate? Ab hac postrema quæstione, de pœnitentia morientium, ad nuptias gradum facit Gratianus, quærens in causa 27., an nuptiæ inter voventes iniri possint, an sponsa possit à sponso recedere, & alteri nubere? & alia similia, quæ fusè prosequutus est in causa 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35., & 36. Hoc tamèn in loco observandum est in media causa 33., id est, inter mediam conjugiorum materiem insertum esse tractatum de pœnitentia in septem distinctiones distributum; quem licèt quibusdam visum sit Gratiano non esse tribuendum ob quorumdam veterum codicum fidem, in quibus fortè desideratur, tamèn illud in omnibus recentioribus reperitur, & MSS. antiquissimis universis, qui ad eruditorum manus hucusquè pervenerunt. Videant, qui ità senserunt, ne in

eo

eo decepti fuerint, quòd in codicibus quos fortè viderint, non adsit *distinctionum* de pœnitentia distributio; etenim fateor, in antiquis Gratiani exemplaribus *distinctionum* divisionem non apparuisse, fuisse autèm adpositam posteriore manu claritatis ergò: at verò exindè non colligitur, à Gratiano, quæ in hoc tractatu laudantur, capita non fuisse collecta. Illud sanè certum est, non posse hoc opusculum de pœnitentia alicui auctori tribui, qui Gratianum jam diù præcesserit; etenim in eo laudantur plura capita Juris Justinianei, quod dudùm Gratianeâ ætate restitutum fuisse scimus.

Tertiam Decreti sui partem in quinque distinctiones partitus est Gratianus, adjecto titulo *de Consecratione*; sed, quæ ibidèm subjecit, titulo ipsi non undequaquè respondent. In dist. 1. exorditur à Consecrationibus Ecclesiarum, pergit deindè ad Missarum celebrationes, translationes sanctorum Corporum, sacra vestimenta, vasa, & ligna, divinis usibus dedicata. Rursùs de Missarum solemnitatibus, & Eucharistia agit in distinctione 2.; sed in dist. 3. postquàm aliqua disseruit de diebus feriatis, plura adnectit de Sanctorum Imaginibus, de diebus jejuniorum, necnon de fide Sanctæ Trinitatis, sine ordine, ac nexu. In distinctione 4. agitur de Sacramento Baptismatis; in quinta demùm de Sacramento Confirmationis, eâque occasione de Neophitis: cum verò Gratianus Canonem attulisset, quo Neophiti à lautioribus epulis abstinere jubentur, quædam subdere non dubitavit de jejuniis, de spectaculis, & mulierum ornamentis. Demùm duobus fragmentis opus suum absolvit, quibus probaret, Spiritum sanctum à Patre simùl ac Filio procedere. Pòst hæc ità discussa, quæque clariùs Gratianeum opus universum accuratè evolventibus constare possunt, facilè noverit unusquisque Gratianeum codicem undequaquè inordinatum, nihilque aliud continere, nisi quamdam confusam, & sine discrimine cumulatam sacrorum Canonum, & sententiarum farraginem.

OBSERVATIO X.

De iis, quæ Gratianeo Codici, jam per Auctorem suum absoluto, accesserunt.

DUO potissimùm in Gratianeo Codice hodiè habemus, quæ nobis eumdem exhibent paulò aliter, quàm à Gratiano ipso editus fuerit. Consistit primum in additamentis capitum, quæ passim nomine *Paleæ* inscripta observamus. Consistit alterum in notis numeralibus, quibus fragmenta Canonum, ex Conciliis, Pontificibus Maximis, & Sanctis Patribus deprompta, laudari, & distingui solent. Quicumque sit harum accessionum auctor, non ausim asserere utilitatem magis studiosorum, quàm Gratianei Codicis majorem perturbationem attulisse, quocumque tandèm animo fecerit, atque optimâ voluntate.

Ut de *Paleis* primùm loquar, abstineo à vulgaribus fabellis, quibus hoc *Paleæ* nomen occasionem fortassè præbuit. Illud mihi satis est observare, eas Gratiani esse nullo modo posse, sed posteriore ignota manu accessisse, ad marginem primùm adpositas, dein in textum ipsum translatas, quod jam diù vetustorum Codicum auctoritate in sua Præfatione demonstrarunt Romani Correctores, necnon Antonius Augustinus lib. 1. Dialogo 2. de emendatione Gratiani. Addo ego gravissimum hujus

rei

rei argumentum ; nàm frequentèr contingit, Gratianum laudare quemdam Canonum, seu Canonicarum sententiarum Auctorem, cui inscriptioni *Palea* subjicitur ; at verò non *Paleæ* sententia, sed quæ *Paleam* subsequitur, ad eundem Auctorem referenda est.

Sit exemplum in Can. 2. caus. 9. quæst. 2. Antè correctionem Romanam hæc ibi inscriptio habebatur, *Idem*, quæ significabat sequentem Canonem esse Calixti Papæ, ex quo superior laudatus erat. Verùm Calixti est Canon 3. subsequens, at Canon 2. qui Paleæ nomen habet, Urbano Papæ potiùs tribuendus erat, quemadmodùm tributus est ab eodem Gratiano in Can. ult. dist. 6. de pœnit. Aliud exemplum, & quidèm luculentissimum habemus in Can. 2. 3. 4., & 5. caus. 16. quæst. 2., ut alia omittam quamplura. Post Canonem primum Gratianus Urbanum II. laudaverat, cujus verba subdere volebat, sed Canon 2. prout hodiè describitur, non est Urbani II., imò nec Canon 3., nec Canon 4., nec Canon. 5. Urbani II. est Canon 6., ad quem initio Gratianus respexerat, ac propterèa auctor *Paleæ* separavit Canonem 6. à sua inscriptione, quæ est antè Canonem 2. eo ipso quo quatuor fragmenta interposuit. Hæc non solùm apertè indicant, *Paleas* posterioris auctoris accessiones esse, verùm etiàm Gratiani Codicem, præsertim in fide inscriptionum, quoquomodò turbasse, ut hodiè appareat quasdam sententias à suis auctoribus omninò divulsas, illis autèm auctoribus alias falsò tributas. Fateor tamèn, hodiè sive *Paleæ* additamenta, sive fragmenta Gratiani pro Canonibus sacris solere laudari ; & quidèm meâ sententiâ parum interesse debet, nùm monumenta quædam Ecclesiastica per Gratianum, nùm potiùs per ignotum auctorem exhibeantur ; quamobrèm in hoc opere meo à *Paleis* referendis minimè abstinendum putavi, eamdemque in ipsis ac Gratianeis fragmentis perscrutandis, interpretandisque pro rei merito curam adhibui.

Alterum accessionum genus in numerum notis consistere, asserebam. Etenim Gratianus, dum suum Codicem elucubraret, nullâ peculiari numericâ notâ unum caput ab altero distinxit, sed veluti continuatâ oratione sententias Patrum sententiis suis adtexuit ad instar Petri Lombardi in suis distinctionibus : quamobrèm apùd veteres Canonum Interpretes videmus laudata Gratianea capita non per numeros, verbi gratia *Can.* 1. *dist.* 80., sed potiùs hac formulâ *Can. urbes*, *& loca dist.* 80. Primi fuerunt Antonius Contius, & Antonius Democharès, qui rem gratam studiosis se facturos fuisse arbitrati sunt, si Canones à Canonibus adjectâ numericâ notâ secernerent. Idipsum fecit Antonius Augustinus eodem tempore quo Contius, sed non eumdem ordinem servavit, quemadmodùm ipse profitetur in Dialogo 18. lib. 1. de emendatione Gratiani, ibi : *Ego numeros addidi antè eam editionem, neque divinare potui, quid in ea scripturus esset* Contius. Qui hodiernos Codices ediderunt, aut renovarunt, editionem Contii sequuti sunt. Ampliores reddendæ grates essent Contio, si præter hoc commodum, quod studiosis attulit, solertiam majorem in distinctione capitum affabrè facienda impendisset. Verùm modò dicta ipsa, & sententias Gratiani, ipsas prætereà Canonum præfationes Canonis nomine donavit, ut in Can. 21. caus. 2. quæst. 5. : modò idem Sancti alicujus Doctoris aut Pontificis testimonium ex eodem libro, ipsâ etiàm pagellâ depromptum, in duos veluti Canones divisit : modò diversas plurium Patrum sententias, aut ejusdem quidèm Doctoris, sed ex diversis ejusdem operibus erutas uno eodem capite dissimili quadam texturâ complexus est : modò plura Ecclesiastica monumenta ità Gratiani verbis, alio charactere editis, involuta reliquit, ut eadem peculiari Canonum nomine uti cætera decorare neglexerit. Non indigent

hæc

hæc exemplis ; sufficit enim Gratianeum Codicem aperire, ut in unaquaque fermè paginâ hujusmodi geniales, & pro lubito elucubratæ rerum distinctiones palàm unicuique exhibeantur. Non memoro ampliùs hoc loco, quod jam superiore observatione animadverteram, videlicèt etiàm posteriore manu adjectam fuisse distinctionum divisionem in tractatu de Pœnitentia, de qua in medio causæ 33. Gratianus disputandum susceperat.

OBSERVATIO XI.

De Gratianei Codicis mendis, & ipsius correctione.

QUÆ hùc usquè disertè prosequutus sum, eò omnia collineant, ut, Gratianeum Codicem innumeris propemodùm mendis vitiatum aliquandò fuisse, liquidò demonstrarem. Id agnovit jam suâ ætate S. Antoninus Florentinorum Archiepiscopus, uti profitetur in Sum. hist. major. parte 4. tit. 11. cap. 8. Tritissimum est in ea Collectione, præsertim in inscriptionibus auctorum, rem esse penitùs involutam ; etenim, exempli causâ, scriptum est Concilium Carthaginense pro Chalcedonensi, Hipponense pro Epaonensi, Herdense pro Triburiensi : laudatur Chrysostomus pro Chromatio, Augustinus pro Hieronymo, Cœlestinus pro Calixto, Macarius pro Zaccharia, Anastasius pro Athanasio, Leonardus pro Leandro, Trimegistus pro Thaumaturgo, Vincentius pro Juvenco, Hieronymus pro Jeremia, Anselmus pro Asello, pro Hincmaro Ignatius, ut alia omittam sexcenta. Græci Canones non ex politioribus versionibus translati sunt : immò unum, idemque fragmentum ex duplici versione sæpè laudatur, quasi duo sint sacra monumenta, quemadmodùm, exempli causâ, liquet in can. 17. & 18. caus. 9. quæst. 3. & in can. 10. caus. 18. quæst. 2. sed, quod magis est, talia in Gratianeo Codice peccata sunt, quæ videntur aut veræ fidei doctrinæ quoquo modo adversari, aut saltèm non modicam injuriam veræ Dei Ecclesiæ inferre. Facilè quidèm mihi persuaserim, Gratianum imprudentiâ in rebus hujusmodi lapsum : sed, licèt integra fuerit fides auctoris, ferendum minimè est quasdam ejusmodi loquendi, aut concludendi formulas pro canonicis regulis generatim proponi. Exempli causâ, in principio distinctionis 13. homines in talibus circumstantiis aliquandò positos fingit, ut necessariò adversùs naturale Jus aliquid peragant, id est, rem, ut ajùnt, intrinsecè malam, licèt id in diversis personis fieri non posse in sequenti distinctione asseveret. In dist. 19., cum in honorem Pontificiarum Decretalium plura meritò attulisset, ad calcem Canonis 7. ità subdit : *Hoc autèm intelligendum est de illis sanctionibus, vel decretalibus Epistolis, in quibus nec præcedentibus Patrum decretis, nec Evangelicis præceptis aliquid contrarium invenitur* ; quasi Leges Ecclesiasticæ quædam reperiri valeant veterum Patrum statutis, &, quod magis est, Evangelio ipsi contrariæ. Quid verò magis à bono Ecclesiæ publico alienum est, quàm quod tradit in can. 2. caus. 19. quæst. 2., ubi duas leges distinguit, publicam alteram ab Episcoporum auctoritate profectam, alteram privatam, quâ unusquisque ex afflatu Spiritus sancti interiùs movetur : deindè asserit, privatam publicæ anteferendam, ità, ut ubi Spiritu Dei se raptum quis credit, ab Ecclesiastica potestate se

se

se prorsùs eximat, nullamque aliam suorum actuum sequatur regulam, quàm semetipsum? Nescio sanè, an illi, qui libidini suæ adversùs Ecclesiam se se commisere, & clariùs, & pressiùs loqui possint. Ut alia plura omittam, me referam tantummodò ad distinctionem primam de pœnitentia, ubi, postquàm quæsivit Gratianus, an solâ contritione cordis peccata remittantur, an præterea necessaria sit peccatorum confessio Sacerdotibus facienda, in medium adductis pluribus Patrum fragmentis, ità concludit: *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis, & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus: cui autèm harum potiùs adhærendum sit, lectoris judicio reservatur; utraque enim fautores habet sapientes, & religiosos viros.* Adversantur hæc & Sanctarum Scripturarum testimoniis, nec non constantissimæ Patrum traditioni, quemadmodùm modò ex Concilio Tridentino definitum habemus.

Indigebat sanè hæc Collectio, ac minùs integra doctrina quadam saltèm emendatione, per quam in unoquoque capite illa purgatior prodiret in lucem, etiàm in ea parte, in qua falsitati inscriptionum consuleretur. Neque enim ego possem morem gerere in hac parte Cujacio, viro cæteroqui præstantissimo, & de utraque Jurisprudentia optimè merito, qui ad tit. Decretalium de divortiis cap. 1. ait: *Et ut hoc admoneam, quo cœcutiunt multi, nihil refert Vermeriam scribas, an VVormaciam. Utroque nomine Vargionum Civitas cognominatur, ubi Pipinum habuisse Concilium ferè omnes historici narrant.* Præterquamquòd enim hoc in loco errore facti lapsus sit vir eruditus, cum VVormacia sita sit in Germania superiore, quæ vulgò dicitur *VVorms*, & Vermeria Palatium Regium esset in Gallia, haùd procùl à Compendio in Diœcesi Suessionensi, quæ apùd Gallos vocatur *Verberie*; illud certum est multum interesse, an Canon nomine Vermeriensis, an VVormaciensis Concilii describatur; plurimum enim in interpretatione Canonis operari potest, sicùt & temporis, & aliorum adjunctorum, ità etiàm loci observatio. Itaquè cum Critices artis studium apùd eruditos Jurisprudentiæ cultores simùl cum Jurisprudentiæ studio jungi cœpit, nil visum fuit utilius, quàm in emendationem Gratianei Codicis contendere; quod, primùm privato quorumdam studio attentatum, prosequuti deindè sunt majore diligentia Summi Pontifices, Pius IV., & Pius V., qui rem Ecclesiasticæ Reipublicæ utilem se facere judicarunt, si viros eruditos seligerent, quorum solertiâ emendatum Codicem & Scholis, & Curiæ traderent. Illi fuerunt sub Pio IV. M. Antonius Columna Romanus, Hugo Boncompagnus Bononiensis, qui posteà ad Pontificiam Sedem evectus dictus est Gregorius XIII., Alexander Sfortia Romanus, Guillielmus Sirletus Calaber, Franciscus Alciatus Mediolanensis, & sub Pio V. Guido Ferrerius Vercellensis, Antonius Caraffa Neapolitanus, omnes Romanæ Ecclesiæ Cardinales. His accesserunt Doctores plures, videlicet Felix Montaltus Ordinis S. Francisci, qui deindè in Sede Pontificia vocatus est Sixtus V., Christophorus Patavinus Generalis Eremitarum S. Augustini, Thomas Manricus Dominicanus Magister Sacri Palatii, Eusthachius Lucatellus Bononiensis, posteà Regii Lepidi Episcopus, Joseph Pamphilus Veronensis Augustinianus, posteà Episcopus Signinus, Franciscus Turrianus Hispanus, posteà Jesuita, Marianus Victorius Reatinus, posteà Episcopus Ameriensis, Michael Thomasius Majoricensis, posteà Episcopus Ilerdensis, Hieronymus Parisetus Regiensis, Antonius Cuccus Mediolanensis, Joannes Marsa Hispanus, Franciscus Leo Hispanus, posteà Jesuita; quibus posteriùs additi sunt Melchior Cornelius Lusitanus, Latinus Latinius Vi-

terbiensis, Arnaldus Pontacus Gallus, Petrus Ciacconius Hispanus, & Franciscus Pegna Hispanus, omnes numero quatuor suprà viginti; qui diutino studio, ac labore in Gratianeæ Collectionis emendationem incumbentes, tandèmanno 1580. eamdem Collectionem, quo ad per tempora fieri licebat, purgatiorem ediderunt. Quam verò in emendatione sua ipsi rationem habuerint, facilè compertum est unicuique, qui illorum præfationem perleget, Gratianeo Operi præfixam. Prætèr multas, atque omnigenas utilitates, quæ pòst hanc emendationem sacrarum rerum studiosis attulerunt Romani Correctores, illud præsertim quodammodò proprium vindicare meritò possunt, quòd viam eruditis quamplurimis aperuerint ad eadem studia, ut, si fieri posset, Gratiani editio purgatissima redderetur. Eodem tempore ipsorum solertiam imitatus fuisse videtur Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus, qui non solùm Romanos Correctores adjuvit variis Codicibus, quos Romam ad eum finem misit, verùm etiam, ut erat rerum Ecclesiasticarum studiosissimus, duobus libellis planâ dialogorum methodo Gratianeam emendationem prosequutus est. Ampliùs progressus est Franciscus Pegna Hispanus, qui, uti observavimus, unus fuit ex Romanis Correctoribus: is enim in Gratiano sistere noluit, sed decretalibus Gregorii IX., ut fertur, quasdam addidit notas, quæ modò capitibus subnexa edi solent. De eo ità post librum 1. de emendatione Gratiani paulispèr ludit nupèr memoratus Antonius Augustinus: *Franciscus Pegna, cujus sunt additiones Decretalium sine nomine, quia, quemadmodùm Templum Dianæ incendisse visus est &c.* Non memoro alios benè multos, qui in eadem Gratianea emendatione aliquid moliti sunt, aut saltèm illam perfici desiderarunt; & quidèm vehementissimè, ità ut hodiernâ etiam die eruditis Viris materies minimè desit hac in parte, in qua elaborent, ingeniumque suum exerceant.

OBSERVATIO XII.

De Gratianei Operis receptione.

JAM diù investigaverunt Eruditi, quo fato Gratiano contigerit, ut statim ac ipsius opus publicam lucem aspexit, tanto apùd omnes in pretio fuerit, ut vel in Scholis, vel in Judiciis tanquàm firmum Jurisprudentiæ Sacræ præsidium haberetur. Etenim extemplò ceteris Collectionibus in Occidente extremum vale dictum fuit, universis in unum Gratiani Codicem intendentibus, pòst quem, nullâ ampliùs habitâ aliorum exemplarium ratione, illud unum laudi tribuebatur, si quis glossematibus hujus Auctoris sententias interpretaretur, atque illustraret. In hac porrò interpretatione studuerunt quotquot sæculo 13. scripsere, & tanquàm Jurisprudentiæ Canonicæ antesignani laudantur. Undenàm tanta in Gratianeum Codicem veneratio? Referendum illud est ad circumstantias Gratianeæ ætatis. Invaluerat tùnc recens Theologiæ Scholasticæ methodus, Auctore inter ceteros, aut Promotore Petro Lombardo, quâ in utramque partem singula disputabantur, absolutâque disputatione conciliabantur. Gratianus hanc rationem scribendo amplexus est: propterèa, quemadmodùm apùd Theologos Petrus Lombardus quòd eâ methodo usus esset, ac pleraque Divinæ scientiæ puncta discusserit, *Magister* appellatus est, ta-

talique honore habitus, ut eum sequi gloriarentur posteriores Theologi, etiàm eximii nomine, inter quos Thomas Aquinas, Theologorum postremæ ætatis facilè Princeps, ejus scripta interpretari optimum duxit; ità eadem ratione inter Canonicarum regularum studiosos Gratianus unus fuit, qui omnium studia ad se traheret. Illud præterea observatu dignum est, Gratianeâ ætate Juris Civilis Romani scientiam, jam diù marcescentem, quodammodò apùd Italos revixisse, ut eâ ætate honestissimum quisque putaret in illam disciplinam incumbere: cum verò in Codice Gratianeo multa legerentur capita ex penu ejusdem Romani Juris deprompta, hinc facile fuit eruditiores Viros in ipso hoc Codice eo maximè delectatos fuisse, quòd præter Sanctorum Conciliorum doctrinam, veterum præterea Jurisconsultorum philosophiam se meditari commodè posse cognoscerent. Alia hujusce rei ratio adferri potest ex eo, quòd Gratiani Codex, Bononiæ editus, apùd Bononienses facilè excipi potuerit, procurantibus præsertim Gratiani consortibus, quorum eâ ætate non mediocris erat auctoritas, nedum existimatio. At Codex, in Bononiensi urbe receptus, in Bononiensi Universitate facilè pro exemplo proponi potuit. Quod si verum est; quis non videat, tùnc temporis latissimè effundi potuisse Gratianei nominis famam, & Codicis existimationem, cum Bononia una tùnc esset, ad quam Jurisprudentiæ addiscendæ causâ Europa propemodùm universa confluëret? Hisce omnibus de causis jam agnoscimus, quod ait Antonius Augustinus in lib. 1. dial. 1. de emendat. Gratiani, ipsum *feliciorem ceteris Collectoribus fuisse, quos diù in tenebris fuisse novimus, dum hic in omnium manibus versatur, multorum interpretum illustratur lucubrationibus, refertur denique in judiciis omnibus, atque à Theologis non minùs, quàm Juris utriusque peritis in pretio habetur.*

Adeò autèm generaliter crevit Gratianei operis fama, ut non defuerint, qui illud publicâ Ecclesiæ auctoritate probatum, confirmatumve voluerint. Id asserere non dubitavit Trithemius in Gratiani vita, quem nonnulli deindè, re minimè discussâ, atque exploratâ, sequuti sunt. Horum vemâ, quis confirmationis, seu probationis monumentum adfert, ut de ipsa rectè testetur? Res facti est, de qua nisi constet, nullo modo præsumitur, eo vel maximè, quòd tot menda in hoc Opere reperta jam diù sunt, & reperiuntur in dies, ut publicam auctoritatem unquàm mereri potuisse non videatur. Bellè Antonius Augustinus in dialogo 3. lib. 1. ità illis illudit, qui ab Eugenio III. confirmationem hujus Operis repetunt. *Si credas, omnia, quæ Gratianus scripsit, Apostolica esse auctoritate confirmata, multiplex hic error erit tuus, & omnia complecteretur hoc volumine conscripta. C. Nunc planè intelligo. Sed quo pacto probas, non esse confirmata? A. Tu, qui ais, redige in memoriam, vidistine unquàm Eugenii confirmationem? C. Minimè gentium. A. Habesne aliquem dicere, qui se dicat vidisse, aut qui ex ea partem aliquam referat? C. Ne hoc quidèm. Sed sunt, qui asserunt eum confirmasse. A. Sunt etiam, qui id negent.* Ut omittam plures ex Interpretibus optimæ notæ, qui nullam Gratianeo Decreto publicam auctoritatem accessisse asseverant, referam tantummodò, quod ad hanc rem tradit Boetius Epo in lib. 2. de Jure Sacro num. 134. de confirmatione Eugenii III. ità loquens: *Cum illud nullo (præter unum Trithemium) probent idoneo teste, meritò rejicitur à nobis, ut suspectissimum, cum neque diligentissimus in rebus talibus adnotandis Antonius Archiepiscopus Florentinus, neque Platina Decretorum Pontificum accuratissimus, nec quisquam probatus Auctor alius, qui quidèm nostras venerit in manus, id affirmet. Quinimò contrà sentiunt Interpretes ad unum omnes*

nes nostri , tàm Civilis Juris , quàm Pontificii , non ab ullo unquàm Pontifice nominatim fuisse probatum Gratiani hoc Decretum , sed solâ consuetudine receptum , neque plùs auctoritatis adhùc habere , quàm per se habeant auctoritates ipsæ , sive Pontificum , sive Conciliorum , sive quorumlibet aliorum Scriptorum , ex quorum fragmentis Decretum suum Gratianus pòst Isidorum, & Burchardum , & Ivonem , & alios consarcinavit ; in propriis autèm Gratiani verbis nihil esse majoris auctoritatis , quàm quantum ratio & æquitas per sese patiantur , cum non plus tribuatur (in solis quidèm suis) Gratiano, quàm Interpreti cuiquam alteri. Si quis verò aliquid ex Gregorio XIII. ad hanc rem deduci posse forsitàn existimaverit , caveat ille , ne emendationis curam, quam Summus ille Pontifex alacritèr suscepit , cum ipsa , de qua loquimur, Codicis confirmatione , vel adprobatione confundat.

CON-

CONCLUSIO.

POst hæc, ità accuratè, ut arbitror, rectèque discussa, nemo non videt, quàm facilè progredi possimus ad susceptam hanc Gratiani emendationem, & illustrationem. Pleraque enim generaliter ità in superioribus attigimus, ut & causas Gratianeorum erratorum observaverimus, & emendationum rationes; nihilque ampliùs superesse videatur, quàm singulis Gratiani capitibus expendendis manum admovere. Macti itaquè animo simus, &, quâ par est, solertiâ universa perscrutemur. Adjuvet Deus vires meas, easque in Ecclesiæ Sanctæ, cui deserviam, utilitatem benè vertat. Vellem enim de hac re ne cogitasse quidèm, si vel suspicarer, me fortè in his aut à vera Fide, aut à germana Canonum disciplinâ quoquo modo desciturum.

PARS PRIMA.

De Canonibus, Ecclesiasticorum Conciliorum nomine à Gratiano relatis.

SACRI Conciliorum Canones ii potissimùm sunt, ex quibus veteres Collectiones componebantur: sic Dionysius Exiguus ab illis exorsus est Codicem suum, & Ecclesia Africana nihil aliud fermè in suum Codicem retulit, quàm suarum Synodorum communi suffragio editas Constitutiones. Gratianus propterea, quem non decebat in sua Collectione adornanda à vetustis collectoribus omninò deflectere, plures Conciliorum Canones in illa recensuit. Sed, ut erat rerum sacrarum, præsertim veterum, non satis apprimè peritus, in aliquibus lapsus est gravissimè; cum enim non omnium Conciliorum una, eademque sit ratio, & ad quatuor, ità dixerim, species potissimùm illa referri oporteat: ut alia Concilia Generalia, sive Œcumenica sint; alia Particularia, ut vocant, quæ tamèn, paulatim de Provincia in Provinciam traducta, ab omnibus tandèm recepta fuerunt; alia rursùs Particularia, quæ apùd eam tantùm Diœcesim, in qua celebrata sunt, non etiàm exteris moribus, confirmata deprehenduntur; alia demùm, quæ aut injustè convocata, aut injustè perfecta Pseudosynodos, vel Conciliabula vulgò appellamus; in omnibus hisce Conciliorum speciebus enumerandis nullum delectum habuit Gratianus; qui non solùm de statutis particularium Conciliorum ità disseruit, quasi ab universa ferè Ecclesia recepta fuerint, verùm etiam ipsarum Pseudosynodorum sententias quasi germanas Ecclesiæ Sanctæ definitiones describere per imperitiam, ut arbitror, non dubitavit. Idcircò juvabit principio dicendi quædam, licèt pauca, de horum omnium Conciliorum auctoritate generatim attingere.

De auctoritate Conciliorum primi generis, id est, Œcumenicorum, nemo alius dubitare ullo modo potest, nisi qui Ecclesiæ universæ judicium contemnat, ipsius sanè Domini ore jam diù damnatus quasi Ethnicus & Publicanus, ut dicitur Matthæi cap. 18. vers. 17. Hæc tamèn nihil impediunt, quominùs singula Concilia invicèm inter se collata alia aliis præstare apùd viros etiam sapientissimos videantur, antiquiora recentioribus: illa prætereà, in quibus plures numero Episcopi, iidemque insigni quadam aut doctrinæ, aut sanctimoniæ famâ celebratissimi, aliis, in quibus vel pauciores, vel minùs celebres Ecclesiarum Antistites interfuerunt. Quod in primis verum est, ubi de regulis Fidei, & morum agatur; etsi

enim una eademque sint Oracula Dei, quæ in Synodis omnibus panduntur per illos, quos tamquàm Judices Deus ipse constituit, quis tamèn quidpiam amplius intereà non tribuet viris sanctissimis, atque eruditissimis, si illos Deus causâ declarandæ veritatis elegerit? Eodem fermè modo, quo, si cum Canonibus Conciliorum Sacras Scripturas, præsertim Apostolicas, conferamus, quis non statim adgnoscat majorem quamdam vim sacris eisdem literis inesse, non alia sanè de causâ, nisi ob excellentem, atque egregiam ipsorum Scribentium dignitatem? Deindè illud magis, ac magis observari oportet, quotiès agatur de regulis Ecclesiasticæ disciplinæ; etenim istæ potiùs ex divina illustratione, quàm ex divino oràculo constituuntur: atque divinâ illustratione juvantur meliùs quicumque, aut Apostolicis temporibus proximi Apostolicis doctrinis imbuti fuerunt, aut sacram scientiam diuturno studio meditati, omnia depravati ingenii præjudicia abjicere potuerunt, aut demùm sanctimoniâ insignes nil, nisi Christianæ Reipublicæ utile, voluisse faciliùs præsumuntur. Hac ratione factum arbitror, ut priores quatuor Œcumenicæ Synodi, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensis, vulgò ex veterum ipsorum Patrum sententia ità laudentur, quasi quatuor ipsis Evangeliis comparanda.

Alia secundo loco, dixi, esse Concilia, quæ, licèt ex unius, alteriusve Diœceseos Episcopis celebrata sint, eorum tamèn statuta de Diœcesi in Diœcesim traducta, & apùd universas paulatim Ecclesias recepta fuerunt. His sanè quis ausit inficiari eam inesse vim, atque virtutem, quæ Generalibus Conciliis inest? Etenim nihil interest, an expresso Ecclesiæ totius consilio, suffragioque simùl, & semèl leges latæ fuerint, an sensim per mores singularum Provinciarum tacitus quodammodò Ecclesiarum omnium consensus accesserit: proindèque, si in Canones, vel fragmenta hujusmodi Conciliorum occurramus apùd Gratianum, in ipsa Catholicæ Ecclesiæ judicia propemodùm occurrisse videbimur.

Non tanta porrò auctoritas illorum Conciliorum est, quæ ab unaquaque Provincia, aut Diœcesi habita sunt, & quorum definitiones ad loca singularia pertinent ità, ut apùd extereos nunquàm admissæ fuerint. Quotiès declarantur in illis Orthodoxæ Fidei dogmata, necnon regulæ morum, & honestatis, quemadmodùm priscis præsertim sæculis fieri solebat, iis non contradicere tenentur, quicumque in Diœcesi, aut Provincia degunt, non quòd certum omninò, & immutabile sit illorum judicium, sed ne fortè schismata concitentur perniciosa, aut ne jam concitata periculosiùs augeantur, ut si quid ex contrario contendatur, non privati cujuspiam hominis arbitrio discuti possit, sed superioris judicio dirimendum reservetur. Nec enim ut probrum objiciendum est illis, qui Episcopi Clerive sui, licèt errantium, sententiæ adquieverint, quousquè non aliud, aut non majus lumen adfulgeat; quemadmodùm, ut à sæcularibus judiciis argumentum petam, sine fraude & injuria solent Magistratus, imò & leges ipsæ possessionem litigiosæ rei illis etiam addicere, qui in petitorio judicio jure vincentur, intereà nihilominùs possessoriis remediis ad tuendam possessionem etiam indebitam comparatis. Etenim veritas in occulto ut plurimùm latet, nec primo unius, aut alterius obtutu comperta facilè redditur: nemo propterea dedignari debet judicium inferioris superioris judicio reformari, dummodò tamèn intereà inferioris jusdicentis honor servetur, & dignitas non negligatur. At si certa disciplinæ Ecclesiasticæ capita in hisce Conciliis stabiliantur, illa omninò custodienda erunt ab iis, qui Episcopis convenientibus subsunt, quin negotium facessat ullum diversa aliarum Provinciarum, aut Diœceseon consuetudo, quippè, cum disciplinæ Sacræ capita singularibus innitantur argumentis, nihil prohibet eadem,

dem, sicut pro temporum, ità pro locorum diversitate invicàm esse contraria. Illud prætereà hac in re generatim animadvertendum est, non mediocrem honorem deferendum esse inter cetera Conciliis celebratis in ea Provincia, quam aut Apostoli ipsi, aut Viri Apostolici doctrinis suis præsentes imbuerunt; quoniàm faciliùs præsumitur in illis nil nisi apostolicis doctrinis consonum definitum fuisse, præsertim verò, si de Conciliis agamus non procùl ab Apostolica ætate remotis; cautius verò fidendum esse Conciliis celebratis in ea Provincia, quæ, variis erroribus diù turbata, aut discissa hæresibus, traditiones Apostolicas minùs commodè servare potuit integras, aut ad posteros non satis tutò traducere.

Demùm vix opus est monere, nullam inesse vim illis Episcoporum Conventibus, quos Catholica aut damnavit, aut non probavit Ecclesia, sive ex errore, sive ex Episcoporum quorumdam intercedentium improbitate quidpiam definierint. Non opus est pluribus. Quicumque alia in hoc argumento desiderat, adeat Interpretes nostros, & numero benè multos, & doctrinâ præstantes. Mihi satis fuit pauca hæc attigisse, ut fragmentis Gratianeis, quæ ex Conciliis deprompta sunt, generale quodpiam judicium præpararetur.

Unum adhùc me moratur in præsens: Facilè enim mirari unusquisque potest, quòd in toto Gratiani Codice minùs frequentèr descripti fuerint Conciliorum generalium Canones, locusque potiùs factus fuerit aliis Patrum sententiis, extra generalia Ecclesiæ comitia pronunciatis. Suspicor ego, multùm in primis potuisse apùd Gratianum Collectorum non longè ab ejus ætate dissitorum exempla, Reginonis, Burchardi, Ivonis, ut sileam Isidorum cognomento Mercatorem; qui omnes de statutis Conciliorum generalium referendis in Codicem parùm solliciti esse visi fuerant: Quæ quidèm exempla, qualiacumque eadem fuisse proponantur, movere potuerunt etiam Collectores illos, qui pòst Gratianeum opus novos sacræ Jurisprudentiæ libros Pontificum Maximorum auctoritate, aut suffragio ediderunt. Prætereà, cum ad Gratiani ætatem inventæ fuissent Pandectæ Romani civilis Juris, quæ Florentinæ hodiè prædicantur, cœperitque tùm maximo in honore esse, atque Interpretum studiis apprimè coli in terris illis, in quibus vivebat Gratianus; cumque in eisdem Pandectis non leges ipsæ, quales à Romano Populo olim sancitæ fuerant, at potiùs veterum Jureconsultorum interpretationes referrentur, hinc Gratianus idem descripturus novum Canonum Codicem, Ecclesiasticæ doctrinæ cultoribus rem pergratam facere se arbitratus est, si potissimùm Patrum Sanctorum sententias, quasi sacrorum Jurisconsultorum palàm faceret. Nec sine ratione: Etenim, quemadmodùm Romanæ vetustæ leges in solemnibus totius populi comitiis latæ omnibus erant adeò perspicuæ, ut singulorum memoriâ facilè servarentur, proptereaque Tribonianus consultissimum esse existimaverit, si omissis vulgatis legibus sese ad una earumdem commentaria conferret; ità Gratianus cum fortè sciret statuta Conciliorum generalium utpote & numero pauciora, & celebriora famâ commodè aliàs nosci posse, præcipuam impendit operam in interpretationibus Ecclesiasticorum Patrum, illorum maximè, quos fortè in diversas ivisse sententias suspicabatur. Non est extrà rem hujusmodi observatio, sive adductum civilis jurisprudentiæ librorum exemplum; adinstar enim illorum videntur hodiè sacrorum Canonum Codices, quibus utimur, fuisse confecti. Si enim, ut quisque novit, comparare possemus Decretalium libros cum Codice Justinianeo, quatenùs sicùt iste ex Imperatorum, ità illi ex Romanorum Pontificum rescriptis compositi sunt; cur etiàm Gratianeum opus, ex fragmentis Sanctorum Patrum ut plurimùm constans, conferre non potero cum libris Digestorum, in quibus

dicta Jurisprudentum vetérum singula ordinatè locáta adservantur? His omnibus accedit, in Conciliis generalibus præcipuum locum esse datum definitionibus Fidei, quæ generalis est, parùm autèm fuisse concessum disciplinæ, quæ potiùs ex varietate locorum, atque causarum adjunctis pendere videbatur. Et jam Gratiani ætate illud obtinuerat, ut in Canonum Codices referrentur ea tantummodò, quæ ad disciplinam, non quæ ad fidem stabiliendam pertinerent, vel quòd aut nulli, aut obscuri admodùm nominis, hæretici tunc existerent, vel quòd tunc jam invaluisset usus, quo factum est Sacrorum Canonum studia à studiis dogmatum, sive, ut ajunt, Canonicam Scientiam à Theologia sejungi.

Jam verò propositum opus adgredior; & singillatim ad Canones Gratiani devenio, quos ipse ex Conciliis quibuscumque deprompsit, ordine temporis, quoàd fieri poterit, omninò servato.

CAPUT PRIMUM.

De Canonibus, qui Apostolis tribuuntur.

Canones, vulgò Apostolici, qui apùd Gratianum referuntur, sic subjecti exhibentur.

Apocryphi omnes, sed antiquitate venerabiles.

- *Can.* 14. *dist.* 28. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 1. *dist.* 33. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 15. *dist.* 34. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 1. *dist.* 35. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 7. *dist.* 45. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 1. *dist.* 47. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 4. *dist.* 55. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 8. *dist.* 55. *consonat cum exemplaribus optimis.*
- *Can.* 12. *dist.* 81. *ex melioribus exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 13. *dist.* 81. *ex melioribus exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 3. *dist.* 88. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 21. *caus.* 12. *q.* 1. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 22. *caus.* 12. *q.* 1. — *Can.* 24. *caus.* 12. *q.* 1. — *Simùl jungendi, ut cum optimis exemplaribus consonent.*
- *Can.* 14. *caus.* 16. *q.* 7. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 62. *de cons. d.* 1. *varius in exemplaribus cùm verbis, tùm sententia.*
- *Can.* 79. *de cons. dist.* 4. *varius in diversis exemplaribus.*

MIrum est, quâ contentione jamdiù certaverint eruditi omnes in perpendenda istorum Canonum auctoritate. Alii, nimiùm creduli, necnon in arte critica minùs periti, tantùm illis honorem detulerunt, ut omnes atque integros velùt genuinum Apostolorum opus agnoverint, per ipsos quidèm Apostolos conditos, & per Clementem Romanum Pontificem evulgatos. Alii, contrà valdè morosi, ac difficiles, ex quò ab Apostolis Canones eosdem abjudicant, quamlibet illis denegandam vim, potestatemque arbitrati sunt. Alii, mediàm viam ineuntes, Apostolis quidèm falsò tributos esse dixerunt, nihilo tamèn minùs veteris, & quidèm optimæ disciplinæ monumenta continere, proindèque recipiendos, si non tamquàm Apostolicas, saltèm tamquam Ecclesiasti-

ticas, ac venerandas regulas, quæ à viris sanctissimis, eruditissimis, antiquissimis editæ fuerint. Alii demùm, mediam aliam viam sequuti, Canones à Canonibus secreverunt, quorum plures Apostolicos verè appellarunt, ceteros rejecerunt; sed inter istos nova rursùs contentio, cum aliis plures, aliis pauciores numero Canones probentur. In tanta dissensione animorum frustrà quispiam intercederet, certamque sententiam quasi è tripode pronunciaret, quâ controversia omni ex parte finem acciperet. Agimus de fragmentis vetustissimis, quorum causæ & adjuncta ipsos etiàm prudentissimos facilè latere possunt. Proindèque tutius erit in primis ab incertis certa sejungere, ac dictorum Canonum originem, non qua primùm editi, (hæc enim obscurior esset, quàm vulgò credatur), sed qua primùm evulgati sunt, inquirere solerter, ut deinceps quid de eorumdem vi, atque auctoritate sentiendum sit, faciliùs inferatur.

Itaquè ante quintum Ecclesiæ seculum ingnoti fuerunt Canones, auctoritate, & nomine Apostolici; nemo enim ex vetustis Scriptoribus eorum meminit: & quamquàm Eminentissimus Bellarminus Tertullianum in libro adversùs Praxeam, & Athanasium in Sinopsi quasi testes protulerit, ejus tamèn veniâ dicam, nihil ad rem hanc accommodum apùd illos reperiri. Sanè, si eos Canones manifestos vetus fama fecisset, cur in vetustissimis Codicibus, Dionysiano Codice antiquioribus, custoditos non haberemus? Primùm prodiere apùd Græcos in publicam lucem, anno circiter 500., per eam scilicèt Canonum Collectionem, quæ à Theodoreto Cyrensi Episcopo edita fertur; ibi enim Canones 85. Apostolorum nomine relati cernuntur, qui statim ac adparuerunt, maximam sibi reverentiam, honoremque in Orientali Ecclesia conciliarunt ità, ut Justinianus eos omnes publicâ Constitutione confirmare, aut ratos habere, minimè dubitaverit, in Nov. 6. ità scribens Epiphanio Episcopo Constantinopolitano: *Benè autem universa geruntur, & congruenter, si rei principium fiat decens, & amabile Deo: Hoc autèm futurum esse credimus, si sacrarum regularum observatio custodiatur, quam justi, & laudandi, & adorandi Inspectores, & Ministri Dei tradiderunt Apostoli, & Sancti Patres custodierunt, & explanarunt.* Anno 692. rem hanc vehementiùs urgere cœperunt Græci in Trullana Synodo, in qua Canone 3. ità sanxerunt: *Hoc quoquè sanctæ Synodo pulcherrimè, & honestissimè placuit, ut ab hoc nùnc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi stabilesque maneant, qui à sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti ac confirmati sunt, atque adeò nobis etiàm traditi sunt Sanctorum, & Gloriosorum Apostolorum nomine* 85. *Canones....& nulli licere priùs declaratos Canones adulterare, vel non admittere, vel alios præter hic propositos recipere Canones, à quibusdam falsâ adjectâ inscriptione compositos, qui veritatem cauponari conati sunt.* Partem hujus Canonis retulit Gratianus in Can. 7. dist. 16. Absolutâ Trullanâ Synodo, receptisque apùd Orientales ejusdem Synodi Canonibus incredibile est dictu, quantum in illis Provinciis Canonibus hisce Apostolicis deinceps auctoritatis accesserit. Res eò devenit usquè, ut illi ne à sacris quidèm literis, quas ipsi Apostoli conscripserant, secernerentur; Hinc Joannes Damascenus, qui sæculo 8. floruit, disciplinæ sui temporis, suæque gentis, ut par erat, morem gerens, in lib. 4. de Fide Ortodoxa cap. 17. inquiebat: *Jam verò novi Testamenti libri isti sunt: quatuor Evangelia....Canones denique Sanctorum Apostolorum, per Clementem concinnati.*

Hæc, quæ apùd Græcos communis erat, institutio apùd Latinos variis vicissitudinibus fuit obnoxia, modò pro temporum, modò pro ingeniorum diversitate, conniventibus aliis, aliis probantibus, aliis demùm liberè & sincerè damnantibus. Primus, qui à Græcis Canones Apostolicos derivavit ad Latinos, fuit Dionysius Exiguus initio 6. sæculi; qui, cùm Græcos Codices præ Latinis adamaret, proin-

dè

dè ex Græcorum Codicum fide emendatos Canones evulgavit, & latinitate donatos, ex libris Orientalium Canones Apostolicos in sua Collectione descripsit, sed tantummodò quinquaginta, reliquos trigintaquinque, quos ferè Apocryphos verosimiliùs judicabat, omittens. Immò verò & quinquaginta à se relatos non ità proposuit, ut tanquàm genuina Apostolorum opera recipi postularet, sed potiùs, ut quæ jam apùd Græcos in publicam lucem prodita fuerant, eadem apùd Latinos non ignorarentur supinè, quæcumque dein futura fuisset de ipsis Latinorum sententia. *In principio itaquè*, sunt verba Dionysii ejusdem in Præfatione ad Stephanum Salonitanum Episcopum, *Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus, quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum ignorare vestram noluimus sanctitatem, quamvis posteà quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta esse videntur.* Pòst Collectionem Dionysii quamplures ex Latinis cœperunt Canones illos laudare, recipere, ipsis etiàm Canonicis Ecclesiarum Codicibus adscribere. Cujus rei testimonio sunt verba Gregorii Turonensis in lib. 5. historiæ Francorum ad annum 577. num. 19. ità dicentis de Chilperico Rege: *ipse verò ad metatum discessit, transmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quasi Apostolicos, continentes hæc: Episcopus, in homicidio, adulterio, & perjurio deprehensus, à Sacerdotio divellatur* (is esse videtur Canon 24. ex Apostolicis juxtà hodiernas editiones); ex quibus adparet, Regem Chilpericum Codicem Canonum statim pòst tempora Dionysii Exigui habuisse, cui novis paginis adjectis Canones Apostolorum accesserant. Initio sæculi octavi Isidorus, cognomento Mercator, novam suam Collectionem à Canonibus eisdem Apostolicis exordiri se debere arbitratus est; ut enim fictum ejus officium erat, & sedulitas simulata, omittere noluit illa capita, quæ fortè ex rebus fictis commentiisque constarent. Verùm & ipse Dionysii exemplo non nisi quinquaginta Canones retulit, in eo tantùm ultrà Dionysium progressus, quòd longè majorem, imò & maximam memoratis Canonibus, & prorsùs Apostolicam tribuit auctoritatem. Hinc in Præfatione suæ Collectionis hæc habet: *Propter eorum auctoritatem ceteris Conciliis præposuimus Canones, qui dicuntur Apostolorum, licèt à quibusdam apocryphi dicantur, quoniàm plures eos recipiunt, & Sancti Patres* (non de aliis sanè loqui poterat Isidorus, nisi de Trullanis) *eorum sententias Synodali auctoritate roboraverunt.* Porrò, quicumque non ignorat, quantùm potuerit apùd posteriores ætate Mercatoris Collectio, facilè intelligere poterit, quæ vis eorumdem Canonum extiterit apùd reliquos Collectores, Burchardum Vvormaciensem, Ivonem Carnotensem, præsertim verò Gratianum. Intereà verò aliqui non defuerunt, qui, in contrariam opinionem euntes, fidem omnem modò omnibus, modò aliquibus eisdem Canonibus denegarunt. Fuit inter hos auctor, quicumque ille sit, Canonis 1. dist. 16.; fuit Umbertus Sylvæ Candidæ Episcopus, qui, cum redargueretur à Niceta Pectorato, quòd Sabbato jejunaret juxta veterum Romanorum consuetudinem, in Can. 65. Apostolorum improbatam, ità eidem Nicetæ respondit: *Et hoc asserere conaris ex apocryphis libris, & Canonibus, pari sententiâ Sanctorum Patrum repudiatis: nàm Clementis liber, id est, itinerarium Petri Apostoli, & Canones Apostolorum numerantur inter apocrypha, exceptis Capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis orthodoxis adjungenda.* Fuit author Canonis 3. dist. 15. apud Gratianum, qui Gelasio Papæ tribuitur, ibi: *Liber Canonum Apostolorum apocryphus.*

In hac Latinorum discrepantia laudanda est illorum industria, qui Canones hosce in Collectionibus custodire quidèm solent ità, ut ne depereant, quin tamèn exindè ullam eisdem vindicent auctoritatem; sine fraude propterea Typographis licuit, imò etiàm honestissimo officio, illos pòst Gratianeum

neum opus integros congerere, quemadmodùm consuevere etiàm pòst sacra divinorum eloquiorum volumina tertium, & quartum Esdræ incertæ omninò fidei libros adscribere. Itaquè vulgata editio exhibet Canones num. 85., quamquàm apùd aliquos 84. tantummodò recenseantur, levissimo tamèn discrimine; nam quæ editiones tantùm 84. numerant, simùl jungunt duos, qui apùd Dionysium Exiguum sunt ordine quartus, & quintus. Quartus enim Canon his verbis apùd Dionysium legitur: *Offerri non liceat aliquid ad Altare præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiamata, id est, incensum tempore, quo sancta celebratur oblatio.* Deindè sequitur quintus ità: *Reliqua poma omnia ad domum primitiæ Episcopo, & Presbyteris dirigantur, nec offerantur in Altari; certum est autèm, quòd Episcopis, & Presbyteris dividant, & Diaconis, & reliquis Clericis.* Quicumque ergò numerant 85. Canones exemplo Dionysii, nupèr descriptos Canones dividunt; qui numerant 84. eosdem penitùs jungùnt, quorum propterèa lectione servatâ, illud animadvertendum necessariò erit, eos, qui apùd veteres quinquaginta Apostolorum Canones recepisse feruntur, non nisi novem supra quadraginta admisisse; siquidèm, inspectâ editione, quæ tantùm 84. Canones exhibet, Canon numero quadragesimus nonus postremus est ex iis, quos & Dionysius Exiguus, & Isidorus Mercator in suos Codices retulerunt.

Re universâ ità per narrationem, non exornata quidèm, sed candidè sincerèque, ac pro viribus dilucidè explicata, proclivius erit prudens omninò judicium ferre. Neque enim, ubi nulla certa Ecclesiarum traditio adparet, ingenuum hominem, aut credulorum quorumdam opinationes, aut aliquot Collectorum opera, quæ publica auctoritate non gaudent, aut Trullani Concilii Sanctio, quam universa Ecclesia non recepit, aut Damasceni Cathalogus, qui Græcus Græcam disciplinam sequi debuit, adeò urgent, ut Canones, qui vulgò Apostolici prædicantur, veluti verè Apostolicos habeat, ac veneretur; præsertim verò, cum multa sint argumenta, quibus eos Apostolicos non fuisse luculentissimè demonstretur. Nihil sanè dicam speciatim de triginta quinque posterioribus, quos non solùm Dionysius Exiguus, verùm & ipse Isidorus Mercator, ad commentitia referenda proclivis, sine hæsitatione rejecit. Vulgaris, & trita hodiè eruditorum sententia est, omnes generatim Canones, qui Apostolorum nomine circumferuntur, nec ab Apostolis esse conditos, neque à Clemente Romano, Apostolorum discipulo, promulgatos. Cujus rei argumenta, licèt apùd eos quamplures facilè inveniantur, qui optima dilucidaque rerum sacræ antiquitatis Commentaria scripserunt, paucis tamèn perstringere, eisdemque nonnulla adjungere juvabit, ne proposito meo parùm, aut nihil videar satisfecisse. Quid in primis non probat silentium, in quo veterum Scriptorum omnium officia jacuerunt? Quippè nemo ex iis, qui ante quintum Ecclesiæ sæculum scripsere, Apostolicorum Canonum mentionem fecit, imò statim ac quinto sæculo in publicam lucem producti fuerunt, suborta fuit apùd gravissimos viros firma suspicio falsitatis, quemadmodùm testatur Dionysius Exiguus in sua Præfatione, cujus verba paulò antè commemorabam. Sanè, si illi Canones opus Apostolicum fuissent, quis crederet, non fuisse apùd veteres præcipuâ & ratione & diligentiâ custoditos, & quidèm pluribus editis exemplaribus, ut præ fidelium manibus morum formandorum causâ diutissimè versarentur? Etenim Christianos veteres in servandis Apostolicis scripturis valdè, ut par erat, sollicitos fuisse præsumendum est. Præterea quis existimabit, Apostolorum Canones, per Clementem Romanum editos, in Græcia primùm adparuisse, atque illinc ad Romanos fuisse translatos? Quis in mentem inducat non potiùs

apud

apùd Romanàm, quàm apùd Orientalem Ecclesiam reperta fuisse scripta Romani Episcopi, & ab Orientalibus Provinciis terræ, quam incolebat, continuatione distantis? Ex his, quæ ad eorumdem Canonum editionem, promulgationemve pertinent, non leves capimus conjecturas, quibus arbitremur à Græco quopiam fallendi animo fuisse compactos; atque, ut major illis conciliaretur auctoritas, Apostolorum nomine insignitos.

Quòd si propiùs accedamus ad explorandas singulares eorumdem Canonum sententias, statim liquebit illas Apostolicis temporibus, nedum Apostolis ipsis, non posse congruere. In primis ne leve quidèm ibi vestigium est aut illarum & quidèm gravium controversiarum, quæ priscâ illâ ætate Judices ipsos Apostolos habuerunt, aut Apostolicæ disciplinæ, de qua in Actibus suis meminit Lucas: ubinàm quæso de peragenda pœnitentia, & suscipiendo Spiritus sancti dono, quod Petrus prædicabat Act. cap. 2. vers. 38.: ubinàm de participatione fractionis panis, de precationibus communi animo, & voluntate, statâ, solemnique cæremoniâ consecratis, de quibus ibièdm vers. 42. & 46.: ubinam de vita, victuque communi, qui tùm in Fidelibus vigebat quàm maximè, uti legitur in eisdem Actibus cap. 4. vers. 32. & seq.? Nihil prætereà ibidèm reperitur de sedata discordia Græcorum, qui suæ gentis viduas despici adversùs Judæos conquerebantur, nihil de septem Diaconorum electione, nihil de Ecclesiarum administratione, quo tempore ab impiis vexatoribus miserabiliter perturbarentur; quæ tamen omnia, utpotè Apostolicæ ætati congruentia, Apostolicorum materia Canonum esse debuissent. Si quod verò præ ceteris in Canonibus Apostolicis continendum, declarandumque fuisset, illud est, quod legimus in Actibus Apostolorum cap. 11., videlicèt quòd Petrus Divino afflante Spiritu adversùs quosdam Judæos salubri decreto constituit, ut non Judæis tantùm, sed etiam Gentibus Divinum Christi Evangelium prædicaretur; atque id potissimùm evulgari debuisset à Clemente Petri discipulo, cum istud Romanis Fidelibus utpotè ex Gentibus jucundissimum extitisset, ut eruimus ex eorumdem actuum cap. 13. ibi: *Audientes autem gentes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini.* Illud prætereà referendum fuisset in Canones, quod in Apostolorum Concilio definitum novimus, de circumcisione omittenda antè baptismum; quæ omnia silentio præterita ibi fuerunt.

Alia è contrario in Apostolorum Canonibus descripta legimus, quæ ipsorum temporibus convenire nullo modo possunt: immò si & singulorum Canonum stylum, & orationis formulas perscrutemur, liquebit statim omnia Apostolicæ disciplinæ penitùs esse contraria. Ut certa quæpiam, & exempli causâ ponantur, in canone 2. legitur, *Diaconos, & reliquos Clericos* ab Episcopo esse ordinandos. Quinam, amabo, reliquorum Clericorum nomine intelligebantur? Cum apùd Eruditos constet, Subdiaconatum, ceterosque inferiores Ordines Apostolorum ætate necdum fuisse institutos; præterquamquòd *Clericorum* nomen olim non usurpabatur, ut significarentur ii, qui altari inserviebant, quique potiùs *Ministri* appellabantur, at *Clericorum* vocabulo universa Fidelium Ecclesia designabatur, *Clerus* enim idem sonat, ac *Congregatio* vocatorum in sortem Domini, quod universæ Christianæ Reipublicæ optimè congruebat; hinc Petrus in epist. 1. cap. 5. Seniores, sive Presbyteros monet, *ut gregem Dei pascant, non dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* In can. 3. & 4. mentio fit *Altaris.* At quoquè id Apostolorum temporibus minimè congruit, quibus locus, ubi Eucharistiæ Sacramentum conficiebatur, non *Altare*, sed *Mensa* dicebatur, ex eo fortè, ne Christiani rerum sacrarum nomina communia haberent cum Judæis, qui locum Sacrificio-

ciorum *Altaris* nomine designabant. Insuper in eodem Can. 3. prohibetur, ne ad Altare deferantur legumina, mel, lac, aliaque, excepto oleo, & thure, quasi Christiani prioris sæculi in sacris cæremoniis lucernis, incensisve thuribus uterentur; quod ne tertio quidèm Ecclesiæ sæculo receptum adhùc fuisse observamus: etenim apud Tertullianum superstitio habebatur thura venalia habere Christianis in lib. de Idololatria cap. 11., quòd illa, utpote à Gentibus in idolothytis adhibita, profana prorsùs judicarentur, indignaque, quæ vero Deo offerrentur. Perspicuum hujus rei argumentum eruere possumus ex Arnobio, qui libro 6. scripsit, consuevisse Ethnicos *crimen Christianis maximum impietatis affigere, quòd non thura, neque fruges salsas inferrent*; propterea idem Arnobius in lib. 8. ità Ethnicos ipsos thura Deo offerentes insequebatur: *Ac primùm illud à vobis isto ipso quærimus, percunctamurque de thure, unde & quo tempore nosse illud, aut scire potueritis, ut meritò existimetis aut esse Diis dandum, aut eorum acceptissimum voluntati?* Quod spectat ad usum lucernarum, aut luminum, habemus testimonium Lactantii, quarti sæculi initio ità scribentis: *Num igitur mentis suæ compos putandus, & qui Auctori, & Datori luminis candelarum, ac cerarum lumen offert pro munere?* Canon 6. ex Apostolicis idem est cum eo, quem Africani Patres statuerunt, Cypriano teste, qui conquestus de Clerico, qui testamento tutor designatus fuerat, ità inquit: *Cum jam pridèm in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de Clericis, & Dei Ministris tutorem, & curatorem testamento suo constituat, quando singuli Divino Sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti, non nisi Altaribus, & Sacrificiis deservire, & precibus, & orationibus vacare debent.* Quid verò clarius exhiberi potest ad minuendam hisce Canonibus fidem, quam adducere in medium sententiam Canonis 7., quo statuitur, ne Pascha more Judæorum ante verum æquinoctium celebretur? Planè, si Apostolorum temporibus hæc jam constituta fuissent, quomodò exortæ sunt paulò posteà tot acres Quartodecimanorum, Audianorum, atque Asiaticorum omnium controversiæ? Aut saltèm quomodò exortæ non statim pacari vel uno hujusmodi proposito Canone potuerunt, quin opus esset Conciliis, Romano, Palestino, Pontico, aliisque numero plurimis? Cur Policarpus, qui Apostolicos mores & scivit, & recepit, aliud, quàm in eo Canone sancitum esset, in Paschatis celebratione servavit? Pergamus ad Canonem 21., in quo definitum est, eos ad sacros Ordines promoveri non posse, qui sibi virilia amputaverint. In conspectu hujus Apostolici decreti, quâ fronte Alexander Hierosolymitanus, & Theoctistus Cæsareensis fecissent Origeni facultatem Sacræ Scripturæ coram Episcopis interpretandæ; &, quod majus est, ipsum ad sublimem Presbyterii dignitatem sine discrimine promovissent? Jure propterea suspicantur quamplures, memoratum Canonem 21. illum eumdem esse, qui primo loco editus est in Nicæno Concilio generali anno 325.: quemadmodùm etiam censent, Canonem 14. inter Apostolicos eumdem esse cum Canone 3. Antiocheni Concilii, & Canonem 46. eumdem cum Decreto Concilii Iconiensis, de quo ità scribit Firmilianus in epistola ad Cyprianum: *Plurimi simùl convenientes in Iconio...confirmavimus, repudiandum esse omne omninò baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum.* Quod sanè decretum, si jam ab Apostolis editum fuisset, quantum gestire potuisset, ducibus Cypriano, & Firmiliano, Ecclesia Africana, quæ adversùs Romanorum sententias baptizatos ab impiis, atque infidelibus administris novo baptismate abluebat? Omitto nùnc Canonem 25., ubi fit mentio *Lectorum*, atque *Cantorum*, quorum nomina inter officia ecclesiastica nec tùm audita fuerunt. Nemo non videt in Canone 28. verba illa, *quemadmodum Simon magus à me Petro*, fuisse posteriore manu de in-

dustria ad decipiendum apposita. Canon. 29. Constitutionem exhibet præposteram, quæ Apostolorum ætati accommodari nullo modo potest, ibi: *Si quis Episcopus, sæcularium Magistratuum familiaritate usus, per ipsos Ecclesiam nactus fuerit, deponitor &c.* Quæ tùm decreti hujus esse occasio poterat? præsertim cum Episcopale officium contemptum, ac sordidum haberetur apud illos, qui humanis potiùs affectionibus ducebantur; ac Magistratuum cura ea potiùs esset, ut Episcopatus everterentur, nedum ut novi Ecclesiarum Antistites inaugurarentur. In Canone 36. præcipitur, ut bis in anno Episcoporum Concilia celebrarentur. Verùm, si cum his librum Apostolicorum Actuum conferamus, agnoscemus, nullum hujusmodi tempus in Conventibus sacris fuisse servatum; sed illos fuisse habitos, prout erat idonea vel habendi, vel non habendi opportunitas; ratione præsertim habitâ vexantium Ethnicorum, quorum impietas, certa Conciliorum tempora præstitui, non ferebat. Canon 48. editus videtur pòst subortam Eunomianorum hæresim, qui, ut referunt Theodoretus lib. 4. hæres. cap. 3. Socrates lib. 6. histor. cap. 13., & Sozomenus lib. 6. cap. 26., non in Trinitatem, sed in mortem Domini baptizabant. Prætereà facile est arbitrari, Canoni 50. occasionem dedisse recentiorem hæresim Manichæorum, aut similis secta hominum, qui vinum, & nuptias malo, ut ajèbant, Deo acceptum referebant; eaque de causa detestabantur. Sic etiam Canoni 51., quo præcipitur, eos, qui semel lapsi sunt, ad pœnitentiam recipiendos iterùm esse, occasionem dedit Luciferianum schisma, non nisi posteriore tempore concitatum. In Canone 62. Auctor videtur doctrinam Apostolicam voluisse quodammodò imitari: verùm, ut reor, ne mentem quidèm Apostolorum attigit, dum hisce verbis Apostolicam regulam descripsit: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino quicumque ex Sacerdotali consortio comederit carnes in sanguine ænimæ ejus, aut à bestiis abreptum, aut suffocatum, deponitor; hoc enim lex prohibuit. Sin verò laicus fuerit, à communione excluditor.* Ineptus in primis est, dum inquit: *Hoc enim lex prohibuit*; siquidèm, cum nomen *Legis* Apostolorum tempore legem Moysis designaret, innueret, esse Christianis abstinendum ab iis omnibus, à quibus abstinendum lege Moysis præciperetur; quod sanè nemini probatur, cum liqueat omnibus, cæremonialia, ut vocant, atque judicialia veteris Legis præcepta pòst Evangelii promulgationem fuisse antiquata. Deindè aliud omninò præseferunt Apostolorum verba, qualia in Actibus Apostolorum legimus cap. 15. ibi: *Surrexerunt autèm quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi, conveneruntque Apostoli, & Seniores de verbo hoc; cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit...Ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine*; quod eisdem fermè verbis repetitur in cap. 21. vers. 15. Video, hæc multùm inter se, ac longè distare, ne dixerim esse contraria. In Canone, qui Apostolicus dicitur, non modò nihil ex veteris legis vinculo relaxatur, sed arctiùs pœnis adjectis adstringuntur Fideles; at in Concilio, verè Apostolico, eos, qui ex Gentibus sunt, non ampliùs inquietari, jubetur. At reverà, si circumcisione opus ipsis non erat, cur opus fuisset abstinentiâ à sanguine, & suffocato, cum utrumque in eisdem Judæorum legibus æquè contineretur? Porrò, quod ab Apostolis Gentibus, ad Fidem recens conversis, commendatum adparet, illud est, *ut abstinerent à contaminationibus simulacrorum*, id est, ut sese à cultu idolorum averterent; quod ut iidem Apostoli explicarent, addiderunt: *& fornicatione, & suffocatis, & sanguine*: videlicèt in sacris literis fornicationis nomine illa frequenter intelligitur, qua Dei cul-

cultus idolorum cultui postponitur, juxta illud Psalmistæ, *qui fornicantur abs te*; item mandarunt, ut abstinerent à sanguine, & suffocatis, scilicet ne degustarent profana idolothyta, id est, animalia, idolis vel suffocando, vel sanguine aspergendo, à superstitioso ritu, inanibusque auspiciis consecrata. Quæ interpretatio si germanam exhibet Apostolorum doctrinam, jam abundè liquet, quantùm à sententiis Apostolicis aberraverit, qui memoratum Canonem commento suo composuit. Canon 65. prorsùs abhorret à vetustissimis moribus Romanorum, qui sabbato jejunare consueverant, ut testis est Innocentius I. in epist. ad Decentium Eugubinum. Quî fieri potest, Romanam Ecclesiam à vetusto etiam tempore ab iis recessisse doctrinis, quas Clemens, ejusdem Ecclesiæ Antistes, veluti ab Apostolis sibi commissas ediderat, si memorati Canonis sententia in regulis Apostolicis contineretur? In Canone 71. mentio fit olei, & ceræ in Ecclesiam illatæ; quod antiquissimæ disciplinæ absonum esse, superiùs ex Lactantio demonstravi. Demùm in Canone ultimo Sacri libri describuntur, omissis tamèn ex vetere Testamento libris Judith, Tobiæ, & Ecclesiastici: necnon ex novo Testamento Apocalypsi Joannis; quorum vice divinis voluminibus accensentur tres libri Macabæorum, Clementis epistolæ duæ; necnon ejusdem Constitutiones, quas tanquàm apocryphas rejiciendas, Eruditi omnes pluribus argumentis evincunt: quamobrèm non desunt, qui exindè putent, Auctorem istorum Canonum eumdem esse, qui Constitutiones Clementis ediderit, quibus, ut auctoritatem conciliaret, edito Canone, ipsoque Apostolis tributo, easdem Sacris literis adnexit.

Inquirunt Eruditi, quomodonàm fieri potuerit, hosce omnes Canones, adeò ab Apostolicis moribus dissonos, ipsis Apostolis adscribi: quâ itidèm ratione Clementis Romani, Apostolorum discipuli, nomine insigiti fuerint? Sunt, qui id totum vertunt vitio illius, qui commento suo eosdem edidit, quasi de industria Apostolicos dixerit, & à Clemente promulgatos, ut majorem apùd credulos quoscumque vim, ac potestatem obtinerent. Alii è contrario non alicujus calliditati, sed potiùs imperitiæ edentis tribuerunt. Ut enim jam superiùs observavimus, quamplures ex illis Canonibus confecti sunt ex variis priorum quinque sæculorum Conciliis, atque in unum veluti Codicem redacti, titulo fortè adjecto *Canonum Apostolicorum*, id est, conditorum ab iis, qui, cum Ecclesiastica auctoritate, & doctrina sacrarum rerum apùd Veteres plurimùm pollerent, Apostolici sunt nuncupati. Atque exindè evenire fortassè potuit, ut imperitus quispiam, aut imprudens ex errore eosdem Canones Apostolis ipsis asseruerit. Refero hic verba Albaspinæi Aurelianensis Episcopi lib. 1. observat. 13. ità scribentis: *Quod attinet ad Canones, existimo, eos ita appellatos esse ab antiquitate; nàm, cum eorum aliquot ab Apostolorum Successoribus, qui, teste Tertulliano de præscriptionibus, Apostolici Viri nominabantur, facti essent, Apostolicorum primùm Canones, deindè nonnullorum Latinorum ignorantia* (meliùs dixisset *Græcorum*, à quibus eosdem Canones Latini acceperunt) *aliquot literarum detractione Apostolorum dicti sunt. Et apud Græcos quoque res ita processisse videtur....Hæc autem conjectura eò probabilior redditur, quò certius est, Græcos solitos fuisse uno, eodemque quasi titulo, & volumine complecti cum antiquos Canones, tum recentes, nulla Concilii, temporis, Auctorumque mentione facta; quique præcedentibus addebantur, tacito ordine, numeroque, quem in Conciliis, undè decerpebantur, habebant, ab iis ordinem, numerumque accipiebant, quibus in illa collectione adjiciebantur. Quare si jam centum Canones præpositi fuissent, qui de novo addebatur centessimus primus, quæ ratio par fuisset in ceteris, censebatur*: Cur verò Clementis Romani nomen præfixum Canonibus habeatur, hæc erroris causa esse potuit: videlicèt, istorum Canonum pars collecta fuerat per

Clementem Alexandrinum; cum autem fortè Amanuensis Librarius Clementis nomen tantummodò legisset, Clementem Romanum Clementi Alexandrino supposuit imprudens, & Clementem Romanum, tanquàm Apostolorum discipulum agnoscens, & in suum, & in aliorum animum facilè induxit, Canones illos ab Apostolis acceptos primùm fuisse, & à Clemente Romano in publicam lucem prolatos. Quam gravissimam suspicionem illud maximè juvat, quòd veteres testentur, quamdam Collectionem Canonum per Clementem Alexandrinum fuisse adornatam. Testatur inter ceteros Hieronymus in lib. de Ecclesiasticis Scriptoribus cap. 38., Eusebius lib. 6. histor. Eccles. cap. 11. (aliis 23.), & Photius in sua Bibliotheca, ubi, relatis tribus Clementis Alexandrini libris Hypothesum, Stromatum, & Pedagogi, subdit: *Feruntur autem ab illo alia non pauca conscripta, & verò etiam alii composuisse testantur de paschate, de jejunio, de obtrectatione, de Canonibus Ecclesiasticis &c.* Res hujusmodi valdè incerta est, & obscura; proindèque, sicut stultissimum esset eam data sententia absolvere, ita utile erit quàm maximè, & laudabile, si, quamquàm sine assensione, similitudinem veri consequamur. Quæ omnia si rectè rationi consonant, jure optimo concludendum arbitror Canones hosce, licèt Apostolici minimè sint, antiquissimam tamen habere originem; & maxima ex parte apud Græcos fuisse probatos; proindèque, quæcumque demum sit eorumdem auctoritas, plurimum tamen valere, ut veteris disciplinæ monumenta, minimè contemnenda, in ipsis agnoscamus. Cujus rei manifestum exemplum adparet in Can. 3., in quo statuitur, nihil ad Altare adferendum esse, nisi *novum frumentum, & uvam opportuno tempore*, nihil prætereà Altari admovendum, nisi *oleum in candelabrum, & incensum tempore oblationis*; quæ denotant, olim nihil ad Altare afferri potuisse, nisi quod faciendo, aut præparando Sacrificio necessarium videretur. Adferebatur frumentum, & uva, utpote ex quibus Sacramenta Panis, & Vini conficiebantur. Adferebatur cum oleo incensum, utpote quod oblationem solemniorem facerent, statisque cæremoniis celebratiorem. Hùc pertinet vetus ille ritus, quo in Missa agenda benedictio fiebat novi frumenti, novæque uvæ, quæ deindè simùl cum Eucharistia populo distribuebantur; cujus rei argumentum habemus luculentissimum in Sacramentario Gregorii, in quo sub festum S. Sixti extat benedictio uvæ, his verbis declarata: *Benedic, Domine, & hos fructus novos uvæ, quos tu, Domine, rore cœli, & inundantia pluviarum, & temporum solemnitate, atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es; & dedisti eos ad usus nostros cum gratiarum actione percipere in nomine Domini nostri Jesu Christi: per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, vivificas, benedicis, & præstas nobis.* Atque hinc facilè eruimus, quomodo interpretari debeamus postrema hæc verba, quotiès eadem perpendamus, proùt hodiè jacent in Missali Romano; atque à nobis Sacerdotibus quotidiè in Missa post Orationem Dominicam proferuntur. Qui plura desiderat, consulat Cardinalem Bona lib. 2. rer. liturgic. cap. 14., & Concilium Trullanum in Can. 28. Aliud veteris disciplinæ vestigium animadvertimus in Can. 4., quo præcipitur, ut Episcopus res, sibi oblatas, inferioribus clericis, adinstar boni patrisfamilias, divisa tribueret. Prætereà in Can. 9. summum illud jus exhibetur, quo unusquisque Fidelium usquè ad Missæ finem permanere in Ecclesia cogebatur. In Canone 12. & 32. intuemur auream illam Ecclesiarum conjunctionem, quâ nemo à sua Ecclesia abesse, aut apùd aliam recipi poterat, nisi per formatas Episcopi sui Epistolas commendatus; quod hodiernis moribus adhuc in Clericis viget. Ex Canone 13. intelligimus, quatùm solliciti sempèr fuerint Ecclesiastici legislatores, ne quis Episcopus, non urgentibus gravissimis causis, pinguiores ampliorum

Epis-

Episcopatuum redditus spectaret. Can. 16. exhibet disciplinam Græcorum, quàm Hieronymus probavit contra quod generatim Latini sentirent, præsertim Augustinus, & Innocentius Pontifex Maximus, uti adparet ex tota dist. 16. apùd Gratianum. Can. 33. imaginem præsefert priscæ Metropolitanorum jurisdictionis, quàm illi in suffraganeos exercebant, dum suffraganeis nihil agere liceret, suo Archiepiscopo inconsulto, additis illis aureis sanè verbis : *ita enim concordia erit, & Deus glorificabitur per Dominum in sancto Spiritu.* In Can. 36. utilitati Ecclesiarum per frequentem indictam Synodorum celebrationem consultum adparet, quæ fieret bis in anno, quartâ videlicet feriâ Pentecostes, & die duodecimâ Hyperberethæi. Nomine autèm quartæ feriæ Pentecostes intelligebatur apud veteres hebdomada quarta post Pascha ; siquidem apud illos dies, inter Pascha, & Pentecosten intercedentes, Pentecoste appellabantur. Sic Basilius in lib. de Spiritu sancto cap. 27. *Unus ille, & primus dies, septies multiplicatus, septem sacræ Pentecostes hebdomadas absolvit.* Jungatur Tertullianus de Idololatria cap. 14., Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos, Ambrosius Serm. 61., Augustinus Epist. ad Januarium cap. 15., atque hoc modo etiam Zonaras Canonem interpretatur, qui fortè desumptus est ex Canone 20. Concilii Antiocheni, ubi clarius idem exprimitur. Mensis autèm Hyperberethæus idem apud Asiæ populos, & Macedones sonabat, quod apud nos mensis October, quemadmodùm Dionysius Exiguus, qui Canones latinitate donavit, interpretatus est. Observatione prætereà dignus est Canon 40., quo, non aliter Episcopis, & Ministris suppeditanda esse ex bonis Ecclesiæ alimenta, decernitur, quàm si illi indigeant, nec possint aut ex paternis, aut ex adventitiis bonis, ea, quæ ad cultum, & victum necessaria sunt, sibi parare. Ex Canone 59. itèm monemur, quod aliàs animadverti, ne antiquis monumentis sine discrimine statim credamus ; ne fortè pro veris recipiantur, aut pro integris, quæ ingenia quorumdam hominum, ad fallendum parata, aut de industria induxerunt, aut inducta depravarunt. In Can. 68. agnoscimus priscam & quadragesimalis, & quartæ, sextæve feriæ jejunii institutionem. In Can. 73. Conciliorum Provincialium auctoritatem, in quibus Provinciarum causæ coram Episcopis totius Provinciæ discutiebantur, dirimebanturque sententiâ. In Can. 83. honorem, quo Magistratus omnes, & Principes Ecclesia sempèr prosequuta est, Quid verò Canones singulos recenseam? Illud generatim non opinione solùm, sed etiam ad veritatem planè omnibus persuaderi potest, in Canonibus, qui vulgò Apostolici appellantur, licèt verè Apostolici non sint, inesse grave & auctoritatis pondus, & maximam utilitatis ubertatem ; quum enim, ut paucis omnia complectar, à quinto Ecclesiæ sæculo in medium prodierint, eoque jam tempore à Græca Ecclesia recepti fuerint, imò etiam ad Latinos honorifice traducti, nimis auderet, quicumque illos pro nihilo, aut pro rebus parvi omnino momenti existimaret : quòd si de illis Canonibus agatur, quibus sententia Conciliorum veterum iisdem ferè verbis expressa exhibetur, nemo sanus hujusmodi Canones contemnere poterit, nisi & eorumdem simul Conciliorum veterum sententias aspernari necessariò videatur.

Jam verò, ut ad Gratiani fragmenta accedam aliquandò, quæ ex hujusmodi Apostolicis, ut vocant, Canonibus deprompta sunt, exponendus in primis est Canon 14. dist. 28. Is non eisdem omnino verbis refertur, quæ in versione Dionysii Exigui leguntur. Porrò Dionysii Exigui versio in can. 6. hæc habet : *Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat : si vero rejecerit, excommunicetur ; sed si perseveraverit, dejiciatur.* Alii ex Græcis recentioribus exemplaribus ità verterunt : *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus uxorem suam ne ejiciat religionis prætextu: sin* Can. 14. dist. 28.

sin autèm ejecerit, segregetur; & si perseverat, deponatur. Ex quibus sanè liquet, Gratianum longè à germana Canonis sententia recessisse, dum potiùs ità scribere voluit: *Si quis docuerit Sacerdotem sub obtentu religionis propriam uxorem contemnere, anathema sit.* Sic emendato Gratiani Codice, omittendum non est, quamplures ex recentioribus hæreticos occasionem contentionis adversùs Ecclesiam Romanam ex memorato Canone arripuisse; quasi Cœlibatus Ecclesiastici leges, à Romana Ecclesia posteriore ætate firmatæ, ejusdem Canonis sanctioni adversentur: atque eò vehementiùs hæreticorum animi concitati sunt, quò aliquot ex Catholicis, qui Theologi audiunt, ità Canonem explicarunt, quasi damnaretur, non qui prætextu religionis ab uxoris concubitu temperaret, sed qui uxorem, jam legitimè ductam, à domo, ac familia pelleret, eidemque prætereà necessaria vitæ commoda subduceret. Quamobrèm non defuere ex illis, qui, rem universam ad Græcorum Codicum fidem redigentes, conati sunt demonstrare, statutum esse in Canone, ne Episcopi, aliique inferiores administri religionis prætextu debitum uxori denegarent. Quo verò tandèm pertinet hujusmodi conatus? Sanè plura in contrarium adferri possent; sed quid juvat? Illud pro certo Catholicis omnibus est, Sacerdotalem cœlibatum ad disciplinam, & mores, ab Ecclesia probatos, pertinere: non verò ex divino Jure constitutum omninò esse; ita ut aliud pro temporum, aut locorum varietate induci, aut dispensari per Ecclesiam possit. Quemadmodùm itaque jam antiquissimâ ætate constitutum alicubi scimus, ne Presbyteri conjugiis copularentur, ut patet ex Canone 1. Concilii Neocæsariensis; eccur non potuit alicubi, aut aliquandò definiri, Episcopos, atque alios Administros inferiores, à conjugio, anteà contracto, non debere recedere? Alia difficultas oritur ex relato Canone, ibi: *Si vero rejecerit, excommunicetur: sed si perseveraverit, dejiciatur.* Quænam erant istiusmodi pœnæ, excommunicari primùm, deindè dejici? quomodò distinctæ? aut cur gravior excommunicatione dejectio, ut excommunicatio contra delinquentem inferatur, dejectio verò adversus contumacem? Dixerim itaquè, in Clericis etiam majoribus nihil aliud excommunicationem fuisse, quàm pœnam, quâ quis ab Ecclesiasticis muneribus exercendis removebatur ad tempus; atque ut plurimùm infligi solebat, quum Clerici sine formatis literis à Diœcesi, cui adscribebantur, abscedebant, uti patet ex Concilio Milevitano Can 20., Concilio Hispalensi 2. Can. 3., & Concilio Nicæno Can. 16. At dejectio gravior erat pœna, quâ Clerici in Laicorum ordinem detrudebantur, nunquàm ad pristinum gradum reversuri: de hac agitur in Concilio Ancyrano Can. 18., Antiocheno Can. 3., & Chalcedonensi Can. 2.

Ad meliorem etiàm Codicum fidem exigendus est Canon 1. dist. 33.; siquidèm in Codice Dionysii Exigui, qui antiquissimam ex Latinis exhibet interpretationem, ità legitur Canone 17. *Si quis pòst baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsùs ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.* Alii ità ex Græco verterunt: *Qui pòst sanctum Baptismum duobus conjugiis fuerit implicitus, vel habuerit concubinam, non potest esse Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex numero Sacerdotali.* Ex hoc Canone, arbitror, eam disputationem originem habuisse, de qua, adductis adversantium Patrum testimoniis, plura retulit Gratianus in dist. 26., quæ testimonia suis locis fusiùs expendam. Can. 1. dist. 33.

Canon 15. dist. 34. consonat omninò cum Canone 18. Dionysii Exigui; sed aliis ita è Græco in Latinum vertere placuit. *Qui viduam accepit, vel ejectam, vel meretricem, vel servam, vel mimam, seu scænicam, non potest esse Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotum.* Quibuscumque verò verbis des- Can. 15. dist. 34.

describatur Canon, eadem sempèr sententia proferetur, quâ morum integritas non solùm incorrupta servanda sit ab iis, qui divinis ministeriis addicti sunt, verùm etiam ab uxoribus eorumdem, quasi virtus in illis familiaris esse debeat, & propè domestica.

Can. 1. dist. 35. In Canone 1. dist. 35. duo junguntur capita ex versione Dionysii Exigui; sic habet ipse in cap. 42. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur.* Dein in cap. 43. *Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor, similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. Similiter etiam Laici.* Alii verba illa, *aleæ, atque ebrietati deserviens*, ità interpretati sunt, *aleis, atque ebrietatibus vacans.* Cæterùm, sive quis *vacare*, sive *deservire* aleis aut ebrietati dicatur, illud sempèr intelligitur, operam præcipuam dari, ac frequentem, quod maxime in verbo *deservire* significat particula *de*, quæ augere solet significatum, arg. l. 1. ff. *depositi.* Sunt præterea, qui loco illorum verborum, *aut certè damnetur*, potiùs legunt ex Græcorum exemplaribus, *vel deponatur*; quæ interpretatio etiam Commentariis Zonaræ est valdè conformis.

Can. 7. dist. 45. Canon 7. dist. 45. apprimè congruit cum interpretatione Dionysii Exigui. Aliorum interpretatio hæc est: *Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, qui ut fideles delinquentes, vel infideles injuriam inferentes percutit, & terrorem ipsis per hujusmodi vult incutere, deponi præcipimus. Nusquàm enim dominus hoc nos docuit. Imò verò contra, cum ipse percuteretur, non repercutiebat, cum lacesseretur convitiis, non reddebat convitium, cum pateretur, non comminabatur.* Aliis ità scribere placuit: *Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, qui verberat eos, qui peccant, vel infideles, qui injuriam fecerunt, & per hæc vult perterrefacere, deponi jubemus: Dominus enim nos nequaquàm hoc docuit. Contrà autèm ipse verberatus non repercussit, maledictis appetitus maledicta non retulit, patiens non minatus est.* Quæcumque autèm sit verborum interpretatione varietas, eadem sempèr Canonis sententia exhibetur.

In Can. 1. dist. 47. ea ferè verba à Gratiano descripta sunt, quæ ex interpretatione Dionysii Exigui deprompta videntur; dummodò tamèn vice illorum verborum, *aut certè deponatur*, hæc supponamus: *aut certè damnetur.* Alii ità integrum Canonem legunt: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus pecunias mutuo datas cum fœnore exigens vel cesset, vel deponatur.* Similis fermè sanctio legitur in Can. 17. Concilii Nicæni, à Gratiano relato in Can. 2. ejusdem distinctionis 47. Can. 1. dist. 47.

Canon 4. dist. 55. continet duos ex Apostolicis Canonibus, quales sejunctos habet num. 22., & 23. Dionysius Exiguus eisdem omninò verbis. Alii ità è Græco verterunt num. 22. *Qui se ipsum mutilavit, ne sit Clericus, est sui homicida, & Dei opificii hostis*, & num. 23. *Si quis, cum sit Clericus, se ipsum mutilaverit, deponatur, est enim sui homicida.* Facilè hisce in locis unusquisque agnoscere poterit Constitutionem Concilii Nicæni I. in Can. 1. relato apùd Gratianum in Can. 7. eadem dist. 55.; quo etiam pertinere videtur Canon 8. dist. 55., cujus verba cum Dionysio Exiguo consonant, dummodo pro illis posterioribus verbis, *fiat Episcopus*, legatur, *efficiatur Episcopus*; neque ab integra lectione, qualis apud Gratianum habetur, discrepa ut alii Græcæ linguæ Interpretes. Illud hac in re observatione dignum arbitror, huic sanctioni apud veteres occasionem dedisse quorumdam imperitiam, qui varia sacræ Scripturæ loca perperàm interpretati, præsertim Matthæi cap. 19. vers. 12. in corpus suum sævire minimè dubitarunt, quos sequutus est Origines, quemadmodùm Eusebius, Nicephorus, atque Epiphanius tradiderunt. Can. 4. dist. 55. Can. 8. dist. 55.

Emendatione opus est in Canone 12. dist. 81., qui ex Canone 25. Apostolorum desumptus dicitur quippè apùd Gratianum nulla de Episcopo mentio fit, de quo facienda esset: de crimine autèm homicidii ne verbum quidèm occurrit in melioris notæ exemplaribus, quod tamèn memorare voluit Gratianus. Can. 12. dist. 81.

nus. Restituatur Canon ex cap. 25. Dionysii Exigui hisce verbis: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, in fornicatione, aut perjurio, aut furto deprehensus, deponitor: non tamen à communione excluditor; dicit enim scriptura: Bis de eodem delicto vindictam non exiges. Eidem conditioni consimiliter & reliqui Clerici subduntor.* Ad hanc disciplinam respexisse videtur Basilius Magnus, qui in Epist. 1. Canonica Canone 3. ità scribit: *Diaconus, post Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem ejicietur; in Laicorum autèm locum extrusus à communione non arcebitur, quoniàm antiquus est Canon, ut qui à gradu exciderunt, hoc solo punitionis modo puniantur, primis, ut æstimo, legem illam sequutis: non vindicabis bis in idipsum; & etiàm propter aliam causam, quòd, qui sunt in ordine Laico à loco fidelium ejecti, rursùs in eum, ex quo ceciderunt, locum recipiuntur; Diaconus verò semèl habet, quod sufficiat depositionis judicium. Tanquàm ergò ei non reddendo Diaconatu in eâ solâ punitione steterunt. Hæc quidèm sunt, quæ ex Constitutionibus habentur.* Posteriora hæc verba ità Zonaras interpretatus: *Sed hæc, inquit, in Constitutionibus reperiuntur, hoc est, longi temporis consuetudine definita sunt.* Nondùm tamèn integra lectio huic Canoni, qui Apostolicus dicitur, reddita est, nisi observem prætereà, in posterioribus editionibus alitèr fuisse descriptum: quippè Egbertus Eboracensis ità Canonem exposuit in cap. 33. exceptionum. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto, aut homicidio est, deponatur.* Undè profectum est additamentum de homicidio? Non levis proponi potest conjectura. Circa annum 570. Chilpericus Rex ad Episcopos Galliæ transmiserat quemdam Canonum Codicem, de quo ità refert Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 18. *Ipse verò ad metatum discessit, transmittens librum Canonum, in quo erat quaternio unus adnexus, habens Canones quasi Apostolicos continentes hæc: Episcopus, in homicidio, adulterio, & perjurio deprehensus, à Sacerdotio divellatur.* Hic sanè Canon idem ipse est cum dicto Canone 25. ex Apostolicis, quanquàm de furto hic nulla mentio fiat, quæ fit in Apostolico; viceversà hic mentio fiat de homicidio, quæ in Apostolico capite desideratur; cujus suppositionis ratio ex eo proficisci poterat, quòd tempore Chilperici Prætextatus quidam Rothomagensis Episcopus homicidii reus etiàm ex ipsius confessione habebatur, qui tamèn adhùc veniam criminis sperabat contrà plurium Episcoporum, imò & Regis ipsius voluntatem, qui, eum perpetuò dejectum ab Episcopatu pœnam sceleris luere debere, pronunciabant; atque, ut voti compotes fierent, Apostolicum Canonem rei suæ accommodarunt, ac loco furti, de quo in Apostolico Canone sermo erat institutus, homicidii crimen substituerunt, ut Prætextatum non tàm ex sententia, quàm ex ipsis verbis Canonis apertè damnatum assererent. Incidit ergò Egbertus in Canonem Apostolicum non tàm apùd Dionysium Exiguum, quàm apùd Gregorium Turonensem, aut alios Codices Gallicanos; & cum apùd Dioynsium de furto, apùd Gallicanos de homicidio conceptum fuisse Canonem agnosceret, neutrum omisit, utrumque scripsit, ne fortè unius lectionem præ alia probare voluisse videretur, arbitratus ità se integri Collectoris officio satisfecisse.

Canonem 13. dist. 81. ità retulit Gratianus, quasi superiori jungendus sit, & ex eorumdem Apostolicorum Canonum Collectione depromptus. Nihil tale tamèn in Canonibus Apostolorum legitur. Immò Gratianus alibi, nimirùm in Can. 9. dist. 28. refert ex Concilio Neocæsareensi, licèt mutatis quibusdam verbis. Quomodò legendus sit Canon, suo loco exhibebo, ubi agam de Concilio Neocæsareensi. Hoc loco observare sufficiat, fortè Gratianum, quia in Canone 12. de solis Presbyteris, Diaconisve delinquentibus, non de Episcopis, sermonem fecerat, supplere voluisse in Canone 13., quod omiserat in præcedenti; & reverà in Can. 9. dist. 28., ubi idem Canon describitur, Episcoporum non meminit Gratianus, nec enim Can. 13. dist. 81.

me-

meminisse poterat, si integrum Neocæsareensem Canonem exhibere debebat; at in hoc Can. 13. dist. 81. non tam voluit Neocæsareensem Canonem delineare, sed etiàm Neocæsareensis Canonis sententiam cum Apostolici Canonis præcedentis sententia jungere, ut Canonem ità commento suo affingeret, qui non tam Neocæsareensis Concilii, sed etiàm Apostolicâ auctoritate firmaretur, ac proindè ne Concilii quidèm Neocæsareensis nomen in eo referendo inscripsit.

Can. 3. dist. 88. Canon 3. dist. 88. consonat omninò cum Canone 7. Dionysii Exigui; aliis verò placuit ex Græcis Codicibus ità interpretari: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus sæculares curas non suscipiat: alioqui deponatur.* Antiquissima sanè est hujusmodi Constitutio, quam auctor Canonum hujusmodi Apostolicorum renovare voluit in Canone 81., quam prætereà Concilii Chalcedonensis Patres in Can. 3. firmatam in universa Ecclesia voluerunt. Fortè dictorum Canonum Apostolicorum auctor notam habuit sanctionem Africanæ Ecclesiæ, eamque Apostolorum nomine in suum Codicem retulit; quippè Sanctus Cyprianus Epist. 9. lib. 1. ità scribit: *Cum jam pridèm in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de Clericis, & Dei Ministris tutorem, & Curatorem testamento suo constituat, quandò singuli, divino Sacerdotio honorati, & in Clerico ministerio constituti, non nisi Altari, & Sacrificiis deservire, & precibus & orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: nemo militans Deo obligat se molestiis sæcularibus, ut possit placere ei, cui se probavit. Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis molestiis, & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui, divinis rebus, & spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos, & sæculares actus vacare non possunt?*

Can. 21. caus. 12. q. 1. In describendo Can. 21. caus. 12. quæst. 1. Gratianus sequutus non est Dionysianum Codicem, juxtà quem Canon 40. respondet Canonibus 38., & 39. aut Canonibus 39. & 40. aliarum versionum. Dionysius Exiguus ità scripsit Can. 40. *Presbyteri, & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent; nàm Domini populus ipsi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem. Sint autèm manifestæ res propriæ Episcopi, (si tamèn habet proprias) & manifestæ Dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere. Nec sub occasione Ecclesiasticarum rerum, quæ Episcopi esse probantur, intercidant: fortassis enim aut uxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut servos. Et justum est hoc apùd Deum, & homines, ut nec Ecclesia detrimentum patiatur ignoratione rerum Pontificis, nec Episcopus, vel ejus propinqui sub obtentu Ecclesiæ proscribantur, & in causas incidant, qui ad eum pertinent, morsque ejus injuriis, & malæ famæ subjaceat.* Alii ità ediderunt in can. 38. *Presbyteri, & Diaconi absque voluntate Episcopi nihil peragunto; ipsius enim fidei populus Domini commissus est, & pro animabus ab ipso repetetur ratio.* Dein in can. 39. *Manifestæ sunto privatæ res Episcopi, si modò & privatas habet; manifestæ itèm sunto Dominicæ, ut privatas quidèm res Episcopus, cum moritur, quibus vult, & quomodò vult, relinquendi facultatem habeat: neque in occasione Ecclesiasticarum rerum intercidant res Episcopi, qui nonnunquàm uxores, & liberos, aut cognatos, aut servos habet. Justum enim est apùd Deum pariter, & homines, simùl ne Ecclesia per ignorationem rerum Episcopi damni aliquid sustineat, simùl ne Episcopus, aut cognati ejus prætextu Ecclesiæ oblædantur, aut etiam qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia, ejusque mors implicetur diffamationibus.* Verterunt alii in can. 39. *Presbyteri, & Diaconi sine sententia Episcopi nihil perficiant; ipse enim est, cujus fidei populus Domini est creditus, & à quo pro animabus eorum ratio exigetur.* Deindè in can. 40. *Manifestæ sint Episcopi res propriæ (si quidèm res habet proprias) & manifestæ res Dominicæ, ut sit in potestate morientis Episcopi propria, quibus vult, & ut vult, relinquere, & non rerum Ecclesiasticarum occasione res Episcopi intercidant, qui nonnumquàm uxorem habet, & liberos, vel cognatos, vel famulos. Est enim justum apùd Deum, & homines, ut nec Ecclesia damnum*

aliquod accipiat propter rerum Episcopi ignorationem; nec Episcopus, vel ejus cognati Ecclesiæ occasione proscribantur, vel in negotia, litesque incidant, qui ad eum attinent, & ejus mortem maledictis prosequantur. Porrò, quæcumque ex his versionibus recipiatur, ut ad aliquam referri debeat Gratiani fragmentum, illud certum est, ibidèm vetustissimam contineri disciplinam, cum videamus idipsum fuisse constitutum in Concilio Antiocheno can. 24.

Can. 22. & 24. caus. 12. q. 1.

Cum eodem Concilio Antiocheno can. 25. consonant canon 22. & 24. caus. 12. quæst. 1., quos tamèn, nescio, quâ ratione sejunxerit Gratianus, cum ex eodem canone 41. ex Apostolicis deprompti fuerint. Hunc ità Dionysius Exiguus exhibet: *Præcipimus, ut in potestate sua* (hic apùd Gratianum est canon 24.) *Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum prætiosæ illi sunt creditæ* (vertunt alii: *sunt ei credendæ*) *multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ità ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros, & Diaconos, & cum timore, omnique sollicitudine ministrentur. Ex his autèm quæ indiget,* (hic apùd Gratianum est Canon 22.) *si tamèn indiget, ad suas necessitates, & ad peregrinorum fratrum usus ipse percipiat, ut nihil eis possit omninò deesse. Lex enim Dei præcipit, ut qui altari deserviunt, de altari pascantur, quia nec miles stipendiis propriis arma substulit*: aliis placuit ità vertere: *per Presbyteros, & Diaconos subministrare cum Dei timore, & omni religione: si sit opus, in necessarium suum usum accipere, & fratrum, qui hospitio excipiuntur, ità ut ipse nullo modo egeat. Lex enim Dei statuit, ut, qui altari assident, ex altari alantur; quandoquidèm nec miles unquàm suo viatico adversus hostes progreditur.* Ex hoc Canone demonstrari videtur, non alitèr Ministros Ecclesiasticos tunc bonorum Ecclesiasticorum usum habuisse, nisi aliàs necessariis vitæ subsidiis destituerentur, sive ex vi adversæ fortunæ, sive ex voluntaria familiarium bonorum abdicatione, quemadmodùm indicant ea verba: *si tamen indiget*, aut illa: *si sit opus.* Quamobrèm Augustinus Episcopus in can. 3. caus. 23. quæst. 7., seu in epistola ad Bonifacium ità scribebat: *Si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum: si autèm privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Necnon Justinianus in nov. 3. cap. 3. *Expensæ*, ajebat, *quæ fiunt ex Ecclesiasticis redditibus, circa pios erogentur actus, & Deo placentes, & illis hæc ministrentur, qui pro veritate egent, & non habent aliundè alimentorum occasionem.* Clariùs Julianus Pomerius, quinti Ecclesiæ sæculi probatissimus auctor, lib. 2. de vita contemplativa cap. 10. ibi: *Nec illi, qui sua possidentes dari aliquid volunt, sine grandi peccato suo, undè pauper victum non erat, accipiunt. De Clericis quidèm dicit Spiritus S., peccata populi mei comedunt: sed, sicut nihil habentes proprium non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt, ità possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt: ipsi quoque pauperes, si se possunt suis artificiis aut laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis, aut infirmus accipere; ne forte Ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata, illis, quibus debet, subvenire non valeat. Qui autèm Ecclesiæ serviunt, & labori suo veluti debita reddi oportere credentes ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libentèr, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant, quòd Ecclesiæ fideliter servientes stipendia terrena, ac non potiùs præmia æterna, accipiant. Sæcularis quippè militia, quia cœlestia non habet, terrena strenuè militantibus præstat: undè satis indignum est, si fidelis, & operosa devotio Clericorum propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quòd si quilibet Minister Ecclesiæ non habet undè vivat, non ei præmium reddit hìc, sed necessaria præstat Ecclesia, ut in futurum præmium laboris sui recipiat.... Quæro, quid eorum sit, quæ dixi, difficile? ut homo id, quo opus non habet, ab Ecclesia non accipiat, aut ut, quod habet, sine causa contemnat? Si propter hoc non vult sua relinquere, ut habeat undè vivat, ut quid accipit, undè rationem red-*

reddat? ut quid de peccatis alienis sua multiplicat? Id posteriore etiàm ætate agnovit Dionysius Chartusianus, qui in tractatu de vita Canonicorum art. 24. hac quæstione sibi proposita, ità præfatur: *Salubriùs, ac securiùs creditur, ac paretur dictis Sanctorum, per quos loquutus est Spiritus Dei, quàm Scholasticorum quorumdam, qui suo magis, quàm expedit, credunt, & nituntur ingenio, auctoritatem Sanctorum ad suam retorquentes opinionem*; ac deindè concludit: *Quamvis ergò de proposita quæstione quidam dicant Scholastici, posse id licitè fieri, consultiùs tamèn credendum, & standum est verbis Hieronymi, & Bernardi, imò & Summi Pontificis, Beatique Prosperi; ait enim Damasus Papa: qui bonis parentum sustentari possunt, si accipiant, quod pauperum est, sacrilegium incurrunt....Horum itaquè Patrum sententiis staturi securiùs, quàm aliorum aliter opinantium.* Videor fortassè fusiùs hæc fuisse persequutus. Id tamèn præstandum erat, ut exindè appareret, quo jure Gratianus ad calcem ejusdem canonis 24. non aliàs Clericos admittendos esse ad propria possidenda, *nisi fortassè retinendo sua à sumptibus Ecclesiæ abstineant.*

Can. 14. caus. 16. q. 7.

In describendo can. 14. caus. 16. quæst. 7. non modò à Dionysii Exigui interpretatione aliquantulùm recessit Gratianus, verùm etiam sibi parum constans fuit; cum enim jam in can. 7. dist. 63. eamdem sententiam retulisset sub nomine Concilii Nicæni II. his verbis: *Siquis Episcopus, sæcularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponantur, & segregentur ob Ecclesia omnes, qui illi communicant*, modò refert quasi Apostolicam doctrinam, mutatis tamèn aliquibus verbis ità: *Siquis Episcopus, sæcularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregetur, omnesque, qui illi communicant.* Video sanè undenàm exorta fuerit hujusmodi dissimilitudo, quippè Gratianus Ivonem ut plurimùm sequutus est, qui in suo Decreto parte 3. cap. 85., & parte 5. cap. 119. hunc ipsum canonem non eodem modo, sed variè designavit. Dionysius Exiguus ità exposuit num. 31. *Siquis Episcopus, sæculi potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregentur omnes, qui illi communicant.* Alii è Græcis Codicibus hæc ediderunt: *Siquis Episcopus, sæcularibus Principibus usus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur, & segregetur, & omnes, qui illi communicant.* Quæcumque autèm scriptura servetur, illud sempèr deducetur, aut nullo modo Apostolicam in hac doctrina disciplinam contineri, quatenùs Apostolorum tempori nihil hujusmodi convenire potest; aut cautum illic esse, ne Ethnicorum Magistratuum, & Principum potestate Episcopali officio consulatur, cum nemo alius primis sæculis Princeps adesset, præter eos, quos communis gentium superstitio à vera in Deum religione dimoverat. Illud hac in re notatu dignum est, hunc canonem inter Apostolicos cum alio fuisse conjunctum, qui numero 30. est apùd Dionysium Exiguum, atque his verbis expressus: *Siquis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipse, & ordinator ejus, & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus à Petro* (qui sibi suaserunt, Canones Apostolis tribuendos esse, alitèr scripsere ibi: *Sicut Simon Magus à me Petro.*) Quamobrèm facilè constat, duorum Canonum istorum Auctores illud à Sacris Administris, præsertim ab Episcopis, cavendum voluisse, ne in Ecclesiasticis Ordinationibus aut pecuniæ, aut favori tribueretur, sed omnia, prout Ecclesiarum utilitas postularet, perageretur; atque hæc interpretatio Græcorum ipsorum est, apùd quos Canones eosdem Apostolicos primùm editos fuisse, nemo ignorare potest. Reverà Balsamon, & Zonaras utrumque canonem ità connexuit, ut eadem fermè utrique sententia affingatur. Verùm hac in re, si conjecturæ locus esse potest, ubi de germano Apostolicorum canonum Auctore non constat, arbitror expositum canonem eumdem esse cum canone Concilii Antiocheni 16. & cum canone Concilii Laodicæni 13. In Concilio Antiocheno ità legitur: *Si quis Epis-*

copus vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, Sedemque pervadat absque integro, perfectoque Concilio, hic abjiciatur necesse est, etsi cunctus populus, quem diripuit, eum haberę delegerit. Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes. Verba Concilii Laodicæni hæc sunt ex Dionysio Exiguo: *Quod non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium provehendi.* Ex quibus adparet, apùd Græcam Ecclesiam olim opus fuisse canonibus, quibus turbarum conatus, ut plurimùm seditiosi, compescerentur, in designandis Episcopis; quos canones alii deindè aliis verbis aut describere, aut amplificare non dubitarunt: sic ejusdem Laodicæni canonis sententiam pluribus ornavit Martinus Braccarensis in suæ Collectionis parte 1. can. 1. Propterea admodùm verosimile esse potest, memoratum Gratiani canonem 14. ab auctore Canonum Apostolicorum ità expositum fuisse, ut tamèn nihil aliud in illo nobis agnoscendum sit, quàm aut Antiocheni Concilii, aut Laodicæni doctrina.

Can. 62. de cons. dist. 1.

Canon 62. de cons. dist. 1. inter Apostolicos decimus est, quem tamèn aliter alii è Græco interpretati sunt. Nonnulli ità scripserunt: *Omnes Fideles, qui ingrediuntur, & scripturas audiunt, in precatione autèm, & sacrâ communione non permanent, ut Ecclesiæ confusionem adferentes, segregari oportet.* Dionysius Exiguus his verbis usus est: *Omnes Fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, & scripturas audientes, non autèm perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit communione privari.* Aliâ versione ità exhibetur: *Quicumque Fideles Ecclesiam ingrediuntur, & scripturas audiunt, neque apùd preces, & sanctam communionem permanent, eos tanquàm qui ordinis in Ecclesia perturbationem inducant, à communione arceri oportet.* Ex quibus non ità facilè demonstrari ex hoc Canone potest, ut quidam arbitrantur, Fideles veteres Sacram Eucharistiam in solemnibus Sacrificiis suscepisse; tantùm enim Græci Canonis Interpretes in eo conveniunt, ut Fideles in oratione usquè ad finem Sacrificii perseverarent, non ut etiàm de Sacrificio sumerent: ac propterea exindè liquet, injuriâ hunc Canonem adversùs Ecclesiasticum missarum privatarum usum prolatum fuisse à Daniele Charmiero tom. 4. lib. 7. cap. 18 parte 2.; etsi enim satis infirmum argumentum petatur ex eo, quòd veteres ex Ecclesiæ institutione de mensa Domini participarent, ad inferendum ipsiusmet Christi præceptum jam pridem extitisse; quoniàm nihil prohibet, ex mera Ecclesiæ disciplina pendere, quod etiam ab ipsis Ecclesiæ ejusdem exordiis institutum est, quodque si plerumque ex Fidelium incuria non servatur, ab Ecclesia ipsa (quod præcipuè spectandum est) vehementissimè & hodiè exoptatur, uti declararunt Concilii Tridentini Patres in sess. 22. cap. 6.; tamèn eo vel infirmius argumentum est, quo variæ, atque inconstanti Græci textus interpretationi innititur. Ceterùm minimè inficias iverim, similia quædam legi in Canone 2. Concilii Antiocheni, ex quo fortè memorati Apostolici Canonis repetendam originem arbitror. *Omnes* (ità Antiochenum Canonem exhibet Dionysius) *qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & Scripturas sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se à perceptione sacræ communionis avertunt, hi de Ecclesia removeantur, quandiù per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur.*

Can. 79. de cons. dist. 4.

Canon 79. de cons. dist. 4. postremus est apùd Dionysium Exiguum inter Apostolicos. Et quidèm cum Dyonisio Gratianus consonat, si apùd Gratianum omittamus illa verba *à quibusdam.* Alii ità legunt: *Si quis Episcopus, aut Presbyter in una initiatione non tres immersiones, sed unam dumtaxat, quæ in mortem Domini datur, peregerit, deponitor. Non enim dixit Dominus: in mortem meam baptizate; sed profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Alii his verbis: *Si quis Episcopus, vel Presbyter non tria unius mysterii baptismata per-*

perfecerit, sed unum baptisma, quod datur in mortem Domini, deponatur; non enim dixit Dominus: in mortem meam baptizate; sed: euntes docete omnes gentes, baptizantes ipsos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Consultò observabam, hæc in postremo Dionysii Exigui canone legi, ut innueretur inter eos fuisse, qui apùd Occidentalem Ecclesiam Apostolicorum nomine apùd nonnullos habiti sunt. Tùnc enim temporis etiam in Occidente trinâ immersione Sacramentum baptismatis conferebatur, quemadmodùm testes sunt Tertullianus lib. adversùs Praxeam cap. 26., & lib. de corona militis cap. 3. Ambrosius de Sacramen. lib. 2. cap. 5. & 7., Isidorus Hispalensis lib. 2. de offic. Ecclesiast. cap. 25. Sed fortassè quamdam in hac Constitutione difficultatem agnoscet, quicumque perpendet ibidèm trinam immersionem quasi divino Jure præceptam videri; cui ut obviam eatur, animadvertenda erit veterum disputatio, qualis ex ipsismet Canonis verbis eruitur: alii enim in baptismate asserebant mortem, resurrectionemque Domini significandam, propterèaque unicam immersionem in Sacramento fieri debere; quemadmodùm enim dum immergitur baptizandus, mors, & sepultura, ità dum immersus extollitur, resurrectio Christi quodam simbolo repræsentatur. Alii è contrario ajebant, ex Christi ejusdem præcepto Trinitatem Sacratissimam in baptismo recolendam esse, cujus rei gratiâ convenientius trina immersio fieret. Quis in hoc dissidio alterutram potiùs probandam disciplinam arbitraretur? Spectavit quidèm ad eos, qui Ecclesiasticâ jurisdictione fruuntur, sancire disciplinam, uni potiùs, quèm alteri opinioni consonam, ut etiam hac in re unitas Ecclesiarum adpareret. At intereà alteri opinioni non erat, quid opponeretur: & reverà, si Ecclesiarum consuetudines in hac parte observaverimus, liquebit facilè, pro locorum & temporum varietate modò unicam, modò etiàm trinam immersionem in baptismate obtinuisse. Itaquè in trina immersione duo potissimùm veniunt consideranda, in primis trina ipsa immersio, deindè trinæ ejusdem immersionis significatio. Ipsa quidèm trina immersio Juris divini non est; est autèm divini Juris trinæ immersionis aliquandò factæ significatio, qualis ab immergentibus olim affingebatur. Quippè ter in Trinitatis cultum imergebatur, & Trinitatis cultus ab ipsomet Christo Domino præceptus est, cum ille Apostolis dixerit: *Baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Juvat prætereà animadvertere, primis Ecclesiæ sæculis plurimùm adversùs hæreticos disputandum fuisse de Sacratissima Trinitate; cum enim Ariani de Filii, Macedoniani de Spiritus sancti natura malè sentirent, quid potissimùm peragendum erat ab Ecclesiasticis Patribus, æquam divinarum Personarum virtutem, substantiamque prædicantibus, quàm, ubicumquè fieri commodè posset, etiam in Ecclesiastica stabilienda disciplina, Sacratissimam ipsam Trinitatem recolere? Optima itaquè illis occasio fuit, ubi de immersione baptismatis ageretur, ter immergendi, ad promovendum Trinitatis cultum; ubi præsertim cautum à Christo proponere potuissent, in Trinitatis nomine illud Sacramentum fuisse conferendum.

CAPUT II.

De Canonibus Concilii Eliberitani.

Concilio Eliberitano sequentes Canones apùd Gratianum tribuuntur.

Dubiæ auctoritatis.

- *Can.* 5. *dist.* 47. *veteris Ecclesiæ disciplinæ conformis.*
- *Can.* 43. *dist.* 50. *cum sententia Ancyrani Concilii congruit.*
- *Can.* 24. *dist.* 54. *veteris Ecclesiæ disciplinæ haùd difformis.*
- *Can.* 4. *dist.* 98. *veteris Ecclesiæ disciplinæ conformis.*
- *Can.* 104. *caus.* 1. *q.* 1 *veteris Ecclesiæ disciplinæ haùd difformis.*
- *Can.* 3. *caus.* 5. *q.* 1. *consonat cum antiquis exemplaribus.*
- *Can.* 6. *caus.* 5. *q.* 6. *veteris Ecclesiæ disciplinæ conformis.*
- *Can.* 17. *caus.* 22. *q.* 4. *falsò tributus Concilio Eliberitano.*
- *Can.* 15. *caus.* 22. *q.* 5. *falsò tributus Concilio Eliberitano.*
- *Can.* 25. *caus.* 27. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 7. *caus.* 31. *q.* 1. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 1. *caus.* 31. *q.* 3. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 8. *caus.* 32. *q.* 7. *veteris Ecclesiæ disciplinæ valdè conformis.*
- *Can.* 21. *de cons. dist.* 2. *nullo modo congruit Eliberitani Concilii temporibus.*

QUotiès Hispanorum quamplurium fidem in hac parte sequamur, Concilii Eliberitani, sive Illiberitani, apùd ipsos, ut ajunt, celebrati, auctoritatem maximi faciemus; præsertim quòd ab eisdem velut antiquissimum prædicetur, & non Nicæno Concilio tantùm, sed & Arelatensi, Gangrensi, Neocæsareensi, & Ancyrano vetustius. Unum hic commemoro Ferdinandum de Mendoza, qui eleganti opere conatus est id demonstrare, ac propterea hanc Synodum referre non dubitavit ad annum circiter 303., seu paulò antè persecutionem Diocletiani, & Maximiani. Sanè hujus Synodi vetustatem indicant ea, quæ ibi definita leguntur, aut quæ inter definitiones occurrunt, de Flaminibus Ethnicorum, de Coronis Sacerdotum, de Litteris Martyrum & Confessorum, ac similibus, quæ omnia non nisi vetustissimis temporibus convenire videntur. Auctoritatem verò Concilii vel ex eo evincit, quòd in Canonibus ibidèm constitutis eximia, & planè Apostolica, morum doctrina eluceat; vel quòd gravissimi in eo, sanctissimique Antistites interfuerint, inter quos Osius ille Cordubensis, qui adversùs Arianos Nicænæ dein fidei fuit acerrimus propugnator; vel demùm, quòd Eliberitani Concilii canones in Synodis sequentis ætatis sæpè laudati fuerint, ac confirmati; idque adparere asserit ex Concilio Maguntino sub Rabbano anni 847. can. 21., ex Concilio apùd S. Medardum tempore Caroli Regis Francorum, ex Concilio Toletano II. anni 675. can. 13. Quod tamèn ut magis magisque confirmet, adfert canonem 14. Concilii Sardicensis, in quo ità Osius inquit: *Memini autèm, superiore Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis Laicus in ea, in qua commoratur, civitate tres Dominicas dies, id est, per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur.* Quæ ad aliud Concilium referri non posse videntur, quàm ad Eliberitanum, in quo hujusmodi Constitutio legitur in can. 21. Sic ratiocinatur Mendoza.

Alitèr sentiunt non solùm ex Hæreticis Centuriatores Magdeburgenses, verùm etiam ex Catholicis quamplures; quorum aliqui suppositium hujusmodi Concilium vocant, & sæculo demùm septimo ex cujuspiam temerè audentis industria prodiisse; aliqui verò, etsi de ejus

ejus antiquitate, & rei gestæ veritate non dubitent, tamèn ejus sententiis adhærere se posse inficiantur, imò ab illis velut à recta fide aliquandò detortis recedendum esse arbitrantur. Exemplum proferunt in canone 36., quo prohibetur, ne in Ecclesiis exprimantur imagines, seu *ne, quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*; quæ Sanctio non Ecclesiæ fidem, sed potiùs Iconoclastarum hæresim sapit. Itèm illud exemplum inveniunt in can. 34., quo prohibetur, ne cerei in cæmeteriis incendantur, eâ adjectâ ratione: *Inquietandi enim non sunt Sanctorum Spiritus*; quæ rursùs doctrina inter superstitiosas observationes recensenda esse videtur. Arguunt prætereà in Canonibus Eliberitanis nimiam austeritatem, severitatemque disciplinæ, & propemodùm accedentis, deflectentisque ad Novatianos; etenim in can. 1. præscribitur, communionem etiàm in fine vitæ iis esse denegandam, qui susceptο baptismate in Idololatriam prolapsi miserè fuerint.

Hæc postrema meo judicio leviora sunt, nec tanti momenti, ut alicujus Concilii auctoritatem aut infirmare, aut etiam conficere possint. Facilem ista ac planam interpretationem recipiunt, quin opus sit vel ad Iconoclastas, vel ad Novatianos deflectere, vel ineptas fortè sententias Eliberitanis Patribus affingere. Etenim quod spectat ad canonem 36. de prohibito Sacrarum Imaginum usu, urgentia erant rationum monumenta, quibus à disciplina, ceteroquin optimâ, abstinendum fore censerent pro temporum, aut causarum adjunctis, ne fortè aut risui, aut, quod pejus erat, furori sævientium undequaquè Gentilium expositæ essent, aut etiam ne fideles, recèns ab Idololatria conversi, facilè rursùs eo prætextu ad Idololatriam reverterentur; quâ sane ratione scimus, apùd Judæos veteres vix imagines Dei, aut Prophetarum, vel Sanctorum Patriarcharum propositas fuisse, ne ipsi in Idololatriam, in quam erant valdè proni, facilè inciderent. Quod verò negotium facessit canon. 34. de cereis non accendendis in cæmeteriis Martyrum, ne *Sanctorum Spiritus inquietentur*? Nimis anxia videbatur priscorum fidelium cura, atque in tenenda, colendaque Martyrum defunctorum memoria sollicitudo, quâ aliquandò fiebat, ut in monumentis imbecilles ipsorum animos superstitio, quæ religionem facilè imitatur, occuparet. Prætereà, cereis ad cæmeteria Martyrum adpositis, quis facilè non intelligat, Ethnicis ipsis oblatam occasionem, ut cæmeteria agnoscerent, agnitaque impio ausu violarent, atque dejicerent, & tum quodammodò eveniret, quod in canone dicitur *Sanctorum Spiritus inquietari*? Nihil postremò est, ex quo rejiciatur canon 1., ubi pœnitentia lapsis fidelibus denegatur; quippè id constitutum minimè fuit desperatione veniæ, quemadmodùm Novatianorum sectæ placuit, sed austeritate potiùs disciplinæ, quæ, si gravissimæ emergant causæ, identidem postulat, severiores fortassis etiam, quàm par esse videatur, criminibus pœnas indici, ut homines ab eisdem perpetrandis contineant, & abhorreant. Urgebat tùnc temporis vehementissima ratio pœnitentiæ lapsis denegandæ: facilè enim Christiani, ut Infidelium insequentium gladios evaderent, descivissent à fide, si, pòst lapsum apùd Ecclesiam pœnitentiam inventuros, confidissent.

Verùm enim verò, licèt, quæ hùc usquè disputando attigi, tanti non sint, ut Eliberitanorum canonum auctoritatem infirment, alia tamèn sunt mihi graviora rationum momenta, ex quibus vir prudens de eorumdem canonum fide, atque integritate hæsitabit. Illud maximum est, quod ex perpetuo veterum omnium silentio deducitur. Nemo planè ex Collectoribus antiquissimis ne unum quidèm, aut alterum Eliberitani Concilii canonem codicibus suis inseruit, imò nec ipsum Eliberitani Concilii nomen memoravit, non Dionysius Exiguus, non Ferrandus Diaconus, qui, ceteroquin in Provincia degens Hispaniæ finitima, Hispanicorum canonum noti-

titiam habere poterat, non Martinus Braccarensis, licèt gente Hispanus, quique res saltèm patriæ suæ Collectioni, quam edebat ad suorum commodum, adjicere debuisset, & quemadmodùm non omisit Concilia Braccarensia, & Toletana, ità nec omisisset Eliberitanum Concilium, velut & temporis vetustate, & Virorum insignium, qui ei interfuisse dicuntur, auctoritate ceteris longè præstantius; non demùm Crescónius Africanus, quem Hispani canones latere non potuerunt. Primùm in Collectionibus canonum apparere cœperunt Eliberitani Concilii capita sub finem septimi sæculi, & celebriora facta demùm sunt posteriore ætate, quum apùd Burchardum, Ivonem, & Gratianum relati sunt. Observatione prætereà dignum est, quo tempore Iconoclastarum hæresis Ecclesiam miserè turbavit sæculo sexto, aut septimo, neminem ex hæreticis meminisse can. 36. Eliberitani, quem tamèn potuissent in propriam sententiam quoquomodò detorquere. Ego sanè candidè fateor, me hisce rationum momentis teneri plurimùm, nec posse facilè adduci, ut Eliberitanum hoc Concilium tanquàm genuinum Ecclesiasticæ vetustatis monumentum habeam, ejusdemque canones firmum esse posse veteris disciplinæ præsidium mihi persuadeam; quamobrèm minimè dubitaverim concludere, sicut Concilium ipsum, ità etiam Gratianeos canones, ex Eliberitano Concilio depromptos, incertæ omninò auctoritatis existere.

Jam verò ut ad illos peculiaritèr deCan. 5. dist. 47. veniam, est in primis canon 5. dist. 47., qui idem est cum canone 20. Eliberitano. In vulgatis tamèn Concilii editionibus pro ea voce *abstinere* legitur *abstineri*. Quicumque canoni huic, velut incertæ fidei, voluerit aliud substituere, poterit supponere canonem 17. Nicæni Concilii, in quo eadem stabiliuntur lato decreto dejectionis in Clericos, qui fœnus exercent; aut etiàm canonem 12. Concilii Arelatensis I. anni 314., ubi hæc habentur: *De Ministris, qui fœneran-*

tur, placuit eos extrà formam divinitus data à communione abstinere.

Canon 43. dist. 50. est numero quintus inter Eliberitanos his verbis in vulgatis Conciliorum editionibus descriptus. *Si qua Domina* (ait Gratianus *si qua fœmina*) *zeli furore accensa flagris verberaverit ancillam suam, ità ut in tertium diem* (legunt alii, *intra tertium diem*; ait Gratianus *flagris verberaverit ancillam suam, ità ut infra tertium diem*) *animam cum cruciatu effundat, eo quòd incertum sit, voluntate, an casu occiderit, si voluntate, pòst septem annos, si casu, pòst quinque annorum tempora actâ legitimâ pœnitentiâ, ad communionem placuit admitti. Quòd si infra tempora* (legit Gratianus *intra tempora*) *constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.* Qui Gratianea verba cum aliis ceterarum editionum contulerit, potiùs recipiet ea, quæ in aliis editionibus exprimuntur, utpotè & rationi, & integræ canonis sententiæ magis consentanea. Qualiscumque autèm editio præferatur, monere non desinam, hunc ex iis Canonibus esse, ex quibus nonnulli, ut præfatus sum, Concilii Eliberitani austeritatem arguunt; quamquàm immeritò; etenim nomine *casus* ibidèm non intelligitur fatalis quidam, & prorsùs inopinatus eventus, sed potiùs qui culpâ Dominæ verberantis acciderit. Culpam latam Jureconsulti vulgò appellant, quo sensu in l. 16. §. 8. ff. de pœnis dicitur: *apùd Græcos exilio voluntario fortuiti casus luebantur, ut apùd præcipuum poetarum scriptum est.* Neque occasio exindè offertur, ut quamdam disciplinæ austeritatem in canone agnoscamus, nisi austeritatem disciplinæ non absimilem velimus prætereà agnoscere in canone 22. Concilii Ancyrani, cujus hæc sunt verba: *Qui voluntariè homicidium fecerint, ad pœnitentiam quidèm jugiter se submittant: circa exitum autèm vitæ communione digni habeantur. Eos verò, qui non voluntate, sed casu homicidium fecerint, prior quidèm regula pòst septem annorum pœnitentiam communioni sociavit secundum gradus definitos: hæc verò humanior definitio quinquennii tempus* Can. 43. dist. 50.

tri-

tribuit. Porrò hanc eamdem disciplinam veluti recipiendam in suum Pœnitentiale ex Concilio Eliberitano retulit Halitgarius lib. 4. cap. 5. necnon Rabbanus in Epist. ad Heribaldum cap. 3., & in suum Pœnitentiale cap. 14., neque à tertii, vel quarti Ecclesiæ sæculi disciplinâ abhorrere potest hujusmodi canon; etenim de quo alio ibi agitur, quàm de coercenda nimia Dominarum iracundia adversùs ancillas, ex levissimis causis suborta, præsertim ex ægritudine, quam zelotypiam appellant? Quod familiare malum apùd Hispanos tunc fuisse non obscurè erui potest ex *l. 2. ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris*, ubi refert Ulpianus, conquestum fuisse D. Pium apùd Proconsulem Bæticæ (in cujus Provincia hoc Eliberitanum Concilium celebratum dicitur), quòd ibidèm Domini, Dominæve adversùs servos, & ancillas atrocissimè insævirent.

Canon. 24. dist. 54. legitur in ca- Can. 24. dist. 54. no. 80., sive penultimo ex Eliberitanis, ubi tamèn pro verbo *provehantur* legendum est *promoveantur*. Illud apùd veteres Ecclesiæ Patres obtinuisse liquet, non solùm servos, verùm etiàm libertos, vivo Patrono laico, à Clericorum Ordinibus exclusos fuisse; cum enim Patronis suis liberti operas quasdam, sive diurna quædam officia præstare tenerentur, facilè Sacris Ordinibus initiati earumdem operarum causâ ab Ecclesiasticis muneribus distrahi potuissent, præsertim verò si fortè quispiam (quod tum frequentissimè accidere poterat) Patrono Ethnico subjaceret.

Canon 4. dist. 98. legitur in can. 24. Can. 4. dist. 98. Eliberitano, ubi tamèn in prioribus verbis paulispèr variare Codices deprehenduntur. Aliqui enim ità habent: *Omnes, qui peregrè fuerint baptizati*, quod & apùd Gratianum legimus, apùd alios hoc modo: *Omnes, qui in peregrinatione fuerint baptizati.* Ceterùm, qualiscumque scriptura seligatur, eadem erit sententia, quâ præcipitur neminem ad Clerum esse admittendum, nisi probata primùm ejus Christiana vita fuerit, & agnita integritas, præsertim verò nisi probatæ essent causæ, ex quibus ad baptismum accessit; non solùm enim decebat Clericos esse à criminibus, verùm etiam à quacumque criminis suspicione, omninò puros, ut scribebat Cyprianus in Epist. 55. ad Clerum, & Plebem de Aurelio Lectore. Hùc pertinet sententia Gregorii Magni in lib. 2. Regesti Epist. 25. ibi: *Afros passim, vel incognitos peregrinos ad Ecclesiasticos ordines tendentes nulla ratione suscipias, quia Afri quidèm aliqui Manichei, aliqui rebaptizati, peregrini verò plurimi etiam in minoribus ordinibus constituti fortiores de se prætendisse honores sæpè probati sunt.*

Canon 104. caus. 1. q. 1. habetur in Can. 104. caus. 1. q. 1. can. 48. Concilii Eliberitani, ubi tamèn vulgares editiones longè alitèr exprimunt. Omitto, in illis legi *non immittant* pro illis verbis *non mittant*, quæ apùd Gratianum habentur. Notatu illud dignum est, in postremis verbis aliud legi, quàm apùd Gratianum; etenim Gratianus ait: *neque pedes eorum lavandi à Sacerdotibus, vel Clericis*, at in pluribus editionibus Concilii ità scriptum est: *neque pedes eorum lavandi sunt à Sacerdotibus, sed Clericis*, quam lectionem quamplura etiam probant vetera manuscripta, quemadmodùm eruditi Conciliorum Collectores jam diù animadverterunt; quibus si adhærere debeamus, uti par est, contraria omninò sententia Gratianeo capiti erit affingenda. Duo in hoc canone continentur: Primum cavetur, ut Ecclesiastici administri in Sacramento baptismatis conferendo non solùm simoniæ vitium, verùm etiàm vitii suspicionem vitarent; etenim receptum apùd veteres fuerat, fideles ad Ecclesiam conversos munuscula adferre, & in *concha*, seu arca quadam ponere, vel in Clericorum, vel in pauperum necessitates, vel fortè etiam in rerum sacrarum restaurationem. Quod verò optimo jure primo constitutum fuerat, in sordidum morem Clericorum quorumdam avaritiâ ità detorsit, ut sancti Patres id omninò inhibuerint. Inhibuit Gelasius Papa in Epist. ad universos Episcopos per Lucaniam cap. 7.;

atque ut de Hispania loquar, inhibuit idipsum Concilium Braccarense II. cano. 7.; ut proinde concludere possimus, memoratum Eliberitanum canonem plurimum cum Hispaniæ veteris disciplina in hac priore parte congruere. Posterior canonis pars spectat ad pedum ablutionem, quam facere prohibentur & Sacerdotes, & Clerici, si Gratianeæ lectioni fidamus; soli verò Sacerdotes, si aliorum Codicum fidem sequamur. Porrò plurium Ecclesiarum vetustissimus ritus fuit, quemadmodùm de Ecclesia Mediolanensi peculiaritèr testatur Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 1., & in lib. de his, qui Mysteriis initiantur cap. 48., quo baptizandi, antequam ad sacrum Fontem accederent, pedes lavarent, non solùm, ut Christi Domini exemplum imitarentur, qui in ultima cœna mirum in hac re humilitatis argumentum discipulis præbuit, verùm etiam ut sordes, quas in externo corporis habitu Cathecumeni in Ecclesia Quadragesimali tempore pœnitentes contraxerant, eluerentur. Id describit adamussim Augustinus in Epistol. 118. ad Januarium propè finem, ibi: *Si autèm quæris, cur etiam lavandi mos ortus sit, nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia ad baptizandorum corpora per observationem Quadragesimæ sordidata cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliquâ die lavarentur. Istum autèm diem potiùs ad hoc electum, quo Cœna Dominica anniversariè celebratur* &c. Atque ad instar veteris hujusce consuetudinis posteriore ætate invaluisse arbitror in Provinciis Hispaniarum, & Galliarum, ut die Dominica Palmarum baptizandorum capita publicè abluerentur; quare is dies *Capitilavium* appellabatur. De Galliis id testatur Alcuinus in lib. de Ecclesiasticis officiis, de Hispaniis verò Isidorus Hispalensis lib. 6. Ethimologiarum capit. 17., & lib. 1. de officiis Ecclesiasticis cap. 26. ità scribens de Dominica Palmarum: *Vulgus autem ideò diem hunc Capitilavium vocat, quia tùnc moris est lavandi capita infantium, qui ungendi sunt, ne observatione Quadragesimæ sordidati ad unctionem accederent.* Atque his prænotatis, commoda planè sequitur Eliberitani canonis interpretatio, quæ Hispanorum disciplinæ omni modo congruat. Quippe ob dignitatem, atque præstantiam Sacerdotalis Ordinis cautum rectè observamus, ne Sacerdotes eo munere fungerentur, quo pedes baptizandorum abluerent, sed vix id inferioribus Clericis concedebatur. Neque verò quispiam hanc interpretationem minùs congruam existimet, quòd in Eliberitano canone mentio fiat lavandi pedes, at in memoratis Patrum monumentis de lavando capite sermo institutus sit; hæc enim discrimina ex temporum diversitate profecta facilè dignoscuntur: Primis enim Ecclesiæ sæculis baptisma per immersionem conferebatur, ut proindè pedibus in Fonte positis sacris etiàm in capite aquis quisque perfunderetur, uti demonstrant figuræ duæ, quas olim habebat eruditus Ciampinus, & deindè dono dedit Joanni Mabillonio, & Socio itineris Italici, nùnc verò impressæ sunt in itinere eodem Italico Tom. 1. ad pag. mihi 73.

Canon 3. caus. 5. quæst. 1. legitur in canone 52. Eliberitano: & quidèm Gratiani scriptura integra mihi videtur, necnon veteribus manuscriptis consonat, contra quam legatur apùd Ivonem, & Burchardum, ibi: *Si qui inventi fuerint libellos famosos, & ignotos in Ecclesia legere, vel cantare, excommunicentur.* Can. 3. caus. 5. q. 1.

Canon 6. caus. 5. quæst. 6. habetur in can. 73. Eliberitano, cujus tamèn verba ità legenda sunt, ut Gratianum ex melioribus Codicibus emendemus: *Delator si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus; placuit, eum nec in fine accipere communionem* (Gratianus habet: *Placuit, non nisi in fine accipere communionem*) *Si levior causa fuerit, intra quinquennium* (legit Gratianus *infra quinquennium*) *accipere poterit communionem. Si Cathecumenus fuerit, pòst quinquennii tempora admittatur.* Hanc porrò scriptionem Gratianeæ anteferendam Can. 6. caus. 5. q. 6.

pu-

putavit laudatus de Mendoza in suis emendationibus istorum canonum, ex qua inferretur delatoribus etiàm in fine vitæ communionem denegari, quæ sanè pœna frequenter in Canonibus Eliberitanis indicitur, quotiès agitur de constituendis graviorum criminum pœnis. In hujus autèm canonis interpretatione non satis meo judicio perspecta est germana auctoris sui sententia. Vulgò enim putant, canonem pertinere ad quodcumque delatorum genus, quorum sollicitudine reorum nomina ad Magistratus deferri solebant. At quis facilè non percipit, publicæ rei maximè sempèr interfuissè delatores existere in publicis criminibus, quorum operâ nequissimis, ac perditissimis civitas unaquæque purgetur? Quamobrèm delatoribus eisdem ampla officii præmia publicè proposita quandoquè fuerunt, quemadmodùm ex lege Papia, referunt antiquissimarum rerum eruditi, dimidium illatæ in reos mulctæ fuisse concessum, licèt dein ad quartam mulctæ partem contractum sit; undè quadruplatores dicti sunt, qui quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerant, consequerentur. Imò Tiberius Cæsar tantum delatoribus tribuit, ut nemini fidem abrogaret, sive quid veri, sive falsi referrent. Cumque à Senatu de præmiis delatorum abrogandis ageretur, respondit Imperator, Jura subverti, si legum custodes amoverentur. Demùm, ut cetera omittam, de Constantino Magno traditur, eum omni tempore delatores admisisse, eosque ingenti studio prosecutum fuisse. Quî itaquè fieri poterit, ut apùd viros Ecclesiasticos tamquàm probrum haberetur fungi delatoris officio, imò adeò asperè puniretur, ut delatores nec in fine vitæ communionem acciperent? Arbitror itaquè, explicandum canonem esse de delatoribus, qui fortè, ut præmium acciperent, fideles baptizatos ethnicis Magistratibus proderent supplicii causâ; nec enim perfidi Christiani derant aliquandò, qui fratres suos, sive ejusdem fidei, Religionisque consortes, ad exilium, aut etiàm ad necem insequerentur. Decebat proindè, huic malo gravissimo asperrimum adhiberi remedium, ut pœna infligeretur excommunicationis perpetuæ, ne in extremo quidèm vitæ discrimine condonanda. Dura fortè cuipiam videbitur disciplina, quâ ii, qui Judam prodentem sequuti sunt, cum Juda prorsùs de venia criminis desperante coercerentur; sed quis, ut tanto fidelium incommodo prospiceret, ab extremis etiàm remediis facilè temperasset? Pertinet ad hanc eamdem rem Concilium Ancyranum can. 9., & Concilium Arelatense I. can. 13. ibi: *De his, qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa Dominica, vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, ut quicumque eorum in actis publicis fuerit detectus, vel verbis nudis ab ordine Cleri amoveatur.* Non omittam demùm observare, memoratum Canonem Eliberitanum legi inter Capitularia Regum Francorum lib. 6. cap. 317., lib. 7. cap. 205., & in additione 4. cap. 34. editionis Parisiensis anni 1677.

Nullo modo ad Concilium Eliberitanum pertinere possunt sive Canon 17. caus. 22. quæst. 4., sive canon 15. caus. 22. quæst. 5., quorum auctorem ut dignoscere possimus, iidem simùl jungendi sunt, atque ad antiquiores canonum Collectiones referendi. In Ivonis Decreto consistendum minimè arbitror, sed statim ad Burchardum me confero, qui in lib. 12. cap. 25. hæc habet: *Ex Concilio Hibernensi cap. 1. Definitio incauta laudabiliter solvenda, nec prævaricatio est, sed temeritatis emendatio.* Deniquè in c. 26. *Ex eodem cap. 3. Si puella, sita in puerili ætate in domo patris, illo nesciente se juramento constrinxerit; & si pater statim, ut audierit, contradixerit; vota ejus, & juramenta irrita erunt, & facilius emendabitur.* Et in cap. 27. Ex Synodo Aurelianensi cap. 2. *Juramentum filii, aut filiæ, nesciente Patre, & vota Monachi, nesciente Abbate, & juramenta pueri irrita sunt.* Hæc sanè eadem fermè sunt cum memoratis Gratiani locis, quamquàm Gratianus ea referat ex Eliberitano, & Burchar-

Can. 17. caus. 22. q. 4. & can. 15. caus. 22. q. 5.

dus ex Hibernensi, & Aurelianensi Conciliis. Non est cur dubitemus, hasce sententias Hibernensi potiùs Concilio esse tribuendas. Edidit Acherius in tomo 9. sui Spicilegii veteris editionis, & in tom. 1. edition. Parisiens. anni 1723. Collectionem quamdam Hibernensium canonum, quam ipse monet octavo sæculo antiquiorem esse. Et quamquàm ibidèm multa fuisse corrupta testetur, barbara prætereà vocabula inserta, inversumque eorum ordinem adparere, præsertim verò auctorem Collectionis Ardeboc Clericum ex dispensatione Abbatis Haelhucar plura identidèm addidisse, plura etiàm retentâ sententiâ detraxisse; tamèn, quia ibi Collector ipse profitetur nomina singulorum auctorum, quæ capitibus proponuntur, velle sincerè notare, & quia antiquissima hæc Collectio videtur, plurimùm valere poterit ad indicandam istorum fragmentorum originem. Itaquè in hac Collectione lib. 34. hæc leguntur: *Synodus: Definitio incauta solvenda, nec prævaricatio, sed temeritatis emendatio. In Regum libro Saul juravit Jonatham occidere, nec occisus est; nec in hoc juramento culpatur, quia juxta voluntatem suam, non Dei voluntatem juravit. Synodus Hibernensis. Juramentum filii, & filiæ, nesciente Patre, juramentum Monachi nesciente Abbate, juramentum pueri irrita sunt.* Quæ sanè verba quotiès cum memoratis Gratiani Canonibus conferantur, quis non videat iis plurimùm consonare, ut omninò adpareat ex Hibernensi Concilio Gratiani Canones originem suam habuisse? Fateor, non eumdem omninò esse verborum sonum. Sed quis non videat id potuisse contingere, quòd Hibernensium Canonum collector Concilii verba mutaverit retentâ sententiâ, uti ipse se fecisse aliquandò candidè fatetur; aut quòd sequentes collectores de more suo paulò aliter Hibernensem Canonem describere adamaverint? Nec mihi negotium facessit, quòd apùd Hibernensem collectorem præcisè laudetur initio *Synodus*, quin subjungatur, an Synodus Hibernensis sit, nec ne; etenim rursùs animadvertit Acherius in his locis hujusce Collectionis, in quibus de *Synodo* mentio fit, non aliam Synodum, nisi Hibernensem intelligi, idque comprobat auctoritate MS. cujusdam Codicis Sangermanensis, in quo legitur apertissimè *Synodus Hibernensis* in iis locis, in quibus apùd alios Codices habetur præcisè *Synodus*. Igitur clara res est, canones nupèr allatos Hibernenses potiùs esse, quemadmodùm omnes collectores Gratiano antiquiores laudant, inter quos addi fortè posset Pœnitentiale Romanum, editum ab Antonio Augustino tit. 2. cap. 16. Neque porrò mirari quispiam debet, Gratianum pro Hibernensi canone Eliberitanum scripsisse. Ut enim præteream silentio Gratianum non satis accuratè collectoris officio functum, potuit ipse facilè decipi ex quadam nominum similitudine. Siquidèm alicubi Canones Hibernenses laudati sunt nomine *Elibernensium*, quemadmodùm apùd Reginonem lib. 1. de Eccles. discipl. cap. 328., ac propterèà facilè contingere potuit, Elibernenses Canones accipi à quopiam pro Eliberitanis, atque eo nomine describi. Demùm non omittam observare, in memoratis Gratiani locis insertam etiàm adparere sententiam Capitularium Francicorum, videlicèt ad annum 789. Carolo Magno imperante, in quibus inter cetera num. 62. hæc leguntur: *Et ut parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare*; quæ relata sunt in lib. 1. Capitularium cap. 61. editionis Baluzianæ, & apùd Reginonem lib. 2. de Ecclesiasticis discipl. cap. 312. Capitularium eorumdem nomine.

In Canone 13. Concilii Eliberitani legitur Canon 25. caus. 17. quæst. 1. Diversa Concilii exemplaria paulò diversa exhibent ejusdem Concilii verba, quæ propterèà describere non pigebit. Ferdinandus de Mendoza duas evulgavit editiones, quarum priorem vulgatam appellavit, posteriorem emendatam. In priore ità habet: *Virgines, quæ se Deo dedicaverunt, si pacta perdiderint virgi-* Can. 25. caus. 27. q. 1.

ginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine eis dandam esse communionem. Quòd si semetipsas pœnituerint, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, & toto tempore vitæ suæ hujusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abstinuerint se à coitu; eo quòd lapsæ potiùs videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere. In posteriore hæc leguntur: *Virgenes, quæ se Deo dedicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini inservierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine eis dandam esse communionem. Quòd si sibimet persuaserint, quòd infirmitate corporis lapsæ fuerint, & toto tempore vitæ suæ hujusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abstinuerint se à coitu; eo quòd lapsæ potiùs videantur, placuit eas in fine communionem accipere.* In Canone per Labbæum edito paulò alitèr habetur ibi: *Virgines, quæ se Deo dicaverint, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine eis dandam esse communionem. Quòd si semèl persuasæ, aut infirmi corporis lapsu vitiatæ, omni tempore vitæ suæ hujusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se à coitu; eo quòd lapsæ potiùs videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.* Porrò hæc eadem Constitutio in Conciliis posterioribus confirmata est, quorum unum hic adferam, videlicèt Coloniense anni 887., in quo hæc leguntur can. 6. *De Virginibus autèm sacratis in Concilio Eliberitano cap. 13. scriptum est: Si mœchaverint Virgines, quæ se Deo dedicaverint, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem servierint libidini, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine eis dandam esse communionem. Quòd si semèl persuasæ ad infirmi corporis vitia lapsæ toto tempore vitæ suæ ejusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abstineant se à coitu, placuit eas in finem communionem accipere debere.*

Can. 7. caus. 31. q. 1.

Canon 7. caus. 31. quæst. 1. est numero 72. inter Eliberitanos, in quo referendo Gratianus omisit posteriorem partem; etenim ità legendum est: *Siqua vidua fuerit mœchata, & eundem posteà habuerit maritum, pòst quinquennii tempus, actâ pœnitentiâ, placuit eam communioni reconciliari* (legunt alii: *communione reconciliari*) *si alium duxerit relicto illo, nec in fine dandam esse communionem; vel si fuerit ille fidelis, quem accipit, communionem non accipiat, nisi pòst decem annos actâ legitimâ pœnitentiâ, nisi infirmitas coegerit velociùs dare communionem.* Similis fermè Constitutio de Virginibus lata adparet in can. 14. ejusdem Concilii Eliberitani, hoc tantùm intercedente discrimine, ut virgo, si consortem criminis deindè in maritum habuerit, pòst annum quidèm reconciliari posset; at viduis indicta esset pœna quinquennii, ex eo fortè, quòd viduarum continentia pro magisterio, & exemplari virginibus esse deberet, quemadmodùm scribit Ambrosius in lib. de viduis in principio. Hùc adferri etiam potest, quod de viduis lapsis suo tempore statuit Theodorus Cantuariensis Episcopus in cap. 12. Pœnitentialis editi ab Acherio in tom. 9. Spicilegii, cujus sententiam ità refert Jacobus Petit in editione Parisiensi ejusdem Pœnitentialis pag. mihi 11. *Mulier, quæ vovit pòst mortem viri ejus, non accipiat alterum; & mortuo illo prævaricatrix si accipiat alterum, iterùmque nupta cum eo pœnitentia mota si implere vult vota sua, in potestate sit viri ejus utrùm impleat, an non. Ergò unam licentiam dedit Theodorus, quæ confessa est votum pòst undecim annos nubere cum illo viro.*

Can. 1. caus. 31. q. 3.

Cum canone 54. ex Eliberitanis consonat canon 1. caus. 31. quæst. 3., quotiès tamèn his potiùs verbis describatur: *Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, trienii tempore abstineantur* (legunt alii: *abstineant se à communione*). *Si tamèn iidem sponsus, vel sponsa in gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes, si in eisdem fuerit vitium, & polluerint se, superior sententia servetur,* (legunt alii: *superioris sententia servetur*).

Can. 8. caus. 32. q. 7.

Levis prætercà est Codicum varietas in scriptione Canonis 9. Eliberitani, relati in can. 8. caus. 32. quæst. 7. etenim paulò alitèr, quàm habeatur apùd Gratianum, ità exhibent vulgatæ Concilii editiones: *Item fœmina fidelis, quæ adulte-*

rum

rum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur ne ducat. Si duxerit, non priùs accipiat communionem, nisi, quem reliquerit, priùs de sæculo exierit. Opportuna sanè tùnc temporis Constitutio, quâ effrænem conjugum libidinem cohibere necessarium erat. Quum enim Romanis legibus divertere concederetur maritis etiam bona gratia, ut ajebant, id est, conjugis alterius consensione accedente, novi matrimonii contrahendi causâ, congruum erat præjudicatam Fidelium opinionem latis canonibus improbare. Et quoniàm de non dimittenda uxore, *exceptâ fornicationis causâ*, jam luculenta erat Evangelica Lex apùd Matthæum cap. 5., eò collineare debebant Sancti Patres, ut, licèt concederetur adulterii causâ ab uxore divertere, nova tamen matrimonia contrahere Fidelibus denegaretur. Fateor, hac in specie dissidium sempèr fuisse inter Occidentalem, & Orientalem Ecclesiam; contenderunt enim Orientales, indulgendum esse maritis insontibus, qui ob uxoris fidem temeratam non tàm ab ea recedere maluerunt, quàm novas nuptias celebrare: hinc Theodorus Cantuariensis, Græcorum moribus eruditus, id facilè in suo Pœnitentiali in Anglia admisit, ibi: *Si cujus uxor fuerit fornicata, licet dimittere eam, & aliam accipere*, apùd Petit. edit. Parisiens. pag. mihi 10.: contra tamèn sempèr senserunt Latini Patres universi, quorum traditio, in Concilio Tridentino demùm ritè rectèque perpensa ad obtinendam Græcorum concordiam, occasionem dedit, canonem 7. ses. 24. de reform. mitiùs fortè, quàm describi potuisset, expessum fuisse Græcorum gratiâ, ut eruitur ex historia Cardinalis Pallavicini lib. 22. cap. 4. Hæc saltèm paucis observasse juvat, ut perciperetur, quò fortè pergeret illa Eliberitani Canonis exceptio, *nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* Etenim fortè auctor canonis non ignorabat, alicubi concessum esse maritis pòst uxoris adulterium aliam sibi uxorem adjungere; quam disciplinam non alitèr excusatam habere potuit, quàm si necesitatem infirmitatis aliud aliquandò urgere credere, propterèaque & hanc eamdem infirmitatis necessitatem excipiendam declaravit.

Canon 21. de cons. dist. 2. minimè habetur inter Eliberitanos Canones, licèt ejusdem Concilii nomine apùd Gratianum, Ivonem, & Burchardum referatur. Errori occasionem dedit Reginonis Collectio, quâ ut plurimùm usus fuisse Burchardus mihi visus est. In Collectione Reginonis cap. 331. lib. 1. ità legitur: *Omnis homo antè sacram communionem à propria uxore abstinere debet septem, aut quinque, aut tres dies.* In hoc fragmentum incidit Burchardus, illudque descripsit eisdem verbis, licèt ordine mutato, in cap. 22. lib. 5. ibi: *Omnis homo antè sacram communionem à propria uxore abstinere debet tres, aut quinque, aut septem dies.* Sed cum apùd Reginonem nullum fragmenti auctorem laudatum invenisset, ad præcedentia capita respexit; inciditque statim in caput 328. quod laudatur ex Concilio Helibernensi, statimque arbitratus est sequentia etiàm capita ex eodem Concilio fuisse deprompta: propterèà & referens caput 330. Reginonis in parte 19. cap. 76. sui Decreti, illud ipsum ex Concilio Eliberitano laudavit; ut enim superiùs jam observabam, Helibernensis Concilii mentio pro Eliberitano Concilio habita est ob nominis, seu vocis similitudinem, atque hinc Burchardus idem laudatum caput 331. nomine Concilii Eliberitani imprudens inscripsit. Burchardi erratum sequuti, Ivo, & Gratianus veniâ quodammodò digni essent, si canonem hunc, prout apùd Burchardum jacet, descripsissent. Sed fortè voluerunt ipsi alicui Pœnitentiali suæ ætatis morem gerere, & canonem ità describendum voluerunt: *Omnis homo antè sacram communionem à propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo dies*; nisi dicere fortè velimus in eam Burchardi editionem incidisse, quæ hanc scriptionem præseferret. Ceterùm si hujus fragmenti auctorem dignoscere quoquo modo velimus, non alium fuisse arbitror, ni-

Can. 21. de cons. dist. 2.

nisi auctorem ignotum cujusdam Pœnitentialis, quod vigebat Reginonis tempore, & quod Regino ipse laudaverat in suo lib. 1. cap. 329. ex ea præsertim ratione, quia plurimùm convenit hoc Reginonis caput 331. cum dicto capite 329. Non omittam observare, convenire disciplinam hujus canonis cum canone 46. Concilii Cabilonensis 2., & cum Concilio Parisiensi 6. lib. 3. cap. 20. relato in Capitularia Regum Francorum cap. 40. lib. 2. in illis præcipuè verbis *Juxtà ejusdem ergò Apostoli documentum probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere: videlicèt, abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus, animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum Sacramentum exemplo David, qui nisi se confessus fuisset abstinuisse ab opere conjugali ab heri, & nudius tertius, nequaquàm panes propositionis à Sacerdote accepisset.* Id ipsum tradidit Augustinus serm. 216. de tempore, Dominica 10. pòst Pentecosten serm. 2. & serm. 244. de temporibus.

Quid verò sentiendum erit de altera Gratianei Canonis parte: *nec inter Catholicos connumerabitur &c.*? non solùm hæc non leguntur in Concilio Eliberitano, sed etiam repugnare videntur traditæ Concilii hujus ætati; quandoquidèm vetus erat Fidelium consuetudo accedendi quotidiè ad Sacram Eucharistiam: & quidèm de Hispaniæ Provinciis etiam suo tempore testatur Hyeronymus in epist. 28. ad Licinium Bœticum; ut proindè tum supervacaneum fuerit tria quotanis tempora definire, quibus Fideles ad Cœnam Sacram adigerentur. Id primùm constitui cœpit, refrigescente Fidelium charitate, pòst 6. Ecclesiæ sæculum, uti liquet ex canone 18. Concilii Agathensis, ex cap. 50. Concilii Turonensis II., quod habetur in lib. 2. Capitularium cap. 45., & quod Burchardus, cujus propositum erat à laudandis Capitularibus Francicis abstinere, Fabiano Papæ tribuit in lib. 5. cap. 17., undè & Gratianus imprudens etiàm ex Fabiano retulit. in can. 16. dist. 2. de cons. Sed non est, cur pluribus immorer, ubi apertissima Gratianei erroris est ratio, ex Collectione Burchardi desumpta. Itaquè Burchardus, postquàm retulit in dicto cap. 22. lib. 5. memoratum fragmentum illis verbis: *Omnis homo antè sacram communionem à propria uxore abstinere debet tres, aut quinque, aut septem dies*, ad alia gradum facit Conciliorum fragmenta, atque descripturus in cap. 23. Agathensem Canonem, qualis apùd Gratianum habetur in can. 19. de consecr. dist. 2., prænotat veluti compendiariam quamdam Agathensis Canonis sententiam de more suo, his verbis: *Quod inter Catholicos non connumeretur, qui in istis tribus temporibus, Paschâ, Pentecoste, Natali Domini non communicat.* Hæc verba arbitratus est Gratianus ad præcedens caput pertinere, ac propterea cum præcedenti conjungere minimè dubitavit, atque ità in dicto Canone 21. omnia, qualiacumque ea essent, Concilio Eliberitano tribuere.

CAPUT III.

De Canonibus Concilii Ancyrani.

Hi sunt Canones, quos Ancyrani Concilii nomine Gratianus descripsit.

Can. 8. *dist.* 28. *cum omnibus Concilii exemplaribus consonat.*
Can. 32. *dist.* 50. *emendandus ex pluribus Canonibus Ancyranis.*
Can. 42. *dist.* 50. *varius in diversis exemplaribus.*
Can. 6. *dist.* 92. *vix à melioribus exemplaribus discrepans.*

Can.

Can. 42. caus. 12. q. 2., verbis tenùs à Concilio paululùm discrepans, sententiâ congruens.
Can. 2. caus. 26. q. 5. ex aliis melioris notæ exemplaribus supplendus.
Can. 24. caus. 27. q. 1. cum exemplaribus Concilii consonat.
Can. 46. caus. 27. q. 2. cum exemplaribus Concilii consonat.

ETSI, antè annum 315. plures Episcoporum Synodos celebratas fuisse, veterum monumenta abundè testentur, præsertim quum Ethnici à vexandis Christianis paululùm interquiescerent; nulla tamèn ex iis aut Canones ad futuram rei gestæ memoriam scripsit, aut si fortè scripsit, ob temporum injurias, atque calamitates posteritati servire non potuit. Prior tempore ex illis, quarum Canones apùd Collectores hodiè legimus, est Ancyrana, quam eruditiores habitam ajunt circa annum 315., videlicèt pòst tempora vexationis, quâ jussu Maximini jactata fuit Ecclesia in Oriente, atque ante tempora alterius vexationis, quam eadem Ecclesia deindè passa est sub Licinio. Huic Concilio nomen dedit Civitas Ancyrana, in Asia minore sita, prima atque amplissima Galatiæ urbs; ad quam convenientes octodecim Episcopi, Canones 25. ediderunt, quales in vetustissimis etiàm Collectionibus legimus relatos pòst capita Nicæni Concilii, non quasi posteriores ætate, sed ut justam venerationem haberet, quòd dignitate, & totius Ecclesiæ frequentiâ excellebat. Causa Concilii hæc fuerat. Quum Maximinus Christianos omnes insequeretur, & diris suppliciis angeret, plures ex Episcopis, & Clericis inferioribus, qui, metu gravissimo fracti, ac debilitati, Ecclesiam, Fidemque ipsam deseruerant, dein, vitâ functo Maximino, supplices Ecclesiæ reconciliari petebant. Operæ pretium fuerat prudentissimis viris modum præstituere, quo pœnitentes restituerentur, atque ad Ecclesiam revocarentur, proindèque pluribus canonibus salubritèr caveri oportuit, qui sanè posterioribus, ac recentioribus Pœnitentialibus normam quamdam, & exemplar præbuisse videntur, licèt tamèn & illis alia admixta fuerint non pauca, quibus disciplina sacrorum, quoad per tempora licebat, firmaretur.

Hujusmodi sanè est Canon 8. dist. 28., quem legimus in Can. 9. aliàs 10. ex Ancyranis. Et quidèm Gratiani verba consonant cum interpretatione Isidori Mercatoris, apùd quem hæc sunt postrema Canonis verba: *cessare debebunt, laicam tamèn recipientes communionem*, quæ apùd Gratianum desiderantur. Paulò alitèr scribit Dionysius Exiguus ibi: *Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt; hi, si postmodùm uxores duxerint, in ministeria maneant, propterea quòd eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem professi continentiam, & posteà nuptiis obligati sunt, à ministerio cessare debebunt.* Hunc eumdem canonem corrupit in sua Collectione Martinus Braccarensis, imò eidem contrariam omninò sententiam affinxit his verbis: *Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quòd si in Ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & posteà matrimonium desideraverit, alienus sit à ministerio, & vacet à clero.* Fortè Martinus sententiam Concilii immutavit, ut disciplinæ sui temporis morem gereret. Neque enim eadem esse poterat ratio Antistiti Braccarensi, quæ fuit Patribus Ancyranis. Tempore enim Ancyrani Concilii decebat quidpiam remitti de asperitate disciplinæ Diaconorum, quum pauci admodùm essent, qui Diaconorum munus spontè, libentèrve susciperent. Adauctis verò Ecclesiarum bonis, atque horum administratione Diaconis commissâ, quum plures Diaconorum officia spectarent, vitæ Diaconalis ratio exacta est ad præclaram, & perfectam honesta-

Can. 8. dist. 28.

tatis formam. Quæ si maturiùs observassent ex etherodoxis nonnulli, non adeò fortè Romanam Ecclesiam conviciis lacessissent occasione hujus Ancyrani Canonis; quasi Ancyrani Patres de continentia Diaconorum, quam Ecclesia Sancta diligentissimè custodit, minimè solliciti fuerint. Atque hæc præjudicata opinio etiàm valuit apùd eos, qui eruditiores audire maluerunt. Quid, amabo, aliud innunt Ancyrani Episcopi, cum Diaconis concedunt nuptias contrahere, si Episcoporum dispensatio tempore Ordinationis accesserit, quàm veterem fuisse disciplinam Ecclesiæ, quâ generalitèr Diaconi castimoniam servare tenerentur, & si non custodissent, à gradu suo dejicerentur? Quorsùm ordinantis auctoritas interveniret, ubi nulla Lex Ecclesiastica nuptiis obstitisset? Quæ cum ità sint, non recens est Romanæ Ecclesiæ consuetudo, quam malè feriati homines improbant, sed ipsis antiquissimis Ecclesiæ Regulis omninò conveniens.

Can. 32. dist. 50. Ad eos, qui in persecutione Maximini lapsi fuerant, pertinet canon 32. dist. 50., quem Gratianus non satis integrè descripsit; & quamquàm Romani Correctores jam in illius emendationem nonnulla adjecerint, juvabit tamèn eumdem describere ex interpretatione Dionysii Exigui, qualis in Codice Justelli habetur, ibi: *Presbyteri immolantes, & iterùm luctamen adeuntes, si hoc non per illusionem aliquam, sed ex veritate fecerint, nec antè parentes, & affectantes, atque suadentes, ut æstimentur quidèm tormentis aptari, sed his visu tantùm, & habitu subjici, hos placuit honorem quidèm retinere propriæ sedis; offerre verò, aut alloqui, aut omninò sacerdotalibus officiis fungi non licere.* Hæc in canone 1. ex Ancyranis, cui respondere videtur Cyprianus in libro de lapsis his verbis: *Tanto candore conspicuos Ministros suos Ecclesia esse decernit, ut, licèt secundo certamine elatum priore victoriâ hostem superassent, ac proindè se negationis suæ labe emaculassent, non tamèn idoneos ampliùs existimaverit, qui sacris functionibus ministrarent.*

Sequitur canon 2. Ancyranus, quem Gratianum refert in c. *Diaconi. Diaconi similitèr, qui immolaverunt, honorem quidèm habeant, cessent verò ab omni sacro ministerio, sive à pane, sive à calice offerendo, vel prædicando. Quòd si quidam Episcoporum conscii sunt laboris eorum & humilitatis, & mansuetudinis, & voluerint eis aliquid ampliùs tribuere, vel adimere, penès ipsos erit potestas.* Digna profectò sunt observatione verba illa: *Sive à pane, sive à calice offerendo, vel prædicando*: quasi innuatur ex iis olim Diaconos, sicut prædicationis Evangelicæ, ità sacræ oblationis fungi officio potuisse. Si de prædicatione divini verbi loquamur, minimè dubitaverim asserere, hanc inter munera Diaconorum habitam fuisse, cum & ab ipsis Apostolorum temporibus Diaconum Stephanum Evangelii præconem invictissimum fuisse sacræ Actorum Apostolicorum literæ testentur, & perennis Ecclesiæ consuetudo demonstret, à Diaconis Evangelium publicè legi, & solemnitèr, quæ sanè lectio species prædicationis videtur. Qui hujusmodi potestatem Diaconis denegant, *prædicandi* verbum sumunt pro *denuntiare*, ad explicandum illud Diaconorum officium, quo solent indicere populo, qui inter missarum solemnia aut cathecumenis, aut pœnitentibus, aut omnibus indiscriminatim Fidelibus agendum sit, quemadmodùm & hodiè clamare solent his verbis: *Procedamus in pace*, & *ite missa est*, & *flectamus genua*. Majus fortè negotium facessere potest facultas *offerendi* Diaconis in memorato canone tributa. Nemo sanè de ea ità sentiet, ac si Diaconis aliquandò licuerit sacrificia Deo offerre, quæ solis Sacerdotibus perpetuò reservata fuisse universa antiquitas docet, imò in canonibus Nicænis num. 18. expressè traditur, Diaconos *potestatem offerendi* non habere. Propterèa apùd Ancyranos Patres offerendi verbum idem significabit, ac circumferre, id est, Eucharistiam ad populum deferre, & populo distribuere, quod munus Diaconorum fuisse vel ipse memoratus canon Nicænus exhibet: aut

fortè verbum offerendi intelligemus pro oblatione panis, & calicis, quam Diaconus facit Sacerdoti Deo hostiam oblaturo, juxtà illud, quod ait Isidorus Hispalensis : *Levitæ inferunt oblationes in altaria.* Hic non perstitit Gratianus, sed subdidit canonem 3. Ancyranum, qui ità legitur ex eadem Dionysii Exigui interpretatione : *Qui fugientes comprehensi sunt, vel à domesticis traditi, vel ademptis facultatibus sustinuere tormenta, aut in custodiam trusi proclamaverunt se Christianos esse, & eò usque adstricti sunt, ut manus eorum comprehendentes violenter attraherent, & funestis sacrificiis admoverent ; aut aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogerentur, confitentes jugiter se Christianos esse, & luctum rei, quæ contigit, incessabiliter ostendentes omni dejectione, & habitu, & humilitate vitæ, hos velut extrà debitum constitutos à communionis gratia non vetari. Si verò prohibiti sunt ab aliquibus propter ampliorem cautelam, vel propter quorumdam ignorantiam, statim recipiantur. Hoc autèm similiter & de Clericis, & de ceteris laicis observare conveniet. Perquisitum est autèm & illud, si possunt etiam laici, qui in has necessitatis angustias inciderunt, ad Clericatus ordinem promoveri : placuit ergò & hos, tanquàm qui nihil peccaverint, si & præcedens eorum vita probabilis sit, ad hoc officium provehi.* Quæ verò Gratianus subdit in postremis verbis, sive in §. *de his autèm*, non habentur inter canones Ancyranos, sed potiùs repetenda sunt ex canone 11. ex Nicænis, qui ex interpretatione Dionysii his verbis legendus est : *De his, qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit Synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamèn eis benevolentiam commodari.* Hæc sanè cum Gratiani fragmento collata esse videntur, licèt perperàm ex Concilio Ancyrano laudata fuerint; neque enim in Ancyrano Concilio fieri mentio poterat de tyrannide Licinii, quam hoc idem Concilium præcesserat. Sed non solùm in eo deliquit Gratianus, quòd Nicænum Canonem Ancyranæ Synodo tribuerit, verùm etiàm in eo, quòd non integram sententiam retulerit, quæ sanè Gratiani proposito accommodari non potuisset. Ejus mens erat demonstrare, lapsos pòst pœnitentiam ad Clericorum gradus admitti posse. Sed id Nicæno Concilio definitum non est; etenim licèt priora verba canonis 11., nupèr allata, benevolentiam quamdam pœnitentibus spondeant, non tamèn aliò spectat hæc benignitas, quàm ut in legitimas pœnitentium stationes recipiantur, non etiàm ad sacros Ordines admittantur. Postrema canonis verba hæc sunt : *Quicumque ergò veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, & sex annis omni se contritione dejiciant ; duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.*

In can. 23. aliàs 22. Synodi Ancyranæ legitur canon 42. dist. 50. Postquàm enim in canone præcedente de pœna homicidii voluntarii actum fuerit, ut scilicèt jugis homicidarum pœnitentia esset, quæ vix in fine vitæ perficeretur, statim de homicidio involuntario ità subditur apùd Dionysium : *De homicidiis, non sponte commissis, prior quidèm definitio pòst septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcipit ; secunda verò quinquennii tempus expiare.* Quid nomine *prioris definitionis* significare voluerint Ancyrani Patres, nondùm satis perspectum est. Fortè respexerunt ad aliquod Concilium, retroactis temporibus apùd Græcos celebratum, in quo præstituta esset pœna septennii, quam dein ad brevius tempus, nimirùm ad quinquennium, contraxere. Nolim tamèn, quempiam arbitrari, contractionem hujusmodi apùd Græcos generatim fuisse receptam; nàm contrarium omninò tradidit S. Basilius, qui floruit sub finem IV. sæculi, & in canonibus ad Amphilochium num. 57. ità scripsit : *Qui non voluntariè interfecit, undecim annis Sacramentis non communicabit. Undecim autèm anni sic in eo dispensabuntur: Duos quidèm annos deflebit, tres autèm annos inter auditores perseverabit, in quatuor substra-*

Can. 42. dist. 50.

tratus, & anno solo consistet, & deinceps ad sacra admittetur. Non erat sanè hac in re una ac perpetua Ecclesiarum disciplina, ubi de canonibus pœnitentialibus ageretur; aliudque in Ancyrana Ecclesia, aliud in Cæsareensi, aliud in ceteris servabatur. Sic in quodam fragmento ex iis, quæ collegit Jacobus Petit in Pœnitentiali Theodori Cantuariensis, pag. mihi 67. hoc legitur de parricidiis: *Si quis hoc crimen perpetraverit, quidam judicaverunt, ut septem annis pœniteat, vel quatuordecim pœnitentiam egisset; quidam, usquè ad finem vitæ, sicut Cain, qui similia perpetraverit.* Gratianus in laudato fragmento addidit vocem illam *humana*, vel, ut alii legunt, *humanior*; quæ tamen vox neque in veteribus Ancyrani Concilii editionibus, neque apùd antiquos canonum Collectores habetur.

Can. 6. dist. 92. Dionysii Exigui interpretationem omninò sequutus est Gratianus in can. 6. dist. 92., sive in canone 18. Ancyrano, ubi posteriora illa verba, *fiantque damnatione notabiles*, ità ab aliis ex Græcis exemplaribus explicantur: *& abdicati efficiantur.* Sic Zonaras Græcus interpres ait: *Quòd si eos quoquè, qui illic degunt, Episcopos seditionibus vexent, Sacerdotis quoquè dignitate privari, & abdicatos effici, hoc est, ab Ecclesia expelli jubet.* Clariùs Balsamon in notis ad eumdem canonem ibi: *Presbyteratus autèm honorem ab eo, qui sic agit, auferre, & abdicatum fieri, ne intellexeris de depositione accipi, sed de ejus solâ honoris ablatione, scilicèt ne, ut cum Sacerdotibus quidèm sedeat, dignus habeatur.*

Can. 42. caus. 12. q. 2. Can. 42 caus. 12. quæst. 2. describendus erat ex Dionysio Exiguo ad canonem 14. Ancyranum. *De his, quæ pertinent ad Ecclesiam, quæcumque, cum non esset Episcopus, Presbyteri vendiderunt, placuit, rescisso contractu, ad jura Ecclesiastica revocari. In judicio autèm erit Episcopi, si pretium debeat recipi, necne; quia plerumquè rerum distractarum redditus ampliorem summam pro pretio dato reddiderit.* Alii vice priorum verborum ità legunt: *De his, quæ pertinent ad Dominicum, quæcumque, dum non esset Episcopus, Presbyteri vendiderunt, revocare Dominicum.* Plane *Dominici* nomine intelligi rem Deo dedicatam, nemo est qui inficietur, juxtà illud Cypriani in libello de opere, & eleemosina. *Et Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis?*

Can. 2. caus. 26. q. 5. Canon 2. caus 26. quæst. 5. relatus est etiàm in librum Pœnitentialem Romanum, ab Antonio Augustino editum cap. 1. tit. 6., cujus priora verba hæc sunt: *Qui divinationes expetunt, & more Gentilium subsequuntur, aut in domos &c.* est autèm canon 24., aliis 25., ex Ancyranis, in quo describendo Gratianus usus est interpretatione Dionysii Exigui, cum qua omninò consonat. In posterioribus Gratiani editionibus pòst illa verba *secundum gradus pœnitentiæ definitos* additum est *&c.*, quasi aliqua adhùc huic fragmento deessent. Sanè apùd Dionysium nihil amplius habetur: tantùm in Græcis editionibus tempora quinquennii distribuuntur; atque ità latinè explicantur: *Qui vaticinantur, & gentium consuetudines sequuntur, vel in suas ædes aliquos introducunt ad medicamenta arte invenienda, vel lustrationem, in quinquennii canonem incidant secundum gradus definitos, tres annos substrationis, & duos annos orationis sine oblatione.* An hæc integra verba in ipso Concilii autographo descripta fuerint, an verò illis additamentum accesserit studio cujuspiam Græci interpretis; ego facilè dubitaverim, cum, ut prænotavi, apùd Dionysium Exiguum veterem collectorem hujusmodi graduum distributio non legatur. Atque etiàm Aristenus Græcus interpres ità eumdem canonem præcisè descripsit: *Qui vaticiniis utitur, & qui quempiam in domum veneficii exquirendi, aut lustrationis causâ introducit, quinquennio subjaceat.*

Can. 24. caus. 27. q. 1. Canon 19. ex Ancyranis legitur in can. 24. caus. 27. quæst. 1., ubi pœnitentiæ regula illis præstituitur, qui virginitatem Deo devotam violari permiserunt, his verbis ex interpretatione Dionysii: *Quotquot virginitatem promittentes irritam faciunt sponsionem, inter bigamos*

censeantur. Quæ verba non solùm de feminis, sed etiàm de viris intelligenda sunt, quemadmodùm intellexit Zonaras, in notis ad hunc canonem ità scribens: *Qui virginitatem, sive viri, sive mulieres sunt, professi, si fidem promissi fregerint, digamorum pœnis subjiciantur*. At si fortè quæratur, quænam fuerit hæc pœna digamis indicta, vulgò tradi solet illam vel anno, vel biennio fuisse persolutam, quod deducunt ex canone 4. Basilii ad Amphilochium; ubi Sanctus Antistes digamis annum pœnitentiæ indicit, subditque ab aliis biennium decerni; trigamos autèm tribus, vel aliquandò quatuor annis segregandos esse. Ceterùm, cum apùd veteres digamorum appellatione non solùm venirent, qui pòst primùm conjugium morte alterutrius conjugis dissolutum novum inirent, verùm etiam qui duabus promiscuè uxoribus copularentur, aut, unâ divortio dimissa, alteri jungerentur, atque non una eadem pœna immineret variis hujusmodi digamorum generibus; ego sanè ità Ancyranum canonem interpretandum censuerim, ut, quicumque promissam virginitatem violaverint, illis digamis compararentur, qui ab uxore divertendo novum conjugium appetiissent, eademque omninò pœnâ tenerentur. Etenim quædam interest similitudo, atque analogia, proindèque nec adeò levis pœna teneret violatores voti, quemadmodùm digamos illos, qui, dissoluto per mortem conjugis matrimonio, ad secundas nuptias progrediebantur; nec adeò gravis, sicut eos, qui simùl duabus conjugibus uterentur. Equidèm illis, qui, vivente conjuge, adulteria potiùs, quàm conjugia multiplicant, sive qui duabus uxoribus copulantur, quindecim annorum pœnitentia imminebat juxta canonem 57. Basilii ad Amphilochium. Illi verò, qui, mortuâ primâ, secundæ uxori junguntur, anno tantùm inter pœnitentes morabantur. De illis, qui pòst divortium novas nuptias contraxissent nihil definire ausim, cum scripta vetus deficiat disciplina canonum, ut vix suspicari, aut conjicere liceat mediam quamdam inter utramque pœnitentiam indictam fuisse. Fortassè alicui non displicebit, quod ad laudatum canonem Ancyranum tradit Alexius Aristenus Græcus interpres, his verbis: *Qui virginitatem professus est, & votum irritum facit, quadriennio segregetur*.

Quæ in canone 46. caus. 27. q. 2. referuntur, his verbis habentur in Ancyrano canone 11. apùd Dionysium: *Desponsatas puellas, & pòst ab aliis raptas placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis illata constiterit*. Sunt hic vestigia disciplinæ veteris; quâ inspectâ, matrimonia inter raptorem, & raptam omninò prohibebantur, cui prætereà civile Jus hac in re penitùs consonabat. Nov. 143. & & 150. juncta l. un. cod. de raptu Virginum.

Can. 46. caus. 27. q. 2.

APPENDIX.

De Canone 12. caus. 26. quæst. 5. nomine Concilii Anquirensis laudato.

Can. 12. caus. 26. q. 5.

UNum adhùc fragmentum superest ex iis, quæ apùd Gratianum Ancyrano Concilio tribuuntur, scilicèt canon 12. caus. 26. quæst. 5., qui tamèn laudatur nomine Concilii Anquirensis; vocabulo sanè inflexo ex imperitia cujuspiam antiqui Scriptoris: siquidèm jam apùd Burchardum, apùd quem idem fragmentum legitur cap. 1. lib. 10., legitur nomine Concilii Anquirensis. Porrò Anquirensis Concilii nomen ignotum omnibus est, nisi cum Ancyrano Concilio confundatur, ac propterea in omnibus Conciliorum editionibus canon

non iste solet assui Canonibus Ancyranis ad calcem Synodi, ubi prætereà depromptus dicitur ex quodam libello sexdecim librorum partialium lib. 6. cap. 7. Verùm hanc additionem eruditi omnes communi suffragio apocryphàm censent, inter quos est Baronius ad anni 314. num. 89. Facile mihi fuit Gratianei errati causam reperire, apprimè dignoscens à Burchardo primùm hunc canonem Concilii Anquirensis nomine fuisse relatum. Deceptus fuit Burchardus ex lectione Reginonis, qui in lib. 2. de Eccl. disciplin. quædam descripserat in cap. 363. ex Concilio *Anquirensi*, atque eadem, quæ Rhabanus in Epist. ad Heribaldum cap. 25. describere se profitebatur ex Concilio *Ancyrano*; deindè idem Regino in capite sequenti, seu 364. ità progreditur: *Undè suprà: Ut Episcopi, ipsorumque Ministri omnibus viribus elaborare studeant, ut perniciosam, & à Diobolo inventam sortilegam, & maleficam artem penitùs è paræciis suis eradant, & si aliquem virum aut feminam hujuscemodi sceleris Sectatorem invenerint, turpiter dehonestatum de paræciis suis ejiciant. Ait enim Apostolus: hæreticum pòst unam & secundam admonitionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est. Subversi sunt, & à Diabolo capti tenentur, qui, derelicto creatore suo, à Diabolo suffragia quærunt. Et ideò à tali peste mundari debet Sancta Ecclesia. Illud etiàm non omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres, retrò pòst Satanam conversæ, Dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt se, & profitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque jussionibus velut Dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari. Sed utinàm hæ solæ in perfidia sua periissent, & non multos secum in infidelitatis interitum pertraxissent. Nàm innumera multitudo, hâc falsâ opinione decepta, hæc vera esse credit, & credendo à recta fide deviat, & in errorem Paganorum devolvitur, cum aliquid divinitatis, aut numinis extra unum Deum esse arbitratur. Quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo cum omni instantia prædicare debent, ut noverint hæc omnimodis falsa esse, & non à Divino, sed à maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari; siquidèm ipse Satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cum mentem cujuscumque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem, & incredulitatem subjugaverit, illicò transformat se in diversarum personarum species, atque similitudines, & mentem, quam captivam tenet, in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens per devia quæque deducit; & cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore evenire opinatur. Quis enim non in somnis, & nocturnis visionibus extrà seipsum educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquàm viderat vigilando? Qui verò tam stultus, & hebes sit, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur, cum Ezechiel Propheta visiones Domini in spiritu, non in corpore viderit, & Joannes Apostolus Apocalypsis sacramenta in spiritu, non in corpore, vidit, & audivit, sicut ipse dicit: statim fui in spiritu: & Paulus non audet, se dicere raptum in corpore. Omnibus itaquè publicè adnunciandum est, quòd, qui talia, & his similia credit, fidem perdidit, & qui fidem rectam in Deo non habet, hic non est ejus, sed illius in quem credit, id est, Diaboli; nàm de Domino nostro scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergò aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius aut deterius immutari, aut transformari in aliam speciem vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procùl dubio infidelis est.* Integra descripsi Reginonis verba, quòd Gratianus aliquas canonis notas immutaverit, aut ab aliis jam immutata in suum Codicem transtulerit.

Itaquè cum Regino caput suæ Collectionis ità inscripsisset, *undè suprà*, putavit Burchardus, tribuendum illud esse Conc. Ancyrano, ex quo caput præcedens laudabatur; & dein Burchardum sequuti sunt alii Collectores. Falsò tamèn; nàm verba *undè suprà*, quæ frequen-

quenter apùd Reginonem occurrunt, aliud omninò significant, videlicèt idem pertractari in sequentibus, quod & in præcedentibus pertractare cœperat. Non desunt, qui suspicantur, Reginonem voluisse eo loci referre statutum aliquod Francorum, sive, ut ajunt, Capitulare hactenùs ineditum, cum stilus capitis ejusdem temporibus Capitularium plurimùm conveniat, cum prætereà materies & eidem ætati, & provinciis eisdem consentanea sit, consuetumque fuerit Capitularium Francorum conditoribus eadem Capitularia pluribus Scriptorum Ecclesiasticorum testimoniis *infarcire*, quemadmodùm explicat vir eruditus. Cæterùm, in Concilio Ancyrano quædam esse constituta his similia, jam superiùs adnotabam ad canonem 2. caus. 26. quæst. 5. Non omittam prætereà observare, plura hujus canonis verba legi in cap. 28. libri de Spiritu, & Anima, qui vulgò Augustino tribuitur, & à Monachis Benedictinis in Appendicem tom. 1. novæ editionis rejectus, atque à Trithemio, necnon Vincentio Bellvacensi adscribitur Hugoni à S. Victore, aut à Thoma Aquinate quæst. un. de Anima art. 12. ad 1. Anonymo cuidam Ordinis Cisterciensis: compositus autèm est variis Augustini, Gennadii, Böëtii, Cassiodori, Isidori Hispalensis, aliorumque fragmentis, inordinatè congestis ità, ut inter Ecclesiasticos canones locum habere non possit. Quæ itaquè ibi leguntur ad rem hanc pertinentia, heic subjiciam. Postquàm dictum est, animas hominum aliquandò Dæmonum maligno spiritu torqueri, sic subditur: *undè quædam mulierculæ, pòst Satanam conversæ, Dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt, & profitentur se nocturnis horis cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & Minerva, & innumera mulierum multitudine equitare,* (quæ sanè loquendi phrases non nisi pòst sextum Ecclesiæ sæculum in vulgus emanarunt), *earumque jussionibus obtemperare. Ipse namquè Satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cum mentem cujusque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subjugaverit, illicò transformat se in diversarum personarum species ac similitudines, & mentem, quam captivam tenet, in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens per devia quæque deducit; & cum hoc solus patitur spiritus infidelis, non in animo, sed in corpore evenire opinatur: idcircò nimis stultus, & hebes est, qui hæc omnia, quæ in spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur, cum Ezechiel, & alii Prophetæ, Joannes etiàm Evangelista, & alii Apostoli in spiritu, non in corpore visiones viderint.* Quicumque laudatum Gratiani canonem, sive Reginonianæ Collectionis caput cum his verbis contulerit, facilè percipiet Reginonem plura ex dicto libro de spiritu & anima excerpsisse, eademque in suum Codicem transtulisse, quibus etiàm quædam adjecerit, ut Episcopos, ceterosque Ministros Ecclesiasticos admoneret, ne fortè nimiùm creduli, plusquàm par esset, Dæmonum vi, potestati pravorum hominum, aut mulierum fraudibus decepti tribuerent. Non inficior tamèn, & Reginonem quædam ibidèm attulisse ex variis S. Augustini sententiis, quemadmodùm illud est, quod dicitur, Dæmonem aliquandò sese transformare in Angelum lucis, uti adparet ex can. ult. caus. 26. q. 5. de quo suo loco nonnulla tradam.

CA-

CAPUT IV.

De Conciliis Arelatensibus.

In Arelatensi Civitate, quæ sita est in Gallia Narbonensi, nemo ignorat, plura, & quidèm magni nominis, celebrata fuisse Concilia, ex quibus in Gratiani Codice, prout hodiè editus est, tria tantummodo memorantur, atque singulis singula capita tribuuntur, præter quædam fragmenta, quæ generatim Concilio Arelatensi adscripta legimus, quin tamèn peculiaritèr adjectum sit, ad quamnam ex Arelatensibus Synodis pertineant. Sunt autèm sequentes Canones.

Ex Arelatensi 1.
- *Can.* 14. *dist.* 81. *perperàm Concilio Arelatensi tributus.*
- *Can.* 2. *caus.* 14. *q.* 4. *congruit cum exemplaribus Concilii.*
- *Can.* 26. *de consecr. dist.* 3. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 109. *de consecr. dist.* 4. *ad melioris notæ exemplaria exigendus.*

Ex Arelatensi 2.
- *Can.* 6. *dist.* 28. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 69. *dist.* 50. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 5. *dist.* 55. *congruit cum exemplaribus Concilii.*
- *Can.* 9. *dist.* 87. *congruit cum exemplaribus Concilii.*
- *Can.* 2. *caus.* 3. *q.* 10. *ad melioris notæ exemplaria exigendus.*
- *Can.* 13. *caus.* 33. *q.* 4. *ex aliis ejusdem Concilii Canonibus explicandus.*

Ex Aurelianensi 3.
- *Can.* 7. *dist.* 28. *ad melioris notæ Codices exigendus.*
- *Can.* 2. *dist.* 55. *varius in diversis exemplaribus.*

Adjiciuntur.
- *Can.* 12. *dist.* 18. *pertinet ad Concilium Arelatense* 2.
- *Can.* 17. *caus.* 18. *q.* 2. *pertinet ad Concilium Arelatense* 5.
- *Con.* 4. *caus.* 21. *q.* 5. *pertinet ad Concilium Arelatense* 3.
- *Can.* 37. *caus.* 27. *q.* 1. *pertinet ad Capitularia Regum Francorum.*
- *Can.* 38. *caus.* 27. *q.* 1. *pertinet ad Concilium Toletanum* 3.
- *Can.* 6. *caus.* 30. *q.* 5. *pertinet ad Capitularia Regum Francorum.*
- *Can* 94. *de cons. dist.* 2. *depromptus ex variis vetustis Pœnitentialibus.*

Concil. Arel. I.

IMperante Constantino ab anno 312. videbatur reddita pax Ecclesiæ Occidentali; plurimaque propterèa celebrari concilia potuerunt ad res Ecclesiasticas sive tuendas, sive augendas, Imperatore ipso Ecclesiarum utilitatem sedulò promovente. Inter ea celebratissimum est Concilium Arelatense I. anni 314., cujus hæc fuit occasio. Mensurius quidam Carthaginensis Episcopus, jussu Maxentii Imperatoris pridèm vocatus Romam, sacra Ecclesiæ suæ vasa quibusdam commendaverat discessurus: verùm dum iter agressus est, in itinere decessit. Suffectus in defuncti locum Cæcilianus postulavit, ut vasa sacra restituerentur à depositariis, qui tamèn contra fidem religionemque depositi eadem restituere recusarunt; quod ut persuaderent se honestè facere, callidis artibus adversùs Cæcilianum, quasi læsæ per illius electionem Ecclesiæ vindices falsa crimina intenderunt, quô fieret, ut vel idem ab Episcopatu detruderetur, vel saltèm ipsi à molestiis sibi ab Episcopo exhibitis evaderent calum-

lumniando. Illud in primis objiciebant, Cæcilianum tradidisse Gentilium Magistratibus Ecclesiasticos libros ad gravissimam rei Christianæ injuriam; præterea de necessariis Confessorum commodis, aut alimentis subtraxisse, illorum præsertim, qui omni humano auxilio destituti apùd Gentiles in carceribus detinebantur. Atque dum hæc adversùs Cæcilianum molirentur improbi homines, quis non videat cœpisse concuti Africanam Ecclesiam inopportuno schismate, quod dein magis magisque eamdem turbavit, quum Donatus quidam à Casis Nigris, à quo Donatistæ & nomen & hæresim acceperunt, rem hanc eo deduxerit, ut novum Episcopum nomine Majorinum Ecclesiæ eidem Carthaginensi præficiendum curasset? nec enim contentioni pepercit, sed omnem propemodùm lapidem movit, ut Cæcilianus à Carthaginensi Ecclesia arceretur. Constantinus Imperator, ad seditiones omnes & schismata compescenda paratus, ubi id ægro animo accepit, statim causam hujusmodi commendavit definiendam Rheticio Augustodunensi, Materno Agrippinensi, & Marino Arelatensi Episcopis; neque enim arbitratus est eligere Africanos Antistites, quos in causa suorum aliquid præjudicati habere posse, facile erat suspicari. Visum insupèr fuit maximè opportunum Melchiadis Romani Pontificis judicium exquirere, qui statim, junctis sibi nupèr memoratis Gallicanis Episcopis tribus, Romæ Synodum convocavit ex Episcopis quindecim, ubi res prosperè cessit, Cæciliano unanimi Patrum sententiâ ab illatis criminibus absoluto. Non tamèn acquieverunt seditiosi Donatistæ, qui apùd Imperatorem conquesti novum fieri judicium postularunt. Hinc orta Concilii Arelatensis occasio; visum enim fuit, convocatâ Synodo, universam rem hanc facilè potuisse concludi, ut apertiùs, sicut de insontis Cæciliani integritate, ità de impiorum accusatorum perfidiâ, atque improbitate constaret. Arelatensis Civitas habita est convocationi Concilii accommoda, ad quam & Constantinus ipse, & Legati Pontificii accessisse feruntur, & Concilio interfuisse anno 314. Immò etiàm universi propemodùm Occiden. Eccl. Episcopi eò convenerunt, ità ut non desint, qui Concilium hoc *plenarium* Ecclesiæ Concilium appellare non dubitaverint. Res iterùm favore Cæciliani cessit, damnatis Donatistis; de quibus multa appositè tradit Augustinus in Epist. 162., & 166. & in lib. 2. contra literas Petiliani. Ex his facile est agnoscere maximè venerabilia nobis esse hujus Concilii Decreta; ex eo potissimùm, quòd in illis universæ propemodùm Occidentalis Ecclesiæ veteris doctrina contineatur.

Ex Canonibus, qui huic Concilio adscribuntur apùd Gratianum primus occurrit canon 14. dist. 81., & quidèm in posterioribus plurimis editionibus pòst Romanam correctionem, quamquàm tamèn in vetustis Gratianei Codicis exemplaribus ille canon Aurelianensi potiùs Concilio tribuatur, & quidèm rectiùs, quippè is legitur in Concilio Aurelianensi I. anni 511. can. 9. & 12. In canone 9. hæc habentur: *Si Diaconus, aut Presbyter crimen capitale commiserit, simùl & officio, & communione pellatur*, & in canone 12. *Si Diaconus, aut Presbyter pro reatu suo se ab Altaris communione sub pœnitentis professione submoverit, sic quoquè si alii defuerint, & causa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare.* Arbitror, id ex oscitantia Typographi evenisse, ut pro Aurelianensi Arelatense Concilium laudaretur. Can. 14. dist. 81.

Simile propemodùm mendum irrepsit quorumdam Typographorum incuriâ in canonem 2. caus. 14. quæst. 4. in aliquibus editionibus, hanc exhibentibus inscriptionem. *Ex Concilio Agathensi I., quod confirmavit Papa Sylvester.* Emendatiùs aliæ editiones habent: *Ex Concilio Arelatensi I. &c.* Reverà cum canone 12. Concilii ejusdem Arelatensis congruit dictus canon 2. caus. 14. quæst. 4., quem tamèn ità oportebit ad exempla- Can. 2. caus. 14. q. 4.

ria

ria notæ melioris exigere: *De Ministris, qui fœnerant, placuit, eos juxtà formam divinitùs datam à communione abstineri*: legunt alii *abstinere*. Hanc porrò Constitutionem clariùs & impensiùs urgere voluerunt Nicæni Concilii Patres can. 17., cujus verba retulit Gratianus in can. 8. ejusdem causæ & quæstionis, ex quo etiàm liquet, quænam sit illa *forma divinitùs data*, juxtà quam Clerici, fœnori, & usuris dediti, à communione arcendi erant. Atque etiam fortè indè conjicere possumus causam, quâ Gratianus Concilium hoc Arelatense à Sylvestro Pontifice confirmatum dixerit; non quòd reverà constet, expressè ab eodem confirmatam fuisse Synodum, sed quòd memoratus Arelatensis Concilii canon confirmatus fuerit in Nicæno Concilio, summum Pontificatum administrante Sylvestro.

Can. 26. de cons. dist. 3.

Eadem etiàm ratione factum puto, ut canon 26. de cons. dist. 3. ità inscriberetur: *Ex concilio Arelatensi I., quod confirmavit Papa Sylvester*; quòd videlicèt illa, quæ ibidem de die Paschatis definiendo, atque ab omnibus eodem tempore servando, traduntur, probata sint in Concilio Nicæno sub Sylvestro Papa juxtà id, quod refert Epiphanius hæresi 69., & Sozomenus lib. 1. cap. 21., indicaturque in can. 1. Concilii Antiocheni anni 341. can. 1. Valdè solliciti erant de Ecclesiastica unitate Arelatenses Patres, qui propterea in canone 1. statuerunt, ut sanctum Pascha in universa Ecclesia uno eodemque die celebraretur; Jam pridèm enim dirempta erat Asiaticorum controversia, postquàm sub Victore Papa decretum fuerat, ut Christiani ab Judæis in celebratione Paschali distinguerentur, videlicèt diem Dominicum, lunam 15. Martii subsequentem, festum, & solemnem agerent. Unum illud supererat, ut definiretur modus observandi lunam Paschalem, de qua alitèr alii sentiebant, quamobrèm sæpè sæpiùs profectum fuerat in diversis Diœcesibus diversos quoquè dies Paschales designatos fuisse, contrà quam Ecclesiarum unitas, & consensio exigere videretur. Itaquè, cum in Arelatense Concilium omnes ferè Occidentalis Ecclesiæ Episcopi convenissent, illud antiquissimum habuerunt præ ceteris, ut rem hanc Romani Pontificis solertiæ, auctoritatique commendarent, quô fieret ipsum indicare Episcopis omnibus diem Paschatis per formatam Epistolam, juxtà quam omnes Episcopi Pascha celebrarent, atque hinc Paschalium Epistolarum usus originem habuit. Exhibentur hæc omnia in dicto can. 1. Arelatensi, si tamèn legatur non prout descriptus est apùd Gratianum in can. 26. de cons. dist. 3., sed prout in ipsius Concilii exemplaribus habetur. Ibidèm Episcopi in Concilio Romanum Pontificem ità alloquuti perhibentur: *Primo loco de observatione Paschæ Dominici* (legunt alii: *Domini*), *ut uno die, & uno tempore per omnem orbem à nobis observetur, & juxtà consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.* Igitùr priore illâ ætate hæc disciplina in Occidente servari cœpit, ut Episcopi universi à Romano Pontifice Paschalem diem præsignatum acciperent, acceptumque celebrarent communi animo, quô, sicut in ceteris, ità hac etiàm in parte Ecclesiarum unitas, & consensio adpareret. Atque de re ista rursùs actum fuit in Nicæno Concilio, uti superiùs attigi, undè ad universalem Ecclesiam hæc eadem jurisprudentia protraheretur. Ægyptii quidèm Antistites initio proposuerant, sibi potiùs congruere velut Astrologiæ studio præ ceteris deditis hujusmodi tempora definire; sed pòst varias disputantium opiniones illud tandèm communi suffragio obtinuit, ut Alexandrinus Episcopus à suis Ægyptiis diem decimamquintam Martii lunarem investigaret, exquisitamque Romano Pontifici significaret; dein verò Romanus Pontifex diem Paschalem in sequentem Dominicam collatum per Encyclicam omnibus palàm faceret, observandumque proponeret, vel ipsis etiàm Ægyptiis, à quibus primùm acceperat, divisâ propemodùm in-

inter Ægyptios & Romanos sacræ rei sollicitudine, ut ab Ægyptiorum peritia penderet quidquid ex planetarum revolutis orbibus definiendum erat; at cetera, quibus generalis Ecclesiæ disciplina exindè stabilienda foret, Romanæ Ecclesiæ tanquàm omnium Ecclesiarum Principi reservarentur. Id clarè liquet ex Epistola Leonis Magni ad Marcianum Augustum 64., aliàs 94., ibi: *Paschale etenim festum, quo Sacramentum salutis humanæ maximè continetur, quamvis in primo semper mense celebrandum sit, ità tamen est lunaris cursus conditione mutabile, ut plerumquè sacratissimæ diei ambigua occurrat electio, & ex hoc fiat plerumquè, quod non licet, ut non simùl omnis Ecclesia, quod non nisi unum esse opportet, observet. Studuerunt itaquè Sancti Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes, quoniàm apùd Ægyptios hujus supputationis antiquitùs tradita esse videbatur peritia, per quam, qui annis singulis dies prædictæ solemnitatis eveniret, Sedi Apostolicæ indicaretur, cujus scriptis ad longinquiores Ecclesias judicium generale percurreret.*

Can. 109. de cons. dist. 4.

Canon 109. de cons. dist. 4. referendus est ad Canonem 8. Concilii Arelatensis, in quo constitutum fuit, eos, qui ab hæreticis Catholicorum Ecclesiæ conciliantur, rebaptizari debere, quotiès Trinitatis mysterium ignorent; tùm enim suspicio suboriebatur, eos non in nomine Trinitatis, ac propterea non juxtà formam à Christo Servatore institutam, fuisse baptizatos. Illud sanè observandum est, Gratianeum Canonem depravatum fuisse in ea parte, in qua Arianorum mentio fit; cum Arianorum nomen Arelatensis Concilii temporibus nondùm audiri cœpisset; si enim historicis fides est, Arius hæresim suam evulgare cœpit Alexandriæ anno 3. Pontificatus Sylvestri, atque ideò pòst Arelatense Concilium. Melioris notæ Codices ità Canonem Arelatensem exhibent: *De Afris, quòd propriâ lege suâ utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint eum in Patre, Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum; quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Hæc porrò, quæ de Afris dicuntur, nemo non videt intelligenda esse de Donatistis, quorum animi ad seditionem proclives veterem controversiam rebaptizantium excitabant.

Atque hi sunt, quos recensui, Canones Concilii Arelatensis I. à Gratiano laudati, qui à ceteris abstinuit, ubi fortè novum Donatistarum schisma compescebatur. Venio nùnc ad Concilium Arelatense II., quod, quemadmodùm apùd eruditos Epocham habet incertam, ità non incommodè hùc loci referri poterat; eo vel magis, quia non defuerunt nonnulli, qui hoc Concilium Constantini Imperatoris temporibus tribuerunt, eâ moti ratione, quòd in subscriptionibus Episcoporum, illorum nomina eadem legantur in secundo, quorum legebantur in primo. Sanè Cabassutius in notitia Ecclesiastica sæculi 5. Epocham hujus Concilii *incompertam* vocat, & Sirmondus, licèt asserat celebratum illud fuisse pòst Concilium Vasense anni 442., subdit tamèn, *quo prorsùs anno, & quibus ab Episcopis celebratum sit, non liquere*; ac deindè conjicit, referendum esse ad annum 452. æræ Christianæ, quum Ravennius Episcopus Arelatensem Ecclesiam administraret. Sed si conjecturis in re adeò obscurâ locus esse potest, paulò alitèr ego sentio, arbitratus hoc Concilium celebratum fuisse circa annum 443., seu cum Hilarius Arelatensis Episcopus viveret. In primis enim placere non potest, quod alii asserunt, hoc Concilium ætatem Concilii I. Arelatensis attingere, cum in hoc plura legantur ex posterioribus Conciliis, Vasensi nimirum, & Arausicano deprompta, quæ incidunt in annum 441. & 442., quin negotium ullum facessere possint subscriptiones Episcoporum, quarum nomina eadem adparent tum in I., cum

Concil. Arel. II.

in

in II. Arelatensi Concilio ; Jamdiù enim satis apùd eruditos constitit, id proficisci potuisse ex Codicum depravatione, in quibus canones secundi Arelatensis Concilii pòst canones primi statim subjici potuerunt, subsequentibus postremò Episcoporum subscriptionibus; quas propterea jure merito à Concilio Arelatensi II. Severinus Binius, vir rerum veterum Ecclesiasticarum eruditus, expunxit, & Synodo Arelatensi I. restituit. Hæc faciliora sunt. Ratio verò, quâ eo adducor, ut credam Hilarii Arelatensis ætati hoc Concilium tribui potiùs debere, ex eo deduci potest, quòd in canone 18. hujus Concilii definiatur, ad Arelatensis Episcopi arbitrium pertinere Provinciale Concilium celebrare, proposito Marini Episcopi Arelatensis exemplo, (refertur id ad Concilium Arelatense I.), qui Episcopus indixit Synodum, ad quam dein quamplures diversarum Provinciarum Episcopi convenerunt. Hujusmodi canon Hilario Arelatensi maximè congruit ; scimus enim, Leonem, cognomento Magnum, anno 445. Epistolam ad Galliarum Episcopos misisse, in qua Hilarii Arelatensis Acta improbat, quòd magnas, ac propè generalis Ecclesiæ Synodos convocaret; siquidèm Hilarius, exemplo Concilii Arelatensis I. ad quod plurium Provinciarum Episcopi accesserant, alia similia in Arelatensi Civitate Concilia se ordinariâ auctoritate convocare posse, existimabat.

Spectant hæc ad tempus Concilii. Alia suboritur dubitatio de ejusdem Canonibus numerandis : apùd quosdam tantùm 25. Conones habentur, alii Codices exhibent 33., alibi leguntur etiàm 56. Ego non miror tam diversas editiones; neque enim dubito affirmare Canones reverà 56. editos in Concilio fuisse. Quoniàm verò hujusmodi Concilium ab eo celebratum fuerat Episcopo Arelatensi, qui novo more suam jurisdictionem latiùs extendere cupiebat, hanc ob rem à Leone Summo Pontifice objurgatus ; exindè factum est, ut non omnes hujus Concilii Canones ubiquè recepti sint, sed aliquot tantùm, prout aliorum Conciliorum Canonibus quidam viderentur consonare. Propterea modò plures, modò pauciores, in variis editionibus exhibiti sunt, pro illorum arbitrio, qui cum recepta illius temporis disciplina eosdem canones conciliabant, eosque in lucem proferebant, prout communi jurisprudentiæ concordes sibi viderentur. Ex his facilè augurari licet, non multum auctoritatis inesse Canonibus hujusce Concilii, nisi fortè ex illis sint, qui cum sacris aliorum Conciliorum regulis omninò conveniant, quales vulgò creduntur 25. priores, qui in omnibus Concilii ejusdem editionibus continentur.

Ex his, qui ab omnibus probantur, est canon 6. dist. 28. ; is enim pertinet ad canonem 2. Concilii hujus Arelatensis : deindè plurimùm consonat cum canone 22. Concilii Arausicani. Oportet tamèn Gratiani verba ità emendare ex melioris notæ exemplaribus : *Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in conjugii vinculo constitutum, nisi fuerit præmissa conversio* : Ità enim optimos Codices habere Sirmondus notat, licèt aliqui Codices exhibeant, quemadmodùm Gratianus, *promissa conversio*. Sanè Gratianus canon talem sententiam Arelatensibus Episcopis affingit, ut facilè admitterent dissolvi conjugia Sacerdotalis ordinationis causâ ; quod nuspiàm veterum Patrum decretis permissum est. Convenientiùs autèm juxta Sirmondum describitur canon, quasi indicetur non alitèr quempiam ad Sacerdotales gradus admitti, nisi liber à conjugii vinculo, quique continentiæ voto se se primùm adstrinxerit. Can. 6. dist. 28.

Nec est, cur improbetur canon 69. dist. 50., qui habetur in can. 25. ejusdem Concilii Arelatensis II. præterquamquòd enim ex iis est, qui ab omnibus recepti sunt, etiàm consonat cum canone ultimo Concilii Arelatensis I., nisi fortè inter hosce duos canones hoc discrimen velis agnoscere, quòd canon Can. 69. dist. 50.

ultimus Concilii I. Arelatensis de illis Apostatis agat, qui à fide defecerunt, at verò canon 25. Arelatensis II. Concilii, expressus sit de illis, qui habitum religiosum semèl susceptum abdicaverunt, atque ad sæcularis vitæ rationem reversi sunt. Porrò, ubi Gratianus scripsit: *ad sæcularem redeunt conversationem*, alii Codices Concilii habent: *Et ad sæculum redeunt.*

Canon 4. dist. 55. eisdem omninò verbis legitur in canone 7. Arelatensis II. Concilii, cujus sanè sententia plurimùm consonat cum canone 1. Nicæni Concilii, relato in can. 7. dist. 55., de quo uberiùs infrà agendum erit suo loco.

Can. 4. dist. 55.

Nemo ignorat, veterem fuisse disciplinam non tantùm civili Jure constitutam, sed etiam sacrorum canonum auctoritate firmatam, quâ obtinebat, ut, si quis infans expositus fuisset vel liber homo, vel servus, consensu, vel patientiâ parentum aut dominorum, iidem domini, aut parentes paternam dominicamve potestatem amitterent, necnon infans expositus vel in veram servitutem, vel in colonariam conditionem addiceretur illi, qui educandum sustulisset L. 1. & 2. Cod. de infant. expositis: excepto tamèn eo, quod dicitur in L. 16. Cod. de nuptiis, juxtà quam illud Parenti conceditur, ut possit matrimonio filii expositi dissentire, quotiès educatori expensa retulerit. At si, parentibus aut dominis insciis, infans filius, aut servus fuisset expositus, licebat dominis, aut parentibus à possessore filium, aut servum vendicare. Hoc quidèm in detrimentum, immò aliquandò in interitum expositorum vergebat; Etenim, cum nonnulli existerent, qui expositos puerulos excepturi essent in tutelam quodammodò suam, exceptos enutrituri, atque educaturi, eâ spe ducti, ut illos in suam potestatem redigerent, facilè à suscepto consilio removebantur, infantibusque expositis auxilium denegabant, suspicati, per dominos vel parentes deindè ob omni legum emolumento remotos esse, allegantibus dominis vel parentibus ipsis, filios servosve suos eisdem omninò insciis expositos fuisse. Hinc orta occasio fuit, ut certa hac in re juris regula statueretur, quâ simùl & parentum dominorumque ignorantiæ consuleretur, atque aliàs infantes omni humano subsidio minimè destituerentur. Et primum in Vasensi Concilio anni 442. can. 9. & 10. cautum est, ut diebus dominicis monerentur publicè in Ecclesia omnes, ad quos infans expositus pertinere posset, eo postulante, qui curam infantis susceperat; quo facto, si nemo filium aut servum expositum velùt suum adgnovisset, tùnc omnis facultas adempta censebatur unicuique, qui pòst aliquod tempus ad vindicationem sui infantis proclamaret, imò & is velùt homicida certis pœnis, ab Ecclesiasticis Canonibus præfinitis, plectebatur. Videbatur enim homicidæ nota illi inurenda, qui tamdiù de filio, vel servo suo quomodocumquè à se abrepto nullam sollicitudinem habuit, licèt in Ecclesia publicè sciverit eumdem expositum extitisse. Hæc illa est Concilii Vasensis sententia, quam Patres Concilii Arelatensis II. probarunt, retuleruntque in can. 51. qui apùd Gratianum est canon 9. dist. 87., ut proindè liquidò constet, verba illa *sicut Patrum sanxit auctoritas* ad Concilium Vasense referenda esse. Idem etiàm confirmatum est in Concilio Agathensi anni 506. can. 24., ubi ità legitur: *De expositis id observandum, quod jam dudùm Synodus sancta constituit*; quæ verba ad Concilium idem Vasense referenda fore, eruditi omnes animadvertunt.

Can. 6. dist. 87.

Canon 2. caus. 3. quæst. 10. habetur in can. 24. Concilii Arelatensis II., sed his verbis, quæ non nihil distant à Gratianeis: *Eos, qui falsò fratribus suis capitalia objecisse convicti fuerint, placuit usquè ad exitum non communicare, sicut Magna Synodus antè constituit, nisi dignâ satisfactione pœnituerint.* Severinus Binius nomine Magnæ Synodi intellexit Nicænam; quamobrèm ad hunc canonem adnotavit ultrà viginti numerandos esse Nicænos,

Can. 2. caus. 3. q. 10.

nos canones, cum hujusmodi Constitutio inter vulgatos Nicæni Concilii canones minimè reperiatur. Verùm, veniâ dixerim viri eruditissimi, Hilarius Arelatensis potiùs eo nomine significandam voluit Synodum Arelatensem I., quam ferè universalem, atque ex toto fermè Occidente convocatam fuisse superiùs tradidi, cujusque exemplo magnas ipse Synodos convocare se posse jactabat. Reverà in Concilio Arelatensi I. can. 14. ità prædefinitum legimus : *De his, qui falsò accusant fratres, placuit eos usquè ad exitum non communicare*; quæ Constitutio edita fuerat adversùs accusatores Cæciliani Episcopi Carthaginensis. Illud observatione dignum est, benigniorem esse Concilii Arelatensis II. Constitutionem, quàm fuit Constitutio nuperè allata Concilii Arelatensis I., etenim in Constitutione Concilii Arelatensis II. clausula illa adjecta est : *nisi digna satisfactione pœnituerint*; quæ in Concilio Arelatensi I. desideratur.

In Canone 21. ejusdem Concilii Arelatensis II. definitum fuerat, eos, qui publicæ pœnitentiæ sunt addicti, non solùm ab uxoribus abstinere debere, verùm etiàm, si pœnitens conjux defunctus fuerat, novas nuptias esse superstiti conjugi denegandas. Hinc in canone sequente, videlicet 22. ampliùs progressi Arelatenses Patres decreverunt, pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam, cujus canonis verba refert Gratianus in Can. 13. caus. 33. quæst. 4., quem propterea saniùs intelligendum velim, quàm à quibusdam Interpretibus intelligatur. Non enim illud arbitror generalitèr cautum, nonnisi ex conjugis consensu delinquentem conjugem divinis pœnitentiæ legibus subjiciendum esse, ne alias delinquentes conjuges salutaribus optimisque remediis destituerentur; verùm hanc disciplinam eò redigendam puto, ut, quotiès tali pœnitentiæ conjux alteruter addicitur, ex qua perpetua utrique conjugi continentia indicatur, juxtà dictum Canonem 21., tum ex utriusque conjugis consensione pœnitentium numero adscribatur.

Can. 13. caus. 33. q. 4.

Opportunum, atque huic loco maximè conveniens esse, censeo, si quædam adhùc subjiciam de Concilio Arelatensi III. celebrato anno 524. *Tertium* hoc Concilium appello, non quòd alia numero plura Arelatensia Concilia non præcesserint; sed quòd quæ alia à duobus jam relatis præcesserunt, aut paulò obscuri nominis sunt, aut quòd eorumdem apùd Collectores Canonum, atque apùd Gratianum nulla mentio facta fuerit; quamobrèm Arelatense hoc Concilium anni 524., vulgò *Arelatense tertium* dicitur. Non defuerunt viri, cæteroqui gravissimi, qui hoc Concilium anno 453. celebratum asseruerunt, eo quòd legissent Consularem notam, in qua nomen Opilionis inscribitur; Fertur enim Opilio Consulatum gessisse cum Vincomalo anno 453. Verùm id cum ceteris minimè congruit; nàm, cum hocce Concilium convocatum appareat tempore Cæsarii Arelatensis, qui pòst annum 500. ad Arelatensis Ecclesiæ regimen electus est, debet ad posteriora tempora referri, proindèque, ut jam animadvertit Sirmondus, alius quærendus erit Opilionis Consulatus. Porrò invenio, Opilionem simùl cum Justino Imperatore Consulatum gessisse anno 524., qui annus cum incidat in ætatem Cæsarii, quis ampliùs dubitet tùm temporis hoc Concilium celebratum fuisse? Ad disciplinæ Ecclesiasticæ reformationem pertinent singuli hujus Synodi canones, præsertim ad ordinationes Clericorum, ac Sacerdotum, quod liquet vel ex duobus fragmentis, quæ apùd Gratianum habentur.

Concil. Arelatense III.

Primum est in Can. 7. dist. 28., quotiès Romanorum Correctorum notis omninò adhærere velimus. Asserunt enim ipsi, canonem hunc 7. referendum esse ad canonem 2. hujus Concilii Arelatensis 3., in quo similis propemodùm sententia exprimitur, ibi : *Ut nullus Metropolitanorum cuicumque Laico dignitatem Episcopatus tribuat, sed nec reliqui Pontifices Presbyterii vel Diaconatus henorem con-*

Can. 7. dist. 28.

conferre præsumant, nisi anno integro fuerit ab eis præmissa conversio. Laudo solertiam Correctorum Romanorum, qui, cum alibi verba Gratianei canonis non legissent, curarunt, ut alicujus Concilii Arelatensis sententiam ibidèm expressam agnoscerent. Hodiè, postquàm integræ habitæ sunt Concilii Arelatensis II. editiones, idem canon referendus potiùs erit ad Canonem 43. Concilii Arelatensis II., de quo jam superiùs egimus; etenim hæc ibi leguntur: *Placuit præterea, ut secundum Synodi instituta non ordinentur Diacones conjugati, nisi qui priùs conversionis proposito professi fuerint castitatem.* Quis non videat, ex his Gratianeum canonem fuisse depromptum? Si quis autèm à me fortè petierit, quò referenda sint illa canonis verba: *secundum Synodi instituta*, facilè responderim, pertinere ad canonem 22. Concilii Arausicani I., quod paulò antè Concilium Arelatense II. celebratum fuerat. Verba Arausicani canonis hæc sunt: *Sedit præterea, ut deinceps non ordinentur Diacones conjugati, nisi qui priùs conversionis proposito professi fuerint castitatem.*

Can. 2. dist. 55. Alterum fragmentum habetur in Can. 2. dist. 55., qui consonat cum can. 3. ejusdem Concilii Arelatensis III., dummodò pro illis verbis: *Missas celebrare præsumpserit, Ecclesiæ communione privetur, & ab omnium fratrum communione noverit se alienum*, ità potiùs legamus: *Missas celebrare præsumpserit, ab omnium fratrum charitate se noverit alienum*, quam scribendi formam aliquâ in parte jam observaverunt Romani Correctores, quanquàm & isti *charitatis*, & *communionis* vocabula promiscuè acceperint, quæ meo judicio longè diversam criminis pœnam præseferunt, cum aliud omninò sit fidelium *communione*, aliud fidelium eorumdem *charitate* privari.

Canones adjecti. Debuerunt hæc omnia superiùs memorata Concilia vel ex hoc uno simùl congeri in unum locum, quòd adhùc nonnulla supersint fragmenta Concilii Arelatensis nomine apùd Gratianum inscripta, quin tamèn dignosci possit, ad quod ex Arelatensibus Conciliis referri debeant. De istis agendum in præsens superest.

Primus est Canon 12. dist. 18., qui in quibusdam Gratiani exemplaribus, etiàm pòst correctionem Romanam, hanc habet inscriptionem: *Ex Concilio Arelatensi cap.* 19. Laudandum erat hoc in loco Concilium Arelatense II., in quo Hilarius Arelatensis, ut superiùs animadvertebam, se Primatem in Galliis constitui exoptabat, ità ut non tantùm Galliarum, sed totius etiàm Occidentis Episcopi ejusdem jurisdictioni in Conciliorum celebratione obtemperarent. In Canone enim 18. hujus Concilii ità cautum fuerat: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub Sancti Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium, atque conventum. Si quis commonitus infirmitatis causâ defuerit, personam vice sua dirigat.* Dein in Can. 19. statim subditur: *Si quis autèm adesse neglexerit, &c.* quemadmodùm leguntur apùd Gratianum in dicto Canone 12. Quicumque de bono jure Hilarii Arelatensis dubitaverit in hac re, facilè intelliget etiàm de auctoritate hujus canonis maximè dubitandum esse, immò etiàm reprobabit illum, statim ac à Pontifice Maximo Leone 1. reprobatum in hac parte fuisse Hilarii Arelatensis factum animadvertet: videsis Epistolam Leonis 89., aliàs 10. ad Episcopos Viennensis Provinciæ, ibi: *Hilarius Ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit, ità suæ vos cupiens subdere potestati, ut se B. Apostolo Petro non patiatur esse subjectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in suam transferens potestatem, &c.* Verùm de his fusior sermo instituetur suo loco, ubi agendum erit de Epistolis Magni Leonis.

Can. 12. dist. 18.

Canonem 17. caus. 18. quæst. 2., plures arbitrati sunt, Epitomen esse Canonis 16. præcedentis, qui est Concilii Aurelianensis I., quemadmodùm suo loco ostendam. Quod eo vel magis ve-

Can. 17. caus. 18. q. 2.

ro-

rosimile redditur, quia in quibusdam Gratiani editionibus idem Canon 17. ex Concilio Aurelianensi laudatur, ut facile sit suspicari, apùd quemdam fortè ex Collectoribus vetustis verba ejusdem Canonis 17. ad marginem collocata fuisse, vel quasi compendium in inscriptione dicti canonis Aurelianensis, uti fieri solet in Collectionibus Canonum ferè omnibus; Gratianum verò quasi verba Concilii Aurelianensis retulisse incautè, ac postremò in quibusdam Codicibus ex Typographorum oscitantiâ pro Aurelianensi Concilio commemoratum fuisse Arelatense. Porrò eadem fermè canonis hujusce sententia legitur in pluribus Aurelianensibus Conciliis: ut enim omittam relatum Canonem 16. caus. 18. quæst. 2., est etiàm Canon 22. Concilii Aurelianensis I., Canon 21. Concilii Aurelianensis II., Canon 23. Concilii Aurelianensis III., ex quibus omnibus liquido constat, quinto, & sexto sæculo, quibus eadem Concilia celebrata feruntur, Monasteria, & Monachorum disciplinam ad Episcopi Diœcesani jurisdictionem pertinuisse, quemadmodum, paucis quidèm, sed clarissimè dicitur in dicto Can. 17. caus. 18. quæst. 2. Verùm quotquot hùc usquè Gratianeis Canonibus notas subdiderunt, nondum omninò ejusdem Canonis autographum indicarunt. Video ego, non opus esse, ut ad Concilia potiùs Aurelianensia confugiatur; quandoquidèm editum hodiè habemus Concilium Arelatense V. anni 554. sub Episcopo Sabaudo, & Rege Childeberto, in quo canone 2. ità decretum legitur: *Ut Monasteria, vel Monachorum disciplina ad eum pertineat Episcopum, in cujus Territorio sunt constituta.* Quicumque verba hæc cum Gratiani fragmento contulerit, illud idem ad hoc Concilium referendum esse non ambiget.

Can. 4. caus. 21. q. 5. In nonnullis etiàm recentioribus Gratiani editionibus canon 4. caus. 21. quæst. 5. nulli determinatè ex Arelatensi Concilio tribuitur; cum tamèn eisdem omninò verbis reperiatur descriptus in Concilio Arelatensi, vulgò tertio, anni 524., de quo superiùs agebam.

Perperàm ex Arelatensi Concilio inscriptus est can. 37. caus. 27. quæst. 1.; neque enim aut ipse, aut similis quæpiam sententia in ullo ex Conciliis Arelatensibus legitur, nisi fortè respicere velimus ad Canonem 52. Concilii Arelatensis II. ità expressum: *De puellis, quæ se voverunt Deo, & prædari decore nominis floruerunt, si pòst viginti & quinque annos ætatis ad terrenas nuptias spontè transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut cum his, cum quibus se alligaverint, communione priventur, ità ut eis postulantibus pœnitentia non negetur, cujus pœnitentiæ communio multo tempore differatur.* Verùm hæc, etsi paulispèr cum Gratiani fragmento convenire videantur, nondùm tamèn integram illius sententiam continent. Alibi quærendus est Gratianei Canonis fons, & origo. Pertinet hic canon ad Capitularia Francorum Regum, in quibus habetur in lib. 6. cap. 414. Parisiensis editionis anni 1677. eisdem omninò verbis, quem in suam quoquè Collectionem selectorum Capitularium retulit Isaaccus Episcopus Lingonensis circa annum 860. tit. 3. cap. 5., atque exindè etiàm facilè colligo, quisnam errori causam dederit. Nimirùm Burchardus Wormaciensis eo animo erat, atque iis gentis suæ adfectionibus ducebatur, ut à laudandis Francorum Regum Capitularibus abstineret ob frequentes sui temporis contentiones Francorum cum Germanis, apùd quos degebat. Ipse propterèa, hocce Capitularium fragmentum in suam Collectionem relaturus, ne Capitularium nomine uteretur, in inscriptionibus supposuit nomen Concilii Arelatensis, quo & generàtim in Galliis editum canonem fuisse indicaret, aliàs verò à Capitularibus, uti proposuerat, memorandis temperaret. Id frequens Burchardo extitisse jam in præfatione operis admonui. Atqui ex Burchardo Arelatense Concilium laudavit Ivo Carnoten-

Can. 37. caus. 27. q. 1.

tensis, ex Ivone de more suo menda in suum Codicem transtulit Gratianus. His addam prætereà, eumdem canonem comprobatum fuisse in Concilio Troslejano anni 909. can. 8., itèm nonnulla consentanea haberi in canone 6. Concilii Turonensis I. anni 461. ibi: *Qui verò se sacratis virginibus per conjunctionem nefandam miscuerint, vel propositum professæ religionis dereliquerint, utrique à communione habeantur alieni; quia si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, donèc resipiscentes à laqueo diaboli, à quo lapsi tenentur, ab ipsius voluntate ad auxilium pœnitentiæ revertantur.*

Can. 38. caus. 27. q. 1. Animadverterunt viri, in Codice Gratianeo versatissimi, canonem 38. caus. 27. quæst. 1. in vetustis Gratiani Codicibus desiderari, in iis videlicèt, à quibus aberant Paleæ; in aliis verò Codicibus laudari nomine Concilii Toletani III. cap. 10.; sed in vulgatis Gratiani editionibus ità expressus est, ut videatur ab eodem Arelatensi Concilio constitutus, à quo constitutus dicitur canon præcedens. Verùm, quicumque hunc canonem conferet cum canone 16. caus. 32. quæst. 2., statim dignoscet utrumque ex eodem Concilio depromptum esse, videlicèt ex memorato Concilio Toletano III. anni 589. can 11., cujus hæc sunt verba, ex quibus Gratiani scriptura suppleri poterit: *Pro consulto castitatis, quod maximè hortamento Concilii proficere debet, annuente Domino nostro gloriosissimo Recaredo Rege, hoc sanctum affirmat Concilium, ut viduæ, quibus placuerit, teneant castitatem, & nulla vidua ad nuptias iterandas venire cogatur. Quòd si, priusquàm profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, quos propriâ voluntate elegerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, ne citra voluntatem parentum, vel suam cogantur maritos accipere. Si quis verò propositum castitatis viduæ, vel virginis impedierit, à sancta Communione, & à liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.*

Can. 6. caus. 30. q. 5. Ex Capitularibus Francorum Regum laudandus erat canon 6. caus. 30. quæst. 5., in illis enim legitur lib. 6. cap. 133. editionis Parisiensis anni 1677. eisdem ferè verbis. Gratianus ab Ivone deceptus est, Ivo à Burchardo, qui primus ità canonem eumdem inscripsit: *Ex Concilio Arelatensi cap. 6.*, quæ dein inscriptio in Gratiani Codicem translata est. Nolebat Burchardus, quemadmodùm jam aliàs attigi, Capitularia Francorum Regum commemorare, cum viveret apùd Germanos tùnc res Francicas sui temporis execrantes; aliàs verò cum hocce fragmentum rei suæ valdè accommodum agnosceret, ab eo abstinere noluit, sed ratus est se posse illud ipsum referre, mutato nomine auctoris, & Arelatensi Concilio tribuendo. Et quidèm, licèt id non deceret Collectoris integritatem, tamèn vel in eo fidem servavit Burchardus, quòd Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam Gallicano Concilio adscripserit. Verba autèm, quæ in Capitularibus habentur, isthæc sunt: *Nullum sine dote fiat conjugium, nec sine publicis nuptiis quisquam nubere præsumat.* Hinc adparet verba illa, quæ apùd Gratianum leguntur: *juxta possibilitatem fiat dos*, & illa, *vel uxorem ducere*, per posteriores Collectores addita esse, nisi quispiam suspicari malit eadem ad marginem primùm adposita fuisse, & dein in textum irrepsise librariorum incuriâ. Quamquàm verò & illud observandum est, Capitularium sententiam ipsam commodè explicandam esse, ne fortè quispiam putet circa sæculum 9. talem inductam fuisse disciplinam, ut & publicè deberent conjugia celebrari, & interveniente dote. Consilia hæc potiùs erant Gallicanorum Patrum, non decreta, ut ajunt, irritantia, aut leges, quæ conjugia alitèr inita tanquàm invalida habenda esse sancirent; quod enim in primis pertinet ad dotis constitutionem, Reipublicæ quidèm interest mulieres dotatas esse arg. l. 2. ff. *de jure dotium*, sed non adeò ut sine dote nullum sit matrimonium l. 22. cod. *de nuptiis*: *non enim dotibus, sed affectionibus matrimonia contrahuntur*, quemadmodùm ajebat Justinianus

ni

in l. 11. cod. *de repudiis*. Præterea, licèt nuptias clanculùm initas sempèr Ecclesia reprobaverit, ante Concilium Tridentinum eadem nondùm omninò irritæ declaratæ fuerant, uti in eodem Tridentino Concilio providè æquè ac sapientissimè decretum est in sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.

Can. 94. de cons. dist. 2.

Ad nullum ex Conciliis Arelatensibus, quæ hùc usquè edita sunt, pertinere potest canon 94. dist. 2. de consecr., quemadmodùm à Gratiano tribuitur, nec ad aliquod ex Conciliis Aurelianensibus, sicuti Burchardo adscribere placuit in lib. 5. cap. 51. Potiùs videtur excerptus ex aliquo vetusto Pœnitentiali. Sanè, si Pœnitentiale, quod edidit Antonius Augustinus, & Romanum appellavit, Collectionem Burchardi vetustate antecelleret, facilè ex eodem canonis hujus origo repeti posset; etenim hic canon apùd ipsum legitur ad calcem epitomes tit. 5. cap. 11. eisdem omninò verbis, quibus apùd Gratianum habetur. Non opus est tamèn, quandoquidèm aliud Pœnitentiale antiquius produci potest, ad quem is canon sit referendus. Ille est liber Pœnitentialis, ab Halitgario ex Ecclesiæ Romanæ scriniis excriptus circà annum 820., quem prætèr alios edidit Morinus in Appendice ad librum de pœnitentia, ubi cap. 10. ità legitur: *Qui non benè custodit sacrificium, & mus comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autèm perdiderit suum chrismal, aut solum sacrificium in regione qualibet, ut non inveniatur, tres quadragenas, vel annum pœniteat.* Hæc cum Gratiani fragmento collata plurimùm consonant, ut videatur Gratianeus canon ab hoc Romano Pœnitentiali, tanquàm à fonte, repetendus, & ex eodem, tanquàm ab archetypo, emendandus. Verùm heic ego minimè sistendum arbitror. Antiquiorem agnosco canonis originem, & quidèm à sæculo 7., quo tempore florebat Theodorus Cantuariensis, cujus Pœnitentiale, & Capitula magni sempèr ab omnibus facta sunt, & non modicam collectoribus canonum materiem suppeditarunt. Edidit nonnulla Theodori Capitula Jacobus Petitus Parisiis anno 1677. in primo volumine pag. 15., & sequentibus, quæ asserit *ex antiquo MS. optimè descripta*: numero autèm 55. hæc leguntur: *Qui non benè custodierit sacrificium, & mus, vel aliquod animal aliud comederit, illum quadraginta dies pœniteat. Qui autèm perdiderit illud in Ecclesia, aut pars ejus ceciderit, & non inventa fuerit, viginti dies pœniteat.* Hæc eadem sunt cum canone Gratiani, & nullum aliud discrimen inter utrumque dignoscitur, quàm in postremis verbis Gratiano scribente: *triginta dies pœniteat*, errore fortè proficiscente ex numeralibus notis, in quibus sedulus quispiam errare facilè potest: ceterùm Burchardus etiàm habet: *viginti dies pœniteat*, quemadmodùm legitur in memoratis Theodori Capitulis. Illud unum adhùc adjiciendum est, ut demonstretur reverà canonis Gratianei archetypum esse in Capitulis Theodori: Videlicet Burchardus, à quo & Ivo, & Gratianus acceperunt, hoc caput retulit in cap. 51. lib. 5.; at in præcedentibus capitibus, hoc est in 46., 47., 48., 49., & 50. retulerat eadem Theodori capitula, & quidèm eodem ordine, qualia habentur in Collectione memorata Petiti; nàm caput 46. Burchardi respondet canoni 50. apùd Petitum, caput 47. canoni 51., caput 48. canoni 52., caput 49. canoni 53., caput 50. canoni 54., ità ut videatur maximam Capitulorum Theodori partem eo in loco Burchardus in Codicem suum transtulisse. Quamobrèm facilè concludere potero, caput 51. Burchardi, qui idem est cum canone 94. de cons. dist. 2. apùd Gratianum ad laudatum Capitulum 55. Theodori Cantuariensis referri omninò debere.

CAPUT V.

De Concilio Neocæsareensi.

Neocæsareensi Concilio apùd Gratianum sequentes Canones adscribuntur.

Can. 9. *dist.* 28. *apùd varios Græcæ linguæ Interpretes varius*
Can. 11. *dist.* 34. *vix in diversis exemplaribus varius.*
Can. 1. *dist.* 57. *ad melioris notæ Codicem exigendus.*
Can. 4. *dist.* 78. *cum sententiâ Græci canonis consonat.*
Can. 12. *dist.* 93. *ex melioris notæ Codicibus jam restitutus.*
Can. 12. *dist.* 95. *varius in Codicibus diversis.*
Can. 1. *caus.* 15. *q.* 8. *varius in Codicibus diversis.*
Can. 8. *caus.* 31. *q.* 1. *vix in diversis exemplaribus varius.*

CAppadociæ in Ponto Polemoniaco sita fertur Neocæsarea Civitas ad Lycum flumen. Ad eam iidem ferè, qui in Ancyrana Synodo interfuerunt, novi Concilii celebrandi causâ convenerunt Episcopi numero tredecim, quamquàm non desint Codices, in quibus recenseantur quinquaginta. Apùd omnes testatum est, Neocæsareensem hanc Synodum Ancyranâ quidèm posteriorem esse, & Nicænâ priorem; sed quo anno celebrata fuerit, non satis certum est. Referunt vulgò illam ad annum 315., quòd Basilius Amasenus in ea interfuerit, qui anno 316. jussu Licinii martyrium perpessus est. Canones in ea editi ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam pertinent, præcipuè verò ad distribuendos ecclesiasticos gradus, atque ad præstituendas conjugiorum rationes; numeranturque 15., licèt alii referant tantùm 14., sed levi discrimine; cum isti simùl conjunxerint canones 13., & 14. Hujusmodi decreta maximi sempèr habita sunt, quemadmodùm Ancyrana, sive ob vetustatem Concilii, sive ob Episcoporum doctrinam, sive ob decretorum eorumdem sanctitatem, ac propterea vel antiquissimi canonum Collectores eadem in suis Codicibus recensuerunt; inter ceteros Dionysius Exiguus latinitate omnia donavit, atque ad occidentalem Ecclesiam transduxit, apùd quam deincèps eximiam sempèr auctoritatem obtinuerunt. Variæ tamèn fuerunt apùd nostros Græcorum canonum interpretationes, quapropter curandum sempèr erit, ut Græca exemplaria adeantur, quotiès penès eruditos de germana latini canonis interpretatione dubitatur, aut sàltem ad antiquiores latinos Codices confugiendum, cum sciverimus Græcorum libros fuisse aliquandò turbatos, atque corruptos.

Primus hujus Concilii canon legitur in can. 9. dist. 28., ubi Gratianus Isidori Mercatoris interpretationem sequutus est. Paulò alitèr habet Dionysius Exiguus his verbis: *Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur: si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.* Hoc sanè in loco mentio nulla fit de ea pœnitentia, quâ delinquentem Clericum inter Laicos redigi oporteat, quemadmodùm apùd Gratianum habetur. At si ad alios Codices Græcis exemplaribus conformes confugere velimus, in promptu erit Codex ille, quem vulgò appellant Codicem Ecclesiæ universæ. Ibi ità legitur: *Presbyter si uxorem duxerit, ordine suo moveatur; si autèm fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit penitùs extrudatur, & ad pœnitentiam redigatur*, quam interpretationem etiàm edidit, qui Pandectas canonum evulgavit Oxonii anno 1677. Ceterùm sive Isidori Mercatoris, sive Gratiani lectio, quæ paulò difformis Neocæsareensi Concilio videtur, à Græcorum sententiis non est

Can. 9. dist. 28.

pe-

penitùs aliena ; immò si S. Basilii canones observaverimus, ad eos respexisse videbitur Isidorus, ubi de pœnitentia Sacerdotum inter Laicos peragenda verba fecit. Etenim Basilius in can. 32. ad Amphilochium ait : *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidèm dejiciuntur ; à Laicorum autèm communione non arcentur ; non enim vindicabis bis in idipsum;* quibus consonat canon 24. inter Apostolicos, ex quo disciplinæ Græcæ ratio rectè deduci potest. Erat ergò tum receptum, ut Clerici, quotiès in graviora flagitia incidissent, à gradu quidèm suo dejicerentur, non autèm consuetos apùd Laicos pœnitentiæ gradus obirent, videbatur enim pœna satis aspera, & gravis vel una dejectio à gradu, & honore Ecclesiastico. Prætereà observatione dignum est, Græcos Interpretes, atque apùd ipsos præcipuè Balsamonem intellexisse Neocæsareensem canonem de Presbyteris, qui non antè, sed pòst ordinationem nuptias contraxerint ; & quidèm rectè, cum in eodem Neocæsareensi Concilio canone 8. talis Græcorum disciplina fuisse præsumatur, ut liceret etiàm iis, qui nuptias celebrassent, vivente adhùc uxore, Sacerdotio initiari.

Can. 11. dist. 34. Hic octavus canon habetur apùd Gratianum in canone 11. dist. 34., quem Dionysius Exiguus paulò alitèr interpretatus est his verbis : *Mulier cujusdam adulterata Laici constituti, si evidentèr arguatur, talis ad ministerium Cleri venire non poterit. Si verò pòst ordinationem adulterata fuerit, dimittere eam convenit ; quòd si cum illa convixerit, ministerium sibi commissum obtinere non poterit.* Clariùs, & pressiùs alii ex Græcis exemplaribus ità verterunt. *Si alicujus uxor, cum esset laicus, adulterata fuisse planè convicta fuerit, is non potest ad ministerium accedere. Sin autèm etiam pòst ordinationem adulterata fuerit, debet eam dimittere. Quòd si cohabitet, non potest sibi commissum ministerium exequi.* Sanè, si veteribus canonibus vetitum scimus, ne digami, aut viduam ducentes, ad Sacerdotium promoverentur propter suspicionem incontinentiæ, quæ in digamorum conjugiis præsumitur, eádem, imò poteriore ratione, interdicendum erat, nequis in Sacerdotio permaneret, si ab adulteræ uxoris consuetudine minimè recessisset.

Can. 1. dist. 57. In can. 1. dist. 57. exhibetur can. 12. Neocæsareensis, qualem descripsit Isidorus Mercator, qui tamèn pro verbis illis postremis : *aut hominum raritas exegerit*, hæc habet : *aut hominum raritas cogant* : non desunt, qui ità legunt : *aut hominum charitas cogat* : Dionysius Exiguus ità interpretatus est Græcum canonem : *Si quis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem Presbyterii non potest promoveri ; quòd non ex proposito fides ejus, sed ex necessitate descendit : nisi fortè propter sequens studium ejus, & fidem, atque hominum raritatem talis possit admitti.* Vis porrò hujus canonis hæc est, ut nemo ad Sacerdotium promoveatur, nisi qui integrâ, verâque animi affectione Deo liberiùs servire maluerit. Et quidèm minimè dubitabatur apùd veteres, utrùm vere, validèque, ut ajunt, Baptismum suscepissent, quicumque in ægritudine Baptismi Sacramentum petiissent. Dubium omne removerat generalis Patrum doctrina, etiàm illorum, qui sanctitatem vitæ, ac morum in Baptismatis collatione exegerunt. Cyprianum laudo in Epistola ad Magnum ità nitidissimè scribentem : *Quæsisti etiàm, fili charissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate, & languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quòd aquâ salutari non loti sint, sed perfusi. Nos, quantum concipit mediocritas nostra, existimamus in nullo mutilari, & debilitari posse beneficia divina, nec minùs aliquid illic posse contingere, ubi plenâ, & totâ fide & dantis, & sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur.* Verùm, cum apùd omnes, apùd ipsos etiàm Ethnicos, qui tandèm aliquando ad fidem Christi venire cupiebant, id persuasissimum esset, quamplures, terrenarum rerum studio, & voluptatibus illecti, Baptismum ad postremum ferè mortis diem, aut grave

quodpiam vitæ periculum differebant, qui propterea à Christianis *Clinici* appellabantur, nec vulgò tanquàm integerrimæ fidei homines habebantur; atque illis idipsum vitio egregio vertebatur, si fortè, periculum elapsi, ad Episcopatus, aliasve dignitates Ecclesiasticas se per ambitum promoveri exoptassent. Sic inter cetera, quæ objecta fuerunt Novatiano, ne Presbyter ordinaretur, hoc fuit, quòd in ægritudine Baptisma suscepisset jam antè Concilium hoc Neocæsareense, uti tradit Eusebius lib. 6. historiæ cap. 43. Quamobrèm adparet, in hoc canone non disciplinam aliquam recèns inductam fuisse, sed veterem potiùs Ecclesiæ consuetudinem confirmatam.

Can. 4 dist. 78. Sententia canonis 4. dist. 78., cujus verba ex Isidoro Mercatore deprompta sunt, rectè consonat cum græcis exemplaribus in canone 11. ejusdem Concilii. Nihilominùs juvabit eadem referre, quæ in Dionysii interpretatione habentur. Sunt autèm hæc: *Presbyter antè trigesimum ætatis suæ annum nullatenùs ordinetur, licèt valdè sit dignus, sed hoc tempus observet; nàm Dominus noster trigesimo ætatis suæ anno baptizatus est; & sic cœpit docere.* Nolim tamèn, quempiam ità exindè sentire, ut nunquàm ab hac disciplina apùd veteres recessum fuerit: eoque minùs, ut id ex institutione Christi Domini proficiscatur; quandoquidèm apertissima etiàm apùd veteres monumenta docent minorem modò, modò majorem Sacerdotalibus officiis ætatem fuisse præstitutam. In lege quidèm vetere Aaroni, Moysique præcepit Dominus, ut Levitas, sive Ministros Altaris *à trigesimo anno, & suprà* seligerent, uti dicitur Numerorum cap. 4. Atque hanc legem probando sequi voluit Servator Sanctissimus, dum anno trigesimo demùm ætatis suæ & baptizari voluit, & cœlestibus doctrinis homines imbuere. Sed, cum non eadem Apostolos omnes ætate selegerit, quos prædicationis suæ consortes haberet, sed seniores alios, alios juniores, nobis significasse videtur non ætatem potissimùm inspiciendam esse, at potiùs virtutem, peritiam, ceterasque facultates, ad sacra ministeria peragenda necessarias. Hinc S. Paulus minimè dubitavit Timotheum adhùc adolescentem in Episcopum consecrare, uti rectè deduci potest ex ejus epistola 1. ad eumdem Timotheum cap. 4. vers. 11.; itèm Nicephorus Callistus Histor. Eccles. lib. 3. cap. 29. refert, Eleutherium Illyrici Episcopum ordinatum fuisse, etiamsi nondùm ætatis suæ annum vigesimum transegisset; necnon Hincmarus Rhemensis in vita S. Remigii ipsum ait vigesimo secundo ætatis suæ anno Archiepiscopatum Rhemensem obtinuisse. Postulabant aliquandò Viri cujuspiam eximii doctrina, pietas, & in Ecclesiam merita, postulabat ipsamet Ecclesiarum utilitas, ut adolescentior senioribus anteferretur. Quid ni à generali canonum regula dispensandum erat? Ceterùm, licèt quandoquè receptum fuerit, majorem etiam 30. annis ætatem requiri, quemadmodùm liquet ex novella Justiniani 123. cap. 13., ubi Presbyteros minores annorum 35. fieri non permittitur, sicuti Diaconos, aut Subdiaconos minores 25.; tamèn vetusta fuit regula, quâ trigesimus annus constitutus fuerat, atque ut plurimùm observata, uti probari potest ex dicto canone Neocæsareensi, & ex canone 17. Concilii Agathensis anni 506. Posteriore autèm ætate pòst collectionem Ecberti Eboracensis, sæculo 8. compositam, cœperunt Episcopi à regula illa deflectere; siquidèm Ecbertus in can. 95. canonem Neocæsareensem ità descripsit: *ut nullatenùs Presbyter ordinetur antè trigesimum ætatis annum, nisi rationabili necessitate cogente, quia Dominus Jesus non prædicavit ante 30. ætatis annum.* Verba illa, *nisi rationabili necessitate cogente*, quæ in Concilio desiderantur, quæque Ecbertus adjecit, causam dederunt Episcopis faciliùs dispensandi à lege; ideòque tum frequentiùs inductum est, ut Presbyteri 30. annis etiàm minores ordinarentur; undè tandèm eo fuit deven-

ventum, ut vigesimus quintus annus præstitutus fuerit, atque posterioribus Ecclesiæ legibus confirmatus.

Can. 12. dist. 93. Postremus ex Neocæsarcensis canonibus habetur in can. 12. dist. 93., cujus verba ità scripsit Dionysius Exiguus: *Diaconi septem esse debent juxtà regulam, licèt & valdè magna sit civitas. Idipsum autèm & Actuum Apostolorum liber insinuat.* Alii eumdem Græcum canonem ità sunt interpretati: *Diaconi septem esse debent ex canone, etiamsi sit magna civitas: ejus autèm rei fidem faciet liber Actorum.* Atque ex his adparet, jure à Romanis Correctoribus emendatam fuisse Gratiani scripturam, quæ ità habebat: *quamvis non magna sit Civitas.* Respexerunt hoc loco Neocæsareenses Patres ad Acta Apostolorum cap. 6., ubi dicuntur septem Diaconi constituti ab Apostolis; quod Apostolorum exemplum plures posterioris ætatis Episcopi sequuti sunt. Sic in Alexandrina Ecclesia factum fuisse, testatur Severus Alexandrinus apùd Abrahamum Ecchelensem, & in Ecclesia Romana Sozomenus lib. 7. hist. cap. 19.: unà tamèn animadvertens, aliam fuisse aliarum Ecclesiarum disciplinam, his verbis: *Diaconi apùd Romanos non plures sunt, quàm septem, ad similitudinem eorum, qui ab Apostolis ordinati fuerunt; apùd alios verò haudquaquàm definitus est numerus Diaconorum.* Ad interpretationem Neocæsareensis canonis mihi non displicet Græcorum sententia, quam non tantùm Balsamon, Zonaras, & Aristenus fecerunt, sed etiàm Episcopi, qui ad Concilium Trullanum convenerant, qualiscumque demùm habenda sit ejusdem Concilii auctoritas. Ab ipsis enim observatum fuit, duplicis generis Diaconos olim fuisse, quorum alii mensis subservirent, collectasque Fidelium oblationes indigentibus dispensarent; alii verò divinis Myteriis ministrarent. Porrò addiderunt Neocæsareensem canonem ad Diaconos, non secundi, sed primi generis pertinere, cum de illis tantummodò in Actibus Apostolorum, ad quos Neocæsareenses Patres respexerant, sermo institutus fuerit. Verba Trullani canonis 16. hæc sunt: *Quoniàm Actuum Liber septem Diaconos ab Apostolis constitutos esse tradit; Neocæsareensis autèm Synodus sic in canonibus à se editis aperte disseruit, ut septem debeant esse Diaconi ex canone, etiamsi sit magna Civitas: Ex Libro porrò Actuum persuadeberis: Nos, cum dicto Apostolico Patrum mentem adaptassemus, invenimus eos esse locutos, non de viris, qui ministrant mysteriis, sed de ministerio, quod in usu mensarum adhibebatur, cum Liber Actuum sic habeat: in diebus illis cum discipulorum multitudo cresceret....Pòst hæc ergò nos quoquè prædicamus, ut prædicti septem Diaconi non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt, ut est priùs exposita doctrina; sed eos esse, quibus fuit concredita, ac tradita dispensatio eorum, quæ tùnc collecta fuerant. Qui nobis in hoc quoquè forma fuere humanitatis, & studii in eos, qui indigent.*

Can. 12. dist. 95. Non una, eademque est apùd omnes Neocæsareensis 13. canonis interpretatio, qui habetur apùd Gratianum in can. 12. dist. 95. Dionysius Exiguus ità exhibet: *Præsbyteri ruris in Ecclesia Civitatis, Episcopo præsente, vel Præsbyteris urbis ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigere. Si verò absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt.* Aliis placuit ità Græcum canonem latinitate donare: *Regionarii*, legunt alii: *Vicani autèm Presbyteri in urbis Dominico offerre non possunt præsente Episcopo, vel urbis Presbyteris, neque Panem dare in oratione, neque Calicem. Sin autèm absint, & solus ad precationem vocatus fuerit, dat.* Porrò istæ interpretationes videntur indigitare, Parochias jam tùm temporis institutas fuisse, quasi Parochi veniant nomine *Presbyterorum ruris*, aut nomine *Regionariorum*, sive *Vicanorum Presbyterorum.* At de hoc valdè dubitaverim, proindèque aliam Græci canonis interpretationem quærendam esse arbitrarer. Martinus Braccarensis hunc canonem explicasse videtur de Presbyteris non ruralibus, sed qui ad extraneam Diœcesim pertinerent, his verbis in cap. 56. partis 1. *Forasticis Presby-*

byteris, præsente Episcopo, vel Presbyteris (aliqua MSS. habent, *Presbytero*) *civitatis, offerre non liceat, neque ministrare in populo, nisi fortè illis absentibus.* Joannes Doviatius ad marginem hujus canonis Neocæsareensem canonem his verbis adscripsit: *Presbyteri, qui conregionales non sunt, in Ecclesia, præsentibus Episcopis, vel Presbyteris Civitatis, offerre non possunt, nec dare Panem sanctificatum, nec Calicem porrigere. Quòd si absentes sunt Civitatis Sacerdotes, & fuerint invitati ad dandum orationem, soli debebunt dare.* Paulò alitèr vim canonis explicavit Alexius Aristenus, ità scribens: *Presbyter rare degens in civitatis Templo ne offerat, nisi Episcopus, & totus Presbyterorum cœtus adfuerit: si verò adfuerint, & ipse vocetur, offert.*

Can. 1. caus. 15. q. 8. Non eadem quoquè est apùd omnes interpretatio canonis 9., & 10. Neocæsareensis, quos junxit Gratianus in can. 1. caus. 15. quæst. 8. En primum Dionysii Exigui verba in can. 9. *Presbyter si præoccupatus corporali peccato provehatur, & confessus fuerit de se, quòd ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis, propter studium bonum. Nàm peccata reliqua plerique dixerunt per manus impositionem posse dimitti. Quòd si de se non fuerit ipse confessus, & argui manifestè nequiverit, potestatis suæ judicio relinquatur,* & in can. 10. *Simili modo etiàm Diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.* Paulò alitèr Hervetus latinum fecit hunc canonem. In can. 9. *Si Presbyter, qui corpore priùs peccaverat, promotus fuerit, etsi ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat, manens in aliis propter aliud ejus bonæ vitæ studium. Reliqua enim peccata dicunt multi manuum impositione tolli. Quòd si ipse non confiteatur, apertè autèm convinci non potuerit, illius quoquè ei fiat potestas,* & in can. 10. *Similitèr & Diaconus, si in idem peccatum inciderit, ministri ordinem habeat.* Quæ Gratianus descripsit, conveniunt potiùs cum Isidoro Mercatore. Canonis autèm sententia hæc est: In primis decernitur, eos, qui antè Sacerdotalem Ordinationem castitatem corpore violaverint, à sacris Presbyterorum officiis arceri, & quidèm rectè; si enim remoti semper fuerunt, qui bis successivè nuptias contraxerunt, aut viduam duxerunt propter unam incontinentiæ suspicionem, potiori ratione arcendi erant illi, de quorum gravi incontinentiâ apertissimè constitisset. Incontinentiæ crimen potissimum illud visum est sanctis Patribus, quòd à Clericis omni modo eliminaretur. Sed *reliqua peccata*, subsequuntur Neocæsareenses Patres, *dicunt multi manuum impositione tolli.* Reliquorum peccatorum nomine veniunt leviora, quibus scilicèt non corpore integritas amittitur, sed solo animo, ac voluntate. Hæc voluntas improba plurimorum veterum judicio manuum impositione tollitur. Non hic sermo est de manuum impositione reconciliatoria, sive pœnitentiali, sed de manuum impositione consecratoria, quæ fit in sacra ordinatione Sacerdotum. Scilicèt hujus manuum impositionis ea virtus esse creditur, ut inordinatos quosdam animi affectus facilè extinguat, licèt difficiliùs amissæ corporis integritati remedium adferat. De Diaconis subobscura videtur esse sententia propter memoratam interpretationum varietatem. Ego in explicatione Græci canonis à Græcorum Interpretum sententia non recedo, præsertim cum iidem Græci Interpretes accommodam significationem Neocæsareensium Patrum verbis tradiderint. Balsamon itaquè hæc habet de Diaconis: *A Diaconi dignitate excident, in Ministri autèm ordinem deprimentur, Hypodiaconi scilicet, qui non est ordinatus, vel lectoris.* Zonaras ità scribit: *Excidet à Diaconatu, & in Ministri locum dejicietur.* Aristenus etiàm ait: *Tantùm Ecclesiæ Minister erit.* Ex quibus patet, pœnam malè conscii Diaconi, & convicti, eam fuisse, ut ipse in sequentem gradum dejiceretur ministraturus.

Canon 8. caus. 31. quæst. 1. exhibet duos ex Neocæsareensibus canonibus, scilicèt 3., & 7. Tertium ità exposuit Dionysius, à quo emendandum

Can. 8. caus. 31. q. 1.

vi-

videtur Gratianeum fragmentum : *De his, qui in plurimas nuptias inciderunt, & tempus quidem præfinitum manifestum est, sed conversatio eorum & fides tempus adbreviat.* Septimum verò ità interpretatus est : *Presbyterum in nuptiis bigami prandere non convenit* (alii pro verbo *prandere* scripserunt *convivari* ; alii *interesse*), *quia, cum pœnitentiâ bigamus egeat, quis erit Presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum?* Arbitror ego, hoc in loco non de illis digamis agi, qui, mortuâ conjuge, novas nuptias appetierunt, sed de illis, qui eâ ætate divertere ab uxoribus vel levissimâ de causâ consueverant ex novarum nuptiarum cupiditate. Atque id significare videntur verba illa : *qui in plurimas nuptias exciderunt.* Si fortè quispiam quæsierit, quodnam fuerit tempus illud, quod *præfinitum* jamdiù vocat Concilium Neocæsareense, dixerim aliud in bigamis, aliud in trigamis fuisse constitutum, videlicèt bigamis indicta est bennii, trigamis quinquennii pœnitentia ; quod apertè deduci potest ex canone 4. S. Basilii ad Amphilochium, ubi ex antiqua consuetudine hanc disciplinam se accepisse Basilius idem testatur.

CAPUT VI.

De Romanis Conciliis, S. Sylvestro Pontifici Maximo adscriptis.

Concilio Romano sub S. Sylvestro Pontifice Maximo tribuuntur apùd Gratianum sequentes Canones.

Apocryphi omnes.
- *Can.* 1. *dist.* 24. *ad antiquiora exemplaria exigendus.*
- *Can.* 2. *dist.* 45. *in variis Concilii Codicibus varius.*
- *Can.* 5. *dist.* 93. *in variis Codicibus varius, & obscurus.*
- *Can.* 1. *dist.* 98. *habetur tantùm in epilogo Synodi.*
- *Can.* 2. *caus.* 2. *q.* 4. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 2. *caus.* 2. *q.* 7. *ex aliis exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 10. *caus.* 2. *q.* 7. *ex aliis exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 9. *caus.* 11. *q.* 1. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 10. *caus.* 11. *q.* 1. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 33. *caus.* 11. *q.* 1. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 15. *de cons. dist.* 1. *habetur tantùm in epilogo Synodi.*
- *Can.* 46. *de cons. dist.* 1. *habetur tantùm in epilogo Synodi.*

Adduntur illis.
- *Can.* 40. *caus.* 16. *q.* 7. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 14. *caus.* 2. *q.* 5. *jam dudùm Gregorio Magno restitutus.*
- *Can.* 2. *caus.* 5. *q.* 2. *falsò Sylvestro Pontifici adscriptus.*
- *Can.* 30. *caus.* 23. *q.* 4. *Silverio jamdiù restitutus.*

APùd eos, qui vetera Conciliorum omnium monumenta sedulo studio collegerunt hodiernis temporibus, tria Concilia referuntur in Romana Urbe à Sylvestro Pontifice Maximo celebrata. Vel enim quòd tùnc reddita Ecclesiæ pax fuisset, vel quòd inter fideles ipsos schismata pro causis fidei suborta essent frequentiora, vel quòd, frigescente fidelium charitate, morum disciplina corrueret, facilè pluribus persuasum est sacros Conventus Romæ præsertim fuisse factos, in quibus & disciplina eadem restitueretur, firmaretur

&

& fides jam diù victoriis Martyrum illustrata. Prius Concilium referunt ad annum 315., qui Sylvestri Pontificatus dicitur secundus. Secundum referunt ad annum 324. ; postremum ad annum 325. In priore fertur disputatio facta adversùs Judæos, quorum perfidiam & Constantinus Imperator agnovit, atque etiàm latâ lege damnavit, cujus rei argumentum vulgò desumitur ex l. 1. Cod. Theodos. de Judæis. Postremum, asserunt, ideò celebratum, ut ea, quæ in Nicæna Synodo stabilita fuerant, confirmarentur ; atque in eo recensentur canones aliquot de recipiendo Concilio Nicæno editi, de Paschæ solemnitate, de causis Clericorum, ac de Ordinationibus eorumdem. De duobus his parùm juvat disserere; scilicèt prioris nullum canonem habemus; postremi verò etiamsi decreta quædam non ignoremus, tamèn ex iis non sunt, quos Gratianus in Codicem suum transtulerit. Illud unum attingere sufficiat, Concilium Romanum III. anno 325. adtributum referri, tamquàm præsens in eo Constantinus adfuerit; quod fides historicorum asserere minimè patitur, proindèque non tamquàm certum disciplinæ veteris Ecclesiasticæ præsidium haberi posse.

In secundo potiùs Concilio subsisto, quod celebratum dicitur anno 324., ex quo nonnulli Canones Gratianei deprompti sunt. Satis mihi videtur indicare, hoc Concilium adparuisse primùm in Collectione Isidori Mercatoris, ut statim talis suboriatur suspicio, ex qua inter apocrypha potiùs monumenta recenseatur. Supervacaneum sanè hodiè foret eà in medium argumenta proferre, ex quibus hæc Synodus falsitatis damnetur; illa enim apùd eruditos viros tritissima sunt: sed quoniàm aliquis eadem hunc in locum adferri debuisse facilè dixerit, libens tradidero, ut nihil ad hanc rem necessarium deesse videatur. Atque in primis observare juvat, Collectores Conciliorum non tantùm descripsisse Synodi acta, verùm etiàm quemdam Synodi epilogum Isidori Mercatoris, aut alterius cujuspiam auctoris incerti manu exaratum, actis Synodi præmisisse. Gratianus verò non tàm à Synodo, quàm ab hoc Synodi epilogo canones suos accepit; æquè enim omnia digna existimabat, quæ in suum Codicem referret. Ut de epilogo nonnulla attingam, præterquamquòd nullam omninò fidem meretur, utpote privati, incertique auctoris opus, perperàm omninò consarcinatus est, & in pluribus non tàm actis ipsis Concilii dissimilis, quàm contrarius. In prioribus verbis narratur, Nicænum Concilium jam eo tempore celebratum fuisse, atque in eodem Photinum hæreticum fuisse damnatum. Quomodò verò consonare hæc possunt cum veterum historicorum fide, tradentium Photinum vixisse pòst tempora Nicæni Concilii, & hæresim ejus fuisse damnatam anno demùm 344., de qua re videri poterit Matthæus Latroquanus in dissertatione de Photino ? Quommodò etiàm hæc constare possunt cum epocha Concilii hujus Romani, quod ad annum 324. vulgò refertur, Nicænum verò Concilium anno 325. celebratum est ? Prætereà auctor epilogi narrat, in hac Synodo à Sylvestro Pontifice Maximo damnatos fuisse Callistum, Arium, & Photinum, atque Sabellium, de quibus tamèn in Synodalibus actis ne verbum quidèm habetur. Phrases etiàm, Isidoro Mercatori consuetæ, ac familiares, in hac canonum optimè habentur ibi: *Episcopi, qui throni Dei vocantur, non sunt lacerandi, sed portandi* : quæ sanè non ausus est Isidorus inter Canones Concilii adscribere. Pòst epilogum succedit Synodus in duas actiones divisa, quarum singulæ decem continent canones, qui omnes numero viginti recensentur. Porrò de his omnibus, ac de tota Synodo altum apùd veteres silentium est, licèt ea ingenti Episcoporum numero celebrata dicatur, videlicèt Episcopis 267, atque, ut aliis lubet, 277., aliis etiam 284. Primus eam evulgavit celeberrimus deceptor Isidorus. Non eam memoravit

Dyo-

Dyonisius Exiguus, qui Romanas præsertim res evulgare conatus est. Imò & auctor libelli Synodici, abs Justello, & Voello ex vetustissimo MS. evulgati tomo 2. suæ Bibliothecæ pag. mihi 1166., in quo ceteroquin veteres Synodi etiàm Romanæ accuratissimè expenduntur, hanc Synodum prorsùs ignoravit. Itèm, si loquendi formulas ibidèm usurpatas considerare velimus, liquidò constabit eas adeò barbaras esse, ut temporibus illis accommodari minimè possint. Quis ferat hanc phrasim, *Curiam esse dictam à cruore*, quasi qui in ipsam ingreditur, cruentus esse videatur, atque hac præcipuè ratione à curia Clericos arcendos esse? Quid significant ea verba, quibus asseritur Sylvestrum Pontificem *fixisse canonem*? ibi: *Et fixit canonem hunc Sylvester, & omnibus Episcopis adspersit.* Quid porrò est canonem figere? Quid erat illâ ætate Episcopis adspergere? Formularum impolitæ compositioni accedunt ineptæ quædam sententiæ, quæ in hac Synodo identidèm observantur. In canone 10. hæc habentur: *Nullus etiàm Episcoporum virginem sacratam maritali consortio expetierit benedicere, nisi eam probaverit septuaginta duorum annorum esse constitutam.* Alia editio ità exhibet: *Nullus etiam Episcoporum virginem sacratam maritali expeteret benedici, nisi eam probaverit &c.* Quis ista percipiet? Initio actionis secundæ antè canonem 11. perhibetur, Clerum postulasse à Sancto Sylvestro, ut Ordini Diaconatus Priscum, & Theodorum adscriberet, ac subditur: *Ibi autèm in Thermas* (Thermæ erant locus Concilii, Domitianæ scilicèt, quæ posteà Thermæ Trajanæ appellatæ sunt) *hos duos Priscum, & Theodorum subordinavit* (Sylvester) *non ordinavit, aut consecravit eos, & præter Synodum constituit.* Nullibi sanè apùd antiquos legitur, quempiam *subordinari, non ordinari*, adeò ut, quænam sit auctoris hujusce canonis sententia, vel eruditissimos lateat. Canon 13. hic est: *Nemo enim, nisi velamen cœleste acceperit, primùm conjugii per manus Sacerdotis ad Clericatus honorem accedat.* Etiàm hic hæret legentis animus, in perpendendo qualenam sit velamen illud cœleste conjugii, quo quis ornatus debet ad Clericatum accedere. In can. 11. definitum est, neminem Episcopatum obtinere posse, nisi fuerit Lector annis triginta, deindè unâ die Exorcista, dein Acolythus per annos decem, posteà per annos quinque Subdiaconus, & per annos septem Diaconus, ut demùm pòst adeptam Sacerdotalem dignitatem ad Episcopatum gradum faceret. Ubinàm indicatur similis disciplina, per quam viri septuagenarii vix ad Episcopalem honorem admitterentur? In canone 8. præcipitur, Subdiaconos continentiam observare debere, cum tamèn constet, Ordinem Subdiaconatus eâ ætate necdùm inter Sacros enumeratum fuisse. Quid memorem quamplura inconcinna, incompta, inverosimilia, quæ in singulis canonibus facilè ab unoquoque dignoscuntur. Addam tantummodò ea, quæ historicæ fidei, & narrationi repugnant. Huic Concilio nota Consularis adposita est his verbis: *Tertio Kalendas Junii, Donno Constantino Augusto III., & Prisco Consulibus.* Nullus in Consularibus Fastis invenitur Prisci Consulatus cum Constantino. Fortè id ortum habere potuit ex Scriptoris cujuspiam oscitantiâ, ut pro *Prisco* legendum sit *Crispo*; ut enim vulgò traditur, Consulatus Augusti cum Crispo incidit in annum Christi 324. Verùm heic nodus solvendus est, cum auctor Synodi hujus, & compilator Romanam hanc Synodum asserat pòst Nicænam fuisse celebratam. Subscripsisse præterea feruntur huic Concilio Episcopi 284. quorum 132. numerantur ex Græcis. Quis sibi persuadeat, tot Episcopos Romam convenisse, non ubi agenda esset generalis Ecclesiæ causa, sed tantummodò, ut pauca quædam, & ut plurimùm inepta disciplinæ capita stabilirentur, qualia nùnc edita legimus? Quis tot Episcopos ex Orientalibus Provinciis advenisse putet? Supervacaneum sanè extitisset, sequente anno aliam generalem Synodum celebrare Nicææ, ad

quam non multò plures confluxerunt; facilè enim poterat in hac Romana Synodo in Conventu frequentissimo Græcorum æquè, ac Latinorum Patrum Arii causa ventilari, ac definiri; præsertim cum & Maximi Pontificis, & Imperatoris, ut fertur, præsentia maximam auctoritatem Synodo conciliasset. Sed præter hæc viris fide dignissimis contradicitur in hac Synodo, in qua legitur Constantinum Romæ à Sylvestro baptizatum fuisse, quandoquidèm Constantinus Imperator ab Eusebio Nicomediensi in ipsa Nicomediæ Urbæ baptismum suscepit, cujus rei testes sunt Eusebius in lib. 4. vitæ Constantini cap. 62., Ambrosius oratione in funus Theodosii, Hieronymus in Chronico, Sozomenus lib. 2. histor. cap. 34., Theodoretus lib. 1. hist. cap. 32., Cassiodorus historiæ tripartitæ lib. 3., & Ariminense Concilium in epistola ad Constantem. Elegantissimè ex his omnibus idipsum demonstrat Natalis Alexander dissert. 23. hist. Eccles. sæculi 4. Sunt demùm, qui his omnibus adjiciunt, subscriptiones Episcoporum adversùs veterem praxim factas esse non per nomina Ecclesiarum, quibus illi præerant, sed per propria; itèm inverosimile omninò esse, Helenam Constantini Matrem interfuisse Concilio, quod singulare videtur, & sine exemplo: deindè probari non posse, quod ibidèm refertur, Presbyteros pòst terga Episcoporum stetisse; quum tamèn Romanæ Ecclesiæ consuetudo esset, ut Presbyteri simùl cum Episcopis in Conciliis sederent, quemadmodùm colligitur ex Hieronymi epistola 89. ad Evagrium; & alia hujuscemodi quamplura.

Alios igitùr quærat sibi Mercator, quos secum ad Concilia hujusmodi suscipienda adducat. Ego tam facilè indulgere non possum, ubi in contrarium vigent tot tantaque rationum momenta. Atque ex his proclive est de fragmentis Gratianeis sententiam ferre, quorum alia, ut ajebam, ex epitome, sive epilogo Isidori Mercatoris deprompta sunt, alia ex ipsismet Concilii Romani canonibus. Itaquè initio Isidoriani epilogi dicitur, Synodum à S. Sylvestro convocatam esse, *in qua consensu, & subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus crimen Clerico audeat inferre; & ut Presbyter non adversùs Episcopum, non Diaconus adversùs Presbyterum, non Subdiaconus adversùs Diaconum, non Acolythus adversùs Subdiaconum, non Exorcista adversùs Acolythum, non Lector adversùs Exorcistam, non Ostiarius adversùs Lectorem det accusationem aliquam.* Hæc illa sunt, quæ Gratianus retulit in can. 2. & 10. caus. 2. quæst. 7., ubi tamèn nonnulla supplere ex verbis nupèr allatis juvabit. Intereà verò unusquisque animadvertere poterit, in hoc fragmento talem Ecclesiasticorum Ordinum formam præseferri, qualis posteriore demùm ætate obtinuit; neque enim jam antè Nicænum Concilium adeò discretos fuisse scimus Ecclesiasticos gradus, quemadmodùm recentior disciplina distinxit. Auctor autèm epilogi id ex Concilio isto deprompsit; etenim in can. 3. ità legitur: *Posteà autèm fecit gradus in gremio Synodi, ut non Presbyter adversùs Episcopum, non Diaconus adversùs Presbyterum, non Subdiaconus adversùs Diaconum, non Acolythus adversùs Subdiaconum, non Exorcista adversùs Acolythum, non Lector adversùs Exorcistam, non Ostiarius adversùs Lectorem det accusationem aliquam.* Hæc si cum verbis epilogi conferamus, liquidò constabit, auctorem epilogi aliquid amplius retulisse, quàm quod in canone contineretur in illis verbis: *ut nullus laicus crimen Clerico audeat inferre.* Potiùs in Concilio legitur è converso in canone 14. *Testimonium Clerici adversùs laicum nemo recipiat.* Qualitercumquè verò Sanctio hæc Concilio tribuatur, illud certum est, Isidorum Mercatorem hæc arripuisse ex Capitulari quodam Ludovici Imperatoris circà annum 814.; etenim in legibus Longobardorum lib. 2. tit. 51. num. 12. sub nomine ejusdem Ludovici hæc leguntur: *Constitutum est, ut nullus laicus crimen Clericis audeat inferre. Testimonium Clerici adversùs laicum nemo recipiat.*

Can. 2. & 10. caus. 2. q. 7.

piat. Nemo enim Clericus, vel Diaconus, vel Presbyter pro qualibet causa intret in Curiam, nec antè Judicem causam dicere præsumat, quoniàm omnis Curia à cruore dicitur, & immolatione simulacrorum; & siquis Clericus Clericum accusans in Curiam introierit, anathema suscipiat. Nemo sanè non videt, multa ex istis ab Isidoro in Romanam istam suam Synodum esse translata; non enim non dubitavit impolitas quasdam rudioris sæculi sententias vetustissimis Romanæ Ecclesiæ Conciliis dementissimâ temeritate tribuere.

Prosequitur auctor epilogi pòst verba, superiùs memorata: *Et non damnabitur Præsul, nisi in 72. testibus, nec Præsul summus à quoquam judicabitur, quoniàm scriptum est: non est discipulus super Magistrum. Presbyter autèm Cardinalis, nisi cum quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus Cardinarius constitutus Urbis Romæ, nisi in 26. non damnabitur. Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lector, Ostiarius, nisi, sicut scriptum est, in septem testibus non damnabitur. Testes autèm, & accusatores sine aliqua sint infamia, uxores, & filios habentes, & omninò Christum prædicantes. Testimonium laici adversùs Clericum nemo recipiat; nemo enim Clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia.* In canonibus Concilii epilogo subjectis paulò alitèr legitur, nempè in canone 3. ibi: *Et non damnabitur Præsul, nisi in septuaginta duobus, neque Præsul summus à quoquam judicabitur; quoniàm his scriptum est: non est discipulus super Magistrum. Presbyter autèm* (deest hoc in loco vox illa: *Cardinalis*) *nisi in 44. testimonia non damnabitur. Diaconus autèm cardine constrictus Urbis Romæ* (alia editio exhibet: *Cardine constructus Urbis*), *nisi in 36. non condemnabitur. Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lector, nisi, sicut scriptum est, in septem testimonia, filios, & uxores habentes, omninò Christum prædicantes, sicut datur mystica veritas.* (Et in alia editione: *Sic datur mystica veritas.*) Hæc sunt, quæ retulit Gratianus in can. 2. caus. 2. quæst. 4., & can. 9. caus. 11. quæst. 1., quamquàm tamèn, quicumque Gratiani fragmenta sive cum Isidori epilogo, sive cum canonibus ipsis Concilio Romano adscriptis contulerit, non mediocrem scriptionis varietatem agnoscet; ac propterèa, ad Isidorianam editionem tanquàm ad fontem suum singula ut reducantur, omni jure curabit. Intereà verò animadvertere juvat nonnulla, quibus magis magisque comprobetur, Synodum hanc fictitiam esse, & nugatoris cujuspiam opus. Quis enim sibi persuadeat, praxi receptum fuisse quarto Ecclesiæ sæculo, ut septuaginta duo testes aliquandò requirerentur ad convincendum eum, qui de crimine accusaretur? Præsertim verò si de Episcopo agendum esset gravissimi criminis reo, adversùs quem juxtà eamdem sanctionem laici testimonium non recipitur? Nùm in unaquaque Ecclesia Viri Ecclesiastici numero 72. reperiri poterant, quorum ope in Episcopo emendaretur, quod ob utilitatem maximam corrigendum foret? Quid ad hanc rem diceret Alexander III., qui in cap. 10. de testamentis Romanarum Legum consuetudinem probare non potuit, juxtà quas septem testium numerus in testamentis requirebatur, eâ ductus ratione, quòd *à Divina lege, & Sanctorum Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine id noscitur esse alienum; cum scriptum sit, quòd in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum?* Prætereà mentio Presbyterorum, ac Diaconorum Cardinalium Urbis Romæ quomodò Sylvestri Pontificis ætati congruere potest? Deindè, quò tendunt illa verba, *sicut scriptum est*, posteaquàm cautum dicitur, Clericos non nisi septem intervenientibus testibus esse damnandos? Nùm Isidorus Mercator sese referre intendit ad aliquem canonem, quem de penu sua evulgavit antiquiori cuidam Concilio, aut Pontifici adscriptum? Demùm ridiculum planè est, quod subditur, testes tales esse debere, ut filios, & uxores habeant, quasi continentes quadam infamiæ notâ affecti à ferendo testimonio arcerentur.

Can. 2. caus. 2. q. 4. & can. 9. caus. 11. q. 1.

Pergamus nùnc cum Isidoro in me-

Can. 10. & 33. caus. 11. q. 1.

morato epilogo. Statim hæc subjiciuntur: *Nemo enim Clericus, vel Diaconus, aut Presbyter propter quamlibet causam intret in Curiam, neç antè Judicem cinctum causam dicere præsumat, quoniàm omnis Curia à cruore dicitur, & immolatione simulacrorum; & siquis Clericus accusans Clericum in Curiam introierit, anathema suscipiat.* Hinc eruti sunt Gratianei canones 10., & 33. caus. 11. quæst. 1., quamquàm non eadem omninò apùd Gratianum descripta verba legantur, quæ propterèa ad vetustiora exemplaria, eaque magis integra redigenda sunt. Jam superiùs laudavi Leges Longobardorum, in quibus hæc eadem sententia legitur lib. 2. tit. 51. num. 12., undè Isidorus Mercator suum hunc canonem derivasse videtur. Derivavit sanè, & in canone 16. Concilii Romani ità scripsit: *Nemo enim Clericus, vel Diaconus, aut Presbyter propter causam suam quamlibet intret in Curiam, quoniàm omnis Curia à cruore dicitur, & immolatio simulacrorum est. Quòd si Clericus in Curiam introiverit, anathema suscipiat, nunquàm rediens ad matrem Ecclesiam. A communione autèm non privetur propter tempus turbidum.* Similia quædam habentur in Concilio Romano III., quod etiàm Sylvestro adscribunt, uti initio adnotabam, ibi: *Sylvester Episcopus dixit: nulli omninò Clerico licere causam quamlibet in publico examinare, nec ullum Clericum ante Judicem laicum stare. Et dixerunt Episcopi: Placet.* Atque ego facilè arbitror, acta hujus Concilii, quod tertium vocant, esse aliam concisam editionem ejusdem Concilii, quod secundum Romanum appellant; cum in omnibus hoc tertium secundo consonet. Duo heic observanda occurrunt: primum quoad Isidorum, sive quoad Synodi Auctorem, qui prorsùs inelegantem & puerilem omninò sententiam Romano Concilio adtribuit: alterum ex parte Gratiani, qui Isidorianum fragmentum non tantùm retulit, sed & referendo corrupit. Arguendus in primis est Isidorus, quòd anathemate perculsos adhùc tamèn in communione Ecclesiastica persistere declaverit, quandò apùd veteres sive Græcos, sive Latinos gravior pœna fuisset anathema, quàm excommunicatio; etenim Balsamon ad Synodum Gangrensem ità ait ex Joanne Chrysostomo: *Quid autèm aliud est, quod dicis anathema, quàm diabolo hic dedicetur, & nullum salutis locum habeat?* Et in Concilio Meldensi cap. 56. statutum est, ut Episcopus quidèm excommunicare quempiam possit ex certa, & manifesta peccati causa: *Anathema autèm sine consensu Archiepiscopi, aut Coepiscoporum, prælatâ etiàm Evangelica admonitione, nullum ponat; nisi undè canonica docet auctoritas, quia anathema æternæ est mortis damnatio.* Arguendus prætereà, quòd tempus Constantini Imperatoris non dubitaverit appellare *tempus turbidum*, cum tamèn nemo ex Imperatoribus usquè ad annum 324., quo fertur celebrata Synodus, nemo tam Ecclesiæ faverit, quàm Constantinus, qui etiàm Principis pro danda Ecclesiæ pace plurimum adnitentis nomen, & laudem apùd posteros meritus est. Sed & Gratianus Isidorianum canonem per imprudentiam depravavit; etenim in canone 33. pro illis verbis Isidori: *Ante Judicem cinctum &c.* hæc scripsit *ante Judicem civilem &c.* Fortè ignorabat, quid designaretur nomine Judicis *cincti.* Solemne erat apùd Romanos veteres cingulo donare Judices foro addictos, quod cingulum ornamenti loco esset, & quoddam velut officii insigne. Hinc legimus, quandoquè Judicibus pœnam inflictam, ut cingulo privarentur, quemadmodùm habetur in Novella Justiniani, cujus fragmentum sub nomine Bonifacii Papæ refertur in can. 8. caus. 11. quæst. 1. Et Cassiodorus in illud Psalmi 29. *præcinxisti me lætitia*, ait: *Perpende verbum præcinxisti: cingulum significat, quod ad Judicis pertinet dignitatem.....Sic enim cinctum dicimus Judicem, quandò ejus fasces, honoresque declaramus.* Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 7. ad Thaumastum ità scribit: *Hi sunt, qui invident reverentiam Clericis, originem nobilibus, consessum prioribus, congressum æqualibus, cinctis*

ju-

jura, discinctis privilegia. Et Ivo Carnotensis, licèt recentioris temporis scriptor, in epistola 241. *legibus*, inquit, *prohibetur, ut Episcopus à Judice sæculari ad causam Ecclesiasticam vocetur, vel cincti Judicis sententiæ subjiciatur.* Ceterùm verba illa, quæ in dicto canone 33. Gratianus retulit: *Nec antè Judicem cinctum causam dicere præsumat*, habentur quidèm in epilogo Isidori, non autèm in canonibus Concilii ipsius, quemadmodùm ex collatione fragmentorum, quæ nupèr delineabam, unusquisque facilè animadvertit.

Alia Sylvestri Pontificis constituta subjicit Isidorus in epilogo his verbis: *Hic inter cetera prædicta omnium consultu constituit in Synodo, ut sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto, quispiam celebrare præsumeret, sed in puro lineo, ab Episcopo consecrato, terreno scilicèt lino procreato, atque contexto, sicut Corpus Domini Nostri Jesu Christi in syndone munda sepultum fuit.* Ista sunt, quæ Gratianus retulit in can. 46. de consecr. dist. 1. *ex epistola Eusebii Papæ, & Sylvestri.* Verùm aut integrum hodiè non extat Romani hujus Concilii exemplar, aut eximia est Isidori Mercatoris oscitantia, qui hæc descripsit veluti in Concilio definita, cum tamèn in vinginti Concilii canonibus nulla huic similis sententia inveniri possit.

Can. 46. de cons. dist. 1.

Can. 15. de cons. dist. 1.

Pòst multa in eodem epilogo hæc sequuntur: *Hic* (nimirùm Sylvester) *in memorata Synodo constituit omnium cum consensu, ut nullus Presbyter missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cetero voluerit esse sacerdotii*; hæc tamèn rursùs, licèt integra habeantur apùd Gratianum in can. 15. de cons. dist. 1., desiderantur in canonibus Romanæ Synodi, ac propterèa magis magisque miramur, Isidorum Mercatorem talem elucubrasse epilogum Synodi, ut, quæ etiàm in Synodo non haberentur, adjungeret. Mihi videtur Isidorus Mercator id excerpsisse ex quodam Capitulari Francorum, & de more suo veteribus Patribus tribuisse. Reverà in lib. 6. Capitularium cap. 201. editionis Parisiensis anni 1677. hæc habentur: *ut nullus Presbyter sacra mysteria, nisi in locis ab Episcopo consecratis, agere præsumat*; quæ, postquàm per Isidorum ad Romanam Sylvestri Sinodum translata sunt, à sequentibus canonum collectoribus ità laudari cœperunt, quasi primùm in Romano Concilio edita, ut sic major auctoritas eisdem accederet. Ex Romano Concilio laudare cœpit Regino Prumiensis in lib. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 340., & illius exemplo recentiores Collectores.

Constituit etiàm, (rursùs Isidorus Mercator in epilogo de Sylvestro Pontifice) *nullâ ratione transmarinum hominem penès nos in Clericatus gradu suscipi, nisi quinque Episcoporum designatus sit chirographis.* Hùc pertinet canon 1. dist. 98. apùd Gratianum. Sed iterùm in editis Concilii Romani exemplaribus hæc desunt. Isidorus Mercator hæc eadem adtribuit Anastasio Pontifici Maximo in epistola, quam ei adfinxit ad Germaniæ, & Burgundiæ Episcopos, cujus fragmentum est in can. 2. dist. 98. In editionibus Gratiani Concilium hoc Romanum appellatur *generale Concilium*, cui Sylvester Papa præsedit, quod in aliorum hujusmodi canonum inscriptionibus etiàm occurrit: caveat unusquisque, ne aliquandò has Mercatoris nugas pro sacrosanctis Nicæni Concilii legibus usurpet; nullum enim aliud verè generale Concilium sub Sylvestro Pontifice dici potest, quàm Nicænum.

Can. 1. dist. 98.

Hùc usquè ea retuli, quæ in epilogo Synodi descripta sunt; sunt adhùc nonnulla, quæ in eodem epilogo non habentur, extant autèm in canonibus editis ipsius Concilii Romani. Hujusmodi est canon 1. dist. 24. cujus sententia legitur in can. 9. Romanæ Synodi his verbis, ex quibus fortè Gratianeum canonem quis emendandum existimabit: *Nullus lector, vel ostiarius vasa sacrata contingeret* (legunt alii: *contigerit*), *nullus acolythus rem sacratam à Presbytero jam alio porrigeret, nisi tantum supportaret, quod*

Can. 1. dist. 24.

quod ei Sacerdos imponet (legunt alii : *imponeret*) *suo ore benedictum.* Hinc jure observarunt Romani Correctores, perperàm apùd Gratianum mentionem factam fuisse Subdiaconorum, nec enim ipsis, sicut Acolythis interdicendum erat vasa sacra contingere. Illud etiàm in Gratiano reprehendendum erat, quòd quæstionem sibi proposuerit, nùm Sacerdotes, & reliqui inferiores Clerici *sine examinatione sint promovendi* ? deindè verò in Canone 1. fragmentum Concilii hujus Romani proponat, quod longè abest ab eo, quod discutiendum susceperat.

Can. 2. dist. 45. In capite 17. ejusdem Concilii Romani legitur Can. 2. dist. 45. his verbis : *Nemo enim quemquam peccantem Clericum cæde attingat, non Presbyter, non Diaconus, non Episcopus suprà Clericum, vel Servitorem Ecclesiæ ad cædem perducat. Sed, si ità causa exigit, Clerici triduo priventur honore, ut pœnitentes redeant ad Matrem Ecclesiam.* Alia Concilii editio in posterioribus verbis ità exhibet: *Sed si ità causa exigit, Clerici biduo priventur honore, ut pœnitentes ad Matrem Ecclesiam.*

Can. 5. dist. 93. Can. 5. dist. 93. emendandus est ex capite 7. hujus Concilii Romani, ibi: *Ità autèm Sylvester clarâ voce dicebat ad Coepiscopos, ut à Subdiacono usquè ad Lectorem omnes subditi essent Diacono Cardinali Urbis Romæ, in Ecclesia honorem repræsentans tantùm; Pontifici verò Presbyteri, Subdiaconi, Diaconi, Acolythi, Exorcista, Lectori, in omni loco repræsentans obsequium sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ, tantùm Pontifici.* In alia editione hæc leguntur : *Ità tamèn Sylvester clarâ voce dicebat ad Coepiscopos, Subdiaconi usquè ad Lectorem omnes subditi essent Diacono Cardinali Urbis Romæ, in Ecclesiæ repræsentantes tantùm. Pontifici verò Presbyteri, Diaconi, Subdiacones, Acolythi, Exorcistæ, Lectores in omni repræsentantes obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ tantum Pontifici.* Illud itaquè certum est, de Monachis, & Abbatibus nullam in Concilio mentionem fieri, quamquàm Gratianus de iis quidpiam adjecerit. Sed præterea, quæ in Canone ipso Concilii consonantibus editionibus leguntur, videntur satis obscura, ut nemo intelligere possit, quænam sit sententia Auctoris, obscurissimis verbis involuta. Primus qui Canonem depravavit, quoad noverim, est Burchardus. Is in cap. 224. lib. 2. sui Decreti ità habet : *Ità fratres jubet auctoritas divina, & affirmat, ut à Subdiacono usquè ad Lectorem omnes subditi sint Diacono Cardinali Urbis Romæ, in Ecclesia honorem repræsentantes tantum. Pontifici verò Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lector, Abbas, Monachus, in omni loco repræsentet obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ.* Eadem verba omninò descripsit Ivo Carnotensis in lib. 6. cap. 299.; undè liquet, Gratianum adhùc spontè nonnulla immutasse, atque Isidori Mercatoris Canonem non adamussim sequi voluisse.

Quatuor adhùc sunt apùd Gratianum fragmenta, quæ ità laudantur, quasi ex Decretis Sylvestri Pontificis Maximi deprompta. Opportunum non est alio in loco eadem expendere, vel quia à quibusdam huic, quod expendimus, Romano Concilio tribui fortassè possent; vel quia, uti demonstrabitur, S. Sylvestri Pontificis esse non possunt: quamobrèm nihil prodesset in secunda hujus operis parte peculiaritèr de Sylvestro Pontifice disserere, ad hæc tantummodò capita, quæ illius reverà non sunt, explicanda. Primus est canon 40. caus. 16. quæst. 7., cujus apùd Gratianum hæc est inscriptio: *Ex Decreto Sylvestri Papæ.* Nùm quispiam fortè illud tribuet Sylvestro II., qui vixit propè finem sæculi 10.? Facilè ab hac suspicione deflectent, si animadverterint verba hujus capitis in Collectionibus, Sylvestro II. antiquioribus, fuisse relata. Nùm ergò Sylvestro I. tribuendus est canon? Ne id quidèm facilè admiserint, cum res, de qua ibidèm agitur, Sylvestri ætate minimè conveniat; sed potiùs octavo, aut nono sæculo. Quis enim fingere poterit, sæculo Ecclesiæ quarto jam plura Monasteria extitisse, eaque promiscuis commutationibus, aut traditionibus fuisse obnoxia? Scio, apùd Ivo-

Can. 40. caus. 16. q. 7.

Ivonem, & Burchardum canonem eumdem decriptum fuisse nomine Silverii Papæ. Sed nec Silverii esse potest ob eamdem rationem, quòd nondùm talis Silverii ætate vigeret de Monasteriis disciplina. Potiùs in usu fuerunt hujusmodi commutationes tempore Lotharii Imperatoris nono Ecclesiæ sæculo, quemadmodùm deduci rectè potest ex lib. 3. legum Longobardarum tit. 10. leg. 3. & 4., ibi: *Ut ubicumque commutationes tàm tempore nostro, quàm genitoris nostri illegitimæ, & irrationabiles, atque inutiles in Ecclesiis Dei factæ sunt, dissolvantur, & recipiat unusquisque, quod dedit.* Omitto alia similia quamplura, cum certo certiora sint hæc apùd illos, qui vel paululùm in Ecclesiastica Historia versati sunt: ut deducatur, ad nonum Ecclesiæ sæculum hujus fragmenti originem referendam esse. Itaquè in primis ajo, nihil referre, an canon Silverii, an Sylvestri nomine laudetur. Utra sit lectio, ementitam agnosco. Pertinet canon ad Regum Francorum Capitularia; Etenim in editione Parisiensi anni 1677. legitur in lib. 5. cap. 386. his verbis: *Nemini Regum, aut cuiquam hominum in proprium liceat Monasterium tradere, vel commutare, vel quocumque commento vendere. Hoc enim Divina, & Apostolica, atque Canonica sub anathematis pœnâ sanxit auctoritas. Quòd si factum fuerit, non valebit: sed is, qui accepit pretium, amittat; & qui distraxit, pretium, quod accepit, in ipso Monasterio amittat, & unà cum pretio Monasterium perdat, & ipsum Monasterium in primum reformetur statum.* Expendit Burchardus hunc canonem, & in suam Collectionem relaturus, Silverio Papæ, aut fortè etiàm Sylvestro adscripsit in cap. 23. lib. 3. Causam, quâ Burchardus capitum inscriptiones identidèm immutaret, præsertim cum ageretur de Capitularibus Francorum, pluriès jam superiùs attigi. Scilicèt, scribebat ille inter Germanos, eâ ætate Francis maximè infensos, nolebatque propterea Francorum Canonum monumenta, quasi Leges Francicas servandas proponere apùd suos, ne fortè Collectio, quam adornabat, contemptui futura fuisset. Prætereà potuit Burchardus in errorem induci, quòd in dicto lib. 5. Capitularium antè caput 302. hæc præponuntur: *Canones Sancti Sylvestri, & aliorum* 84. *Episcoporum*, quæ inscriptio ad caput 302. pertinebat, depromptum ex canone 3. Concilii Romani superiùs memorati; ac proindè facilè sibi persuadere potuit sequentes canones usquè ad 386. nupèr descriptum, ex eadem Sylvestri Synodo esse collectos, & inter Capitularia enumeratos. Hic tamèn, quod fortè pejus est, non constitit Burchardus. In ipso referendo canone nonnulla adjecit, nonnulla detraxit hisce verbis: *Nemini Regum, aut cuiquam hominum in proprium liceat Monasterium tradere, nisi ad aliud Monasterium, vel commutare, nisi cum alio Monasterio, vel quocumque commento vendere. Hoc etiàm Divina, & Apostolica, atque Canonica sub anathematis pœna sanxit auctoritas. Quod si factum fuerit, non valebit, sed ipsum Monasterium in pristinum reformetur statum.* Quicumque Burchardum in suis adjectionibus à deceptoris vitio & fraude purgare voluerit, dicere poterit, fortè verba illa, *nisi ad aliud Monasterium* &, *nisi cum alio Monasterio*, à quodam Capitularium Glossographo fuisse ad marginem primùm adposita, deindè ex imprudentia in textum ipsum translata, uti aliquandò in manuscriptis Codicibus accidit. Burchardi scriptionem de more suo sequutus est Ivo Carnotensis, qui in parte 3. cap. 28. idem fragmentum Silverio Papæ adscripsit, necnon eadem fermè verba ex Burchardo transtulit, attamèn quasdam adhùc voces immutavit, aut inflexit; etenim, ubi apùd Burchardum, sicut & in Capitularibus, legitur, *in proprium liceat* &c. Ivo, omissâ particulâ *in*, ait: *Proprium liceat* &c. Itèm pro illis verbis, *quocumque commento vendere*, ipse inquit: *Quocumque commodo vendere.* Successit demùm Gratianus, & postquàm Canonem non Silverio, sed Sylvestro potiùs adscripserit, quædam rursùs omisit præter illa, quæ jam Ivo, & Burchardus omiserant, videlicèt ea ver-

verba : *Hoc etiàm Divina, & Apostolica, atque Cononica sub Anathematis pœna sanxit auctoritas* : itidèm aliqua immutavit, pro illis enim verbis *quocumque commento*, ut apùd Burchardum, aut *quocumque commodo*, ut apùd Ivonem, scripsit: *Quocumque commercio.* Abstinendum itaquè erit ab his depravatis posteriorum Collectorum editionibus, atque ad Capitularium Francorum Canonem redeundum erit, ut integra, atque perfecta habeatur Canonis interpretatio. Postquàm ex Imperialibus legibus Romanorum obtinuit, Ecclesiis Monasteria comparari, eademque inter res sacras, sive religiosas recenseri, obtinuit quoquè ab humano prorsùs commercio exempta esse, reservato favore fundatorum jure patronatus, aut favore potentum, ut ajebant, advocatione, recentiore ætate. Homines hinc quidam (homines intelligo, quales & Franci, & Longobardi in suis legibus intelligebant; neque enim explicandus est Francorum Canon, nisi juxtà verborum significationem, quæ in usu erat nono sæculo apùd illos), inter quos etiàm erant, qui Regalia feuda acceperant, utebantur potestate suâ in quamdam Monasteriorum eorumdem perniciem, eadem aliis, non qualitèr apùd ipsos erant, sed in dominium tradentes, commutantes, vendentesque. Quid convenientius erat, quàm in publicis totius Regni comitiis, ad quæ tum Imperii Proceres, tum Ecclesiarum Antistites communi voluntate convenerant, rerum Ecclesiasticarum utilitati latâ lege consulere, easdemque venditiones, ac permutationes unanimi suffragio interdicere?

Can. 14. caus. 2. q. 5.

Alterum Canonem scilicet 14. caus. 2. quæst. 5. jam satis perspectum est, Sylvestro Pontifici Maximo tribui non potuisse. Romani enim Correctores jam diù observarunt, decerptum illum fuisse ex Epistola Gregorii Magni ad Maximum Ecclesiæ Salonitanæ præsumptorem (præsumptor dicitur, quòd in Salonitanam Ecclesiam improbo ausu sese intruserat) unàque eidem canoni 14. Gregorii verba subjecerunt, quæ supervacaneum est hoc loco describere. Tantùm attingam rationem, quâ apùd Gratianum Sylvestro canon iste tribui potuerit. Suspicor ego, id profectum esse, postquàm Paleæ Codici Gratianeo adjectæ fuerunt. Scilicèt in germano Gratiani Codice, quem nondùm Palearum auctor adauxerat, pòst canonem *Presbyter* 13. statim subsequebatur canon *si mala fama* 16., qui Hincmaro Rhemensi tribuitur. Porrò in principio hujus canonis 16. hæc habentur : *Si mala fama de Presbytero exierit, & accusatores, ac testes legales defuerint &c.* Fortè quidam Glossographus ad marginem adscribere aliqua voluit ad interpretationem illorum verborum *testes legales*; cumque in Synodo Romana Sylvestro adtributa agnovisset definitum numerum testium arg. can. 2. caus. 2. quæst. 4., hinc in margine adnotavit Sylvestri nomen, ut legales testes illi intelligerentur, quos prædefinivisse Sylvester idem in Synodo ferebatur. Interjecti posteà sunt ab auctore Palearum canones 14. & 15., ac proindè marginale Sylvestri nomen canoni 16. adpositum transferri facilè potuit ad canonem 14., præsertim cum auctor Palearum, nullo adjecto aut Concilii, aut Sancti Doctoris nomine, descripserit. Qui plura desiderat, ad Gregorii Magni Epistolam pertinentia, ex qua canon hic depromptus est, ea habebit in parte II. hujus Operis, ubi disertè & de Gregorio eodem, & specialitèr de ejus Epistola ad Maximum Salonitanum disseretur.

Can. 2. caus. 5. q. 2.

Tertium fragmentum Sylvestro Pontifici adtributum legitur in can. 2. caus. 5. quæst. 2. Illud nupèr typis edidit Mansius in suo supplemento editionis Venetæ Labbeanæ ex MS. quodam vetere Lucensis Ecclesiæ in additione ad Burchardum, ubi hæc inscriptio fragmenti hujus habetur : *Ex Decretis S. Sylvestri Papæ. De induciis eorum, qui ad satisfactionem canonicè vocantur.* Deindè nomine Sylvestri hæc sequuntur. *Constituimus & anno 324. præsenti Decreto censemus, ut in primis personalitèr vocentur, & per septem-*

tem dies expectentur, nullius Ecclesiasticæ rei interdicta licentia. Huic verò expectationi iterùm addantur septem dies, interdictâ Ecclesiam intrandi licentiâ, & omnia divina officia audiendi. Pòst verò adjicientur duo dies à pace, & communione sanctæ Ecclesiæ suspensis; deindè verò aliis duobus diebus sub eadem expectatione rei deportentur: Quibus uno die supperaddito, omni expectatione veluti jam desperatâ, reus mox Anathematis gladio feriatur. Hoc sanè monumentum nemo non videt, nullo modo Sylvestro Pontifici tribui posse; nec enim Lucensis Codicis tanta esse potest auctoritas, ut Canonem antiquis omnibus ignotum vetustissimo Pontifici adtribuat. Præterquamquòd enim hic Codex videatur non satis vetustus, ac fortè Gratianeo posterior, cum contineat additiones ad Burchardum, ejus tamèn omninò fidem suspectam facit in hac parte vel una illa adnotatio anni: *Et anno* 324. *præsenti Decreto censemus* &c. Non erat hæc Sylvestri tempore annorum designandorum formula, sed potiùs nomina Consulum adscribi solebant, quemadmodùm constat ex omnibus monumentis antiquis, quod ipse etiàm Isidorus Mercator, licèt in pluribus deceptor manifestus, in suis Epistolis observavit. Ceterùm adjectio illa dierum favore reorum, qui ad judicium conventi sunt, usquè ad viginti ità minutatim facta, ut primò dies septem, totidèm deindè, posteà duo, subindè duo alii, demùm unus præfigatur, quibus elapsis sententia pronuncietur, non videtur satis apta, nec satis aliis Ecclesiasticis Canonibus conveniens. Vel enim nulla jusdicentium edicta citatoria interponebantur, atque hoc videtur contrarium veterum Conciliorum, summorumque Pontificum statutis; tria ut plurimùm edicta necessaria erant, ut postremum peremptorium videretur, quod liquet ex Conc. Carthaginensi III. Siricii tempore celebrato, can. unico caus. 4. quæst. 5., item ex Cælestino Papa in Ep. 5. ad Nestorium scribente. *Itaquè, quamvis jam Frater Cyrillus secundis te epistolis asserat esse conventum, intelligas volo, pòst primam, & secundam illius, & hanc correptionem nostram, quam constat esse jam tertiam, ab universitate Collegii, & Conventu Christianorum te prorsùs esse sejunctum, nisi mòx ea, quæ malè dicta sunt, corrigantur.* Recentiora quoquè Concilia idipsum receperunt, uti liquet ex Concilio Trojano anni 1093. sub Urbano II., in quo legitur in 2. canone: *Si quis treviam Dei fregerit, usquè tertiò ad satisfactionem ab Episcopo moneatur. Quòd si neq; tertiò satisfacere consenserit, Episcopus, vel cum Metropolitani consilio, aut cum duobus, aut uno vicinorum Episcoporum in rebellem Anathematis sententiam dicat, & per scripturam Episcopis circumquaquè denuntiet* &c. Vel proponenda erant citatoria edicta: & tùm dicendum esset, quinque primùm edicta à Sylvestro prædefinita fuisse, antequàm ad peremptorium deveniretur; itèm ab uno ad aliud edictum nimis exiguum ac breve tempus statuebatur, unius, aut duorum dierum; contra quam tùm in memorato Concilii Carthaginensis canone, atque aliis Cælestini, & Concilii Trojani Capitibus Decretum fuerit.

Ego sanè hac in re, si fortè quispiam postulaverit, cum nullum invenerim Generale Ecclesiæ Concilium, quod induciarum tempus & modum in causis Ecclesiasticis præfinierit, ubi diversæ Ecclesiarum consuetudines non observentur, arbitror ad Civilis Romani Juris disciplinam confugiendum esse, sive in spatio dierum concedendo, quod interfluere debet inter edicta, sive in numero edictorum præfigendo, usquè donèc ad edictum peremptorium deveniatur. Atque de numero dierum nulla dubitatio esse potest, ut concedatur intervallum non minus decem dierum, quemadmodùm Ulpianus manifestè ait in l. 69. ff. de judiciis; quam ad omnia judiciorum genera pertinere liquet ex ejusdem legis inscriptione, deprompta enim est ex libris de omnibus Tribunalibus, in quibus quid in unoquoque Tribunali observandum esset Jureconsultus tradebat; quod etiàm confirmavit Jus-

tinianus in Novella 112. cap. 3. Gravior aliquibus visa est difficultas de numero edictorum, ea de causâ, quòd in Romanorum legibus modò tertium, quartum modò edictum appellari peremptorium videatur. Tertium edictum peremptorium dixerunt Imperatores Diocletianus, & Maximianus in l. 9. Cod. *quomodo & quando Judex* &c. necnon Hermogenianus in l. 53. §. 1. ff. *de re judicata*. Quartum verò ità appellare Ulpiano placuit in l. 68. & 70. juncta l. 72. ff. *de judiciis*. His veterum Jurisconsultorum, Imperatorumve fragmentis quidam ità gravati sunt, ut non aliam commodam interpretationem invenerint, quàm temerario ausu sponte sua fragmenta Ulpiani depravata asserendo sine exemplo aliorum Codicum. Postquàm enim statuerint, tertium edictum regulariter esse peremptorium ex dicta l. 53. §. 1., & dicta l. 9., hoc modo apùd Ulpianum in memoratis legibus 68. & 70. legendum esse voluerunt: *Ad peremptorium edictum hoc ordine venitur, ut primò quis petat pòst absentiam adversarii edictum primum, mòx alterum, quibus propositis & tertium tùnc peremptorium impetret*, quandò tamèn omnia Pandectarum exemplaria contrarium exhibent hoc modo: *mox alterum, & tertium, quibus propositis tùnc peremptorium impetret*. Non est hoc Interpretem Juris agere, sed vim facere sententiis & scripturis; quotiès enim, ubi Codicum varietas nulla est, aut nulla gravissima subest ratio, facultas unicuique datur pro ingenio vel minimas literulas addere, vel detrahere, nihil adeò sanctum religiosèque custoditum habebimus, quod ab imperitis hominibus temerari non possit. Sanè in proposita specie ad emendationem fragmenti deveniri nequit, nisi apertissimè contrà integram Jurisconsulti sententiam, quotiès dictæ legi 70. adjiciatur lex 72. eod. tit. utpote quæ ex eodem libro 8. disputationum Ulpiani deprompta est: Ibi scriptum est: *Nonnunquàm autèm hoc edictum pòst tot numero edicta, quæ præcesserint, datur: nonnunquàm pòst unum, vel alterum: nonnunquàm statim, quod appellatur unum pro omnibus*. Igitur aliquandò unum pro omnibus datur edictum; aliquandò pòst unum vel alterum, quod idem est, ac dicere aliquandò edictum peremptorium tertium esse; aliquandò verò, Ulpianus ait, datur *pòst tot numero edicta*. Quid significant hæc verba, nisi edictum peremptorium dari pòst tertium, atque ità edictum peremptorium quartum esse? Apertissima est demonstratio, quâ eruitur in Ulpiani fragmentis memoratis quartum edictum peremptorium esse, & non nisi maximo cum ausu temerari à quibusdam vulgatam lectionem, non solùm exemplaribus omnibus, verùm etiam Jurisconsulti sententiæ penitùs consentaneam. Ajunt illi, contrarium omninò legi in l. 53. §. 1. *de re judicata*, necnon in l. 9. Cod. *quomodò, & quandò Judex*. At, ipsorum veniâ, dixerim, nùm quotiès contraria Jureconsultorum fragmenta videntur invicèm, aut sunt, utendum erit hoc genere interpretationis, ut mutilentur, atque emendicatâ verborum transpositione vitientur? Quotiès ità est, non opus commentariis, nec longo studio, aut labore ad investigandas Jurisconsultorum sententias, quem ceteroqui maximum eruditissimus quisque ac prudentissimus sempèr agnovit. Itaquè dixerim, Ulpiani temporibus mitiorem quodammodò in hac re fuisse disciplinam fori, ut non nisi quartum edictum peremptorium diceretur: sed deindè sub Diocletiano & Maximiano ex reorum sive conventorum perfidiâ, ac contumaciâ, edictum peremptorium fuisse tertium; atque hac ratione jam statim conciliatum video cum Imperatoribus in dicta l. 9. Ulpianum in dictis legibus 68. & sequentibus, cum Ulpianus vixerit antè tempora Diocletiani & Maximiani. Quam interpretationem etiàm adjuvant verba illa legis 9. *Salubriter constitutum est*; hæc enim verba novam imperialem legem apertissimè significant. Minus propterèà negotium facessit Novella 112. cap. 3., undè sumpta auth. *qui semèl Cod.*

Cod. quomodò & quandò Judex, utpote quæ hac in parte novam Diocletiani & Maximiani jurisprudentiam confirmasse videtur. Imò nec ulla difficultas suboritur ex dicta l. 53. §. 1. de re judicata; Etenim hæc auctorem habet Hermogenianum Jurisconsultum, Diocletiano & Maximiano recentiorem, qui propterèa juxtà eorumdem Imperatorum leges respondere debebat. Videbor fortè digressus aliquantulùm à Canonibus Gratiani, sed, ut opinor, juvare hæc plurimùm poterunt, ut quis de judiciorum induciis rectè disserere valeat, non prout in dicto Canone 2. caus. 5. quæst. 2. ex Apocryphis monumentis Gratianus arbitratus est definiendum. Juvabit prætereà fortassè etiàm Juris Civilis studiosos quamplures, quotquot ad hæc mea studia mentem suam aliquandò converterint, ut evitare noverint Juris interpretes illos, quorum cura præcipuè est in evertendis susdequè fragmentis veterum, non ratione duce explicandis.

Quædam adhùc dicenda superessent de can. 30. caus. 23. quæst. 4., nisi solertia Romanorum Correctorum jam Silverio Pontifici Maximo tributum esset. Nominis similitudo errori Gratianeo occasionem fortè præbuit. Opportunius censeo de fragmento hoc in ea parte disserere, in qua peculiaritèr de Sylverio eodem à me nonnulla erunt observanda. Can. 30. caus. 23. q. 4.

CAPUT VII.

De Concilio Nicæno I. Generali.

Optimo jure in suam Collectionem Gratianus referre debuit Nicæni I. Concilii Generalis Canones, quos nemo ex vetustis Collectoribus omisit, ut potè in eo Concilio editos, quod primum omnium ex OEcumenicis fuit, fuitque omnium sequentium norma. Sunt autèm sequentes.

Can. 3. *dist.* 18. *jungendus cum can.* 73. *caus.* 11. *q.* 3.
Can. 16. *dist.* 32. *ex Græcorum sententiis, & facti circumstantiis explicandus.*
Can. 2. *dist.* 47. *consonat cum interpretatione Dionysii Exigui.*
Can. 1. *dist.* 48. *ad meliorum codicum fidem exigendus.*
Can. 7. *dist.* 55. *consonat cum interpretatione Dionysii Exigui.*
Can. 1. *dist.* 64. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 8. *dist.* 64. *jungendus cum can.* 1. *&* 6. *dist.* 65.
Can. 1. *dist.* 65. *jungendus cum can.* 8. *dist.* 64. *& cum can.* 6. *dist.* 65.
Can. 6. *dist.* 65. *jungendus cum can.* 8. *dist.* 64. *& cum can.* 1. *dist.* 65.
Can. 7. *dist.* 65. *non satis accuratè hùc usquè ab interpretibus explicatus.*
Can. 3. *dist.* 68. *nullo modo convenire potest cum Nicæno Concilio.*
Can. 3. *dist.* 71. *jungendus est cum can.* 23. *caus.* 7. *q.* 1.
Can. 1. *dist.* 73. *depromptus ex Regimone, & Burchardo.*
Can. 4. *dist.* 81. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 5. *dist.* 81. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 14. *dist.* 93. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 52. *caus.* 1. *q.* 1. *ad meliorum codicum fidem exigendus.*
Can. 8. *caus.* 1. *q.* 7. *ad meliorum codicum fidem exigendus.*
Can. 19. *caus.* 7. *q.* 1. *ad meliorum codicum fidem exigendus.*

Can. 23. *caus.* 7. *q.* 1. *jungendus est cum can.* 3. *dist.* 71.
Can. 4. *caus.* 11. *q.* 1. *non est Concilii Nicæni.*
Can. 73. *caus.* 11. *q.* 3. *jungendus cum can.* 3. *dist.* 18.
Can. 8. *caus.* 14. *q.* 4. *idem est cum can.* 2. *dist.* 47.
Can. 1. *caus.* 16. *q.* 1. *non pertinet ad Concilium Nicænum.*
Can. 9. *caus.* 26. *q.* 6. *ad meliorum codicum fidem exigendus.*
Can. 4. *de pœn. dist.* 5. *accommodâ interpretatione illustrandus.*
Can. 20. *de cons. dist.* 1. *idem est cum canone* 3. *dist.* 68.
Can. 10. *de cons. dist.* 3. *antiquissimæ disciplinæ conformis.*

ETiàm in illis antiquissimis rebus, quas unusquisque maximâ veneratione prosequutus fuerit, propterea maximâ cum diligentiâ generalitèr custoditis, locum habere debent criticorum animadversiones, undè plures apùd eruditos viros disputationes emergant. Nemo est, qui Nicæni Concilii regulas, & Constitutiones non receperit: imò apùd nonnullos ità sanctæ, religiosæque habitæ sunt, ut ipsismet sacris literis, & Prophetarum oraculis fuerint comparatæ. Verùm intereà novimus multa in controversiam, ac disputationem adducta, quod attinet ad tempus celebrati Concilii, seu quandò primùm congregatum fuerit, seu quamdiù Episcopi in Conventu perstiterint; itèm quod spectat ad numerum Episcoporum, aut Canonum in eo definitorum, de quibus omnibus variæ sunt eruditorum non contemnendæ opiniones.

Tempus, quo celebratum Concilium est, alii referunt ad annum 314., alii ad annum 315., alii ad 318., alii ad 322., alii ad 324., alii ad 325., alii demùm, ut reliquos omittam, ad annum 328. Apùd eruditiores hodiè magis obtinuit sententia, quâ dicatur anno 325. Concilium initum esse, in quem incidisse fertur Consulatus Paulini, & Juliani; hic enim Consulatus Nicæno Concilio adscribitur in actione 2. Concilii Chalcedonensis, & apùd Socratem lib. 1. cap. 9. in fine. Quamdiù verò Synodus ipsa constiterit, certum omninò non est; aliis visum fuit per sex annos, aliis per triennium, aliis per annum integrum, & menses duos. Ut plurimùm verò traditur, pòst duos tantummodò menses, & sex circitèr dies Concilium fuisse absolutum, tempora numerando à die 13. Kal. Julii anni 325., usquè ad diem 8. Kal. Septembris; quod ex eo potissimùm demonstrant, quòd Eusebius paulò pòst dimissum Concilium narret, à Constantino celebrata fuisse Vicennalia, ità dicta, quod vicennio pòst susceptum Imperium celebrari solerent. Quamobrèm cum anno 306. Constantinus fuerit Imperator salutatus, necessariò infertur anno jam 326. Concilium fuisse dissolutum.

Episcopos numero octodecim suprà trecentos interfuisse Concilio testis fuit, & spectator Athanasius, qui id refert in Epist. ad Jovinianum Imperatorem, & in disputatione adversùs Arium; atque cum eo consonant Epiphanius hæresi 69., Hieronymus in Chronico, aliique quamplures. Sunt tamèn, qui recensent tantummodò Episcopos 250., aut paulò suprà, quod eruunt ex Eusebio Cæsareensi in lib. 3. de vita Constantini cap. 7. & sequentibus, atque ex Eustathio Antiocheno apùd Theodoretum lib. 1. cap. 8., aut etiàm ex subscriptionibus Episcoporum, qui in editis Concilii ejusdem exemplaribus numerum 318. non attingunt. Verùm jam diù ab eruditis pluribus observatum est, ea in parte mendosum, ac depravatum fuisse Eusebii locum; & quoad Theodoretum attinet, rursùs traditum est corruptam fuisse numeri adnotationem; etenim cum Theodoretus idem in cap. præcedenti Nicænos Episcopos numero 318. recenseat, videri non potest, in cap. 8. eam Epistolam Eustathii describere potuisse, in qua pau-

pauciores enumeraret, ne parum, aut nihil fidere videretur Eusthathio, qui ceteroqui Concilio præsens adfuerat. Quod demùm ex actis, & subscriptionibus Concilii argumentum deducitur, exigui omninò momenti est, quoniàm etiàm eruditis omnibus liquet, subscriptiones Episcoporum non prorsùs integras esse, sed vetustate in parte periisse; cum etiàm ex Provinciis Nicææ finitimis perpauci in iis enumerentur Episcopi, quos sanè non est verisimile non interfuisse.

Qualiscumque verò Episcoporum numerus fuerit, illud dubitandum minimè est, plurimos ex eisdem recenseri posse, qui sive ob singularem doctrinam, sive ob eximiam morum integritatem, sive ob maxima in Ecclesiam merita, atque ob gravissimos pro tuenda fide exantlatos labores celeberrimam nominis famam sibi pepererunt. Omnibus perspectissima est Osii Cordubensis in Hispania Episcopi dignitas, atque præstantia, qui Nicænæ Synodo præfuit fungens legatione Sylvestri Pontificis Maximi, unà cum Vito, & Vincentio, Romanæ Ecclesiæ Presbyteris. Is jam sub Diocletiani persecutione constantissimus in fide Christi non solùm nihil, quod sibi accidere posset, intolerandum putavit; verùm etiàm aliis ne extimescerent, magnitudinis, ac fortitudinis exemplum quamplurimis præstitit. Clarissimum prætereà Ecclesiæ decus, atque ornamentum extitere tres Orientis Patriarchæ, Alexander Alexandrinus veterum Patrum communi suffragio laudatus, Enstathius Antiochenus, de quo ait Hieronymus, eum clarissimâ tubâ in adversarios fidei bellum cecinisse, ærumnis, laboribus, & exilio nuspiàm fractum, & Macarius Hierosolymitanus, quem Arius ipse, tamquàm Christiani dogmatis propugnatorem, hostem semper infensissimum habuit. Ex Viris sanctissimis miraculis etiàm celebres, & moribus pene Angelicis celebratissimi sunt Paphnutius Thebaidos superioris Episcopus, Nicolaus Episcopus Myræ in Lycia, quotiès danda sit Baronio fides ad annum 325. num. 20. & sequentibus, Jacobus Nisibenus in Mesopotamia Episcopus, Leontius Cæsareæ Cappadociæ Præsul, ut alios prætream benè multos, ex quibus Nicænis definitionibus decus accessit, ejusdemque Concilii auctoritas ubiquè locorum, ac temporum maximi sempèr habita fuit.

Quod majus præ ceteris negotium facessit, pertinet ad numerum Nicænorum canonum. Etenim Nicæni Patres licèt potissimùm ad damnandam Arii hæresim præcipuè convenissent, occasione tamèn datâ nonnulla Ecclesiasticæ disciplinæ capita definierunt ad publicam fidelium omnium utilitatem, & regimen Ecclesiarum. Celeberrima est apùd eruditos omnes hujusmodi disputatio ità, ut quicumque hodiè vellet in hanc rem, atque in quamcumque partem rationes adducere, Iliadem pòst Homerum canere videretur. Quamquàm tamèn res ità se habeat, muneri meo sanè deessem, si hoc in loco rem expendendis Gratiani canonibus necessariam omitterem. Nicænos canones quamplures Gratianus descripsit; quomodò illos, qui reverà Nicæni sunt, ab aliis, qui Nicænæ Synodo perperàm adtributi sunt, modò distinguendi erunt, nisi Nicænorum canonum numerus initio vindicetur, ac præstituatur? Itaquè de numero istorum canonum diversæ sunt eruditorum omnium opiniones; alii enim viginti tantummodò enumerant, alii usquè ad 84. numerum adaugent. Singulorum argumenta expendere juvabit, & in primis illorum, qui octoginta & suprà recensent. Lubens ommitto, quod quidam ex can. 12. dist. 16. adducunt, ad exemplum 70. Discipulorum Christi Domini septuaginta Nicænos canones esse plurimum decuisse; arbitror enim, rationes hujusmodi illis relinquendas esse, qui numerum Nicænorum Episcoporum ad 318. referunt, quòd Abraham adversùs quinque Reges electis 318. militibus prospero exitu pugnaverit, quemadmodùm legitur in cap. 14. Geneseos.

Qui-

Quicumque canones Nicænos 84. receperunt, in hanc opinionem præcipuè adducti sunt ex Arabica quadam Nicænorum canonum versione, quam latinitate donavit pòst Turrianum Abrahamus Ecchellensis Maronita è Libano; qui præterea editioni suæ eruditam dissertationem adnexuit, ut pro eodem numero contenderet, & quidèm, ut verum fatear, non contemnendis rationibus; non enim ad id comprobandum apocryphis, aut omninò incertis monumentis usus est, quemadmodùm antè ipsum fecerat Turrianus. Singula Abrahami argumenta paucis perstringam. Primò asserit generaliter, à Nicænis Patribus plures ac plures editos fuisse canones; vulgata enim præfatio, Nicæni Concilii editionibus præfixa, quadraginta libris descriptos fuisse Nicænos actus exhibet, & Euthychius Alexandrinus Patriarcha in Chronico scribit, quadraginta Codices conscriptos fuisse in Nicæna Synodo, in quibus Canones, & Constitutiones continebantur, quod ipsum asserit Abuharcus Habbasides Mohammedanus in 2. parte Apologiæ adversùs Christianos, & Georgius Homaidius in parte 1. sui Chronici in Constantino. Secundò: plures adsunt, qui testati sunt se vidisse Nicænos actus ingentis molis, & quemadmodùm ait Gelasius Cizicenus in præludiis ad Nicænam Synodum, qui *non poterant memoriâ retineri*; *nemo enim hominum immensum illud mare omnium, quæ in eo recondebantur, memoriter in ore habere poterit*; quibus consonat Photius Constantinopolitanus, asserens se librum Nicænæ Historiæ in tres partes distributum legisse, quod eo vel magis verosimile profitetur, quòd per tres annos Nicænum Concilium constitisse feratur. Tertiò: verosimile esse nequit, canones illos Arabicos fuisse ab Arabibus ipsis confictos, in illis enim hujusmodi continetur disciplina, quæ eorumdem Arabum moribus adversatur; & *nemo* (scribit Tertullianus) *mentitur in suum dedecus, sed in honorem.* Reverà in can. 44. Primatus Romano Episcopo adscritur, quem tamèn Melchitæ, Jacobitæ, Nestoriani, Cophtitæ, Abyssini, & Armeni non solùm non agnoverunt, sed & detestati sunt; quamobrèm verosimile esse nequit, ab Arabibus ipsis hujusmodi canonem fuisse confictum. Quartò: multa referuntur, tamquàm Concilii Nicæni statuta, à Sanctis Conciliis, Patribus, ac Pontificibus, quæ non alio in loco, nisi in hac Arabica Nicænorum canonum editione leguntur. Sic in Concilio Ephesino actione 7. commemoratur privilegium à Patribus Nicænis Cypri Ecclesiæ collatum, de quo tantùm sermo est in can. 43. ex Arabicis. Sub finem Concilii Calcedonensis Atticus retulit, determinatum fuisse in Concilio Nicæno Epistolarum, quas *formatas* vocant, exemplar, de quo tamèn nihil habetur in vulgatis 20. Concilii Nicæni Canonibus. Concilium Antiochenum can. 1. statuit, *non licere Pascha diverso tempore facere, nec cum Judæis celebrare, sicut in Nicæno Concilio statutum est*; quod tamèn in eisdem Canonibus 20. minimè legitur. S. Leo Magnus multa refert in Epistola 53. 54. & 55. ex Nicæna Synodo adversùs Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, qui jus suprà Alexandrinam, & Antiochenam Ecclesiam sibi vindicabat, quæ tamèn non habentur, nisi in canone 8., 37., & 41. versionis Arabicæ. Julius Papa multa in Nicæna Synodo statuta fuisse commemorat de Romanæ Sedis prærogativa in Epistola 1., & Rescripto ad Orientales, quæ sanè referri debent ad Canones 37., 44. & 71. Nicæni Concilii Arabicos. Zozimus Papa in sua Decretali, & monitorio ad sextum Concilium Carthaginense tres profert Nicæni Concilii canones, primum de appellationibus Episcoporum ad Romanam Sedem, alterum de appellationibus Presbyterorum ad Episcopos vicinos, tertium de comitatu Principis: de his verò tantummodò agitur in canonibus eisdem Arabicis 47., & 71., itèm in aliis Arabicis Constitutionibus adjectis, in quibus præterea alia con-

continentur Nicæni Concilii decreta. S. Basilius Epist. 78. scribit, in Concilio Nicæno plura edita fuisse ad correctionem noxiorum, plura etiàm ad præmonitionem eorum, quæ in futurum suboriri potuissent. Demùm S. Augustinus Epistola 100. scribit, in Nicæno Concilio prohibitum fuisse, ne duo Episcopi simùl sedeant in eadem Cathedra, inquiens: *Adhùc in corpore posito beatæ memoriæ Patre, & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quòd Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam.* Id porrò prohibitum legitur in canone 54. ex relata Arabum editione. Ità ratiocinatur eruditè Abrahamus, subdens laudatorum canonum non unam tantùm fore ex Orientalibus editionem Arabicam, sed etiàm alias, & Romæ præsertim sex adesse editiones, quarum aliæ Arabicis, aliæ Syriacis, aliæ Ægyptiacis, aliæ Æthiopicis, aliæ Chaldaicis, aliæ Armenis, linguâ, & characteribus descriptæ sunt.

Nondùm tanta hæc sunt, dixerim veniâ Viri præclarissimi, ut me in ejusdem sententiam trahant. Potiora quippè esse arbitror momenta, quibus alii inituntur, ut probent 20. tantummodò fuisse Nicænos canones; non sanè, quòd non crediderim in Arabicis Abrahami Canonibus utilia multa perlegi, atque veteri, Græcæ præsertim Ecclesiæ, disciplinæ accommodata, aut eadem maxima in parte venerabilia esse, sive antiquitate, sive doctrinæ præstantiâ; sed quòd reverà omnes illi canones Nicæno Concilio tribui nequeant. Sanè, quum Chalcedonensis Synodus celebrata est, sacri Antistites, in eamdem Synodum convenientes, nihil antiquius habuerunt, quàm proferre in medium canones Nicænos, juxtà quos statuta sua omninò formarent: At verò 20. tantummodò canones ex Nicænis retulerunt. Quis verosimile arbitrabitur, reliquos, & quidèm benè multos, ità à memoria veterum Patrum excidisse, ut ex quatuor supra octoginta viginti tantummodò memorarentur? Aut enim apùd veteres illos Patres omnes iidem canones non existebant, ac tùm veteres Patres iidem de improvida negligentia redarguendi essent, quatenùs sacratissimos hujusmodi canones non custodivissent solertissimè; aut tempore Concilii Chalcedonensis existebant; ac tùm rursùs esset, in quo sacri Antistites culpam admisissent, quatenùs in Canonibus recitandis plurimos prætermisissent. Prætereà Romam venit ex Oriente Dionysius Exiguus, canonesque Nicænos, quales in Orientali Ecclesia habebantur, adtulit, quos deindè ex Græcorum exemplarium fide in suam Collectionem transduxit: verumtamèn non alios evulgavit, quàm viginti. Quòd si antiquiora etiàm tempora respicimus, in Concilio Carthaginensi, vulgò VI. anni circiter 419., quod propterea non longè pòst Concilium Nicænum celebratum est, viginti tantummodò capitula recitata sunt, quæ ibidèm asseruntur reperta in exemplaribus Nicænæ Synodi, in Africam allatis à Cæciliano Carthaginensi Episcopo, qui & ipse Nicæno Concilio interfuerat, atque subscripserat. Immò in eadem Synodo cum suborta fuisset controversia inter Africanos Episcopos, & Legatos Zozimi Papæ de Canonibus quibusdam, ab eodem Zozimo memoratis nomine Concilii Nicæni, nùm reverà Concilio eidem Nicæno tribuendi forent, communi consensione expectata est Græcorum Patriarcharum sententia, Constantinopolitani, Alexandrini, & Antiocheni, à quibus germana, atque integra Nicænæ Synodi exemplaria postularunt. Quæ quidèm transmissa fuerunt ab Attico Constantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino Episcopis, atque ità reperta sunt, ut cum iis, quæ in Africana Ecclesia custodiebantur, atque in numero viginti tantummodò canonum consonarent. Testis quoquè est Theodoretus lib. 1. hist. Eccles. cap. 8. in fine, ubi ait, in Nicæna Synodo viginti tantummodò canones fuisse conditos. Verosimile sanè non est, tot sive Latinos, sive

ve Græcos Patres, vel Historicos etiàm antiquissimâ ætate latere potuisse tot canones, ut ex quatuor supra octoginta viginti tantummodò apùd illos remanserint, atque in Collectiones Ecclesiasticorum canonum isti soli traducti fuerint.

Agnovit gravissimam hanc difficultatem Abrahamus, à qua tamèn sese extricasse censuit, si assereret, tantam Nicænorum canonum jacturam improbitati vetustissimorum temporum tribuendam esse; potissimùm verò temeritati & vitio Arianorum esse vertendam, qui, cum Nicænum Concilium penitùs detestarentur, facilè ejusdem Concilii acta perdere, aut corrumpere, aut saltèm decurtare potuerunt. Sed rursùs palmam exindè referre non potest à ceteris eruditis Abrahamus. Fateor, eo protervitatis adduci potuisse Arianos hæreticos, ut, si valuissent, Nicæni Concilii acta depravarent: non tamèn exindè ità facile fuit, ut in omnibus fermè Christiani orbis Provinciis corruperint, unâ tantummodo Arabiâ exceptâ, quasi ad Arabes hæresis Ariana nuspiàm pervenerit, aut Arabum Codices visi hæreticis fuerint sacratiores. Quòd si sexaginta & quatuor canones perdere potuerunt, cur & reliquos viginti reliquere, quasi ex aliorum laciniis superstites? Prætereà Abrahamus suam hanc de Nicænis Canonibus opinionem præconceptam non satis tueri hac ratione videtur, si ad rectam amussim ejusdem observatio redigatur. Ait ille: Ariani Concilium Nicænum oderunt: Esto: Non tamen oderunt in ea parte, in qua nihil ad eorumdem damnationem pertinens continebatur. Gravis fortè suspicio foret de Arianorum improbitate, atque perfidia, quotiès ageretur de jactura canonum illorum, in quibus explicata fuerat divini Verbi natura, non autèm ubi de disciplina Ecclesiastica aut instituenda, aut promovenda sermo fieret, cujus parùm aut nihil eorumdem Arianorum intererat. Perdidissent potiùs Nicænæ fidei Symbolum, quod potissimùm aversabantur; at quid erat peculiare in Canonibus illis quatuor supra octoginta, ex quo Arianis faciendi illorum jacturam præberetur occasio?

His omnibus nonnulla addi possunt, ex quibus constet, disciplinam in Canonibus illis Arabicis definitam Nicæni Concilii temporibus minimè congruere, & ad subsequentia tantummodò tempora pertinere posse. Argumentum hujus rei nonnulli deducunt ex canone 53., ubi statutum legimus, ne Christianorum filiæ viris infidelibus nuberent; ajunt enim, primis Ecclesiæ sæculis id minimè obtinuisse, aut obtinere potuisse, præsertim quòd sæculo posteriore noverint Beatam Monicam Augustini matrem, piissimam ceteroqui fæminam, Ethnico viro nupsisse. Me plurimùm movet, quòd passim in his Canonibus Arabicis mentio fiat Monasteriorum, & Abbatum, quorum ratione illa disciplina præfigitur, quæ quinto demùm aut sexto sæculo viguisse fertur, quæ si fortè jam Nicæni Concilii tempore obtinebat, aut ad Ægyptios, aut ad finitimos Ægyptiis referenda erat; ut propterea suspicari quispiam possit, hosce canones ab Ægyptiis primùm fuisse conditos, velùt ad peculiarem Ægyptiorum disciplinam accommodatos. Quid verò non probat canon 36., ubi definitur, Antistitem illum, qui loco Patriarchæ est, appellari posse Catholicum? Cum tamèn id Leoni Magno posteriore ætate displicuisse unusquisque noverit; nec dicendum sit, Leonem Magnum Nicænæ Synodi regulis, quas maximè venerabatur, voluisse in hac parte adversari. Omitto alia quàm plura; ea enim facilè legentium oculis occurrunt, quibus magis magisque comprobetur, Arabicos hujusmodi canones Nicæni Concilii non esse, sed Nicæno Concilio illos tantùm tribui verè posse, qui ab omnibus etiàm vetustissimis Collectoribus adseruntur, numero viginti.

Fortè quempiam movere poterunt rationes illæ, quas Abrahamus ad suam opinionem adstruendam adduxit, & quas superiùs paucis perstrictas attigi.

Il-

Illis tamèn facilè unusquisque satisfaciet, dummodò in primis quædam animadvertat, quæ generalitèr in hac, aut simili re, necessariò sunt præcavenda. Tempore Constantini Imperatoris, statim ac pax fuit Ecclesiæ data, cœperunt sacri Antistites modò ad Concilia convenientes, modò extrà Concilia constituti, certa Ecclesiasticæ disciplinæ capita in scripturam redigere; præsertim verò, postquàm Nicænum Concilium celebratum est. Exemplo ejusdem Concilii Episcopi fermè omnes peculiaria in suis Ecclesiis statuta ediderunt, aut ab aliis Coepiscopis accepta in suam Ecclesiam transtulerunt, quæ omnia Nicænis Canonibus juncta retulerunt in unum Codicem, quem ad instruendam rem Ecclesiasticam paratum haberent, & Clericis tamquàm Ecclesiasticæ vitæ normam proponerent. Atque ejus Codicis ordo is ut plurimùm erat, ut propter dignitatem Concilii Generalis primum locum in eo darent Nicænis Canonibus, deindè aliorum Conciliorum canones Nicænis subnecterent. Hinc aliquandò contingere potuit, ut canones illi, qui Nicænis adnexi, subjectique fuerunt, pro Nicænis omninò haberentur, ac laudarentur; undè tanta varietas Codicum tandèm emersit, ut modò plures, modò pauciores Nicæni canones recenserentur pro majori, vel minori numero canonum, Nicænis in memoratis Codicibus subjectorum. Atque hujusmodi esse arbitror Arabicum Abrahami Codicem. Fuit is ignoti cujusdam Episcopi manu, vel mandato confectus, in quem non solùm Nicæni Concilii, sed & aliarum Synodorum capita quamplura relata sunt, non quidèm eodem tempore, sed factis additamentis in dies, prout novi in dies canones in diversis Conciliis edebantur. Apùd posteros autèm talis apparuit Codex, ut canones omnes in eo descripti ultrà numerum 80., quasi Nicæni canones viderentur, ex eo quòd in eodem Codice Nicæni ipsi canones primum locum haberent. Reverà, quicumque Arabicam hanc Abrahami Collectionem consideraverit, apertissimè id omne dignoscet, cum ibidèm quamplures reperiantur canones ex aliis primorum temporum Conciliis deprompti, præsertim Nicæno posterioribus; itèm ex variis Maximorum Pontificum, Sanctorumque Patrum sententiis congesti. Plura ibidèm sunt ex Antiocheno, plura ex Laodiceno, plura ex Carthaginensibus quarti, quintive sæculi, Conciliis. Nonnulla ex Hieronymo, & Innocentio I. Pontifice, ut reliquos omittam, quæ singula non aliâ ratione Concilio Nicæno tribui potuerunt, nisi quòd Nicænis Canonibus adnexa adparuerint; eodem fermè modo, quo Gregorius Turonensis, Vir ceteroquin sapientissimus, in lib. 9. cap. 33. Canonem Concilii Gangrensis non dubitavit nomine Nicæni Concilii commemorare; non enim aliter id erudito viro contingere potuit, quàm quòd eum Codicem præ oculis haberet, in quo Gangrenses canones Nicænis subjecti legerentur, & quasi in Nicæno Concilio editi viderentur.

Quibus ità præmissis, luculentiùs fortassè, atque uberiùs satisfit argumentis Abrahami. Ut enim singillatim omnia conficiam, ajebat ille in, primis Nicænæ Synodi acta pluribus libris comprehensa fuisse. Sed hæc parùm probant; non enim exindè sequitur, Nicænos canones ultrà viginti editos fuisse; siquidèm libri illi plures, qui ex Nicænis actibus consistunt, non tàm continebant, quod in Nicæno Concilio statutum est, quàm historicam quamdam factorum seriem, quâ, quidquid ex omni parte gestum fuerit, declaratur; quæ propterea si Abrahamus cum Nicænis canonibus adnecteret, idem præstaret, quod nostrâ ætate quispiam alter, si Tridentini Concilii canones cum Historia Pallavicini confunderet: atque idipsum admittere cogitur Abrahamus; nàm, si nomine actorum Concilii canones intelligit, subditque quadraginta libros ex actis fuisse compositos, non tàm octoginta, quàm suprà sexcentos Concilii canones

enumerare deberet. Ide m ipsum dicendum erit de eo, quod se cundo loco adferebatur, videlicèt quam plurium testimonio confirmari in ingentem molem excrevisse gesta Nicænæ Synodi, quæ memoriâ retineri nullo modo possent. Hæc sanè ad solos canones referri non valent; sed si vera sunt, ad fusiorem Concilii Nicæni historiam, seu descriptionem pertinebunt. Quod autèm subdebatur per tres annos Concilium Nicænum perstitisse, præterquamquòd pura, putaque fabella est jam diù à viris eruditissimis agnita, parum, aut nihil facit, cum Nicænos Patres non definienda disciplinæ capita potissimùm detinerent, sed potiùs hæresis Arii, & Arianorum contentiones acerrimæ, quibus universæ propemodùm Orientis Provinciæ quassabantur. Addamus etiàm, quod nupèr præfatus sum, ingentia fortè aliquibus visa fuisse Nicæni Concilii volumina, non quòd numero plures canones Nicæni in illis existerent, sed quòd Nicænis canonibus alii propè innumeri in Codicibus variarum Provinciarum adnexi fuissent ex subsequentibus Conciliis, aut recentiorum Patrum sententiis. Quæ tertio loco objecta sunt, fortè locum haberent adversùs illum, qui assereret, Arabicos hujusmodi Canones editos fuisse ab Arabibus ipsis recentioribus, postquàm à communione Sedis Apostolicæ sejuncti sunt. Mihi aliud omninò videtur, arbitranti, Canones hosce Arabicos Nicænis jam pridèm fuisse adjectos, non deceptoris cujuspiam figmento, sed potiùs ex subsequentium Conciliorum canonibus, ac doctrinis Patrum, & quidèm eo adhùc tempore, quo Græci Latinis & charitate jungebantur, & fide.

Gravioris momenti illa viderentur, quæ quarto loco ex Abrahamo superiùs adducebam, nisi statim animadverterem Abrahamum hoc in loco minùs integrè retulisse, quod ad rem suam facere posse arbitrabatur. Verum itaquè in primis est, in actione 7. Concilii, Ephesini Cyprios Episcopos conquestos fuisse de Antiocheno Episcopo, quòd Cypriorum Episcoporum ordinationem sibi vindicaret; & quidèm Nicæni Concilii auctoritatem in medium proferebant, quâ freti Cyprios à Cypriis Coepiscopis Episcopos consecrandos esse asserebant. At quisnam erat Nicænus ille Canon, juxtà quem controversia omnis definienda erat? Non sanè quispiam ex Arabicis, quem demonstraturus sit Abrahamus, sed potiùs est canon 6. inter viginti germanos canones, quo generatim statutum erat, ut unicuique Ecclesiæ sua dignitas servaretur; atque ad hunc canonem respexisse Synodum Ephesinam, luculentissimè patet ex ejusdemmet Synodi verbis, ibi: *Memor sit Sancta Synodus canonis Sanctorum Patrum in Nicæa congregatorum, qui conservat unicuique Ecclesiæ propriam dignitatem.* Quod de Attico dicitur, necnon de Formatis Epistolis, nimis probare videtur, nec aliàs eò pertinere potest, ut Arabicis canonibus fidem ullam præstare cogamur: etenim nec de Attico, nec de Formatis Epistolis in canonibus Arabicis Abrahami quidpiam continetur; undè fiet, ut exindè non Arabicam collectionem, sed quamcumque aliam in indefinitum prolixiorem pro collectione Nicænorum canonum admittamus. Non est cur diutiùs in hac Formatarum Epistolarum materie immorer. Fusiùs eam persequar ad canonem 1. dist. 73. Nec rursùs est, in quo sibi blandiatur Abrahamus ex eo, quod adfert, de Paschate cum Judæis non celebrando, adversùs Asiaticos. Asserit, in canonibus viginti vulgatis non reperiri, quamquàm in Antiocheno Concilio referatur quasi in Synodo Nicæna constitutum. Miror tamèn vehementissimè, quod nec quid simile in Arabicis propositis canonibus inveniatur. Quid ergo? Probavit quidèm Abrahamus, alios fortè Nicænos canones quærendos esse, qui deperditi fuerint, nihil verò ad suam collectionem vindicandam, ac Nicænis Patribus asserendam adduxit. Ego censeo hac in re, Concilii Antiocheni Episcopos retulisse

Ec-

Ecclesiæ sententiam, quæ jam diù adversùs Quartodecimanos obtinuerat, quasi in Concilio Nicæno stabilitam, non quòd peculiaris Nicæni Concilii canon editus fuerit, sed quòd in præfatione Nicæni Concilii generalitèr confirmata fuerant, quæ in præcedentibus Conciliis particularibus jam constituta habebantur, & communi Ecclesiarum suffragio recepta. Cum verò jam antè Synodum Nicænam definita esset Quartodecimanorum causa, Concilio quoquè Nicæno probata videbantur, quæ ad illam concludendam jam dudùm perfecta fuerant. At Concilii Antiocheni Patres, ubi canones renovarunt adversùs Quartodecimanos, ex Nicæno potiùs, quàm ex alio quocumque Concilio disciplinam Ecclesiasticam illam repetere maluerunt, hujus enim Concilii auctoritati nemo erat, qui refragaretur: aliàs autèm poterant ex Nicæno Concilio laudare, quidquid etiàm generalitèr fuerat in eodem Concilio confirmatum. Prætereà minimè favet Nicænis Arabum canonibus, quod ex Epistolis 53. 54., & 55. Leonis Magni deducitur argumentum. Ibi conatur Sanctus Pontifex, ut ambitum coerceat Anatolii Constantinopolitani, qui Antiochenam, atque Alexandrinam Ecclesiam suæ potestati subjicere volebat, quod ex Leonis sententia Nicænis canonibus adversabatur. Et quidèm rectè, etiàm in conspectu illorum viginti canonum, qui omni ætate Nicæno Concilio constantissimè tributi sunt. Siquidèm in canone 6. Nicæno legimus constitutum, unamquamque Ecclesiam dignitate suâ frui oportere, ità ut nemo alienarum Ecclesiarum jura turbaret, atque perverteret. Quid igitur opus est ad explicandam Leonis Magni sententiam, ut ad Arabicos Abrahami canones nos convertamus, cum luculentissimè ex solis vulgatis viginti canonibus explicetur? Epistola Julii Papæ valdè infirmum Abrahamo suppeditat argumentum, cum jam liqueat eruditis universis eam apocryphum esse, atque ab Isidoro Mercatore unà cum pluribus aliis posteriore ætate confictam. Quòd si adhùc Isidori Mercatoris opera quidpiam probare possent, facilè ejus sententia explicabitur, quin opus habeamus canonibus 37. 44., & 71. Arabicis. Quæ de Sedis Romanæ, & Apostolicæ prærogativa Mercator adduxit, & Julio adscripsit, referri merito possunt ad canonem 6. ex 20. vulgatis Concilii Nicæni, de quo fusiùs agam inferiùs ad canonem 8. dist. 64. Eadem ferenda sententia est de Epistola Zozimi Papæ, cujus auctor jam diù agnitus est Isidorus Mercator; atque id vel ex eo uno deducitur, quòd in hac Epistola de Episcopis ad comitatum Principis proficiscentibus agatur, contrà quam primis illis temporibus convenire valeret. Id verò, quemadmodùm apertè demonstrat Epistolam Zozimo falsò tributam esse, ità etiàm docet Arabicos illos canones, in quibus similia traduntur, Nicæno Concilio tribui minimè posse. Magni itidèm Basilii dicta viginti Nicænis canonibus rectè consonant, quin opus Arabicis canonibus habeamus. Inquit Eximius Antistes, ex Nicænis canonibus plures editos fuisse ad correctionem noxiorum, plures ad præmonitionem eorum, quæ in futurum suboriri possent. Id vel in solis viginti canonibus verum agnoscimus, quemadmodùm abundè liquebit ex iis, quæ paulò inferiùs mihi erunt observanda ad Gratianeos canones, ex Nicæno Concilio laudatos.

Unum adhùc me moratur Augustini fragmentum, quod Abrahamus ad tuendam collectionem suam adduxit. Extat illud in Epist. olim 110., nùnc verò in recentioribus editionibus 213.: cum verò hæc epistola inter dubias, & incertas Augustini Epistolas ab eruditis recenseatur, nescio, an ex illa validum erui valeat argumentum. Sanè verò admodùm dissimile est Augustino de Valerio Prædecessore suo sanctissimo scripsisse, eum ignorasse Nicænos canones, quod Episcopo turpe videbatur, & crimini verti facilè poterat. Agebatur de

Concilio recèns celebrato, de Concilio, cujus nomen, & fama in universo Christiano Orbe erat celeberrima: Agebatur de duobus Viris sapientissimis, atque sanctissimis, Valerio, & Augustino, quorum neutri ignotas fuisse Nicænas regulas, ego facilè suspicari non possum. Sed esto: Germana sit, ac genuina Epistola Augustini. Refert ibi Sanctus Episcopus, se meditatum fuisse jam pridèm de seligendo sibi Successore in Episcopatu, ac jam Eraclium quemdam Presbyterum designasse, quem in locum sui senescentis, se adhùc vivo, sufficeret, motus præsertim exemplo Valerii decessoris sui, à quo adhùc vivente & ipse Augustinus Episcopus fuerat consecratus. Dein profitetur, se à suscepto consilio recedere velle, quòd Nicænis canonibus id prohibeatur, atque ut Valerii decessoris sui factum excuset, concludit, Nicænos canones & sibi, & Valerio seni tùm ignotos fuisse. Si quispiam velit mecum in eo contendere, Augustinum de ipsismet Nicænis canonibus fuisse loquutum, demonstrabo statim canonem 8. Nicænum ex 20. vulgatis, in quo cautum est, ne duo sint ejusdem Civitatis Episcopi, atque ad hunc respexisse Augustinum dixero, quin opus habeam Arabicos canones cum Abrahamo effingere. Si verò lubeat Augustinum à supposita hac Nicænorum canonum ignoratione vindicare, quod sanè convenientissimum est, ne tantam injuriam in sanctissimum Antistitem inferamus, nihil prohibebit quò minùs pro Nicæno canone Antiochenum potiùs intelligamus. Porrò in Antiocheno canone 23. definitum scimus, ne Episcopus successorem sibi eligere posset, aut designare. Insupèr novum non est, canones Antiochenos Nicænorum canonum nomine apùd Augustinum haberi potuisse, cum canones Antiocheni in pluribus Conciliorum collectionibus subjicerentur canonibus Nicænis, cujus rei exemplum hodiè adferri posset in Codice, abs Justello edito nomine *Codicis Ecclesiæ universæ*, in quo memoratus canon 23. Antiochenus refertur numero 103., cum à primo canone usquè ad vigesimum Nicæni canones descripti fuerint. Quæ si Augustini temporibus contingere potuerunt, ut sequentium Conciliorum canones, utpotè Nicænis adnexi, pro Nicænis haberentur, nemo est, qui Augustinum in Africa degentem non excusaverit, si Nicænos hujusmodi canones, id est, ab Orientalibus adjectos pòst Nicænos canones ignoravit.

Pòst hæc facilè demonstratum arbitror, Nicænos canones tantùm 20. numero recensendos esse, eosque solummodò certum præbere posse disciplinæ Ecclesiasticæ præsidium, cui Interpretes, ac Collectores canonum tutò inniti potuerint. Quòd si in expendendis Gratiani canonibus observabimus, facilè germanos Nicænos canones ab apocryphis secernemus. In eisdem tamèn capitibus Gratiani sequar, quoad fieri poterit, interpretationem Dionysii Exigui, utpotè quæ ut plurimùm purgatior habetur, atque ceterarum interpretationum vetustissima est, & antiquissimis Græcorum Codicibus magis consona videri potest: non omittam tamèn quandoquè ex aliorum interpretationibus supplere, si quid Dionysianæ deficiet.

Exordior à canone 3. dist. 18., quem jungere oportebit cum canone 73. caus. 11. quæst. 3., uterque enim depromptus est ex canone 5. Nicæni Concilii, ità descripto apùd Dionysium: *De his, qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, ab Episcopis per unamquamque Provinciam, sententia regularis obtineat; ut hi, qui adjiciuntur ab aliis, ab aliis non recipiantur. Requiratur autèm, ne pusillanimitate* (sunt, qui interpretantur: *simultate*), *aut contentione, vel alio quolibet Episcopi vitio*, (sunt, qui interpretantur: *vel aliqua ejusmodi Episcopi acerbitate*) *videatur à communione seclusus. Ut hoc ergò decentiùs inquiratur, benè placuit, annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut, communiter omnibus simùl Epis-*

Can. 3. dist. 18. & Can. 73. caus. 11. q. 3.

Episcopis Provinciæ congregatis, discutiantur hujusmodi quæstiones. Et sic, qui suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, usquequò vel in communi, vel eidem Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia verò celebrentur, unum quidem antè Quadragesimam Paschæ, ut, omni dissensione sublatâ, munus offeratur Deo purissimum; secundum verò circa tempus autumni. Sic ad meliores Codices redacta duo Gratiani fragmenta, claram exhibent Nicænorum Patrum sententiam, quâ christianæ unitatis ergò cautum fuit, ut, quicumque ab uno Episcopo damnatus esset, tanquàm damnatus ab aliis Episcopis haberetur: at si fortè suspicio suborta fuisset, Episcopos quosdam in inferenda excommunicationis pœna excessisse, non alitèr res definiretur, quàm in Conciliis, propterea bis in anno in posterum celebrandis. Duplex hujus decreti causa fuit, sive occasio: primam dedit Arius, alteram Meletius. Arius Alexandrinus in primis, excommunicatus ab Alexandro Episcopo Alexandrino, ab aliis Episcopis receptus fuerat in communionem, præsertim ab Eusebio Nicomediensi. Meletius Lycopolitanus in Ægypto Episcopus à Petro Alexandrino in Synodo depositus fuerat justis de causis, quas refert Socrates lib. 1. cap. 6.; apùd alios verò Episcopos communionem obtinuerat; quæ sanè in maximam Episcoporum injuriam, & reorum damnatorum audaciam confirmandam fieri videbantur: quamobrèm Nicæni Patres sanxerunt meritissimò, non alitèr communicandum esse cum iis, qui à suis Antistitibus excommunicati fuissent, nisi primùm in Conciliis eorumdem causa discussa fuisset, & de excommunicationis iniquitate constitisset. Porrò, ad Conciliorum convocationem duo anni tempora ex Græcorum disciplina fuisse præfinita, apùd veteres non uno ex loco dignoscimus. Video tamèn diversitatem quamdam inter Nicænum hunc canonem, & canones aliorum Conciliorum: etenim in hoc Nicæno canone determinatur tempus antè Quadragesimam Paschæ, necnon tempus Autumni; at verò alibi tempus Paschale, id est, tempus pòst Pascha unà cum tempore autumnali designatum est, ut in Concilio Antiocheno anni 341. can. 20., & in canonibus Apostolicis can. 38.: ex quibus sanè colligere possumus, qualis fuerit in hac parte disciplina Græcorum etiàm quarto sæculo, & ferè statim pòst Concilii Nicæni celebrationem. Quid ergo? Nùm fortè alitèr Antiochenis Patribus pòst annos 16. placuit, quàm Nicænis placuerat? Id facilè, & gravis cujuspiam judicis non accedente sententia, non admiserim; etenim agitur de statuto Nicæni Concilii Generalis, quod non procùl ab eâ ætate conditum fuerat, quod propterea immutare nefas videri potuisset Antiochenis Episcopis, præsertim quòd tùm Ariani acerrimè odissent Nicæni Concilii statuta, eorumdemque improbitatem adjuvare, aut exemplo suo confirmare visi fuissent Antiocheni Patres, si, quod apùd Nicæam saluberrimè constitutum fuisset, innovare non dubitassent. Dixerit fortè quispiam, per hæc non immutata omninò fuisse Nicæna capita, sed potiùs unum ex Nicænis capitibus, ad disciplinam ecclesiasticam pertinens, commodè in Antiochena Provincia non potuisse servari, jure propterea, & merito opus fuisse novâ Provincialis Antiocheni Concilii dispositione, per quam non tàm immutatio, quàm moderatio Nicæni canonis fieret. Vero quidèm similia sunt hæc, sed nondùm me in eam sententiam adducere possunt, ut arbitrer, tàm brevi temporis intervallo quidpiam Nicænis Canonibus fuisse derogatum; eo vel magis quòd noverim, Antiocheni Concilii providentiam non tàm obtinuisse in Antiochena Provincia, sed etiàm in aliis Provinciis Orientalibus, in quibus ea jurisprudentia, quæ canoni Antiocheno consonabat, ex canonibus Apostolicis profecta fuisse prædicabatur; quemadmodùm enim superiùs observabam, idem inter canones vulgò Apostolicos

to-

tolicos legitur, quod in canone Antiocheno. Porrò, cum Apostolici canones etiàm antiquissimis sæculis magno in pretio, atque honore haberentur apùd Græcos, facile est ostendere, disciplinam, Apostolicis canonibus stabilitam, generalitèr in Ecclesia Græca fuisse receptam, receptamque propterea quæ in dicto Antiocheno canone contineretur, cum Antiochenus canon cum Apostolico consonet. At durum mihi, & asperum est hanc de Orientali Ecclesia opinionem concipere, ut arbitrer eam exiguo tempore à Nicænis regulis recessisse. Itaquè potiùs censerem, Nicænum canonem memoratum intelligendum esse de Conciliis celebrandis non antè Quadragesimam Paschatis, sed antè Quadragesimam Pentecostes; duplex enim apùd Viros Ecclesiasticos præsertim veteres dicta est Quadragesima, Paschatis alia, alia Pentecostes. Reverà, si animadvertamus ad illa verba Nicæni canonis, *ut, omni dissensione sublatâ, munus offeratur Deo purissimum*, quis non videat hæc referenda potiùs esse ad solemnitatem Pentecostes, ideò à Deo institutam, ut novarum rerum primitiæ offerrentur juxtà ea, quæ habentur in Deuteronomio cap. 16. vers. 10.? Agnosco quidèm, alitèr haberi apùd nonnullos seu veteres, seu recentiores interpretes; nàm Dionysius Exiguus apertè ait: *unum quidèm antè Quadragesimam Paschæ*; necnon Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi Arabica scribit: *Et prima quidèm tempestas, quæ est antè magnum, sanctumque jejunium, constituitur.* Verùm non desunt Interpretes alii, qui simplicitèr scripserunt: *Habeatur autèm semèl Concilium antè dies Quadragesimæ, ut &c.* quemadmodùm legitur apùd Isidorum Mercatorem; aut his verbis: *una quidèm antè Quadragesimam &c.*, quemadmodùm apùd Gentianum Hervetum, qui ad Græca exemplaria se interpretationem exegisse professus est, quemque eruditi alii sequuti sunt, apùd quos sermo non est de Quadragesima *Paschatis*, sed absolutè de Quadragesima; atque horum omnium interpretationi potiùs morem gerere non dubito, quotiès hæc in causa est, cur veteres canones & Nicænos, & Antiochenos invicèm consonos agnoscam, quâ deindè postpositâ non levis nota inferenda sit vel Nicænis Patribus, vel Antiochenis: vel Nicænis, inquam, quòd fortè eam improvidè constituerint disciplinam, quæ pòst breve temporis spatium immutanda fuisset; vel Antiochenis, quòd Nicæni Concilii canonibus sanctissimis derogare ausi fuerint.

In can. 16. dist. 32., qui est tertius ex Nicænis, videtur sequutus Gratianus versionem Dionysii Exigui, quæ ità exhibet: *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspiciones effugiunt.* Inquirunt nonnulli, quid significetur nomine *subintroductæ* mulieris. Arbitrantur aliqui, eo nomine designari aut uxorem, aut concubinam; & quidèm ità etiàm quosdam ex Græcis sensisse, testatur Balsamon in notis ad hunc canonem, quibus tamèn non consentit. Quotquot ex interpretibus vim Græcæ vocis latinè expresserunt, mulierem *introductam*, aut *subintroductam* appellarunt, uno excepto Isidoro Mercatore, qui appellavit mulierem *extraneam*, quo modo etiàm canonem explicavit Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi Arabica. Ego putaverim, non alitèr attingi posse germanam Nicæni Concilii sententiam, nisi ad mores quorumdam Clericorum, quales erant eo tempore, respiciatur. Adparent ii fortè ex canone 18. Concilii Ancyrani, paulò antè Nicænam Synodum celebrati, in illis verbis: *Virgines autèm, quæ conveniunt cum aliquibus tamquàm sorores, habitare prohibemus.* Erant tùnc temporis Clerici quidam, qui ad res domesticas, & familiares administrandas mulierem quodammodò cœlibatus sociam, & veluti sororem inducebant, & quidèm innuptam, non sobolis procreandæ causâ, neque ut pravæ libidini indulgerent. Has Can. 16. dist. 32.

Epi-

Epiphanius hæresi 63. *agapetas* appellabat, eodemque nomine vocavit Hieronymus in Epist. ad Oceanum, de vita Clericorum ità scribens : *Pudet dicere, proh nefas! triste, sed verum est : Undè in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Undè sine nuptiis aliud nomen uxorum? Immò undè novum concubinarum genus?* Videsis ejusdem Epistolam ad Eustochiam de custodia virginitatis. Hujusmodi ergò mulieres quasi sorores habebantur, quæ assiduo, aliquandò etiàm prætextu pietatis, ac religionis, consortio unà cum Episcopo, aut Clericis fruebantur; quod quidèm cum aliquandò miserandam castimoniæ jacturam adferret, visum est Sanctis Patribus salubri Constitutione emendare: quorum exemplo idem sanxerunt Imperatores Honorius, & Theodosius in l. 19. cod. de Episcopis, & Clericis ibi : *Eum, qui probabilem sæculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet &c.*, quod renovatum est abs Justiniano in Nov. 123. cap. 29. Verùm hæc interpretatio ex eo probabilior etiàm videbitur, quòd conveniat causis, ex quibus adducti sunt Nicæni Patres ad eam edendam Constitutionem. Leontius quidam Presbyter cum Eustolia adolescentula cohabitabat, quam virginem esse prædicabat, bonisque moribus ornatam, uti scribit Athanasius in Epist. ad solitariam vitam agentes, & Theodoretus in lib. 1. Histor. Eccles. cap. 24.; nihilominùs viris probis id visum inconveniens fuit, præsertim cum vulgari fama traderetur, eumdem Leontium spontè genitalia sibi abscidisse, ut eàdem adolescentulâ liberiùs uteretur. Convenientissimum propterea judicarunt Nicæni Patres, Clericis omnibus interdicendum esse, ut ab hujusmodi mulierum familiaritate abstinerent. Ceterùm, qui de uxoribus rejiciendis hunc canonem intelligunt, parùm, ut mihi videntur, mentem Concilii attigerunt; etenim nemo ignorat, in Nicæno Concilio generatim Sacerdotibus, Diaconis, aut etiàm inferioribus Clericis præstitutam non fuisse continentiæ legem. Ea primùm Nicænis Patribus mens fuerat, ut de Sacerdotum, ac Diaconorum castimonia sanctio ferretur; sed pòst contrariam Paphnutii disputationem à nova ferenda lege temperatum est, teste Socrate lib. 1. cap. 8., & Sozomeno lib. 1. cap. 22.

Canon 2. dist. 47. consonat omninò cum interpretatione Dionysii Exigui ad canonem 17. Nicænum. Apùd alios eadem omninò sententia latinè redditur, nisi fortè quispiam diversitatem rei adnotet in hisce vocibus *sescupla*, quæ à Dionysio, & *sesquialtera*, quæ ab aliis usurpantur. Meo sanè judicio nulla est harum vocum in significatione diversitas: utraque hemiolia significat. Hemiolium veteres dicebant, quo significaretur quantitas integra alicui restituenda, additâ dimidiâ similis quantitatis parte. Hinc Aulus Gellius lib. 18. Noctium Atticarum cap. 14. ait : *Est autèm Hemiolius, qui numerum aliquem totum in se habet, dimidiumque habet ejus, ut tres ad duo ; quindecim ad decem, triginta ad viginti* ; & Macrobius in Somnio Scipionis lib. 2. cap. 1. *Hemiolius est, cum de duobus numeris major habet totum minorem, & insuper ejus medietatem, ut sunt tria ad duo.* Centesimæ autèm usuræ, quarum mentio fit in canone, erant, quibus centesima pars totius quantitatis mutuo concessæ solvebatur in præmium mutui; hac tamèn distinctione inter centesimas, & hemiolia, quod hemiolia solvebantur finito mutuo, sive pòst illud tempus, ad quod pecunia mutuo data fuerat, & quidèm unâ tantùm vice; at centisimæ, mutuo manente, præstabantur singulis mensibus, ità ut singulis centum mensibus usuræ sortem ipsam æquarent. Et quidèm vetus fuit consuetudo, quâ creditores singulis mensibus usuras à debitoribus exigerent, ad quam respiciens Ambrosius in lib. de Tobia cap. 12., inquit : *Veniunt Kalendæ: parit sors centesimam. Veniunt menses singuli: generantur usuræ.* Sive ergò de centesimis, sive de hemioliis ageretur, utrumque interdicendum erat Clericis, ne fortè, negotiosis hujusmodi lucris intenti, à

Can. 1. dist. 47.

sa-

sacris Officiis mentem, ac curam omnem distraherent. Clerici hoc in loco ità appellantur : *multi sub regula constituti*, sive, ut alii græcam formulam retinentes habent : *Multi, qui in Canone recensentur* ; et rectiùs : etenim, quod Græci canonem vocant, aliquandò nos regulam dicimus, aliquandò cathalogum, sive matriculam quamdam, in qua nonnullorum nomina peculiaritèr describuntur: at verò apùd veteres, quotquot ordinabantur, Ecclesiæ cuipiam addicti erant, adscriptique, undè etiàm hodiernis temporibus Canonicos appellamus.

Can. 1. dist. 48. In describendo canone 2. ex Nicænis usus est Gratianus Isidori Mercatoris interpretatione in can. 1. dist. 48. Subjiciam ego interpretationem Dionysii Exigui. Ità habet Dionysius : *Quoniàm plura aut per necessitatem, aut aliàs cogentibus hominibus* (recentiores quidam ex græco textu ità verterunt : *vel urgentibus alioqui hominibus*) *adversùs Ecclesiasticam facta sunt regulam, ut homines, ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, & instructos brevi tempore, mòx ad lavacrum spiritale perducerent, simùlque ut baptizati sunt, etiàm ad Episcopatum, vel ad Presbyterium promoverent ; optimè placuit, nihil tale de reliquo fieri. Nàm & tempore opus est ei, qui catechizatur, & pòst Baptisma probatione quamplurimâ. Manifesta est enim Apostolica Scriptura, quæ dicit : non neophitum, ne, in superbiam elatus, in judicium incidat, & laqueum diaboli. Si verò processu temporis aliquod delictum animæ circa personam reperiatur hujusmodi, & à duobus, vel tribus testibus arguatur, à Clero talis abstineat. Si quis autèm præter hæc fecerit, quasi contrà magnum Concilium se efferens, ipse de Clericatus honore periclitabitur.* Clara est hujusmodi definitio, in qua illud unum fortè difficultatem facere poterit, ubi abstinere jubetur à Clero, quicumque *delictum animæ* admiserit. Apùd Gratianum legitur : *mortale peccatum*, & quidèm juxtà quasdam editiones Isidori Mercatoris. Gentianus Hervetus cum aliis græci textus Interpretibus scripserunt : *animale peccatum*. Justellus in editione Codicis, Ecclesiæ universæ tributi, asserit : *animi peccatum*. Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi Arabica ità eadem verba latiùs expendit : *Si verò, multo ei temporis elapso, tùnc demùm peccatum animale, non corporale, in eo perspicuè deprehendatur, veluti infirmitas religionis, aut neglectus ipsi incumbentis officii, aut hæreticorum, id est, contradicentium opinionis consectatio &c.* Græcorum veterum opiniones in hac re Balsamon, & Zonaras retulerunt. Balsamon in primis ait : *Cum verò hic canon puniat, quæ pòst Baptismum exoritura sunt, animalia peccata, quæsiverunt nonnulli, quænam sunt peccata animalia, & cur animalium peccatorum meminit canon, & non corporalium. Et nonnulli quidèm dixerunt, animalia esse peccata, quæ ex animæ perturbationibus, ut ex superbia, & inobedientia, & aliis ejusmodi nascuntur, ea enim deponunt : ut Novatianorum hæresis, & à nuptiis, & carnium esu importuna abstinentia, ut vult quintus canon Apostolicus, & alii. Ego autèm dico, quòd omne peccatum, quod adfert perniciem animæ, animale vocatur, sive ex corporali, sive ex animali appetitione principium accipiat. Propterèà enim omnia peccata animales lapsus vocat Ecclesia.* Zonaras, postquàm memoratas à Balsamone sententias recensuerit, ità subdit : *Ego verò ita censeo peccata omnia, propterèà quòd ex depravatis animæ facultatibus ortum ducunt, animalia meritò dici posse &c.* Mihi videtur Nicænorum Patrum sententiæ convenientius dicere, actum illis fuisse de criminibus, quibus eum, qui Episcopatu insignitus est, postquàm recèns fuerit baptizatus, constet, non satis à gentium superstitionibus fuisse remotum ; siquidèm non alia de causa vetitum est, ne Episcopatus Neophitis concederentur, nisi quòd nondùm satis de eorum fide, atque in fide constantiâ liquere poterat. Duæ Nicæni canonis partes sunt. In priore futuris Episcoporum ordinationibus consulitur, ut scilicèt de cetero nullus ex Neophitis consecretur. In posteriore respicitur ad ordinationes Neophitorum jam factas, quæ licèt non rescindantur œconomiæ causâ, tamèn animadvertendum

in

in illis volunt Nicæni Patres, ut à Clero cesset is, qui, postquàm Sacerdotium adeptus est, animale peccatum, seu peccatum animi admiserit, videlicèt talem se operibus suis exhibuerit, ut non se verum fidelem, & christianum ostenderet, sed veteri hæresi suæ adhærere adhùc aliquatenùs videretur.

Can. 7. dist. 55. Superiùs animadverteram ad canonem 16. dist. 32. fuisse Nicæni Concilii tempore Leontium quemdam Presbyterum, qui, inhonestæ, aut saltèm suspectæ consuetudinis accusatus cum Eustolia adolescentula, quam contubernalem habebat, virilia sibi amputaverat, ut sic eadem liberiùs frueretur. Gravitèr ipse ab Eusthatio Antiocheno Episcopo reprehensus se se Arianis adjunxerat, quorum ope sedem Antiochenam per vim invadere tentavit; quemadmodùm refert Athanasius in Apologia de sua fuga in fine, & Socrates lib. 2. cap. 21., necnon Theodoretus lib. 2. cap. 24. Id occasionem dedit Nicænis Patribus, non solùm interdicendi Clericis omnibus mulieres contubernales dicto canone 16. dist. 32., verùm etiàm decernendi, ne quis, ulla necessitate suadente, aut ullâ Barbarorum vi abscissus, in Clerum reciperetur; quod cautum voluerunt in canone 1. relato apùd Gratianum in can. 7. dist. 55. Fortè etiàm eidem disciplinæ stabiliendæ occasionem præbere, aut jam datam urgere potuit vulgatissimum illud Origenis factum, qui, referente Eusebio in lib. 6. historiæ, Epiphanio hæresi 58., & Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis in Alexandro, cum fœminarum consortia frequentaret, quas se in divinis rebus erudire asserebat, ad amovendam suspicionem omnem virilia sibi amputavit, ad rem hanc detorquens illud Evangelii: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum Cœlorum.* Ferendum id diutiùs à Viris Ecclesiasticis non erat, quod etiàm Romanorum antiqua jura prohibebant l. 4. §. 2. ff. ad leg. Cornel. de Sicar., constitutionibus Imperatorum deindè confirmata l. 1., & 2. cod. de Eunuchis, & Novella Justiniani 142. Gratianus in dicto can. 7. dist. 55. sequutus est interpretationem Dionysii Exigui, cum quo omninò consonat, si pro voce illa *excisus*, quæ legitur apùd Gratianum, legatur *abcisus*, uti in omnibus Dionysianis editionibus. Atque hæc quidèm sententia minimè discrepat ab interpretatione Isidori Mercatoris, nec ab interpretatione Gentiani Herveti, aliorumque, qui Græcum textum latinitate donarunt.

Can. 1. dist. 64. In canone 4. Nicæni Concilii constitutum fuisse observamus, Episcopum debere ab omnibus, qui in Provincia sunt, Episcopis, præsertim verò à Metropolitano ordinari, quod refert Gratianus in can. 1. dist. 64. sequutus Isidorum Mercatorem, prioribus exceptis verbis, quæ Isidorus ità descripsit: *Episcopum oportet ab omnibus Episcopis, si fieri potest, qui sunt in Provincia ejus, ordinari. Si verò hoc difficile fuerit* &c. Paulò alitèr Dionysius Exiguus Nicænorum Antistitum sententiam explicavit his verbis: *Episcopum convenit maximè quidèm ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari. Si autèm hoc difficile fuerit; aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamèn omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tùnc ordinatio celebretur. Firmitas autèm eorum, quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.* Paulò etiàm discrepat interpretatio Gentiani Herveti, atque aliorum, qui ad Græcorum Codicum fidem singula exigere conati sunt, ibi: *Episcopum oportet maximè quidèm ab omnibus, qui sunt in Provincia, constitui. Si autèm sit hoc difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel viæ longitudinem, tres omninò eundem in locum congregatos, absentibus quoquè suffragium ferentibus, scriptisque assentientibus, tùnc electionem fieri; eorum autèm, quæ fiunt, confirmationem in unaquaque Provincia à Metropolitano fieri.* Huic sanctioni, qualibuscumque verbis describatur, occasionem præbuisse videtur Meletius in Thebaide Episcopus, qui, ut refert

Epiphanius hæresi 68., schismate concitato adversùs Alexandrinum Patriarcham, cui subdebatur, cœpit per finitimas Provincias iter faciens, plures solus Episcopos ordinare in gravissimum Ecclesiarum detrimentum, ac præcipuè ad discindendam Ecclesiarum unitatem. Quamobrèm optimum consilium Nicænis Patribus visum est, ut nemo ex Episcopis sine ceterorum consensu Episcopos constitueret.

Ad obtinendam hujus canonis accommodam interpretationem plurimùm invicèm dissident tùm Græci, tùm Latini Interpretes. Ex Græcis potissimùm Balsamon asserit, per hunc canonem novam, abrogatâ vetere, disciplinam inductam fuisse; quatenùs olim Episcopi ex suffragio populi electi haberentur, solaque Episcoporum Comprovincialium, & Metropolitani confirmatio accederet, & subsequeretur consecratio; deindè verò per hunc Nicænum canonem plebi, seu populo adempta electio fuerit, ne fortè seditionibus locus fieret, solisque Episcopis Comprovincialibus omnia reservata extiterint. Et quidèm in Balsamonis sententiam plures ex Latinis iverunt; quibus tamèn omnibus sive ex Latinis, sive ex Græcis quamplures adversati sunt, asserentes, in hoc Concilio, & canone ne unum quidèm apicem recessum fuisse à veterum electionum, & consecrationum consuetudine. Stephanus Baluzius in dissertationibus Petri de Marca de concordia Sacerdotii, & Imperii lib. 6. cap. 2. num. 10. scribit, *Canonem quartum Concilii Nicæni non tribuere Episcopis jus electionis, sed consensus tantùm, aut confirmationis, & auctoritatem ordinationis.* Quamquàm parùm sibi constans fuisse videtur, quippè in lib. 8. cap. 2. ait: *Ceterùm, si negotium istud referatur ad primam originem, morumque vetustæ Ecclesiæ, & antiquorum canonum ratio habeatur, constans est illa sententia, quæ solùm testimonium, & consensum designandi Episcopi Clero, & Populo tribuit, ipsam verò designationem, sive electionem, & judicium Metropolitano unà cum Synodo Provincialium Episcoporum.* Variæ huic Nicæni canonis interpretationi occasionem dederunt variæ Latinorum editiones; in aliis enim legitur *ordinari*, in aliis *constitui.* Porrò verbum *constitui* videtur latiorem significationem habere, ut & electionem, & confirmationem, & consecrationem Episcoporum complectatur; at verbum *ordinari* potiùs solam Episcoporum consecrationem propriè designat. Non aliundè, arbitror, desumendam esse Nicænorum Patrum sententiam, quotiès de vi etiàm Græcæ dictionis dubitatur, quam à veteri Ecclesiæ disciplina, quæ Concilium ipsum præcessit; itèm à causis ipsis, quibus moti fuerunt Nicæni Patres ad novum edendum canonem; demùm à disciplina Ecclesiastica, quæ in eadem re pòst Concilium Nicænum obtinuit. Porrò, si antenicænam disciplinam respiciamus, eam nobis liquidò exhibet Cyprianus, non quidèm quasi peculiarem Ecclesiæ Africanæ, sed generalem in universis fermè Provinciis receptam, ità scribens in Epist. 68. ad Clerum & Plebem in Hispania: *Propter quod diligenter de traditione Divina, & Apostolica observatione observandum est, & tenendum, quod apùd nos quoquè, & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apùd vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri Ordinatione, ut de universæ Fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quive de eo ad vos literas fecerant, judicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur.* Ex quibus sanè deducitur, antè Nicænum Concilium à Clero potissimùm & Coepiscopis Provincialibus eligendum fuisse Episcopum, plebe tamèn præsente, & testimonium de moribus electi ferente; deindè verò confirmatam electionem Episcopi in Concilio ipso Episcoporum fuisse, eodemque etiàm tempore novum

vum Episcopum consecratum. Nihil horum mutatum habemus in ipso Nicæno canone, quæcumque canonis editio attendatur, sive verborum significatio germana observetur, sive causæ canonis, ex quibus potissimùm meo judicio commodior innuitur interpretatio. Causa canonis, ut superiùs ajebam, suborta est ex Meletio Thebaidis, qui solus sine Coepiscopis, aut concitandi, aut fovendi Schismatis animo, Episcopos consecrabat. Satis erat Nicænis Patribus constituere, ut confirmatio, & consecratio Episcoporum ab omnibus Provinciæ Episcopis facienda præscriberetur, non opus fuerat plebem à testimonio ferendo subducere; imò etiàm plurimùm interesse poterat adversùs Meletium eumdem plebis admissio, quatenùs eo modo clandestinæ, & Meletianæ ordinationes Episcoporum magis magisque interdicerentur. Demùm, & ex posterioribus Conciliorum sanctionibus datum locum fuisse populo, ut Episcoporum electionibus interveniret testimonii ferendi causâ, agnoscimus facilè ex iis, qui hanc rem demonstrandam latiùs susceperunt, inter quos est Petrus de Marca in memorata editione lib. 6. de Concord. Sacerd., & Imper. cap. 2., & Vvanespen parte 1. Juris Eccles. universi tit. 13.; demonstrant enim, populum in Oriente admissum fuisse usquè ad Concilium Nicænum II., in Occidente verò usquè ad sæculum 12. Frustrà hùc adferrem & canones latos, & exempla, quæ apùd eosdem Scriptores facilè legi possunt.

Can. 8. dist. 64. & can. 1. & 6. dist. 65.

Jungendi simùl sunt apùd Gratianum canon 8. dist. 64., & canones 1. & 6. dist. 65., omnes enim ex eodem canone 6. Nicæni Concilii deprompti sunt. Verba hæc sunt ex Dionysio Exiguo: *Antiqua consuetudo servetur* (hic est canon 6. dist. 65.) *per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ità ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autèm & apùd Antiochiam, ceterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autèm* (is est canon 8. dist. 64.) *generaliter clarum est; quòd siquis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere. Sin autèm* (is est canon 1. dist. 65.) *communi cunctorum decreto rationabili, & secundum Ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum.* Canonem hunc nemo non videt ob idem, de quo superiùs verba feceram, Meletii Schisma editum fuisse; cum enim ipse, contemptâ Alexandrini, cui suberat, Patriarchæ auctoritate, Episcopos solus ordinasset, opus fuit ità decernere ad sartam tectamque servandam uniuscujusque Archipræsulis potestatem, ut & Patriarcha Alexandrinus ab Episcopis suæ jurisdictioni subjectis honoraretur, & generatim nequis sine auctoritate Metropolitani, quæ tùm in Provincialibus Conciliis ut plurimùm interponi solebat, quempiam Episcopum constitueret. Hæc est germana Nicæni canonis interpretatio; à qua longè, & toto cælo distant quicumque ex hæreticis recentioribus adversùs Romanam Pontificis Maximi Sedem scripsere. Ajunt illi, hoc canone Primatum Romanæ Ecclesiæ prorsùs fuisse improbatum, dum non alia auctoritas Romanæ Urbis Episcopo asseritur, quàm Alexandrino, aut Antiocheno, aut aliarum Provinciarum Episcopo competat; ut, quemadmodùm Antiochenus, aut Alexandrinus Episcopus, aut quicumque Metropolitanus nullam aliam majorem explicare jurisdictionem possunt, quàm in Provincia eisdem peculiaritèr assignata; ità quoquè Romani Pontificis auctoritas solis Romanæ Provinciæ, aut Romani Patriarchatus finibus circumscribatur. Non erat hæc Nicænorum Patrum mens, qui ad exemplum Romani Episcopi, ad quem Diœceseos suæ Episcopos ordinare pertinebat, voluerunt quidèm ab aliis Metropolitanis ordinandos esse Episcopos suffraganeos; minimè tamèn voluerunt Romano Episcopo æquam cum omnibus Metropolitis, nec majorem auctori-

tatem adserere. Qui enim? Nùm, si ego, exemp. caus. dixero, unumquemque Episcopum posse in sua Diæcesi Concilium ex Clericis suis convocare, quemadmodùm & Metropolitani facere possunt in Diæcesi sua, nùm æqualem exindè Episcopis simplicibus, ac Metropolitis auctoritatem tribuero? Diversa omninò sunt isthæc, & ab iis, qui ratione uti malunt, penitùs observanda. Non ignoro, nonnullos etiàm ex Catholicis, nimio veritatis studio correptos, hunc eumdem canonem in medium adferre, ut ex eo Romani Primatus antiquissimam divinamque institutionem in Nicæno Concilio agnitam pronuncient. Non esset sanè penitùs improbanda ipsorum industria, quotiès eò tenderet solummodò, ut demonstraretur ipsa eadem loca, ac veterum testimonia, quæ adversùs germanam Christi fidem adferuntur ab hæreticis, potiùs cum Catholicis dogmatibus consonare; sed quotiès id etiàm adgrediantur, ut eisdem monumentis Romanæ Ecclesiæ Primatum potissimùm demonstrare cogantur, & illis veluti præcipuis argumentis inniti, eorumdem votis morem gerere non possum. Hujusmodi enim conatus, etsi rudioris minervæ hominibus prodesse aliquandò valeant, tamèn ubi ad rectas rationis regulas ab eruditioribus exigantur, ipsi potiùs fidei, ad quam ceteroqui firmandam facti sunt, noxii videri poterunt. Aut enim dubia hujusmodi, incertique ponderis argumenta per se sola proponuntur eruditioribus viris, præsertim iis, qui apùd hæreticos versati tum demùm ad veram fidem reversuri creduntur, quum apùd illos manifestè de veritate constabit; & tùm de vera fide, quam incertis argumentis innixam vident apùd nostros, facilè hæsitabunt, nedùm velùt de re inani, & maximè ambiguâ cogitabunt. Aut hujusmodi argumenta solidioribus aliis admixta proponuntur; & tùm vera falsis admixta, confusaque incerta certis, mentem considerantium potiùs inter dubitationes involvent, quàm ad germana Fidei nostræ dogmata pertrahant. Itaquè, cum maxima aliundè, & quidèm perspicua habeamus Romani Primatus argumenta, quibus demonstremus, Romanum Episcopum esse totius Ecclesiæ Principem, non est, cur hujusmodi monumenta, quæ extrà rem omninò sita sunt, proferre quis velit; cum quidpiam commune non habeat Romanus Primatus cum servando omnium Metropolitanorum honore, quem unum servare voluerunt contrà Meletii ausum Nicæni Patres.

Sed fortè videor, undenàm quidam ex nostris moveri potuerint, ut ex memorato hoc Nicæno canone demonstratum apertissimè velint Sedis Romanæ Primatum. Potuit ad ipsorum manus venire quædam Nicæni Concilii editio, quæ talibus verbis conciperetur, ex quibus hujusmodi demonstratio fieri posset. Reverà in Concilio Chalcedonensi productum fuit in actione 16. quoddam Nicæni Concilii exemplar, in quo ità Nicænus idem canon legebatur: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum. Teneat igitur & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniàm & Romano Episcopo hæc est consuetudo.* Id ipsum fermè legitur in eo Codice, quem S. Leoni Magno Quesnellius adscripsit, ibi: *Ecclesia Romana semper habeat Primatum. Teneat autèm & Ægyptus Lybiæ, & Pentapolis Primatum, ità ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniàm & Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similitèr autèm & qui in Antiochia constitutus est. Itaquè & in ceteris Provinciis privilegia salva sint Ecclesiarum.* Priora sanè illa verba: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, plurimum adversùs hæreticos valere possent, quotiès ipsi ceteris Concilii Nicæni exemplaribus præferendum vellent exemplar illud, quod vel in Concilio Chalcedonensi actione 16. propositum fuerat, vel quod Romanæ Ecclesiæ Quesnellius adtribuit: ast ego plurimùm dubitaverim. De Quesnelliano Codice non est cur quidpiam amplius attingam, cum ejusdem fidem integritatemque superiùs ab-

abundè discusserim. Tantùm dixerim, Quesnellium ipsum adnotasse, priora illa verba: *Ecclesia Romana semper habeat Primatum*, partem adjectitiam esse; *ut dubium non sit, vel eam ex margine irrepsisse in textum, vel à Romanæ Ecclesiæ Clericis, aliisve esse additam, ne Romanæ dignitatis obliti esse Sancti Patres viderentur.* Res ergò tota reducitur ad Nicænum exemplar in Concilio Chalcedonensi propositum. Quid tamèn, si de ejus fide hæretici etiàm dubitarent, ajendo priora illa verba non pertinere ad Nicænum canonem, sed potiùs tamquàm Nicæni canonis titulum adjectum in Romanæ Ecclesiæ Archivio fuisse contenderent? Sanè in veteribus Codicibus sui singulis canonibus tituli adjici solebant, & quidèm ab iis, quibus cura erat Codicum Ecclesiasticorum. Dubitandum autèm non est, Codicem illum canonum Nicænorum, in Concilio Chalcedonensi actione 16. productum, esse eum, qui ex Romana Ecclesia allatus fuerat, cum productus fuerit à Paschasino Romanæ Sedis Legato, quorum fidem suspectam dicere hæreticorum interest parum, aut nihil; præsertim cum similis inscriptio in aliis, licèt antiquissimis, Nicæni Concilii exemplaribus, sive Græcis, sive Latinis desideretur. Desideratur in Alexandrina editione Concilii Nicæni, in editione Melchitarum, in editione Maronitica, ut omittam paraphrasim Arabicam Josephi Ægyptii, & interpretationes Balsamonis, Zonaræ, & Aristeni Græcorum. Desideratur in Latinis editionibus vetustissimis, quales sunt editio Dionysii Exigui, qui Romæ Græcum canonem interpretatus est, & Isidori Mercatoris, qui ab ea referenda clausula non abstinuisset, si eam in vulgatis sui temporis Codicibus invenisset. Quòd si Codicem Paschasini Romani Legati conferre lubeat cum collectione illa, quam Latinam antiquissimam vocat, ipsoque Dionysio Exiguo antiquiorem, Justellus, quamque ipse edidit in tomo 1. pag. mihi 284., similia verba non leguntur in ipso canone, sed potiùs canonis titulum, sive præfationem continent, ibi: *De Primatu Ecclesiæ Romanæ, vel aliarum Civitatum Episcopis.* In tanta Codicum, & quidèm antiquissimorum varietate, quis tutum rei Ecclesiasticæ monumentum afferri posse arbitretur? Quod etiamsi tutum esset, adhùc alia disquisitio remaneret de interpretanda voce *Primatus*, quæ ibidèm pluribus promiscuè Ecclesiis adtributa videtur; vel fortè respectu Episcoporum Romanæ tantummodò Provinciæ adposita dici posset juxtà interpretationem Ruffini, qui ità hunc eumdem canonem descripsit: *Et ut apùd Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Ipsa etiàm superiùs memorata Latina antiquissima editio his consonare videtur: *Antiqui moris est, ut Urbis Romæ Episcopus habeat principatum, ut suburbicaria loca, & omnem Provinciam suâ sollicitudine gubernet; quæ verò apùd Ægyptum sunt, Alexandriæ Episcopus omnium habeat sollicitudinem.* Alexius Aristenus eadem ferè ex hoc canone retulit: *Supèr Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim Alexandrinus Episcopus potestatem habeat, & Romanus supèr Romæ subjectos: Itèm Antiochenus, aliique supèr suos.* Mihi itaquè simplicior potiùs placet canonis hujus interpretatio, quam Nicæni temporis adjuncta suadere videntur, ut scilicèt definitum fuerit adversùs Meletium, in unaquaque Provincia consecrandos fuisse Episcopos consensione Metropolitani; nihil autèm ex eo adferri posse, quo de Primatu Romani Pontificis tùnc temporis dubitatum videatur, cum nulla occasio existere potuisset, ut de ea re quidpiam Nicænis canonibus comprehenderetur.

Canon 7. dist. 65. legitur in can. 7. Nicæni Concilii apùd Dionysium Exiguum paulò alitèr, atque apùd Gratianum his verbis: *Quoniàm consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Eliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salvâ Metropoli propriâ dignitate.* Eliæ Civitatis nomine venit Jerusalem, sive Jero- Can. 7. dist. 65.

so-

solyma, quemadmodùm Gratianus explicavit, ità dicta, quòd Elius Adrianus, Jerosolymâ eversâ, novam urbem construxerit, quæ exindè ab ipso Eliæ nomine appellata est; quemadmodùm refert Eusebius lib. 4. Histor. Eccles. cap. 6., Cedrenus in Adriano, & Hieronymus in Actibus Apostolorum; quamobrèm Episcopi Jerosolymitani, quorum primus fuisse fertur Apostolus Jacobus, Elienses Episcopi dicti posteà sunt. Porrò tùnc temporis, sicut Jerosolyma pridèm, ità Elia subjecta fuerat Metropolitico juri Episcopi Cæsariensis. Hinc apùd eruditos elegans suborta est disputatio, quænam Nicænorum Patrum sententia fuerit in hoc canone, dum, peculiari honore habendum esse Eliæ Episcopum, decretum est. Non defuerunt viri docti, inter Græcos Zonaras, Balsamon, & Aristenus, inter Latinos Petrus de Marca, qui assererent hoc in canone Eliensem, sive Jerosolymitanam Ecclesiam fuisse Patriarchali dignitate decoratam. Verùm meo judicio, quousquè aliud non adpareat evidens monumentum, rem demonstratam minimè video. Cum enim in eodem canone tribuatur quidèm peculiaris honor Jerosolymitano Episcopo, sed subdatur salvam esse debere Metropolis dignitatem, non satis intelligo, quomodò Jerosolymitana Ecclesia Patriarchalis esse potuerit simùl, & Metropoli adhùc suæ subjecta, cum Patriarchales Ecclesiæ alias quidèm Ecclesias, & Metropoles sibi subjectas habeant, non aliis ipsæ jure Metropolitico subjiciantur. Quid verò conjecturis opus est, ubi liquidò constat, etiàm diù pòst Nicænam Synodum Jerosolimitanam Ecclesiam Cæsariensi fuisse tamquàm Metropoli subjectam? Testificatur id Hieronymus, cujus ætate Joannes quidam Jerosolymitanum Episcopatum administrabat, & quidèm de Origenistarum, & Arianorum hæresi valdè suspectus. Hunc Hieronymus sæpissimè monuit, ut se publicè de suspicione vulgo conceptâ purgaret; at Joannes, ad Theophilum Episcopum Alexandrinum provocans, coràm illo suam apologiam exposuit. Id ægro animo tulit Hieronymus, de Ecclesiastica Ordinariorum jurisdictione sollicitus; optaverat enim ea in specie, non ad Alexandrinum sed potiùs ad Cæsariensem Episcopum veluti Metropolitam causam deferendam fuisse. En ipsamet sancti Doctoris verba, ad Pammachium scribentis, & Joannem ipsum alloquentis: *Tu, qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicænis Canonibus uteris, & alienos Clericos, & cum suis Episcopis commorantes tibi niteris usurpare, responde mihi: Ad Alexandrinum Episcopum Palestina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palestinæ Metropolis Cæsaria sit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitùr ad Cæsariensem Episcopum referre debueras, cui, spretâ communione tuâ, communicare nos noveras, aut, si procùl expetendum judicium erat, Antiochiam potiùs literæ dirigendæ. Sed novi, cur Cæsariam, cur Antiochiam nolueris mittere. Sciebas, quid fugeres, quid vitares. Maluisti occupatis auribus molestiam facere, quàm debitum Metropolitano tuo honorem reddere.* In tam perspicuo Hieronymi testimonio, ex quo manifestissimè liquet, quinto adhùc sæculo Hierosolymitanam Ecclesiam Cæsareæ fuisse Metropolitico jure subjectam, quis audebit jam à quarto sæculo eidem Ecclesiæ verum Patriarchale jus, & honorem adserere?

Quispiam nùnc fortè interrogaret, qualis ille honor sit, quem habendum Eliæ, sive Jerosolymæ Episcopo, Nicæno canone præceptum fuit. Qui eodem canone non agnoscunt institutum fuisse jus Patriarchicum, communi consensione ajunt, talem eodem prærogativam fuisse concessam Episcopo Eliensi, ut, licèt Metropolitico jure Cæsariensi Episcopo subderetur, ipse tamèn primus ordine in Conciliis pòst Metropolitanum suum sederet; quemadmodùm hujusmodi exemplum recentiore tempore demonstrant apùd Anglos in Cantuariensi Ecclesia, ubi pòst Cantuariensem Archiepiscopum primus in Conciliis sedet Episcopus Londinensis. Quam interpretationem asserunt omninò canoni Ni-

Nicæno accommodam esse, vel quòd Jerosolymitana Civitas hoc honore digna esse potuerit, aut etiàm debuerit, ob Urbis egregiam dignitatem, in qua pleraque fidei nostræ mysteria completa sunt; vel quòd in ipso Concilio Nicæno inter subscriptiones prælatum fuerit pluribus nomen Macarii Episcopi Jerosolymitani; vel demùm quòd nullam aliam magis aptam interpretationem Nicæni canonis inveniri posse arbitrentur.

Non esset contemnenda horum omnium Interpretum industria, licèt non demonstratione certa, sed nudis, ut ajunt, conjecturis utantur, quotiès nulla melior Nicæni canonis interpretatio haberi posset, & quidèm validioribus conjecturis innixa. At mihi alia hujusmodi in promptu est canonis Nicæni ratio, quam de more meo ex temporis locive circumstantiis deducendam esse censeo. Prænotavimus, dirutâ Jerosolymorum Urbe, novam aliam ab Elio Adriano Imperatore ædificatam esse Civitatem, quam Eliam appellarunt, & quidèm non eodem in loco, sed propè locum, in quo Jerosolyma sita erat. Novam hanc Urbem Adrianus Jovi Capitolino dicaverat, ut non Judæi tantùm, sed & Christiani lugerent, tùnc loca illa, jam diù vero Deo sacrata, falsis numinibus inservire. In his temporum, ac mutatæ Urbis rationibus, quis facilè non videat, quænam fuisset Eliensis sive Jerosolymitani Episcopatus conditio? Eversa Jerosolymæ Urbs Episcopum habere non poterat: nova Civitas Elia Jovi Capitolino dicata nullum ferebat Episcopum: vix aliqui ex Christianis ibi clanculùm degentes, aut ex Judæis conversi Sacerdotem quempiam habere poterant, qui Eliensis fortè Episcopi nomine donari potuisset. Deindè verò cum tempore Constantini Imperatoris, paulò scilicèt antè Nicænum Concilium, prostrata templa Idolorum fuerint, atque in veri Dei honorem constitutæ Basilicæ, ut refert B. Sulpitius in lib. 2. sacrarum Historiarum apùd Sigonium pag. mihi 890., in pristinum honorem visus est proclamasse Episcopus Eliensis, ut scilicèt, salvâ sui Metropolitani potestate, honoraretur, quemadmodùm anteà Hierosolymitanus Episcopatus honorabilis sempèr habitus fuerat. Atque hæc mea singularis interpretatio consonare videtur cum ipsismet verbis Nicæni canonis, ibi: *Quoniàm consuetudo obtinuit, & antiqua traditio &c.* Quid aliud significant hæc, quàm Eliensem Episcopum ad pristinum honorem suum, favente Christiano Principe, restituendum esse? Me sanè non pœnitet hujus meæ interpretationis in conspectu rationum illarum, quæ pro aliis interpretationibus adferuntur. Nàm, quod ajunt, Hierosolymæ Episcopum in Concilio ipso Nicæno subscribentem pluribus aliis suæ Provinciæ Episcopis fuisse prælatum, nullum negotium facessit, cum eruditi omnes agnoscant subscriptiones Episcoporum, quæ habentur in editionibus Concilii Nicæni, fuisse à manu posteriore corruptas; quod non solùm deducitur ex variis eorumdem Codicum collationibus, verùm etiàm quòd Macarius ibidèm appelletur non *Eliæ*, quemadmodùm in Nicæno Canone, sed potiùs *Hierosolymæ* Episcopus; cum aliàs certum sit, restitutum tantummodò fuisse nomen Hierosolymæ Eliensi Civitati posteriore ætate, cum Hierosolymitana Ecclesia in Patriarchalem evasit. Prætereà in eisdem subscriptionibus Macarius idem non solùm describitur primus suffraganeorum Cæsariæ, verùm etiam antè ipsum Eusebium Cæsariensem Metropolitanum suum, contrà quod in Nicæno canone decernatur. Qualiscumque autèm capiatur interpretatio, minimè inficias iverim, laudatum Nicænum canonem aliquid posteriore ætate potuisse conferre, ut in dies Ecclesia Eliensis honorabilior evaderet, ac tandèm novis accedentibus privilegiis, restituto Hierosolymitanæ Ecclesiæ nomine, Patriarchalem dignitatem obtineret.

Quod Gratianus nomine Nicæni canonis retulit in can. 3. dist. 68. descripsit

Can. 3. dist. 68. & Can. 20. de cons. dist. 1.

sit etiàm eisdem verbis in can. 20. de cons. dist. 1.; sed nec in vulgatis Nicæni Concilii canonibus, neque in aliis Arabum exemplaribus inveniri potest: imò ne unus quidèm ex veteribus istiusmodi fragmentum, similemve sententiam ex Nicæno Concilio recitavit; ut propterèà facilè suspicari possimus, novam hanc jurisprudentiam aut à Gratiano primùm, aut ab alio non longè à Gratiani ætate remoto, fuisse confictam: nomine autèm Nicæni Concilii decoratam fuisse, ut commodiùs spargeretur in vulgusi, ac communi suffragio probaretur. Agebatur de consecrationibus, & reconciliationibus Ecclesiarum, de quibus cum nonnulla canonibus comprehensa fuerint in Concilio Nicæno II., facile fuit Nicæni Concilii nomen, ad promovendam hujusmodi disciplinam, usurpare. Plura quidèm erant Nicæni Concilii decreta, quemadmodùm in can. 7., in quo definitum est, sine reliquiis Martyrum Templa dedicari non posse, & in can. 13., in quo cautum est, ut restituerentur ædes sacræ, quæ in publica quodammodò diversoria evaserant; verùm nihil tale ibidèm continetur, quod cum memorato Gratiani fragmento conveniat. Tantummodò generalis illa Nicæni Concilii Constitutio occasionem præbere potuit posteriori cuipiam, ut, quid in reconciliationibus Ecclesiarum observandum sit, clariùs exponeret, expositumque quasi ex Nicæno Concilio depromptum referret.

Non nihil juvabit, rem hanc altiùs repetere. Tribus prioribus Ecclesiæ sæculis difficile prorsùs est, in Ecclesia Templa publica solemnibus Pontificum statisque ceræmoniis dicata agnoscere, quum vix in privatis ædibus, urgente potissimùm Ethnicorum vexatione, sacra fieri possent; neque enim publico extraneorum hominum ludibrio exponenda erant Religionis nostræ Sacramenta, quemadmodùm accidisset, si in mediis gentium conventibus celebrari debuissent. Vix Constantini magni temporibus fieri cœperunt Ecclesiarum dedicationes, quibus Judæorum veterum probatissimæ solemnitates renovari quodammodò videbantur. Tùnc enim publica Templa erecta sunt, aut etiàm, quæ in falsorum Numinum cultum superstitio erexerat, in veri Dei honorem religio sincera convertit. Itaquè vel nova erigebantur Templa, & tùnc maximè solemnis erat dedicatio, cujus exempla sunt luculentissima apùd Eusebium lib. 10. cap. 3., & 4., Nicephorum lib. 7. cap. 40., necnon apùd Athanasium in Apologia ad Constantinum Imperatorem; vel delubra falsorum numinum in cultum verè sacrum tranformabantur: ac tùm variis lustrationibus expiabantur primùm, deindè verò solemni consecratione inaugurabantur, quemadmodùm luculentissimè tradit Joannes Chrysostomus in homilia, *quod Christus sit Deus* in tomo 5., & Theodoretus Cyrensis sermone de Martyribus; atque hinc scimus etiàm profectum fuisse, ut apùd Donatistas solemnitèr expiari solerent Templa, quæ Christiani anteà Sacrificiis sanctissimis decorassent; & viceversa apùd Christianos omnes reconciliata quodammodò fuisse Templa, quæ ab Hæreticorum potestate erepta Christiani aliquandò occupassent. Hæc fuit reconciliatio, quæ vetustis Ecclesiæ temporibus, à sæculo scilicèt quarto usquè ad Gratiani ætatem nota fuit; neque enim apùd veteres reconciliationis alterius ulla fit mentio.

Verùm enim verò Viri Ecclesiastici, in interpretanda hac sacrarum ædium consecratione, variis doctrinis cœperunt ità de illa disserere, ut certam quoque de ipsa disciplinam constituerent, non tantùm in designandis ritibus, quibus consecratio fieret, sed & de jure novæ consecrationis, aut reconciliationis. Agnoverunt in primis, consecrationem lapidum, tignorumque Symbolis illustratam esse, quatenùs in templi materialis dedicatione animæ potiùs christianæ consecrationem intuerentur, ut fideles animadvertentes etiàm

res

res inanimes Deo offerri, expiari, solemnitèr etiàm consecrari, ità ipsi etiàm interiorem animæ expiationem, consecrationemque exoptarent. Hinc dedicatio Ecclesiarum cum Baptismo fidelium comparata est: è converso autèm, quemadmodùm homo, semèl baptizatus, rebaptizari non potest, sed tantùm, si lapsus indè fuerit, reconciliari; ità receperunt Ecclesiam semèl dedicatam novâ dedicatione amplius non indigere, sed, si quoddam in ea vitium adesse contigerit, expiatione reconciliandam. Eò etiàm deventum est ex hac rerum similitudine, ut, quemadmodùm rebaptizandus esset, quicumque non fuisset ab initio in Sanctissimæ Trinitatis nomine baptizatus, ità quoquè novâ dedicatione consecraretur templum illud, quod ab initio non adparuisset ejusdem Trinitatis nomine dedicatum. Hæc omnia, facilè constat, undecimo sæculo fuisse in maxima consideratione habita, dummodò diligentèr legatur homilia 4. Ivonis Episcopi Carnotensis *de Sacramentis Dedicationis*, qui eodem sæculo floruit.

Dum hæc Ecclesiastici Viri dissererent, Gratiano etiàm visum est quædam de dedicatione, aut reconciliatione Ecclesiarum declarare; cui cum similitudo illa satis placeret inter consecrationes templorum, atque animarum, placuit etiàm de utraque consecratione in postrema sui Decreti parte sub uno titulo *de Consecratione* multa complecti, atque conjungere; videmus enim illum non tam de Ecclesiarum dedicationibus egisse, verùm etiàm de Sacramento Baptismatis plurima disputasse: imò ut plura nova quodammodò in hac reconciliationum, & frequentissimarum dedicationum materie inducebantur, ex variis, quæ de ea concipiebantur, doctrinis ad canones formandos ipse manum admovit, quos, ut ajebam, Nicænis Patribus adtribueret. Is est canon 3. dist. 68., seu canon 20. de cons. dist. 1., in quo paucis multa tradidit; & primò asseruit, Ecclesias semèl consecratas non debere ampliùs consecrari. Id quidèm consonabat cum receptis ætatis suæ sententiis; non enim, nisi semèl, celebrari poterat, quod Sacramento Baptismatis comparabatur in omnibus; atque hùc pertinent ea Gratiani verba: *Quia, sicut infans à qualicumque Sacerdote in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti semèl baptizatus non debet iterùm baptizari, ità nec locus Deo dicatus iterùm consecrandus est.* Subdit dein exceptionem in fine capitis Gratianus: *Si tamèn fidem Sanctæ Trinitatis tenuerint, qui eum consecraverunt.* Et rectè, si à similitudine Sacramenti Baptismatis petendum erat argumentum; cum Baptismus repetatur, ubi Trinitatis mentio facta non fuerit: aliàs verò constat ex memorata Ivonis homilia, etiàm in nomine Trinitatis Ecclesias fuisse dedicatas. Sed, ut video, à proposito suo lapsus est Gratianus in aliis exceptionibus, quas adduxerat; ait enim, Ecclesias novâ consecratione indigere, si *aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cujuscumque semine pollutæ.* Si jus posteà receptum perpenderimus, nihil erit improbandum, imò quotiès Ecclesiæ judicio gravissimo tales consecrationibus Templorum præstitutæ sunt regulæ, illis omninò erit obtemperandum; præsertim quòd de disciplinæ materie agatur, quæ pro variis modò temporum, modò locorum rationibus varia esse solet, & cujus ratio perpetua non est. Verùm, si cum Gratiano, aut cum quovis alio privato homine hujus disciplinæ auctore congredi velimus, dicere non dubitabimus, hæc cum propositis rei ipsius principiis minimè consonare. Consecratio Ecclesiarum Baptismati fidelium comparatur; imò in consecratione Ecclesiarum fidelium Baptismus significatur; ità ratiocinantur undecimi sæculi Scriptores. Si ità se se res habet, quomodò per effusionem sanguinis, aut semine cujuscumque polluta Ecclesia novâ consecratione indigebit, si per hujusmodi crimina fidelium animæ novo Baptismate non abluuntur? Aut si Ecclesiæ per hujusmodi crimina pollui cen-

sentur ità, ut novâ indigeant consecratione, cur per alia atrociora etiàm crimina novam consecrationem non expostulabunt? Quod autèm dicitur, Templa rursùs esse consecranda, si exusta fuerint, id non est adjecta generali regulæ exceptio, non enim tum secunda consecratio Templi appellabitur, sed prima consecratio Templi posterioris. Peterem itidèm à Gratiano, cur potiùs mentionem fecerit de ædificio igne combusto, non autèm de Templo, quod vel vetustate, vel aliâ quacumque de causâ collapsum fuerit? Nùm hi casus simili exceptione non comprehendentur?

En, quibus difficultatibus se se Gratianus involverit in hac sua nova disciplina, quam deindè ob eximiam Gratianeorum canonum existimationem receptam fuisse scimus, atque in germanos sacræ prudentiæ recentioris codices translatam, assiduoque usu confirmatam, ne dixerim variis Interpretum commentariis explanatam. Ego, cum in unaquaque re originem potissimùm, & causas inspiciendas esse arbitratus fuerim, nihil aliud in hac parte dici posse existimo, quàm parendum esse recepto Juri, qualiscumque fuerit causa, undè inductum est, quotiès de meris agitur Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus. Sed intereà licebit eruditioribus ad auctores privatos hujusmodi disciplinarum respicere, atque eorumdem studia minùs probare, qui commento suo talem disciplinam sequendam proposuerint, quæ ab ipsis jactis illorum principiis abhorrere videatur.

Nondùm tamèn à Gratiano recedendum esse censeo, nisi graviorem aliam suspicionem meam aperiam jam dudùm mihi subortam, quâ clariùs adpareat, undenàm Gratianus idem hæc omnia describere ac perstringere omninò potuerit, eademque Nicæno Concilio tribuere. Isaacus Habertus Parisiensis Ecclesiæ Canonicus edidit librum Pontificalem Ecclesiæ Græcæ, in quo pag. mihi 666. extant nomine Tarasii Patriarchæ Orationes nonnullæ ad aperiendam Ecclesiam profanatam. Prior oratio pertinet ad expiandam Ecclesiam, ab Hæreticis profanatam. Altera pertinet ad Ecclesiam reconciliandam, quam Ethnici superstitiosis ritibus inquinaverint. Tertia demùm continet reconciliationem Ecclesiæ, in qua homicidium perpetratum fuerit. Itaquè ego arbitror, Gratianum ex hisce orationibus canonem perstrinxisse, quem Nicæno Concilio deindè tribuit. Fateor, Gratianus non egit de reconciliatione Ecclesiæ, ab Ethnicis, aut Hæreticis violatæ. Sed fortè illud omisit, quia Gratiani ætate reconciliationum hujusmodi nullæ erant occasiones. Sed, inquies, quid commune habent orationes Tarasii cum Nicæno Concilio? Respondeo, nihil magis apùd Gratianum. Etenim Tarasius Patriarcha erat Constantinopolitanus, quo tempore Nicænum Concilium II. celebratum est anno 787.: is acerrimus fuit Hæreticorum Iconomacorum adversarius, & in Concilio strenuum se se exhibuit veræ fidei propugnatorem. Quid ergò facilius esse poterat Gratiano, quàm doctrinam Tarasii fusis orationibus extensam paucis perstringere, eamdemque, adinstar canonis in suum codicem relatam, Nicæno Concilio adscribere?

Quæ si vera sunt, quid magis necessarium, aut quid convenientius esse potest ad obtinendam germanam Gratianei canonis interpretationem, quàm eumdem canonem ad Tarasianas orationes reducere, & cum illis omninò conferre? Itaquè Tarasius in oratione 1. formulam descripsit reconciliandi Ecclesiam, ab hæreticis profanatam. Nihil autèm ibidèm est, quod ad rem nostram peculiari indigeat observatione. Sequitur altera oratio de reconciliatione Ecclesiæ, ab Ethnicis profanatæ; neque hic aliquid peculiaritèr animadvertendum occurrit. Potiùs consistendum in oratione postremâ, quam unam Gratianus, ut arbitror, perstringere voluit. Ibi proponitur expiatio Ecclesiæ, in qua factum fuerit homicidium, his verbis: *Domine Deus noster, qui propter multam,*

tam, ac inenarrabilem bonitatem tuam dignatus es, ut hoc Templum tuum vocaretur inaccessibilis, & incircumscriptæ gloriæ tuæ tabernaculum, per sanctissimi, & vivifici spiritus tui operationem sanctificatum; nùnc verò propter multitudinem peccatorum nostrorum permisisti, ut illud pollueretur violentâ morte hominis ad imaginem tuam formati, ex invidia diaboli, qui ab initio fuit homicida: Tu rursùs per multam, & immensam misericordiam tuam, nostrum, licèt peccatorum, & inutilium servorum tuorum, postulationem suscipiens, ex pura tibi fide oblatam, expurga donum hanc, & altare, quod in ea est, per adventum Spiritus sancti tui, primamque ipsius gratiam renova, ad celebrationem nominis tui inoffensam, ad oblationem acceptabilem Sacrificii incruenti, ad gloriam, & laudem clementiæ tuæ. Tu etiàm Domine omnium, qui solus naturâ purus es, & sanctissimus qui cuncta sanctificas verbo tuo, tu nos etiàm toto corde te quærentes expurga ab omni labe carnis, & spiritus, cogitationum dubiarum, & conscientiæ perplexæ. Quoniàm tu es sanctificatio nostra, tibique gloriam reddimus Patri, & Filio, & Spiritui sancto, nùnc, & semper, & in sæcula sæculorum. Sic descripta est integra Tarasii oratio, ex qua deducitur Templum reconciliandum esse, quotiescumquè homicidium fuerit in eodem perpetratum; propterèaque exceptio illa Gratiani, *aut sanguinis effusione*, valdè perstricta est, nec generatim de homicidio intelligi potest: propterèaque jure redarguere possemus Gratianum, quidquid deindè pòst ipsum obtinuerit, quòd mutilata de more suo veterum monumenta, atque sententias ad nos usquè transmiserit. In eodem Codice pòst hanc Tarasii orationem ità sequitur ex ejusdem Tarasii verbis: *Dicitur autèm hæc oratio in aperiendo Templo, in quo animal irrationale secundum ritum veteris legis mactatum est impurum, nec sacrificio aptum, sive generavit; immutante paulispèr Pontifice ab his verbis: morte violentâ, usque ad hæc: ab initio homicida; ac dicente de animali occiso ità: qui permisisti, ut illud invidiâ diaboli per mortem irrationalis animalis secundum veterem legem sanctam tuam ad sacrificium non idonei, nec mundi &c. Deindè adjiciente: Tu verò per multam &c. De animali verò generante, ità: qui permisisti, illud pollui per invidiam diaboli irrationalis animalis generatione, secundùm legem sanctam tuam veterem ad sacrificium nec apti, nec mundi: tandèm illud adjiciente: Tu rursùs &c. usquè ad finem orationis.* His omnibus agnosco explicata clariùs illa subobscura Gratiani verba: *aut sanguinis effusione, aut cujuscumque semine pollutæ.* Quippè reconciliari opus erat ex sententia Tarasii Ecclesias, quotiès aut sanguis animalis cujuspiam in Altari fuisset mactatus sacrificio improbato, atque execrabili, quod ab Ethnicis factum olim lugebat Optatus Milevitanus. Itèm ex ejusdem Tarasii sententiâ reconcilianda erat Ecclesia, quotiès animalia quæque polluta in Ecclesia fuissent ad animalis generationem; visum enim fuit etiàm apùd Ethnicos valdè indignum, ut etiàm in Deorum delubris generationi daretur opera. Hinc Plato lib. 12. de legibus scribit, indictam fuisse capitis pœnam illis, qui coitus hujusmodi haberent, quod irritari eâ ratione numina arbitrarentur, atque ab ipso Templo recedere. Quicumque hæc omnia conferendo perpendet, facilè agnoscet, qualis capienda sit, & quæ commoda habeatur Gratianei canonis interpretatio, quam à germana Auctorum suorum sententia & Glossographi, & Interpretes mirum in modum detorserunt.

In canone 16. Nicæni Concilii leguntur duo Gratiani fragmenta, scilicèt can. 23. caus. 7. quæst. 1., & canon 3. dist. 71. Gratianus sequutus est Isidori Mercatoris interpretationem. Ego Dionysium Exiguum sequendum potiùs arbitror, ità scribentem. *Quicumque temerè, ac periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec Ecclesiasticam regulam agnoscentes, discedunt ab Ecclesia Presbyteri, aut Diaconi, vel quicumque sub regula prorsùs existunt, hi nequaquàm debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas Parochias revertantur; quod si non fecerint, oportet eos*

Can. 3. dist. 71. & Can. 23. caus. 7. q. 1.

communione privari. Hùc usquè canon 23. apùd Gratianum. Sequuntur verba canonis 3. *Si quis autèm ad alium pertinentem audaciter invadere, & in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo, à quo discessit is, qui regulæ mancipatur, ordinatio hujusmodi irrita comprobetur.* Nihil sanè est hac disciplinâ vetere ætate firmius, quodque magis, & ferè quotidianis sanctionibus promulgatum. Unum adfero antiquissimum Taurinense Concilium anni 397., ubi can. 7. ità legitur: *Nec illud prætermittendum, quod Synodi sententiâ definitum fuit, ut Clericum alterius secundum statuta canonum nemo suscipiat, neque suæ Ecclesiæ, licèt in alio gradu, audeat ordinare, neque abjectum in communionem recipiat.*

Nicæni Concilii Sanctionibus accenseri solent exemplaria Formatarum Epistolarum, quorum unum profertur à Gratiano quasi ex Nicæno Concilio in can. 1. dist. 73., quamquàm neque inter viginti Nicænæ Synodi canones, neque in Arabicis Nicæni Concilii editionibus inveniatur. Imò, si Gratianeam scriptionem, qualis jacet, consideremus, cum in ipsa Burchardi Wormaciensis nomen inscriptum sit, & nota adjecta fuerit Dominicæ Incarnationis anni 1012., liquet manifestissimè, eamdem formulam longè esse Nicæno Concilio posteriorem. Ad assequendam hujus rei notitiam animadvertere in primis juvabit, in Nicæno Concilio can. 15. & 16. Decretum legi, ut nemo ex Clericis de sua Provincia aliò migret sine consensu, aut auctoritate proprii Episcopi. Hic Episcopi consensus, ne fraus Nicæno canoni fieret, solebat non nudis verbis concipi, sed scripturâ significari, quæ *Epistola Formata* appellabatur. Imò & posteriore ætate, ut fraudibus quibuscumque vagantium Clericorum obviam iretur, nonnullæ adinventæ sunt notæ, quibus legitimæ Epistolæ Formatæ dignoscerentur, atque ab apocryphis secernerentur. Videlicèt inductum est, ut certi Græcarum literarum characteres adjicerentur, de quibus suo loco sermonem instituam, præsertim ad canonem 2. dist. 73., ubi de Attico Episcopo Constantinopolitano. Quum itaquè Formatarum hujusmodi Epistolarum exemplaria fieri cœperint, & variis distingui notis circà sæculum 7. aut 8., Ecclesiastici auctores non solùm illarum originem Nicæno Concilio adtribuerunt, ut major ipsis auctoritas accederet, verùm etiàm, quasi in Nicæno Concilio editæ fuissent, proposuerunt. Hinc Regino in lib. 1. de Ecclesiasticis disciplinis ad cap. 437. ait: *Nicæna Synodus, hunc ordinem inter Episcopos in faciendis Epistolis conservandum esse, instituit*; pòst quæ verba in laudato capite exhibet Græcas literas, earumque ordinem, quo suo tempore eædem disponebantur, atque exarabantur. Deindè in cap. 438. subdit exemplar Formatæ Epistolæ nomine Rathbodi Trevirensis, & cap. 439. aliud exemplar nomine Dadonis Wirdunensis; atque hoc posterius exemplar illud ipsum est, quod Gratianus nomine Nicænæ Synodi retulit in dictum canonem 1. dist. 73., exceptis tantummodò nominibus, quæ apùd Gratianum diversa sunt; habet enim Regino: *Reverentissimo, & Sanctissimo Rathbodo, Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Dado Vvirdunensis Ecclesiæ devotus Gregis Christi famulus in Domino vero Rege summæ felicitatis beatitudinem. Cum sancta Catholica Ecclesia prompta sit sequi documenta Evangelica &c.* Quæ sequuntur, cum Gratiano consonant, iis verbis exceptis, quæ hic subjiciam. Ubi Gratianus habet: *nomine Hermanus*, Regino scripserat: *nomine Adruinus.* Deindè, ubi Gratianus ait: *Ego, inquam &c.*, Regino hæc addiderat: *Ego, inquam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & in unitate Sanctæ Ecclesiæ, in qua Petro datum est jus ligandi, atque solvendi, absolvo Dado humilis Episcopus Presbyterum Adruinum de Civitate Vvirdunensi, indictione* IX., *& licentiam do vobis Rathbode venerabilis Archiepiscope inthronizandi eum in quacumque Ecclesia vultis vestræ Parechiæ. Dilectam paternitatem vestram virtutum floribus insignitam omnipotens Deus conservare dignetur. Amen.* Π. Υ. Α. Π Δ ΑΡ. Δ. Ω DCCLXXVIII.

Can. 1. dist. 73.

da-

data v. *Idus Maii anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCVI. *Indictione* IX. Hic erat annus, quo scribebat Reginò, qui exemplar istud ipse formaverat studiosos rerum Ecclesiasticarum erudiendi gratiâ, & quidèm disciplinæ suorum temporum accommodatum, omnia tamèn ad Concilium Nicænum referens, à quo primam Formatarum originem repetendam esse agnoverat. In hanc Reginonis formulam intendit Burchardus Wormaciensis, dum suam Collectionem Canonum adornaret; eamdemque ipsi collectioni suæ quasi ex Nicæna Synodo depromptam inseruit, omittens tamèn nomina Rathbodi, Dadonis, & Adruini, ac vice illorum suum inserens nomen, & Walterii Spirensis Episcopi, & Ecmanni Presbyteri, cujus gratiâ Epistolam Formatam se concedere fingebat. A Burchardi Collectione (quocumque modo id acciderit, nihil refert) translatum hoc exemplar fuit eisdem verbis in Collectionem Gratiani, nisi fortè quis Editionis varietatem agnoscere velit in nomine Hermanni, qui apùd Burchardum dicitur Ecmannus. Sed hoc levissimum est. Illud observasse juvabit potiùs, memoratum canonem 1. dist. 73. nullo modo tribui posse Nicæno Concilio, sed posterioris temporis auctorem habere, eum scilicèt, qui conscribendis Formatarum exemplaribus delectaretur, & vix ad Nicænum Concilium ea de causa referri posse, quod de Formatis Epistolis in Nicæno eodem Concilio quidpiam definitum fuerit.

Can. 4. dist. 1. Severa olim fuit in Clericorum Ordinationibus Ecclesiastica disciplina, quâ videlicèt à sacris Ordinibus sive recipiendis, sive receptis arcebatur, quicumque gravi crimine maculatus extitisset, ex iis videlicèt, quibus publica pœnitentia infligi solebat. Hanc disciplinam apertissimam facit canon 4. dist. 81., sive canon 9. Nicænus, cujus verba hæc sunt ex interpretatione Dionysii Exigui: *Si qui Presbyteri sine examine sunt provecti, vel, cum discuterentur, peccata sua confessi sunt, & homines, contrà canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt, tales regula non admittit, quia quod inreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.* Hæc sanè fuit veterum Patrum sententia constans, atque perpetua, juxtà quam S. Isidorus Hispalensis in lib. 2. de Offic. Eccles. cap. 5. ità scribit: *Quòd autèm quis pòst baptismum aliquo mortali peccato corruptus ad Sacerdotium non promoveatur, lex ipsa testatur....Si enim is, qui in Episcopatu mortale aliquod peccatum admiserit, non debet offerre panes Domino, quantò magis antè Ordinationem peccator inventus, repudiari debet, ut non ordinetur? Quapropter quia lex peccatores à Sacerdotio removet, consideret se unusquisque, sciens quia potentes potentèr patientur tormenta* &c. Cum verò generalia sint Nicæni Concilii verba, non erit abs re paraphrasim Arabicam Josephi Ægyptii in hunc locum adferre, quæ ità concepta est ad eumdem Nicænum canonem 9. *Quicumque Presbyter constituitur sine examine, aut disquisitione in eum, aut fuit extraneus, sive incognitus in ista Provincia, nec priorem habuit Ordinationem antè istud tempus, quo constitutus est, & de diversis criminibus, magnisque peccatis suspectus, priora sua peccata confessus fuerit, atque ex iis sunt peccatis, quæ ipsorum reos excommunicationi subjiciunt, & pro quibus severâ illi opus est pœnitentiâ, cujusmodi sunt duas, vel tres uxores ducere, aut eam, quæ à viro discessit, vel qui Deum blasphemavit, aut hæreticus anteà fuit, aut etiàm Idolis Sacerdos fuit, aut qui sacrificia iis immolavit, aut oblationes obtulit, aut suffimenta iis adolevit, aut Astrologus fuit, aut hariolus, aut divinator, aut incantator, aut etiàm, qui magiâ, augurio, & divinatione usus est, vel aliâ aliquâ re à nobis prohibitâ. Qui igitùr hoc modo factus fuerit Presbyter, statuta nostra eum non admittent; quoniàm sancta Apostolica Ecclesia nullum admittit, nisi qui integer vitæ, scelerisque purus, & à culpis, omnibusque hisce criminibus immunis est: nisi forsitan hujusmodi peccata ab eo perpetrata fuerint, priusquàm religionem, atque ordinationem amplexus est; & hæ res de novo constitutæ sunt.* Nùm Josephus Ægyptius Nicænorum Patrum mentem prorsùs attigerit, definire non ausim; valdè enim dubito, quin

quin potiùs juxtà sui temporis disciplinam benigniorem ipse generalia Concilii verba explicaverit. Quidquid tamèn sit, sempèr adnotasse juvabit, quomodò Nicæni Concilii prudentiam posterioris ætatis Scriptores intellexerint, exteri præsertim, & à nostris Provinciis longè remoti; quibus si deindè adjunxerimus nostrates, facilè percipiemus, quemadmodùm hac in parte humanior sit in ordinationibus Sacerdotum hodierna disciplina, quàm fuerit vetus, juxtà quam nemo, nisi prorsùs innocens, pòst baptismum in Sacerdotem eligebatur.

Urgent idipsum Nicæni Patres in canone 10., quem Gratianus refert in can. 5. dist. 81. Dionysius Exiguus canonem ità interpretatus est. *Quicumque de lapsis ad Ordinem Cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem, hoc Ecclesiasticæ non præjudicat regulæ; cogniti namquè deponantur.* Sunt qui nomine *Ecclesiasticæ regulæ*, de qua hoc in loco fit mentio, intelligunt canonem 62. ex Apostolicis. Mihi aliud placet; etsi enim in ipso canone 62. quidpiam reperiatur, ex quo Ordinationes lapsorum prohibitas fuisse apertissimè constet, non est tamèn cur exindè concludam, Nicænis Patribus fuisse agnitos canones illos, præsertim posteriores, qui Apostolis tribuuntur; etenim nomine *Ecclesiasticæ regulæ* illam eamdem intelligo, quam in præcedente canone Nicæni ipsi Patres constituerant, scilicèt canone 4. dist. 81.

Can. 5. dist. 81.

Nemo vel levitèr in Ecclesiastica disciplina eruditus inficiari potest, Diaconos etiàm à prisca ætate ambitu inordinato elatos primos honores in Ecclesiis adfectasse; cum enim ad ipsos Ecclesiastici peculii cura, atque administratio pertineret, præsertim verò annuas illi menstruas, diurnasque portiones inter Sacerdotes, & Clericos inferiores distribuerent, cœperunt non Presbyteris tantùm, sed ipsis etiàm Episcopis dominari. Testem appello Hieronymum, de hac re frequentissimè conquestum, ubi præsertim in Epist. 85, ità asserit: *Audio, quemdam ad tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Quid patitur mensarum, & viduarum minister, ut suprà eos tumidus se efferat, ad quorum preces Christi Corpus, & Sanguis conficitur?* Huic inverso Ministrorum ordini restituendo vetustissima ipsa Concilia operam dederunt, ut patet ex Concilio Laodiceno can. 20. itèm ex Concilio Nicæno can. 18., quem Gratianus descripsit in can. 14. dist. 93. Referam verba Dionysii Exigui, tamquàm antiquissimi interpretis: *Pervenit ad sanctum, magnumque Concilium, quod in quibusdam locis, & Civitatibus Presbyteris gratiam sacræ Communionis* Diaconi *porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab iis, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi Corpus accipiant. Necnon & illud innotuit, quòd quidam Diaconi antè Episcopos sacra oblata contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in sua Diaconi mensura permaneant, scientes, quòd Episcoporum quidèm Ministri sint, inferiores autèm Presbyteris habeantur per ordinem. Ergò pòst Presbyteros gratiam sacræ Communionis accipiant, aut Episcopo eis, aut Presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio Presbyterorum Diaconis liceat, quia, si hoc fiat, præter regulam, & ordinem probatur existere. Si quis autèm etiàm pòst has definitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debebit.* Cum hac interpretatione consonant plurimùm illæ, quas eruditi viri etiàm recentiore ætate ex Græcis exemplaribus elucubrarunt. Consonat præterea Codex, qui dicitur apùd Justellum, *Canonum Ecclesiæ universæ*; necnon prisca editio Latina apùd eumdem Collectorem Tom. 1. pag. mihi 285. Gratianus in prioribus sui canonis verbis sequutus omninò est interpretationem Isidori Mercatoris, usquè ad vers. *Hæc ergo* &c. Isidorus autèm in sequentibus ità scribit: *Hæc ergò omnia amputentur, & maneant Diacones intra suam propriam mensuram, scientes, quia Episcoporum quidèm Ministri sunt, Presbyteris autèm inferiores. Accipiant ergò secundum Ordinem pòst Presbyteros ab Episcopo, vel à Presbytero sacram Com-*

Can. 14. dist. 93.

Communionem. Quòd si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tùnc ipsi proferant, & edant. Sed nec sedere quidem licet in medio Presbyterorum Diacones; extrà regulam enim est, ut hoc fiat. Si quis autèm non vult his sufficiens esse pòst hanc definitionem, cesset esse Diaconus. Porrò hic canon ità descriptus est numero 14. apùd eumdem Isidorum, licèt apùd alios Collectores sit numero 18. Quidquid verò Sancti veteres Patres adversùs hunc Diaconorum ambitum declamaverint, ac constituerint, non defuerunt tamèn etiàm recentiore ætate Diaconi, qui suprà Presbyteros ipsos se se extulerint, ii præsertim, qui Diaconorum Principes, sive Archidiaconi audiunt: imò apùd Græcos tanto in honore habita est dignitas Chartophylacis, sive Diaconi Archivio præpositi, ut etiàm suprà Episcopos ipsos prærogativam haberet, quemadmodùm Balsamon in Commentariis ad hunc Nicænum canonem apertè testatur.

Can. 52. caus. 1. q. 1.

In referendo canone 52. caus. 1. quæst. 1. qui idem est cum canone 19. ex Nicænis, Gratianus sequutus est Isidori Mercatoris interpretationem, quæ sanè minùs integra esse videtur, quotiès cum ceteris, & melioris quidèm notæ exemplaribus conferatur. Non recedo à Dionysio Exiguo, cum quo reliqui Interpretes universi consonant. Ità ille: *De Paulianistis, ad Ecclesiam Catholicam confugientibus, definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis. Siqui autèm de his præterito tempore fuerint in Clero, siquidèm immaculati, & inreprehensibiles adparuerint, baptizati ordinentur ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ. Quòd si discussio incongruos eos invenerit, abjici tales conveniet. Similitèr autèm & de Diaconissis, & omninò de his, qui sub regula versantur, hæc forma servabitur. Meminimus autèm de Diaconissis, quæ in eodem habitu esse probantur, quòd non habeant aliquam manus impositionem, & ideò modis omnibus eas inter Laicos deputari.* Tria itaquè hoc in canone deprehendimus. Primum pertinet ad Paulianistas rebaptizandos, alterum ad ordinatos illos, qui rebaptizari debuerunt, postremum dein ad Diaconissas. Et quidèm jure optimo Paulianistarum baptisma rejiciendum fuerat, cum, ab ipsis depravatam fuisse baptismatis formulam, veteres testentur, quemadmodùm liquere potest ex can. 53. caus. 1. quæst. 1. S. Augustinus in lib. de hæresibus ad Quodvultdeum hæresi 44. ità scribit: *Pauliani, à Paulo Samosateno dicti, Christum non semper fuisse dicunt, sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, asseverant. Sed nec aliquid ampliùs, quàm hominem, putant. Ista hæresis aliquandò cujusdam Artemonis fuit; sed cum defecisset, instaurata est à Paulo, & posteà sic à Photino confirmata, ut Photiniani, quàm Pauliani, crebriùs nuncupentur. Istos sanè Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica, Nicæno Concilio constitutum est: undè credendum est, eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hærerici, cum de Catholica fide discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.* Gratianus, & Isidorus Mercator Paulianistis Cataphryges adjunxerunt. Cataphryges, aut etiàm Phryges dicti sunt hæretici, qui Montani ex Phrygiæ partibus oriundi erroribus adhæserunt. Porrò Montanus, cum se Spiritum sanctum assereret, asseclis suis præceperat, ut in nomine Montani baptisma conferrent; quod sanè, nemo non videt, ità baptismo Christi injuriosum esse, ut verus baptismus appellari omninò ille non possit, qui eâ formulâ collatus proponatur. Atque in hac parte non est aliud, ex quo Gratianum, seu potiùs Isidorum Mercatorem reprehendamus, nisi quòd Nicænis Canonibus quidpiam adjicere voluerint; ceterùm nihil adjecerunt, quod sententiæ Nicænorum Patrum opponatur. Nicæni autèm Patres de Paulianistis potiùs, quàm de Montanistis sermonem fecere, quòd Pauli Samosateni hæresis recentior esset, & adhùc apùd quamplures vigeret: at verò hæresis Montani jam diù eliminata fuisset. Altera hujus canonis pars, quæ spectat ad rebaptizandos eos, atque iterùm ordinandos, qui apùd Paulianistas baptizati anteà fuerant, clarissima est; tùm demùm

mùm autèm reordinationi locum fieri debere voluerunt Sancti Patres, quotiès de Viris ageretur & eximiis doctrinâ, & moribus integerrimis. Quod verò in postrema canonis parte subditur de Diaconissis, varias vulgò patitur apùd eruditos interpretationes. Inane prorsùs esset studium, quo, quid unusquisque suo ingenio indulturus ad hanc rem explanandam senserit, hocce in loco congererem. Tantùm attingam ea, quæ videntur Nicænorum Patrum sententiæ magis consentanea. Quod superiùs in eodem canone 19. de Clericis rebaptizandis, atque iterùm ordinandis statutum fuerat, extendere volebant Nicæni Antistites ad Diaconissas, ceterasque personas, quæ in canone, sive cathalogo ministrantium Ecclesiasticorum descriptæ essent; ut scilicèt, quotiès tales Diaconissæ essent, quæ, non servatâ Sacramenti formâ, à Paulianistis baptizatæ proponerentur, baptisma rursùs susciperent, ac rursùs, habitâ meritorum ratione, consecrarentur. Diaconissarum autèm facienda erat mentio specialis, quia Clericorum nomine non veniebant illæ, & de Clericis tantummodò concepta erant priora canonis verba. Gratianus, sequutus Isidorum Mercatorem, de Diaconissis nihil attigit, sed potiùs pro Diaconissis *Diaconos*, sive, ut alii apùd Isidorum legunt, *Diacones*, interpretatus est. Ceterùm, Diaconissas Ecclesiasticis Officiis quodammodò addictas apùd veteres fuisse, nemo est, qui ignorat, ut proindè nil mirum sit parem cum Clericis & Diaconissis ordinationum disciplinam fuisse servatam; erat enim Diaconissarum Officium hujusmodi, ut illæ tenerentur ad Cathecumenarum mulierum institutiones, quemadmodùm Diaconi in adjuvandis Cathecumenis masculis exercebantur. Sic in Concilio Carthaginensi, vulgò IV. can. 10. legitur: *Viduæ vel Sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructæ sint ad Officium, ut possint apto, & sano sermone docere imperitas, & rusticas mulieres, quo tempore baptizandæ sunt, qualiter baptizatori interrogatæ respondeant, & qualiter accepto baptismate vivant.*

Can. 8. caus. 1. quæst. 7. paulò alitèr legendus est, ac legatur apùd Gratianum, quemadmodùm in parte observaverunt Romani Correctores. Ità habet Dionysius Exiguus, interpretans Nicænum canonem 8. *De his, qui se cognominant Catharos, id est, mundos, si aliquandò venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto, & magno Concilio, ut, impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant. Hæc autèm præ omnibus eos scriptis convenit profiteri, quòd Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant, & sequantur, id est, & bigamis se communicare, & his, qui in persecutione prolapsi sunt, ergà quos & spatia constituta sunt, & tempora definita, ità ut Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ placita sequantur in omnibus* &c. Catharorum nomine significari Novatianos, nemo est, qui dubitet, cum eos Catharos, sive puros se se dicere consuevisse tota propemodùm testetur antiquitas, Ambrosius de pœnit. lib. 1. cap. 1. Hieronymus in Oseam cap. 13., Eusebius lib. 6. Hist. Ecclesiast. cap. 43., Augustinus de hæresibus, & Epiphanius hæresi 59. Sententia itaquè Nicæni canonis ea est, ut Novatiani jam ordinati apùd suos, quotiès ad Ecclesiam revertantur, in suum Ordinem recipiantur ex quadam Ecclesiastica dispensatione, atque œconomiâ, ut scilicèt faciliùs illi ad unitatem redirent; quemadmodùm, simili dispensatione usos fuisse Ecclesiasticos Patres posteriore ætate in Donatistarum causa, scimus ex S. Augustino in Breviculo collationis cum Donatistis, & in lib. 2. contrà Cresconium cap. 51. Recipiebantur autèm conversi in Clerum non per novam Ordinationem, sed per manus impositionem reconciliatoriam; quamobrèm anteferenda est interpretatio Dionysii Exigui interpretationi Gratianeæ; siquidèm, ubi Gratianus habet: *ut ordinentur*, Dionysius Exiguus scripsit: *ut impositionem manus accipientes*; alii autèm Interpretes Græcam scripturam sequentes ità scripserunt: *ut impositis eis ma-*

Can. 8. caus. 1. q. 7.

manibus sic in Clero permaneant; & auctor Codicis canonum Ecclesiæ universæ: *ut acceptâ manuum impositione sic in Clero maneant*. Reverà, si Gratiani interpretationem, quæ plurimùm consonat cum Isidoro Mercatore, sequi deberemus, minùs congrua statim videretur Concilii Nicæni sententia. Vel enim de illis Novatianis agebatur, qui jam fuerant Clerici apùd hæreticos ordinati; & frustrà ordinatio repetenda fuisset, cum ordinationi nihil obesset hæresis ordinantium; vel agebatur de illis, qui sacram ordinationem consequuti non fuissent; ac tùm nulla ratio suaderet, ut hujusmodi Laici recèns conversi ad Catholicam unitatem sacris initiarentur ordinibus, & Clericorum censui adscriberentur. Aliò autèm tendere nequit mens Nicænorum Patrum, qualis in integro canone adparet, quàm ut unusquisque conversus à priore gradu minimè abjiciatur, non ut ad ulteriores gradus promoveatur. Si quis fortè interrogaverit, cur Isidorus Mercator, quem Gratianus sequutus est hac in parte, hanc potiùs interpretationem adtulerit, facilè responderim, me suspicari deceptum fuisse Isidorum ex illa interpretatione Græci canonis Nicæni, quæ exhibita est petentibus Episcopis Africanis, ut superiùs attigimus initio hujus capitis; etenim apùd Africanos hæc exhibita fuerat Græci canonis interpretatio: *Si aliquandò venerant ad Catholicam Ecclesiam Cathari, placuit sicut & magnæ Synodo eos ordinatos manere in Clero.* Sanè hoc in loco verba illa, *eos ordinatos*, hanc sententiam habent, ac si dicatur, *eos qui priùs ordinati erant*, quam verborum significationem imperitus collector non servavit, sed alitèr intelligens hisce potiùs verbis explicavit: *ut ordinentur, & sic maneant in Clero.*

Can. 19. caus. 7. q. 1. Canon 19. caus. 7. quæst. 1. hisce verbis legendus est ex interpretatione Dionysii Exigui ad Nicænum canonem 15. *Propter multam perturbationem* (interpretantur alii: *propter multum tumultum*), *& seditiones, quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa, ità ut de civitate ad civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur. Si quis autèm pòst definitionem Sancti, & Magni Concilii tale quid agere tentaverit, & se hujuscemodi negotio manciparit, hoc factum prorsùs in irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ, cui fuit Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus.* Agnoscimus hic vetustissimam illam disciplinam, juxtà quam vetitum erat Episcopis, & Clericis de una in aliam Ecclesiam transferri, atque ad id respiciens Hieronymus ad Oceanum ità scribit: *In Nicæna Synodo à Patribus decretum, ne de alia in aliam Ecclesia Episcopus transferatur.* Porrò hujus interdicti ratio ea non erat, qualem recentiores interpretes ingeniosè potiùs, quàm verè excogitarunt, quasi videlicèt in translationibus Episcoporum, ac Clericorum conjugium spirituale, quod inter ipsos, & Ecclesiam contractum dicitur, quodammodò dissolvatur: sed potiùs repetenda est ex eo, quòd in hisce Episcoporum, Clericorumque translationibus ut plurimùm seditiones, ac tumultus populorum concitabantur, quemadmodùm ex prioribus hujus canonis verbis manifestò liquet. Atque hinc fieri aliquandò potuit, ut ubi non ex concitata seditione, nec tumultu facto, Episcopus quispiam, aut Clericus prudenti Consacerdotum judicio, præsertem re in Synodo maturè discussâ, ad aliam Ecclesiam transferendus esset, id facilè admissum fuerit, ac probatum; quemadmodùm, Gregorium Theologum primùm Sasimorum Episcopum fuisse, testatur Hieronymus in Catalogo; deindè Nazianzenæ Ecclesiæ fuisse præfectum, postremò ad Constantinopolitanam Sedem translatum omnes tradunt, quin tamèn Nicæno Canoni injuria ulla facta fuerit; nec enim aut Gregorius ipse, qui translatus est, aut illi Episcopi, quorum auctoritate facta est illius translatio, Nicænum canonem ignorabant, nec cognitum violare voluerunt, cum recens lex esset, & eodem sæculo lata.

Falsò Nicænæ Synodo tributus est ca-

Can. 4. caus. 11. q. 1. canon 4. caus. 11. quæst. 1.; non solùm enim desideratur inter vulgatos Nicæni Concilii canones viginti, sed etiàm in Arabicis, aut aliis quibuscumque monumentis, quæ saltèm verosimilia apùd eruditos habentur. Video tamèn, undenàm decipi potuerit Gratianus. In epistola 2. Julii Papæ ad Orientales cap. 34. hæc leguntur: *Similiter statuit præfata Synodus, ut nullum sententia, nisi à suo judice dicta, constringat. Judices autèm alii esse non debeant, quàm quos ipse, qui impetitur, elegerit, aut quos suo cum consensu hæc Sancta Sedes, aut ejus Primates auctoritate hujus Sanctæ Sedis delegaverint. &c.* Quicumque postrema hæc cum Gratianeo canone contulerit, facilè agnoscet, ex hac Julii epistola depromptum fuisse Gratianeum caput, ideò fortè laudatum Nicæni Concilii nomine, quòd exhibeatur Julius Pontifex Maximus idipsum nomine illius Synodi laudasse, de qua anteà fuerat loquutus; loquutus autèm fuerat de Nicæna. Quis verò hodiè ignorat, hanc vulgatam Julii epistolam ad ementitas Pseudo-Isidori merces pertinere, nulloque propterea in pretio habendam esse? Id suo loco demonstrabitur perspicuis argumentis. Interea verò observare sufficiat, hæc Julii verba in parte deprompta fuisse ex legibus Theodosii, quemadmodùm constat ex lege 2. de re judicata in Codice Theodosiano, ibi: *In privatorum causis hujusmodi forma servetur, ne quemquam litigatorum sententia, non à suo judice dicta, constringat.* Hæc verba Theodosii Imperatoris Julio Pontifici adtribuere ausus est Isidorus: imò eò progressus est, ut ex Concilio, quod Julium ipsum præcesserat, recitaret. Imò & eamdem sententiam adtribuit Zephirino Papæ in epist. 1., quem ità sancientem inducit: *nullum namquè eorum sententia, à non suo judice dicta, constringat; quia & leges sæculi idipsum fieri præcipiunt*: itèm adtribuit Eusebio Papæ in epist. 3. Sanè nescio quâ fronte hæc tanquàm veterum Pontificum monumenta Pseudo-Isidorus primùm adduxerit, deindè verò ità adscripserit Julio Papæ, ut per ipsum ad Nicænum Concilium referrentur. Quidquid verò sit de memorati fragmenti auctoritate, facilè suspicor, ubi agitur de judicum electione per reum facienda, id pertinere ad disciplinam Africanæ Ecclesiæ, & ex quodam Carthaginensi potiùs, quàm Nicæno Concilio, desumptum esse. Reverà caput 33. epistolæ ejusdem, Julio Papæ, adscriptæ, desumptum videtur ex Concilio Carthaginensi II. can. 6., Carthaginensi IV. cap. 58. & Carthaginensi VII. cap. 1. & 2. Quis itaquè facilè non concludet, caput 34. ejusdem epistolæ, cujus initium est: *Similiter statuit præfata Synodus*, ad Synodum quamdam Carthaginensem referri debere? Nec enim erit, cur Gratianus nomine *præfatæ Synodi* Nicænam potiùs, quàm Carthaginensem intelligeret. Reverà *Primatis* nomen, quod in eodem fragmento legitur, Africanæ Ecclesiæ disciplinam indicat, in qua potissimùm nulli aut Metropolitæ, aut Archiepiscopi nominabantur, sed peculiari nomine *Primatum*. Deindè clarissima sunt Carthaginensium Conciliorum monumenta, in quibus similia nonnulla reperiuntur de judicibus per reum conventum eligendis; cujus rei fidem maximam faciunt canones 96. & 122. vulgati Codicis Ecclesiæ Africanæ, canon 10. Concilii Carthaginensis II., canon 9. Concilii Carthaginensis III., qui idem est cum canone 43. caus. 11. quæst. 1., & alii similes quamplures. Ex quibus omnibus concludendum arbitror, memoratum Gratiani canonem 4. caus. 11. quæst. 1. originem habere suam ex Isidori Mercatoris Decretalibus epistolis, in quibus tamèn elucubrandis auctor usus est doctrinâ Carthaginensium Conciliorum, præsertim hac in parte quam se profitetur descripsisse ab ea Synodo, de qua fuerat præfatus, Gratianum verò deindè errore lapsum fragmentum illud nomine Nicæni Concilii commemorasse.

De canone 8. caus. 14. quæst. 4. nihil est, quod specialitèr observemus, quippè idem omninò est cum canone 2. dist. 47., quem superiùs jam expendimus. Can. 8. caus. 14. q. 4.

Frus-

Can. 1. caus. 16. q. 1.

Frustrà eruditi omnes elaborarunt in inquirenda origine canonis 1. caus. 16. quæst. 1. Apertissimè Correctores Romani ità professi sunt: *Caput hoc neque in prima Nicæna Synodo, neque in secunda hodiè habetur.* Audactèr Turrianus, qui canones Nicænos Arabicos latinitate donavit, evulgavitque, ità notat ad canonem 46. *Meminit hujus canonis Nicæni Gratianus caus. 16. quæst. 1. can. placuit*, quasi Gratianeus iste canon idem sit cum canone 76. Arabico, aut ad eum referri quodammodò possit. Sed quicumque Gratiani fragmentum cum fragmento Turriani conferet, ne lineolam quidèm verborum, nec quamdam sententiarum adfinitatem agnoscet. Dabo hic utrumque canonem.

CANON GRATIANI.

Placuit omnibus, residentibus in sancta Nicæna Synodo, ut Monachorum conversio, & vita secundùm ethymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim græcè, latinè singularis dicitur. Undè Monachum per omnia singulariter agere oportet. Quamobrèm firmitèr, & insolubilitèr omnibus præcipimus, ut aliquis Monachus pœnitentiam nemini tribuat, nisi sibi invicèm, ut justum est: mortuum non sepeliat, nisi Monachum in Monasterio secum morantem: vel si fortuitò quemquam advenientium fratrum ibi mori contigerit.

CANON TURRIANI.

Ut Religiosi, tum Monachi, tum Moniales, habeant alia indumenta, & alios mores, quàm habent Laici; ac tondeant caput in modum coronæ, & cingant se honestè; neque sigillis aureis, aut argenteis obsignent, neque ferant crumenam ad latus, neque cultellos, sicut solent milites, & homicidæ, quando eunt ad bellum, & homicidium, & sicut solent alii ex mercatoribus, & peregrinis ferre crumenam ad voluntatem suam, sicut omnes ex populo. Quin potiùs sint probi, & inter se, & alios patientes; & ne eant per plateas, nisi cum modestia, nec inter se jocularitèr, & ridiculè loquantur; nec alium alium irrideat, aut ludat, sed potiùs silentium teneant, & gravitatem, præsertim apùd adversarios fidei; sintque in omnibus, quæ ad honorem eorum pertinent, patientes, & in omnibus moribus perfecti: & hic canon caret excommunicatione.

Veniâ potiùs danda meo judicio foret Turriano, si asseruisset, memoratum Gratiani canonem ideò Nicæno Concilio tributum fuisse à Gratiano, quòd sint nonnulla capita ad Monasticam disciplinam pertinentia, quæ Concilii Nicæni nomine edita ab aliquibus fuerunt, inter cetera quindecim illa, quæ in editione Labbei Veneta anni 1728. tom. 2. habentur pag. 351. In iis sanè plurima sunt regulis, atque institutionibus Monachorum accommodata, quæ fortè recentior quispiam perstringere voluit, atque perstricta pro libito suo Nicæni Concilii nomine evulgare; undè Gratianus dein fragmentum suum excerpit. Ego sanè pro certo habeo, hunc Gratiani canonem primum caus. 16. quæst. 1. sæculo demùm undecimo, aut duodecimo editum fuisse, vel privati cujusdam hominis studio, vel in aliquo Provinciali, aut Diœcesano Concilio. Siquidèm tum primùm eâ ætate, uti ex Ecclesiasticis, & propemodùm innumeris monumentis adparet, cœperunt exardescere contentiones inter Clericos, & Monachos, quum Monachi ad ea, quæ Clericorum erant, subeunda sacra Officia adspirarent. Præsertim verò idipsum deduci potest ex mentione, quæ ibidèm fit, Ecclesiasticæ sepulturæ; etenim, uti alibi commodiùs ostendam, an-

antè sæculum Ecclesiæ decimum, vel undecimum, sepulturæ extrà Ecclesiam fiebant, ac proindè nulla de illis emergere anteà potuerat inter Clericos & Monachos concertatio. Quòd si quispiam ipsam canonis phrasim, sive locutionem perpenderit, facilè percipiet à Latino potiùs, & quidèm inculto tyrone, descriptum fuisse, & quidèm ad faciliorem Latinorum captum : percipiet itidèm, recentioris ætatis monumentum esse ex eo etiàm, quòd ejus nemo ex vetustioribus collectoribus meminerit, non Ivo, non Burchardus, non Regino, aliique. Porrò, quicumque hujus canonis auctor extiterit, non dubito, quin hanc ipsam, quæ ibidèm traditur, disciplinam ex Conciliis sui temporis acceperit. Imò suspicor, illum habuisse præ manibus acta Synodi celebratæ in Capicastello in Flandria ad annum 1108. sub Pontificatu Paschalis II. relata à Baluzio in tomo 5. Miscellaneorum pag. 371. Proponitur ibi controversia exorta inter Canonicos Tornacensis Ecclesiæ, & Monachos S. Martini, quòd Monachi iidem jura Tornacensis Ecclesiæ sibi vindicarent, præsertim in collationibus Sacramentorum, & sepulturis. Atque inter cetera Capitula istud legitur : *Sepulturam verò Monachis, & eorum conversis liberam Canonici concessere hac conditione interpositâ, ut nullum de Parochia Turnacensi, nullum de Canonicorum Parochianis propriis, nullum etiàm de paribus, & casatis Episcopi, nullum verò de paribus, & casatis, pertinentibus sive ad urbem, sive ad ad castellum, aliquo modo Monachi præsumerent in suo cimiterio sepelire, nisi permissu, & licentiâ Canonicorum.* Hæc Tornacensis Ecclesiæ transactio præbere unà cum aliis similibus, quæ tùnc temporis ex studio pacis fieri solebant, occasionem huic canoni potuerunt : fortè etiàm evenire potuit, ut exindè in canonem hunc ipsum Nicæni Concilii nomen irreperet. Etenim contingere potuit, auctorem canonis ità scripsisse, aut in inscriptione, aut ad marginem canonis *in sancta Turnacena Synodo*, quæ verba aut Gratianus, aut quisquis alius ob manuscriptorum difficultates ità legerit : *In sancta Nicæna Synodo.* Hæc porrò dicta sint, non quòd reverà hæc ità contigisse crediderim, sed ut obscurissimis rebus qualequale lumen adferretur, &, quid verosimiliùs accidere potuerit, indicaretur.

In can. 9. caus. 26. quæst. 6. Gratianus sequutus est Isidorum Mercatorem, qui eadem verba exhibet in canone 12. ex Nicænis. Paulò alitèr scripserunt interpretes alii, qui eumdem canonem numero 13. inter Nicænos retulerunt. Dionysius Exiguus, quem utpotè antiquiorem ceteris præferre soleo, in suum Codicem retulit his verbis : *De his, qui ad exitum veniunt, etiàm nùnc lex antiqua, regularisque servabitur ità, ut, si quis egreditur è corpore, ultimo, & necessario viatico minimè privetur. Quòd si desperatus, & consecutus communionem, oblationisque particeps factus, iterùm convaluerit, sit inter eos, qui communionem orationis tantummodò consequuntur. Generaliter autèm omni cuilibet, in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabilitèr ex oblatione dare debebit.* Hunc canonem ad lapsos, & publicæ pœnitentiæ addictos pertinere, nemo est; qui ambigat quibus, si in extremo vitæ periculo constituti sint, ne viaticum, sive communio denegetur, ex benignitate præscribitur, ità tamèn, ut, si supervixerint, communionem orationis consequantur. Dubium in primis fortè subesse poterit, quidnam *viatici*, sive *communionis* nomine in hoc canone intelligendum sit ? Quicumque veterum voces juxtà receptam hodiernam significationem accipiunt, nomine viatici, & communionis Sacram Eucharistiam intelligunt. Ego in Nicæno canone voces à vocibus distinguendas esse crediderim : ubi in principio dicitur : *ultimo, & necessario viatico minimè privetur*, hujus viatici nomine sanctum Pœnitentiæ, sive Reconciliationis Sacramentum agnosco, quod sanè *ultimum, & necessarium* jure adpellari potest. Neque ab hac interpretatione alienum est

Can. 9. caus. 26. q. 6.

via-

viatici nomen, quod apùd Latinos auctores recipitur; cum enim viaticum dicatur subsidium iter agentibus opportunum, facilè percipimus, quemadmodùm Pœnitentiæ Sacramentum necessarium viaticum appelletur, cum sine Pœnitentiæ Sacramento difficile admodùm sit morituris ad æternam vitam progredi. Ubi itèm subditur: *Quòd si desperatus, & consequutus communionem, oblationisque particeps factus* &c., nihil aliud rursùs intelligo, quàm reconciliationem Ecclesiasticam pœnitenti datam, sive concessum absolutionis Sacramentum, quod etiàm nomine Communionis designari apùd veteres consuevit argumento canonis 42. dist. 50. In postremis autèm canonis verbis: *Poscenti, sibi communionis gratiam tribui*, ego Sacram Eucharistiam intelligo, non ex vi tantùm vocabuli, sed ex sententia canonis, qui id judicio Episcopi probabili committit. Reverà, qui ex Græcis exemplaribus hodiè hunc canonem retulerunt in novos Codices, ità postrema canonis verba latinitate donarunt: *In summa autèm de quolibet excedente, & Eucharistiæ participationem petente, cum examinatione oblationem impertiat.* Et Justellus in Codice canonum, quem Ecclesiæ universæ adtribuit, ità scripsit: *Generaliter autèm omni cuilibet, in exitu posito, & Eucharistiæ participationem petenti, Episcopus cum examinatione oblationem impertiat.* Porrò vetustissimis temporibus asperior fuit Jurisprudentia sacra, cum potissimùm urgerent adversùs Christianos insequentes Ethnici; tùnc enim lapsis, licèt dein pœnitentibus, concedebatur quidèm Sacramentalis absolutio in exitu constitutis antè expletos constitutæ pœnitentiæ gradus; Eucharistia verò denegabatur. At posterioribus sæculis Episcoporum arbitrio relictum est, prudentiæque, ut quotiescumquè judicarent expedire, non Pœnitentiæ tantùm, sed & sacræ Eucharistiæ Sacramentum impertirentur. Id totum nos appertissimè docet Innocentius Papa in Epist. 3. ad Exuperium ibi: *Et hoc quæsitum est, quid de his observare oporteat, qui pòst baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simùl, & reconciliationem communionis exposcant. De his observatio prior durior, posterior, interveniente misericordiâ, inclinatior est. Nàm consuetudo prior tenuit, ut concederetur iis pœnitentia, sed communio negaretur. Nàm, cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, meritò negata communio est, concessâ pœnitentiâ, ne totum penitùs negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed, postquàm Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, ne Novatiani hæretici, negantis veniam, asperitatem, & duritiam subsequi videamur. Tribuetur igitùr cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, perpetuo exitio vindicentur.* Itaquè liquidò adparet ex his, antè Nicænum Concilium eam fuisse in Ecclesia consuetudinem, ut Pœnitentiæ quidèm, non Eucharistiæ Sacramentum, ad extremum ægrotantibus concederetur; tum demùm autèm Eucharistia etiàm, cum reddita fuit Ecclesiæ pax: præsertim ubi à Novatiani austeritate recedendum visum sapientissimè fuit, quod per hunc Nicænum canonem, de quo agimus, factum fuisse facilè constat. Quamobrèm ità Nicænorum Patrum sententiam explicandam esse arbitror, ut initio canonis vetus, & canonica Jurisprudentia proponeretur de administrando Pœnitentiæ Sacramento illis, qui in exitu constituti sunt; deindè verò ampliùs progressum fuerit ad novam Jurisprudentiam stabiliendam, quâ scilicèt fieret, ut ex arbitrio Episcopi morituris etiàm concederetur Sacra Eucharistia.

Duo adhùc sunt, quæ in eodem Nicæno canone obscura videntur, atque indigent interprete. Pertinet primùm ad illa verba: *Quòd si desperatus, & consecutus communionem.* Quid, (fortè in-

interrogabis) quid significat vox illa *desperatus*? Sunt, qui ex Græcis exemplaribus ità interpretati sunt. *Si autem deploratus* &c. Desperatum, sive deploratum dixero, cujus salutis nulla pridèm spes fuerat, aut deplorabilis ejus conditio extiterat. Pertinet secundum ad illa verba: *Sit inter eos, qui communionem orationis tantummodò consequuntur.* Quales enim, (interrogabis fortè) illi sunt, qui orationis communionem tantummodò consequuti dicuntur? Altum in hac re silentium veteres interpretes servant, neque aliis omninò formulis uti maluerunt. Ipsemet Josephus Ægyptius, qui Paraphrasim Nicænorum canonum adornavit, ità Nicænum hunc canonem ibidèm exposuit. *In precibus tantùm cum eo communicetur, & ad pœnitentium gradum ne revertatur.* Rem hanc, ego arbitror, ità definiendam esse. Erat apùd veteres certus Pœnitentium gradus, qui vel *Prostratorum*, vel *Consistentium* dicebatur. Isti cum fidelibus in Ecclesia permanebant, donèc ad statam illam cæremoniam deveniretur, juxtà quam pax omnibus fidelibus in sancto osculo concedebatur mutuis auspiciis, & salutationibus; qualis ea cæremonia est, quæ etiamnùm in solemnibus Missarum celebrationibus in parte viget. Etenim ad pacis auspicia, & consalutationes excipiendas non nisi illi fideles admittebantur, qui integrè prorsùs, atque perfectè Ecclesiæ aut adhæsissent sempèr, aut reconciliati omninò fuissent; ceteri verò, qui nondùm perfecta reconciliatione fruerentur, clamante Diacono recedere jubebantur; atque hi, qui clamante Diacono recedebant, communionem tantummodò orationis habere dicebantur, quippè qui in Ecclesia consistebant tantummodò usquè ad orationem Dominicam à Sacerdote sacra celebrante totius populi nomine recitatam; pos quam subsequebatur oblatio pacis, quemadmodùm & hodiè usu receptum est. Cum itaquè qui extremi periculi causâ absoluti erant, nondùm Ecclesiæ essent integrè, perfectèque reconciliati, utpotè qui nondùm integrum, & canonicum pœnitentiæ tempus expleverant, tamèn absolutionem sempèr, aliquandò etiàm Eucharistiam Episcopo arbitrante, susceperant, admittebantur ad sacrorum Communionem usquè ad orationem Dominicam, pòst quam excludebantur statim, ne Ecclesiasticæ pacis omninò participes viderentur, quos propterèà ex Nicæni canonis sententia dicere verosimilitèr possumus in communione tantùm orationis extitisse.

Canon 4. de pœn. dist. 5. depromptus est ex canone 12. Nicæno, quem Dionysius Exiguus hisce verbis interpretatus est: *Quicumque vocati per gratiam primum quidem impetum monstraverunt deponentes militiæ cingulum, postmodùm verò ad proprium vomitum sunt relapsi, ità ut quidam & pecunias tribuerent, & beneficiis militiam repeterent, hi decem annis pòst triennii tempus, quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum, & speciem pœnitentiæ convenit explorare: Quotquot enim metu, & lacrymis, atque pœnitentiâ, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione, demonstrant; hi, definitum tempus auditionis implentes, tùm demùm fidelibus in oratione communicent, postmodùm verò licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque verò indifferentèr tulerunt, & aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus implebunt.* Ceteri Interpretes vocibus quidèm dissonant, sed in referenda canonis sententia omninò concordant. Plurimùm laboraverunt nonnulli ad attingendam Nicænorum Patrum mentem. Neque enim defuerunt viri impudentissimi, qui asserere non dubitarunt, Nicænos Patres heic longè à veritate erravisse, quasi crediderint militiam Christianis hominibus vitio verti, proptereàque derelinquendam esse, ac semèl derelictam nuspiàm ampliùs suscipiendam, gravissimis indictis Ecclesiasticis pœnis; cum tamèn jam tum damnati in Ecclesia Manichei fuissent, qui ideò Abrahamum, Moysem, Josue, & Davidem detestati sunt, quòd

Can. 4. de pœn. dist. 5.

ipsos

ipsos tanquàm strenuos, invictosque bellatores fuisse agnovissent; nupèr autèm Arelatensis I. Concilii Patres paulò antè Nicænum ipsum Concilium in can. 3. excommunicatione damnavissent milites, qui militiæ Sacramentum, datamque fidem violaturi essent, atquè à militia ipsa resilire vellent. Alii, ne hanc notam Nicænis Episcopis inurerent, metaphoricè intelligendum esse asseruerunt Nicænum canonem, ità, ut ubi dicitur à militia recedendum esse, militiæ nomine, non militia ipsa, sed generalitèr sæcularia negotia à Christiani hominis institutionibus prorsùs aliena intelligantur. Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi Arabica ità canonem expendit, ut de iis intelligeret, qui pòst depositam militiam Monasterium ingressi sunt, vitamque Monasticam professi, deindè verò ad militiam ipsam reverti per apostasiam desiderat. Alii explicant canonem, habitâ illorum ratione, qui ideò curabant, ut militibus adscriberentur, ut à legibus Ecclesiasticæ pœnitentiæ, quarum pertædebat, solverentur. Nemo ex his omnibus veritatem attigit, nec germanam adtulit canonis interpretationem, quam ex historia tantummodò, certisque temporis illius adjunctis repetere omninò debemus.

Paulò antè Nicænam Synodum Licinius Ethnicus Imperator Christianos omnes diris suppliciis vexaverat; quorum odio illud speciali lege caverat, ut nemo, nisi Dæmoni immolans, militiæ cingulo, & honoribus donaretur; & qui donati jam essent, cingulo ipso, & honoribus spoliarentur, nisi Idola colerent, & illis sacra facerent. Refert id Eusebius lib. 10. Histor. Ecclesiast. cap. 8., & lib. 1. de Vita Constantini cap. 14., necnon Sozomenus Histor. Ecclesiast. lib. 1. cap. 1. Hinc quidam Christiani nominis viri militiæ potiùs cedere voluerunt, quàm à vera Christi fide, ac religione deflectere. Baronius ad annum 298. Marcellum Centurionem ità loquentem exhibet: *Si talis est conditio militantium, ut Diis, & Imperatoribus sacra facere compellantur, ecce projicio vitem, & cingulum, renuncio signis, & militare recuso.* Quidam tamèn pòst desertam militiam, & Christianæ disciplinæ pertæsi, rursùs militiam Ethnicorum sequi adamarunt, eamdemque ut recuperarent, pecuniâ, & beneficiis datis studuerunt; quam cum assequuti fuissent, propterèaque rursùs Idolis immolassent, rursùs de obtinenda Ecclesiastica venia, deserendaque militia cogitabant. Hujus generis homines adficit Nicænus hic canon, atque ad eosdem pertinent ibidèm præfinitæ Ecclesiasticæ pœnitentiæ leges, quibus scilicèt per triennium inter Audientes, & per decennium inter Prostratos maneant, datâ tamèn Episcopis facultate, ut pro pœnitentiæ modo, sive pœnitentium affectionibus, tempus valeant pœnitentiæ brevius contrahere. Notatu heic dignum occurrit, olim duplicem dictam fuisse militiam, castrensem aliam, aliam civilem, quibus vel milites belli gerendi causâ instruebantur, vel constituebantur Reipublicæ administratores. Utriusque militiæ insigne erat cingulum; hinc milites cingi consuevisse legimus in l. 43. ff. de testamento militis; itèm, in veteribus Sanctorum Patrum Decretis cinctorum judicum mentionem factam fuisse, scimus. Hinc Ambrosius Serm. 7. inquit: *Non tantùm de his militantibus scriptura loquitur, qui armatâ militiâ detinentur, sed quisquis militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles adscribitur. Atque ideò hæc sententia potest dici, verbi gratia, militibus Protectoribus, cunctisque Rectoribus, & cuicumque, qui stipendia sibi decreta consequitur.* Cum verò memoratum Licinii Decretum ad utramque militiam pertineret, perspicuum etiàm fit, Nicænum canonem de utriusque generis militibus à Christi fide deficientibus intelligendum esse.

Demùm, qui inter Nicænos canones postremus est, sive vigesimus, habetur apùd Gratianum in canone 10. de cons. dist. 3. juxtà interpretationem Isidori Mercatoris. Dionysius Exiguus ità scribit: *Quoniàm sunt quidam in die* Can. 10. de cons. dist. 3.

Do-

Dominico genuflectentes, & in diebus Pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio stantes Domino vota persolvere. Antiquissima sanè est hujusmodi Ecclesiæ disciplina, ut nec Dominicâ die, neque diebus Paschalibus usquè ad Pentecosten, quemadmodùm jejunia non celebrantur, ità quoque inter orationes, quæ Deo fundimus, genua non flectamus; quemadmodùm testatur Tertullianus de corona militis cap. 3., & Augustinus Epist. ad Januarium. Atque ejusdem disciplinæ rationem optimam præfert Isidorus Hispalensis lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis cap. 31. inquiens: *Idcircò autèm totius Quinquagesimæ dies pòst Domini Resurrectionem resolutâ abstinentiâ in sola lætitia celebrantur propter figuram futuræ Resurrectionis, ubi jam non labor, sed requies erit lætitiæ. Ideòque his diebus nec genua in oratione flectuntur, quia, sicut quidam sapiens ait: inflexio genuum pœnitentiæ, & luctus indicium est; undè etiam per omnia eamdem in illis solemnitatem, quam die Dominico, custodimus, in qua majores nostri nec jejunium agendum, nec genua esse flectenda ob reverentiam Dominicæ Resurrectionis tradiderunt.* Illud sanè hoc in canone observatione dignissimum est, vehementèr inductos fuisse Nicænos Episcopos ad hanc disciplinam stabiliendam ità, ut ubiquè locorum obtineret, ex ea ratione, *ut omnia in universis locis consonanter observentur*, videlicèt, ut eadem vigeret in omnibus Ecclesiis orandi ratio; quamobrèm liquet, quanta fuerit veterum Patrum cura, ac sollicitudo, ut etiàm in sacris ritibus ac cæremoniis Ecclesiastica unitas eniteret; etsi enim præcipua debeat esse in Ecclesia unitas fidei, variaque identidèm apparere soleat sicut temporum, ità & locorum disciplina, tamèn nihil aptius Ecclesiasticæ rei semper esse videtur, quàm, præsertim ubi nihil obsit peculiare, easdem sacrorum cæremonias ubicumquè servari.

Non ignoro, hunc 20. Nicænum canonem in nonnullis vetustis codicibus desiderari. Desideratur enim apùd Ruffinum Aquilejensem Presbyterum, qui in cap. 6. libri 1. Ecclesiasticæ Historiæ duos & viginti Nicænos canones numeravit, quin tamèn de eo nullam mentionem faceret. Desideratur in eo Codice, quem Romanæ Ecclesiæ Paschasius Quesnellius adtribuit inter opera Leonis Magni. Asserit prætereà Paschasius Quesnellius in sua Dissertatione 12. de Codice Romanæ Ecclesiæ cap. 5. num. 6. desiderari eumdem canonem *in Arabica Nicænorum canonum collectione, quæ circumfertur.* Rursùs ibidèm numero 4. asserit idem Quesnellius apùd Fulgentium Ferrandum Africanæ Ecclesiæ Diaconum, eumdem canonem referri ad Concilium Sardicense. Verba, à Fulgentio Ferrando relata, sunt hæc num. 214., *ut diebus Quinquagesimæ genua non flectantur. Concilio Sardicensi tit.* 1. Quid tamèn, si in quampluribus aliis Collectionibus reperiatur? Reperitur autèm idem canon in antiquissima Collectione, quam Dionysius Exiguus ex Græcis exemplaribus Romæ evulgavit: reperitur in Græcis illis exemplaribus, quæ latina fecerunt eruditi quamplures, deque Ecclesiastica Jurisprudentia optimemeriti viri: reperitur in eo Codice, qui appellatur *Codex Canonum Ecclesiæ universæ*: reperitur in Codice Isidori Mercatoris: reperitur in prisca canonum editione Latina, quam edidit Justellus in Tom. 1. Bibliothecæ Juris Canonici veteris pag. mihi 277.: reperitur demùm in Breviario Canonico Crisconii Episcopi num. 138., ut alias benè multas Collectiones mittam. Neque verò negotium ullum facessere possunt, quæ argumenta deducuntur ex aliorum silentio. Siquidèm in primis Ruffinus Presbyter Aquilejensis vulgò notari solet, auctore ipso S. Hieronymo, tamquàm falsarius, & alienorum operum depravator; præsertim verò in libris Historiæ Ecclesiasticæ, à quibus se recedere omninò debuisse testatur Socrates in Præfatione ad librum 2. suæ Historiæ. Tanto minùs aliquid valere poterit Codex Romanæ Ecclesiæ, à Paschasio Quesnellio evulgatus, quem sanè Romanæ Ecclesiæ

veteris fuisse non demonstravit idem Quesnellius, quemadmodùm in Præfatione hujus libri fusè disserui. Non est autèm ferendum perspicuum illud, & insigne Quesnellii ejusdem mendacium, quo, ut suo Codice quamdam auctoritatem conciliet, non dubitat dicere canonem illum desiderari in vulgata canonum Arabicorum Nicænorum editione. Aut enim nomine vulgatæ Arabicæ editionis illam intelligit, quæ dicitur Arabica Paraphrasis Josephi Ægyptii; atque in ea canonem hunc numero 20. reperisset Quesnellius, si eam legisset apùd Beveregium in fine Tomi 1., & apùd Labbeum in Tomo 2. Venetæ editionis pag. 67. Aut intelligit canones illos Arabicos, quos evulgavit Turrianus numero quamplurimos, & rursùs video ignotos fuisse Quesnellio, cum in eadem Labbeana editione can. 29. ex Arabicis ità legatur pag. 309. *in oratione Dominici diei, & in diebus Pentecostes, & in magnis festis Domini oportet non flectere genua, sed stantes orare, & inclinari.* De eo verò, quod ex Ferrando Diacono refertur, parùm solliciti esse debemus; cum enim in pluribus vetustissimis Codicibus Sardicenses canones essent Nicænis adnexi, facile fuit Ferrando postremum Nicænum canonem pro Sardicensi primo laudare.

CAPUT VIII.

De Concilio Gangrensi.

Concilii Gangrensis Canones à Gratiano relati isti sunt.

Can. 15. *dist.* 28. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 1. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 2. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 3. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 4. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 5. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 6. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 7. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 8. *dist.* 30. *ex melioris notæ exemplaribus emendandus.*
Can. 9. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 10. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 11. *dist.* 30. *ex melioris notæ Codicibus supplendus.*
Can. 12. *dist.* 30. *idem est cum can.* 8. *dist.* 31. *ex interpretatione Isidori.*
Can. 13. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 14. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 15. *dist.* 30. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 16. *dist.* 30. *pertinet ad Appendicem Concilii Gangrensis, quæ in quibusdam exemplaribus desideratur.*
Can. 8. *dist.* 31. *idem est cum can.* 12. *dist.* 30. *ex interpretatione Dionysii.*
Can. 9. *dist.* 31. *idem est cum can.* 5. *dist.* 30. *ex interpretatione Dionysii.*
Can. 5. *dist.* 41. *jungendus cum can.* 16. *dist.* 30.
Can. 1. *dist.* 42. *adversùs Eustathii hæresim constitutus.*
Can. 37. *caus.* 17. *q.* 4. *à Gratiani proposito prorsùs alienus.*

APùd eruditos rerum Ecclesiasticarum viros incertum omninò tempus est, quo celebratum fuerit Gangrense Concilium, ità dictum à Gangra Urbe Metropoli, in Paphlagonia Regione minoris Asiæ. Alii enim hoc Con-

cilium antè Nicænum collocant, circà annum 324. : alii ajunt quidèm, celebratum fuisse antè Concilium Antiochenum anno 341., sed pòst Concilium Nicænum, quin tamèn certum omninò tempus definiant. Qui referunt ad annum circitèr 324. ex eo argumentantur, quòd in actis ejusdem Synodi Osius Episcopus Cordubensis interfuisse legatur, quem alio tempore subscribere non potuisse Concilio asserunt, quàm cum legatione Sylvestri Pontificis Maximi apùd Orientales fungeretur. Verùm hoc argumentum, quo Eminentissimus Baronius utitur, suo momento penitùs cadit, si observaverimus, Osii nomen in integris ejusdem Concilii actis desiderari; etsi enim legatur Osii nomen in quadam vetere Latina versione Epistolæ scriptæ Concilii Gangrensis nomine ad Armenos Episcopos, qualis habetur apùd Labbeum in tomo 2. Venetæ editionis pag. 423., in textu tamèn Græco, sicut & in nova interpretatione, quæ ibidèm edita est, penitùs desideratur. Reverà in eadem vetere Latina versione Osii Cordubensis nomen numero 14. adjectum est, sive pòst alios Episcopos tresdecim, Eusebium, Hypatium, Eulalium, Gregorium, Ælianum, Bithynicum, Olimpium, Bassianum, Basilium, Philetum, Heraclium, Pappum, & Eugenium; quod sanè verosimile esse non potest, si Osius Cordubensis legatione Pontificiâ fungens apùd Orientales tùm moraretur. His addi potest in prisca Canonum Latinâ editione, qualis habetur apùd Justellum in tom. 1. Bibliothecæ Juris Canonici veteris, nomen Osii desiderari, licèt ceteri, qui in eodem Concilio interfuerunt, Episcopi, recenseantur pag. mihi 288. Recensentur autèm Eusebius, Ellianus, sive, ut aliis placet, Ælianus, Eugenius, Olympius, vel ut aliis placet, Alypius, Bythinius, Gregorius, Feliculus (legunt alii : Philetus,) Papus, seu Pappus, Eulalius, Hypatius, Proeresius, seu Proheresius, Basilius, Eugenius, & Heraclius. Itaquè verosimilius est, hoc Gangrense Concilium pòst Nicænum habitum fuisse, præsertim cum ità manifestè tradat Dionysius Exiguus, qui in inscriptione Gangrensium canonum ità præfatur: *Incipiunt Regulæ Gangrenses, quæ pòst Nicænum Concilium expositæ sunt*; & in eadem latina editione Justelli ità habeatur: *Hi canones pòst Sanctam Synodum Nicænam expositi sunt in Gangram titulos* 20. Idipsum autèm testantur recentiores Interpretes Græci, Balsamon, & Zonaras; quamquàm tamèn nemo ex his ullibi annum definiat, quo Synodus eadem celebrata fuerit, nihilominùs facile est conjicere, antè Synodum Antiochenam anni 341. fuisse peractam, vel quòd in vetustissimis Conciliorum editionibus, in quibus ordo temporum servatur, canones Gangrenses Antiochenis præferantur, vel quòd Sozomenus in lib. 4. histor. Ecclesiast. cap. 24. innuat, Eustathium priùs fuisse in Synodo Gangrensi depositum, quàm perjurii in Antiochena convictum.

Hoc Gangrense Concilium Provinciale fuit, scilicèt duodecim Episcoporum, quemadmodùm in pluribus codicibus habetur, vel decem & trium, vel quindecim, vel etiàm sexdecim, quemadmodùm in aliis exemplaribus. Atque ejusdem Concilii acta in universam Armeniam vulgata fuerunt, uti constat ex illius Epistola Synodica, quæ habetur in præfatione Concilii. Quamobrèm liquet, hujus Synodi acta primùm in Armenia fuisse recepta, deindè verò eximiam auctoritatem obtinuisse etiàm apùd Occidentales Ecclesias, postquàm præsertim Symmachus Papa in Concilio, Romæ habito, testatus est, Gangrenses canones Apostolicâ auctoritate fuisse conditos, dein verò Leo IV. Britanniæ Episcopis Gangrenses canones sequendos proposuit in can. 1. dist. 20.

Canones Concilii Gangrensis viginti numero sunt, præter Conclusionem illis adnexam, in qua clariùs Sancti Patres mentem suam explicaverunt. Horum autèm sententiam ut faciliùs percipiamus, animadvertenda erit causa Concilii. Quidam Eustathius (non

jam

jam ille Sebastenus Episcopus in Armenia, quemadmodùm gravissimis conjecturis ostendit Baronius ad annum 361., & Binius in suis notis ad Concilium Gangrense; sed alius obscuri nominis) austeriorem vitæ rationem professus, (non sanè Monasticam, seu Cœnobiticam, uti quibusdam libuit; etenim nulla antè S. Basilium in Armenia fuit Cœnobiticæ vitæ professio, teste eodem Basilio Epist. 63., & 79.) docere cæpit, nuptias à Deo esse penitùs improbatas, & quidèm ità acri studio id prædicavit, ut plures hæreseos suæ sectatores nactus esset, pluresque exindè viri uxores suas dimittere, & viceversà à viris uxores recedere minimè dubitarent, promiscuis potiùs se se adulteriis maculantes, quàm conjugalis thori fidem adamantes. Hinc Eustathius idem, Ecclesiam Dei, eaque omnia, quæ in ipsa Ecclesia fiebant, omninò contemnens, privatis suorum conventiculis delectabatur, novoque vestimenti genere, quo à ceteris secerneretur, indutus, mulieres etiàm ad virilem illum specialem habitum suscipiendum invitabat, primitias, & oblationes sibi & suis, veluti viris Deo peculiari ratione devotis, vindicabat; atque etiàm ut à ceteris Christianis disciplina morum distingueretur, etiàm Dominico die jejunium indicebat, servabatque: Martyrum basilicas, sacraque in ipsis peracta contemnebat: nullos demùm salutem æternam consequi posse asserebat, nisi qui, spretis hujusce sæculi commodis, sectæ suæ adscriberentur. Hæc porrò hæresis universam propemodùm Orientalem Ecclesiam, præsertim in Armeniæ Provincia susdequè turbaverat: quamobrèm opus fuit Concilio, quo hæc omnia improba, superstitiosaque Eustathii capita damnarentur, totidèm oppositis capitibus publicâ auctoritate constitutis, qualia sunt, quæ in Gangrensi Concilio edita proponuntur.

Can. 15. dist. 28. Atque jam exindè percipimus sententiam canonis 15. dist. 28., qui idem est cum can. 4. Concilii Gangrensis, ità concepto ex interpretatione Dionysii Exigui: *Quicumque discernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit.* Gratianus sequutus est Isidorum Mercatorem, cujus sanè interpretatio cum Dionysii, aliorumque interpretatione concordat. Directus erat hic canon adversùs Eustathium, qui, cum nuptias abominaretur, eas oblationes penitùs detestabatur, quæ à conjugato Presbytero consecratæ fuissent. Hùc referendum censeo canonem illum, qui legitur in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino tit. 7. cap. 12. ibi: *Sprevisti missam, vel oblationem conjugati Presbyteri, ità dico, ut nolles tua peccata sibi confiteri, vel ab eo accipere Corpus, & Sanguinem Domini, ob hoc, quia peccator tibi esse videretur; uno anno paniteas in pane, & aqua per legitimas ferias.*

Can. 1. dist. 30. Ad eamdem Eustathii hæresim damnandam pertinet can. 16. Gangrensis, cujus verba hæc sunt apùd Dionysium Exiguum: *Quicumque filii à parentibus, sub prætextu divini cultus abscedunt, nec debitam reverentiam dependunt illis, qui divinum cultum sibi procùl dubio præferunt, anathema sit.* Cum enim Eustathius filios familias præsertim à parentum domibus evocatos prætextu religionis, ac pietatis in Deum ad sua conventicula pertraheret, opus erat fidelium Parentum filios in officio adeò continere, ut ad improbas hujusmodi societates minimè diverterent. Retulit hunc canonem Gratianus in can. 1. dist. 30. sequutus de more suo Isidori Mercatoris interpretationem.

Can. 2. dist. 30. Non solùm autèm Eustathius, uti superiùs diximus, filiosfamilias à paterna domo, sed & uxores à maritorum consortio religionis prætextu abstrahebat. Hinc Gangrenses Patres in canone 17. definierunt ex interpretatione Dionysii: *Si qua mulier propter divinum cultum, ut æstimat, crines attondet, quos ei Deus ad subjectionis memoriam tribuit, tamquàm præceptum dissolvens obedientiæ, anathema sit.* Hunc canonem retulit Gratianus in can. 2.

dist 30. sequutus interpretationem Mercatoris. Idipsum confirmavit Theodosius Imperator lege latâ, ne uxores à maritis suis religionis causâ recedere auderent, quemadmodùm refert Sozomenus lib. 7. histor. Ecclesiast. cap. 26. Non nihil autèm videtur contulisse ad hanc disciplinam stabiliendam, quod Paulus Apostolus ait in Epist. 1. ad Corinth. cap. 11. ibi: *Si verò turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. Vir quidèm non debet velare caput suum, quoniàm imago, & gloria Dei est; mulier autèm gloria viri est &c.*

Can. 3. dist. 30. Eodem pertinet canon 3. dist. 30., qui est idem cum can. 14. Gangrensi. Gratianus sequutus est Isidorum Mercatorem, apùd quem non constans est, & eadem ubiquè exemplarium Scriptura, alicubi enim legitur: *nuptias contemnendo*, alicubi: *nuptias condemnando*. Dionysius Exiguus hisce verbis canonem interpretatus est: *Si qua mulier, virum proprium relinquens, discedere voluerit, nuptias execrans, anathema sit.* Alii ex Græcis exemplaribus ità scripserunt: *Si qua mulier relinquat maritum, & recedere velit, matrimonium abhorrens, sit anathema.* Vix est, quod in hac interpretationum varietate observemus: illud constantissimum est, canonem hunc adversùs Eustathianorum hæresim conditum fuisse, quam sequentes uxores à maritis divertere non dubitabant, uti superiùs memorabam.

Can. 4. dist. 30. Eodem etiàm spectat can. 4. dist. 30., id est, adversùs eamdem Eustathii hæresim. Habetur ille in canone 10. ex Gangrensibus. Gratianus verba ab Isidoro Mercatore deprompsit. Dionysius Exiguus hæc exhibet: *Si quis ex his, qui virginitatem propter Dominum servant, extollitur adversùs conjugatos, anathema sit.* Alii Græca exemplaria ità latinitate donarunt: *Si quis eorum, qui virginitatem servant propter Dominum, in conjugatos insultet, sit anathema.* Non sanè Gangrenses Patres conjuges virginibus comparandos esse voluerunt, sed ità adversùs Eustathium pugnarunt, ut, qui virgines esse volunt, conjugia minimè damnent.

Atque id clarius expresserant Gangrenses Patres in can. 9., quem Gratianus idem retulit in can. 5. dist. 30. ex interpretatione Isidori Mercatoris, quæ cum paulispèr depravata sit, hoc in loco erit describenda. Ità habet Isidorus: *Si quis, vel virginitatem, vel continentiam professus, tamquàm abominabiles nuptias judicat, & non propter hoc solùm, quòd continentiæ, & virginitatis bonum sit, sanctumque propositum, anathema sit.* Non omittam tamèn referre etiàm interpretationem Dionysii Exigui, ità scribentis: *Quicumque virginitatem custodiens, aut continentiæ studens, velùt horrescens nuptias temerat, nec propter hoc, quod bonum, & sanctum est, nomen virginitatis adsumit, anathema sit.* Idem Gratianus hoc ipsum caput ex hac Dionysii interpretatione rursùs attulit in can. 9. dist. 31.

Can. 5. dist. 30. & can. 9. dist. 31.

Diximus præterea, Eustathium mulieres eò induxisse, ut à marito recedentes singularem in signum religiosæ susceptæ vitæ vestem induerent, quâ demonstrarent se Eustathianis conventibus, & dogmatibus addictas. Adversùs hanc consuetudinem editus est canon 13. Gangrensis, relatus in can. 6. dist. 30.: & quidèm hic canon 6. videtur consonare cum interpretatione Isidori Mercatoris, ità scribentis: *Si qua mulier, suo proposito utile judicans, ut virili veste utatur, ad hoc viri habitum imitatur* (legunt alii: *ad hoc, ut virilem habitum imitetur*) *anathema sit.* Dionysius Exiguus ità scripsit: *Si qua mulier propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, & pro solito muliebri amictum virilem sumit, anathema sit.*

Can. 6. dist. 30.

Tantam austeritatis speciem apùd suos exhibere voluit Eusthatius, ut adversùs Christianorum disciplinam diebus præsertim Dominicis jejunaret, jejunandumque juberet. Quam consuetudinem improbarunt Gangrenses Patres in can. 18. relato apùd Gratianum in canonem 7. dist. 30. Vulgatam Isidori Mercatoris editionem videtur sequutus Gratianus, in qua legitur: *Si quis, tamquàm hoc continentiæ convenire judicans, die Dominico jejunaverit, aut in ejusdem diei contemptum, anathema sit*

Can. 7. dist. 30.

sit. Dionysius Exiguus paulò alitèr habet ibi : *Si quis propter continentiam, quæ putatur, aut contumaciam, in die Dominico jejunat, anathema sit.* Alii verò ex Græcis exemplaribus hisce verbis canonem interpretati sunt : *Si quis propter eam, quæ existimatur, exercitationem in Dominico jejunet, sit anathema.* Nomine *exercitationis* ibi non alia intelligitur, quàm quæ ab Eustathio pia, ac religiosa prædicabatur. Perperàm autèm meo judicio adversùs ceterorum Interpretum, atque exemplarium fidem hunc canonem exposuit Alexius Aristænus Græcus Interpres, ibi : *Qui diem Dominicum, vel Sabbatum jejunus peragit, anathema*; præterquamquòd enim nihil tale in Concilio ipso reperiatur, nulla erat occasio Gangrensibus Patribus, cur idipsum de die Sabbati definirent, quod de die Dominico definiendum fuerat, cum in eo tantùm reprehendenda essent Eustathii jejunia, quòd ipse Dominicum diem, diem apùd Christianos specialis gaudii ob memoriam Dominicæ resurrectionis, venerari negligeret.

Prosequitur Gratianus, & in can. 8. ejusdem dist. 30. describit can. 19. ex Gangrensibus, sequutus sanè Isidorum Mercatorem, quamquàm, ut arbitror, Typographorum, aut Amanuensium incuriâ hodierna editio Gratiani cum Isidoro omninò non consonet. Ità habent vulgatæ Isidori editiones : *Si quis eorum, qui in proposito sunt continentiæ, præter necessitatem corporalem, & superbiens, jejunia communia totius Ecclesiæ putaverit contemnenda, perfectam in sua scientia vindicans rationem, anathema sit.* Et quidèm cum hac eadem sententiâ consonat Dionysii Exigui interpretatio his verbis : *Si quis eorum, qui continentiæ student, absquè necessitate corporea tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia custodita, superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.* Tradit Zonaras, id in more Eustathianorum fuisse, ut primùm unusquisque illorum singulis diebus usquè ad certum tempus jejunaret; quo elapso, quaspi erfectionis apicem consequuti essent, ab omni jejuniorum lege Ecclesiastica soluti haberentur : quorum opinionem Bogolemicam hæresim appellavit Balsamon in commentariis ad hunc eumdem Gangrensem canonem.

Can. 8. dist. 30.

Pergit Gratianus, & in can. 9. ejusdem dist. 30. refert canonem ultimum, seu 20. Gangrensis Concilii juxtà interpretationem Isidori Mercatoris. Breviùs ex Græcis exemplaribus alii ità scripserunt: *Si quis, arrogantiâ utens, martyrum Congregationes abhorreat, & sacra, quæ in eis celebrantur, & eorum memorias accuset, sit anathema.* Et Dionysius Exiguus : *Si quis, superbiæ usus affectu, conventus abominatur, qui ad confessiones martyrum celebrantur, & ministeria, quæ in eis fiunt, simùl cum eorum memoriis, execratur, anathema sit.* Etiàm in hoc canone damnatum Eustathii schisma apertè conspicimus. Atque hùc etiàm pertinet canon 5. Concilii Gangrensis, qui juxtà interpretationem Isidori Mercatoris idem omninò est cum can. 10. dist. 30., apùd Dionysium autèm Exiguum ità exprimitur : *Si quis docet, domum Dei contemptibilem esse, & conventus, qui in ea celebrantur, anathema sit.*

Can. 9. dist. 30.

Can. 10. dist. 30.

In canonem 11. dist. 30. retulit Gratianus canonem 6. Gangrensem, editum adversùs conventicula memorati Eustathii : & quidèm Gratianus Isidorum Mercatorem sequi maluit, sed nonnulla verba ejusdem omisit; etenim integer Isidori canon ità exprimitur: *Si quis, extrà Ecclesiam privatim populos congregans, contemnat Ecclesiasticas sanctiones, aliterque ea, quæ sunt Ecclesiæ, voluerit usurpare, non conveniente Presbytero juxtà Decretum Episcopi, ipsamque Ecclesiam apùd se sine consilio Episcopi, & sine Presbytero agat, anathema sit.* Dionysius Exiguus paucioribus verbis integrum canonem exhibet : *Si quis extrà Ecclesiam seorsùm conventus celebrat, & despiciens Ecclesiam, ea, quæ sunt Ecclesiæ, voluerit usurpare, non conveniente Presbytero, juxtà Decretum Episcopi, Anathema sit.*

Can. 11. dist. 30.

Primus canon Concilii Gangrensis refertur à Gratiano, tum in can. 12. dist. 30., tum in can. 8. dist. 31., ex di-

Can. 12. dist. 30. & Can. 8. dist. 31.

diversis tamèn veterum interpretationibus; nàm Gratianus in can. 12. sequutus est Isidorum Mercatorem; at in 8. sequutus est Dionysium Exiguum. Qualiscumque autèm recipiatur interpretatio, eadem utrobiquè sententia erit, ideò lata, ut hæresis damnaretur Eusthatii, qui legitima conjugia impudentissimè detestabatur.

Can. 13. dist. 30. Secundus canon Gangrensis legitur apùd Gratianum in can. 13. dist. 30. juxtà interpretationem Isidori Mercatoris, quæ Gratiano eidem fuit valdè familiaris. Dionysius Exiguus ità retulit: *Si quis carnes edentem, præter sanguinem, & idolis immolatum, & suffocatum, cum religione, & fide condemnat, velùt spem, propter hujusmodi perceptionem, non habentem, anathema sit.* Occasionem huic canoni definiendo etiàm dedit idem Eustathius, qui ab esu carnium omninò abstinendum fidelibus esse censebat, non solùm illarum, quæ idolis immolatæ proponerentur, aut ubi sanguis, & suffocatum adesset juxtà Apostolicam disciplinam, de qua in Actibus Apostolorum legitur, sed generalitèr existimans carnium esum à principio malo proficisci; quod jam diù etiàm asseruerant Manichei.

Can. 14. dist. 30. In celebrandis conventibus suis Eustathius religionis prætextu non solùm avocavit liberos à parentibus, conjuges à conjugibus, quemadmodùm agnovimus ex can. 1. 2. & 3. dist. 30., verùm etiàm parentes à liberis, ità ut sæpè sæpiùs contingeret, ut liberi, paternis bonis ob parentum ipsorum discessum destituti, humano omni subsidio carerent. Quominùs id fieret, vetuerunt Gangrenses Antistites in can. 15., quem Gratianus descripsit in can. 14. dist. 30. sempèr ex interpretatione Mercatoris, apùd quem tamèn vocum aliquarum diversitas observatur. Ità habet Mercator: *Si quis dereliquerit proprios filios suos, ut non eos alat, atque eis secundum pietatem necessaria non præbuerit, sed sub occasione continentiæ negligendos putaverit, anathema sit.* Dionysius Exiguus, eadem servatâ sententiâ, his verbis canonem exhibet: *Si quis, filios suos relinquens, non eos enutrit, & quod ad se pertinet, ad pietatem divini cultus non informat, sed per occasionem continentiæ negligit, anathema sit.*

Can. 15. dist. 30. Eustathiani, ut diximus, singulârem omninò vestem à ceteris distinctam assumpserant, vestem quamdam humilem, & philosophicæ non absimilem, quam Dionysius Exiguus, & Isidorus Mercator pallium, alii amiculum, alii ex Græco vocabulo peribolœum appellarunt. Inusitatum illud erat vestimenti genus, non quidèm humilitatis, sed schismatis potiùs fovendi causâ, susceptum. Reprobatum propterèa jure optimo fuit in canone 12. Gangrensi, sive in can. 15. dist. 30. apùd Gratianum. Porrò Gratianus consonat omninò cum interpretatione Isidori Mercatoris. Dionysius Exiguus penitùs concordat, ità scribens: *Si quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallii utitur, quasi per hoc habere se justitiam credens, & despicit eos, qui cum reverentia byrris, & aliis communibus, & solitis utuntur, anathema sit.* Alii, Græcorum exemplarium fidem sequentes, ità scripserunt: *Si quis vir propter eam, quæ existimatur, pietatis exercitationem amiculo utatur, & tamquàm ex eo justitiam habens, condemnet eos, qui cum pietate beros ferunt, & aliâ communi, & consuetâ veste utuntur, sit anathema.* Porrò amiculi, seu pallii nomine non aliud intelligitur, quàm vestis sordida, & abjecta, quam induere cum suis Eustathius adamaverat; at byrrus, seu berus erat vestis decora; etsi enim propriè byrrus purpureum colorem significet, facilè tamèn pro genere splendidiorum vestium usurpari potuit. Hinc Cassianus de institut. lib. 1. cap. 7. de Monachis ait: *byrrorum pretia simùl, ambitionemque devitant.* Et S. Augustinus serm. 50. de diversis ait: *Offeratur mihi byrrum pretiosum, fortè decet Episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem de pauperibus natum.* Itaquè, cum certum fuerit apùd sanctissimos Patres, veram morum sanctitatem in habitu non consistere, aliquandò autèm sub vestium

tium sordibus, ac sub specie religionis, & pietatis latere vitia, & quidèm eximia, in hac etiàm parte damnandi fuerant Eustathiani, ex eo, quòd habitu à cæteris distincto & squallido uti vellent, eos aspernantes, qui politiore indumento ornatiores essent, atque cum hominibus viventes humanos usus, honestatis regulis non adversantes, sequerentur.

Can. 16. dist. 30. & can. 5. dist. 41.

Atque hæc contrà Eustathianos jure optimo constituta fuerant; ne verò viderentur Gangrenses Episcopi vestium humilitatem cum animi virtute conjunctam penitùs reprobasse, pòst viginti editos canones ità prosequuti sunt: *Hæc autèm scripsimus non abscindentes eos* &c. Habentur hæc in can. 16. dist. 30. apùd Gratianum, pòst cujus postrema illa verba, *& operibus bonis non abjicimus*, hæc immediatè sequuntur: *& parsimoniam cum veste humili non reprobamus*, cum reliquis, quæ idem Gratianus refert in can. 5. dist. 41.; omnia tamèn ex interpretatione Isidori Mercatoris, cum qua Gratianea verba conveniunt, si loco illarum vocum *suprà vires* has substituamus *juxtà vires*. Dionysii Exigui interpretationem etiàm in hac Patrum Gangrensium adjectione non omittam. Ità Dionysius: *Hæc autèm scripsimus, non, qui in Ecclesia Dei secundùm scripturas sanctum propositum continentiæ eligunt, vituperantes, sed eos, qui abutuntur proposito in superbiam, & extolluntur adversùs simpliciores, abscindimus, & damnamus eos, qui adversùm scripturas, & Ecclesiasticas regulas nova introducunt præcepta. Nos autèm & virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam, quæ cum castitate, & religione suscipitur, adprobamus, & renunciationem sæcularium negotiorum cum humilitate recipimus, & nuptiarum castum vinculum honoramus, & divitias cum justitia, & operibus bonis non spernimus, & habitum simplicem, ac vestem viliorem, pro corporis diligentia infucatum laudamus, sicut etiàm solutas, ac fractas in vestibus processiones reprobamus. Et domos Dei honoramus, & conventus, qui in his fiunt, tamquàm sanctos, & utiles suscipimus, pietatem in privatis domibus non claudentes, sed omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & Congregationem in eadem Ecclesia factam pro utilitate communi recipimus. Et bona opera, quæ suprà vires in fratres pauperes exercentur, secundùm Ecclesiasticas traditiones beatificamus, & omnia, quæ per sanctas scripturas, & per Apostolos sunt tradita, in Ecclesia celebrari exoptamus.* Animadvertit ad hæc Philippu-Labbeus, abesse hanc Appendicem à quibusdam, sed paucis, Latinis MSS. Codicibus, & ab editione cum Græca, tum Latina Codicis canonum Ecclesiasticorum Christophori Justelli; legi autèm tum in Græcis Balsamonis, & aliorum editionibus. Ceterùm hæc Appendix congrua maximè fuerat, ne Gangrenses Patres, adversùs Eustathianam hæresim pugnantes, viderentur in oppositum è diametro errori viam sternere plurimis, qui minùs sapientèr Gangrensibus Canonibus usi fuissent, quin ad temporum illorum adjuncta accuratè respicerent.

Non ex interpretatione Isidori Mercatoris, uti in more habuit, sed potiùs Dionysii Exigui deprompsit Gratianus canonem 11. Gangrensem, relatum in can. 1. dist. 42. Ibi etiàm damnati sunt Eustathiani, quòd sacros Christianorum conventus aversarentur. De vetere agaparum consuetudine, cujus ibi mentio fit, nemo est ex Interpretibus, qui non disserat. Tantùm ego tradam, quod ad hunc canonem scribit Zonaras, scilicèt veteres fideles consuevisse, *ut sacrorum Mysisteriorum participatione refecti simùl ad epulandum posteà convenirent, ità scilicèt, ut cibis è ditiorum penu ministratis ad convivium ipsi quoquè pauperes ab iisdem advocarentur. Cujus quidèm rei Magnus etiàm Paulus Epistola ad Corinthios meminit, eosque, quòd abolitâ pristinâ consuetudine jam non unà omnes epularentur, sed unusquisque suam cœnam privatim absumeret, objurgans, alium quidèm esurire, alium ebrium esse conqueritur. Hanc consuetudinem tùnc quoquè retinentes mutua inter se convivia fideles curabant, quas quidèm eo, quòd ob charitatem ex fide celebrarent, agapas vocitabant.*

Can. 1. dist. 42.

Rursùm Isidori Mercatoris interpretatione usus est Gratianus in can. 37. caus. 17. q. 4.

Can. 37. caus. 17. q. 4.

caus. 17. quæst. 4., qui consonat cum canone 3. Gangrensi. Dionysius Exiguus ità canonem descripsit: *Siquis servum prætextu divini cultus doceat dominum contemnere proprium, ut discedat ab ejus obsequio, nec ei cum benevolentia, & omni honore deserviat, Anathema sit.* Et id adversùs Eustathium definiendum erat, qui non tantùm parentes à filiis, filios à parentibus, conjuges à conjugibus abstrahebat prætextu religionis, quemadmodùm agnovimus ex can. 1., 2., 3., & 14. dist. 30., verùm etiàm servos concitabat, ut à dominis suis omninò recederent, suæque hæreseos Asseclis jungerentur. Porrò hic canon ità, quemadmodùm decet, explicatus, longè omninò distat à proposito Gratiani; etenim Gratianus totus est in ea quæstione, ut agat de servis ad Ecclesiæ septa confugientibus, uti liquere potest potissimùm ex verbis Gratiani pòst canonem 31.; tantùm autèm distare video, quantùm inter se se distant recipi in Ecclesias, & ad Eustathianorum sectam ab Ecclesia deflectere, eorumdemque hæreticorum superstitionibus adhærere. Quamobrèm magis magisque liquet, in Gratiani fragmentis sempèr consideranda esse causarum, & rerum, de quibus agatur, adjuncta, ne fortè Gratianum manuducentem sequentes incommodis interpretationibus, & conclusionibus à veritate rei penitùs deflectamus.

CAPUT IX.

De Concilio Antiocheno.

Ex Concilio Antiocheno sequentes Canones à Gratiano deprompti sunt.

Apùd veteres reprobati, posteriore tamèn ætate recepti.

- *Can.* 4. *dist.* 18. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 3. *dist.* 65. *ex interpretatione Dionysii Exigui restituendus.*
- *Can.* 9. *dist.* 71. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 5. *dist.* 92. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 7. *dist.* 92. *in Chalcedonensi Concilio probatus.*
- *Can.* 8. *dist.* 92. *in Chalcedonensi Concilio probatus.*
- *Can.* 1. *caus.* 6. *q.* 4. *ex diversis exemplaribus explicandus.*
- *Can.* 5. *caus.* 6. *q.* 4 *perperàm à pluribus explicatus.*
- *Can.* 24. *caus.* 7. *q.* 1. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 25. *caus.* 7. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 3. *caus.* 8. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 6. *caus.* 9. *q.* 2. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 7. *caus.* 9. *q.* 2. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 2. *caus.* 9. *q.* 3. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 5. *caus.* 10. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 2. *caus.* 11. *q.* 3. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
- *Can.* 6. *caus.* 11. *q.* 3. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 23. *caus.* 12. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 2. *caus.* 21. *q.* 5. *perperàm à quibusdam expositus.*
- *Can.* 27. *caus.* 23. *q.* 8. *plurimùm consonat cum can.* 2. *caus.* 21. *q.* 5., *& ex melioribus Codicibus supplendus.*

SI Romanam excipiamus Ecclesiam, in qua honor Ecclesiastici Primatus ex Sancto Petro, imò ex divina ipsa institutione, dignoscitur; honorabilis præ ceteris esse videtur Antiochena, utpotè quam ipse etiàm Petrus Princeps Apos-

Apostolorum instituit, atque tamquàm ejusdem Civitatis Episcopus per plures annos administravit: hinc eadem Antiochena Ecclesia pluribus privilegiis omni ætate illustris extitit, atque à Sancto Hieronymo in Epist. 61. ad Pammachium *totius Orientis Metropolis* appellata fuit. In ea plures antiquissimis Ecclesiæ sæculis celebrati fuerunt Episcoporum conventus, quorum quidèm aliqui hæreticis adhærentes Episcopos auctores habuerunt, ut plurimùm verò Catholicorum Episcoporum fuerunt; atque rectum Ecclesiarum regimen stabiliendum facti fuerunt. Quid memorem hic Concilium Antiochenum Apostolorum, de quo agitur in actibus Apostolicis cap. 15., occasione controversiæ, quæ tum suborta fuerat, nùm Ethnici ad Christianam religionem venientes priùs circumcidi deberent, quàm baptizarentur? Celebratissimum etiàm Concilium illud est, sive quod anno 266., sive quod anno 272. adversùs Paulum Samosatenum habitum est; quamquàm tamèn utriusque acta temporum injuriâ perierint, nec ad nostram usquè ætatem pervenerint. Nonnulla prætèr hæc Concilia Antiochena sunt pòst Nicænum celebrata, sive anno 341., sive anno 360. sive anno 363.; horum autèm omnium hodiè acta non supersunt, exceptis Canonibus illis, qui numero quinque & viginti à vetustissimis sacrorum canonum Collectoribus recensentur. Pertinent isti ad Synodum illam, quam S. Athanasius habitam fuisse scribit, Marcellino, & Probino Consulibus, sive anno Domini 341., ad quam nonaginta Episcopi convenerant, aut nonaginta, & septem, quemadmodùm scribit Hilarius in lib. de Synodis, & Sozomenus in lib. 3. Hist. Ecclesiasticæ cap. 5. Porrò celebrandæ hujus Synodi occasio fuit dedicatio, sive Encænia celeberrimi Antiocheni templi, quod Constantinus Magnus ædificare cæperat, & Constantius filius, idemque in Imperio successor absolverat, uti scribit Athanasius de Synodo Ariminensi, & Socrates lib. 2. Histor. Eccles. cap. 8. Cum enim plures ad solemnem templi dedicationem vocati Episcopi convenissent, operæ pretium esse duxerunt, quædam intereà ad Ecclesiasticam disciplinam stabiliendam communi suffragio constituere. Ex iis tamèn Episcopis, qui eò accesserant, quamplures usquè ad triginta de Arianorum hæresi suspectos fuisse Historici omnes tradunt, inter quos nominant Eusebium Cæsariensem Arianorum facilè Principem; atque ipsi propterèa cum essent Constantio Augusto, qui Arianis favere videbatur, acceptissimi, primos quodammodò in Concilio obtinuerunt honores, summamque prætereà auctoritatem imperantis fulti patrocinio explicarunt. Vulgaris fama eò aliquandò perrexit, ut traditum fuerit, quosdam ex istis Episcopis dissoluto Concilio convenisse simùl, ut privatâ sententiâ Athanasium Nicænæ fidei defensorem strenuum damnarent, atque inauditum à sua sede dejicerent. Hæc in causa fuerunt, cur penès antiquos Antiocheni hujus Concilii canones non solùm levis momenti habiti fuerint, verùm etiàm rejecti, tamquàm Pseudo Episcoporum reprobanda placita. Sic S. Joannes Chrysostomus, cum ab adversariis suis contrà se oppositum fuisse accepisset duodecimum canonem ex Antiochenis, respondit se illius auctoritate minimè teneri, tamquàm in eo conventu editi, qui ex Arianis Episcopis celebratus fuisset, quemadmodùm referunt Socrates lib. 6. Histor. Eccles. cap. 18., & Sozomenus lib. 8. cap. 20. Prætereà S. Athanasius in lib. de Synodis Arimini, & Seleuciæ, & Innocentius Papa in Epist. ad Clerum Constantinopolitanum apùd Sozomenum lib. 8. Histor. Ecclesiast. cap. 26. rejecerunt acta ejusdem Concilii ex ea ratione, quòd ab hæreticis Episcopis confecta fuissent. Horum veterum, & gravissimorum Patrum exemplo non desunt hodiè etiàm ex recentioribus, qui hujus ipsius Concilii acta contemnant, ipsisque omnem omninò denegent auctoritatem. Nonnul-

nulli autèm hodiè parcè magis, ac sobriè de hac re judicandum esse censuerunt; etenim, singulos Concilii Antiocheni canones ad exactam trutinam revocantes, distinxerunt illos, qui Arianorum doctrinam continere videbantur, ab iis, qui sacros Antistites, & Catholicos Auctores videntur habuisse, ac dein posterioris generis canones venerantur, prioris generis omninò improbant, detestanturque. Alii demùm, agnoscentes, quanto in pretio habiti fuerint sequente ætate apùd omnes canones illi, qui Antiocheni dicuntur, satis percipere non potuerunt, quomodò recepti maximè fuerint canones illi, qui hæreticos homines habuerunt Auctores, propterèaque aliud Concilium Antiochenum proprio ingenio effinxerunt, distinctum omninò ab eo, quod Athanasius, Chrysostomus, & Innocentius improbaverunt. Mihi nulla placere potest ex his opinionibus; potiùs enim dixero, ab initio quidèm acta hujus Concilii fuisse suspecta ob hæreticos Episcopos, qui Concilio interfuerant; deindè tamèn, cum agnitum fuerit, ea, quæ in Concilii Canonibus continentur, maximè utilia esse ad disciplinam optimam Ecclesiasticam stabiliendam, fuisse Ecclesiarum fermè omnium usu recepta, atque probata. Quod ab initio Athanasio, Chrysostomo, & Innocentio displicere potuit, pertinebat ad Episcopos Arianos, qui ad Synodum venerant; sed deindè constitit, plures Episcopos Catholicæ fidei assertores, ac vindices in eodem Concilio tulisse sententiam, itèm canones omnes, qui ibidèm editi fuerunt, optimos esse, nihil autèm germanæ fidei, & sacrorum disciplinæ contrarium continere; quid igitùr morari poterat studiosos canonum cultores, ne canones istos reciperent, aut in rebus Ecclesiasticis definiendis illis uterentur? De hac ergò Synodo honorificè loquutus est S. Hilarius de Synodis adversùs Arianos ità scribens: *Expositio Ecclesiasticæ fidei, quæ exposita est in Synodo habita per Encæuias Antiochenæ Ecclesiæ consummatæ, quam exposuerunt, qui adfuerunt Episcopi* 97., *cum in suspicionem venisset unus ex Episcopis, quod prava sentiret* &c. Honorificè ejusdem meminit Leo IV. Pontifex Maximus in Concilio Romano 67. Episcoporum, inquiens: *Quid aliud arbitrari, aut proferre valemus, nisi ut Sancti Patres, qui in Antiocheno Concilio residentes tertio capitulo promulgarunt, & inviolabiliter statuerunt?* Imò idem Leo IV. Antiochenos eosdem canones, tamquàm optima Ecclesiasticæ disciplinæ documenta, observandos proposuit Episcopis Britanniæ in can. *de libellis* dist. 20. Quid verò ampliùs dubitari de Antiochenorum canonum auctoritate potest, postquàm noverimus illos fuisse in Concilio Chalcedonensi adductos, atque communi Episcoporum suffragio ibidèm comprobatos? Memoro actionem 4. Concilii Chalcedonensis, in qua, relato Antiocheno canone 5. ità sequitur: *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Hæc justa Regula Patrum.* Relatus est indè cum adprobatione singulorum canon 4. & canon 5. Demùm illud est observatione dignum, Collectores etiàm veteres non omisisse in suis Codicibus eosdem canones Antiochenos; ut enim omittam Codicem illum, qui vulgò creditus est Ecclesiæ universæ, ubi pòst canones Gangrenses subjecti exhibentur 25. Antiocheni, Dionysius Exiguus totidèm retulit Antiochenos canones, & quidèm nomine *Regularum expositarum apùd Antiochiam in Encæniis* 25. pòst canones Gangrenses, & antè Laodicenos. Est prætereà prisca Latina Collectio à Justello edita, pag. mihi 291. Tom. 1. in qua habentur iidem canones 25. Antiocheni, qui in *Dedicatione* editi dicuntur. Antiochenos prætereà hujusmodi canones retulit in suum Codicem Fulgentius Ferrandus, Crisconius, Martinus Braccarensis, ut alios recentiores omittam. Cum verò plures ex Antiochenis istis canonibus iidem sint, qui inter canones vulgò Apostolicos referuntur, nova mihi subòritur suspicio de nomine Apostolicorum canonum; for-

fortè enim auctor, ac compilator illorum voluit Antiochenos hosce canones describere; eos autèm verebatur Antiochenorum nomine designare, ne fortè suspecti essent apùd veteres, apùd quos, ut diximus, suspectum fuerat Antiochenum ipsum Concilium: quamobrèm Apostolicos potiùs appellare voluit, ratus Apostolicos dici posse canones illos, qui in ea Urbe, quam Apostolorum Princeps Sanctus Petrus instruxit in fide, & cujus sedem Episcopalem diutiùs occupavit, conditi fuerant.

Can. 4. dist. 18. Hæc generatim de Antiochenis canonibus præfatus, devenio ad fragmenta Gratiani. In primis exhibeo canonem 4. dist. 18., qui consonat cum can. 20. ex Antiochenis ferè juxtà interpretationem Isidori Mercatoris, quam, uti aliàs sæpè observavi, Gratianus ferè sempèr sequutus est in Græcis canonibus referendis. Non recedam ego à Dionysio Exiguo, qui aliis verbis ità interpretatus est exemplaria Græcorum: *Propter utilitates Ecclesiasticas, & absolutiones earum rerum, quæ dubitationem, controversiamque recipiunt, optimè placuit, ut per singulas quasque provincias bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur. Semèl quidèm pòst tertiam septimanam festi Paschalis, ità ut quartâ septimanâ Pentecostes conveniat Synodus.* (Gratianus hic legit: *Synodus compleatur.* Sed Isidorus Mercator scribit: *perfici Concilium possit*; alii autèm ex Græco textu ità explicarunt: *perficiatur Synodus*) *Metropolitano Provinciales Episcopos admonente. Secunda verò Synodus fiat Idibus Octobris, id est, quintodecimo die mensis Octobris* (Gratianus scripsit non decimumquintum, sed decimum. Sanè Isidori Mercatoris Editiones exhibent decimumquintum, sicut & editio Codicis canonum Ecclesiæ universæ. Sed Græca exemplaria hodiè vulgata exhibent diem decimum, quemadmodùm etiàm prisca latina editio apùd Justellum Tom. 1. pag. mihi 265.) *quem Hyperberetæon Græci cognominant. In ipsis autèm Conciliis adsint Presbyteri, & Diaconi, & omnes, qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen. Nullis verò liceat apùd se celebrare Concilia, præter eos, quibus Metropolitanis videntur esse jura commissa.* Huic canoni plurimùm congruet canon 36. ex vulgò Apostolicis, undè demonstratur, quod superiùs asserebam, olim sententias Concilii Antiocheni Apostolicorum canonum nomine editas fuisse, ac publicè propositas. Hùc etiàm pertinet canon 15. dist. 18., qui, licèt referatur à Gratiano quasi *ex Concilio Martini Papæ*, hujus tamèn Concilii nomine Antiochenum intelligitur, ità appellatum, quod in Collectione Martini Braccarensis laudaretur. Sed hæc inferiùs suo loco.

Can. 3. dist. 65. Ad canonem 3. dist. 65., qui decimusnonus est inter Antiochenos, adnotarunt Romani Correctores consulendam esse versionem Dionysii Exigui, utpotè quæ Græcis verbis meliùs respondet. Sanè Gratianus Isidorum sequutus fuerat. En verò, quid Dionysius scripserit: *Episcopus præter Synodum, & præsentiam Metropolitani nullatenùs ordinetur. Hoc autèm modis omnibus corùm posito, melius quidèm est, ut omnes simùl adsint ejusdem provinciæ Sacerdotes, quos Metropolitanus Episcopus advocare debebit, & si quidèm omnes occurrerint, optimè; quòd si hoc difficile fuerit, saltèm plures adesse omninò convenit, aut certè scriptis ejusdem sententiæ comprobari, & ità sub plurimorum vel præsentia, vel decreto ordinatio celebretur. Quòd si secùs contrà definita factum fuerit, nullas ordinatio vires habeat: si verò juxtà definitam regulam fiat, & nonnulli pro contentione propriâ contradicunt, obtineat sententia plurimorum.* Consonant hæc cum canone 4. & 6. ex Nicænis, ex quibus fragmentum est in can. 1. dist. 65. Idem autèm dicitur in canone 2. ejusdem dist. 65., quem Gratianus inscripsit nomine *Concilii Martini Papæ*, quod sanè Concilium idem est cum Antiocheno, ità dicto, quòd in Collectione Martini Braccarensis legatur.

Can. 9. dist. 71. Rursùs in can. 9. dist. 71. Gratianus sequutus est interpretationem Mercatoris in canone 7. ex Antiochenis. Verùm depravata est tum Gratiani, tum

Isidori scriptura, nec cum Græcis, nec cum antiquissimis Latinis editionibus conveniens. Dionysius Exiguus ità habet : *Nullus peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitiis suscipiatur Epistolis.* Prisca editio Latina Justelli exhibet : *Nullum sine formata suscipere peregrinum.* In Codice canonum, qui dicitur Ecclesiæ universæ, sic legitur: *Nullus peregrinorum sine pacificis suscipiatur.* In eo itaquè Gratianus depravatum canonem edidit, quod de Clericis singulariter expressit, qui generalitèr de peregrinis omnibus fuerat constitutus. Sanè posteriores Interpretes etiàm Græci canonem hunc de Clericis tantummodò exposuerunt : Ait Zonaras : *Externos porrò hoc loco non omnes, qui ex alia regione in aliam fortè se conferunt, sed Clericos, qui ex alia in aliam Ecclesiam proficiscuntur, intelligit.* Sed hæc interpretatio cum disciplina potiùs posterioris temporis convenit, quàm cum germana canonis Antiocheni sententia. Hoc autèm fuit frequens Interpretum quorumdam erratum, quòd studuerint canones veteres juxtà suorum temporum mores, quoad fieri posset, accommodare; quum propterea peregrinis tantummodò Clericis, non etiàm Laicis formatæ Epistolæ recentiore ætate concedi consueverint, de Clericis tantummodò, non de Laicis, canonem Antiochenum intellexerunt. Deindè, si invicèm conferantur variæ illæ editiones, quas nupèr expressi, aliis quampluribus junctis, quæ passim apùd Collectores canonum leguntur, videntur promiscuè acceptæ fuisse literæ *formatæ*, literæ *pacificæ*, & literæ *commendatitiæ*, quandò tamèn Antiochenus canon & juxtà Dionysium Exiguum, & juxtà Græca exemplaria de pacificis exprimitur. Quæ sanè omnia ut rectè, commodèque percipiantur, observatione dignum est, eam apùd veteres fuisse Ecclesiarum omnium consuetudinem, ut fideles omnes, advenas præsertim, & peregrinos opportunis subsidiis juvarent, ubi præsertim illi bono sui Episcopi testimonio freti accederent. Etenim plurimùm intererat cognovisse, utrùm advenæ iidem justa de causa, non ex schismate, aut dissidendi animo à patria sua abessent, ne fortè contingeret, ut alimenta Ecclesiastica improbis hominibus concederentur, & seditiosis, adversùs mentem offerentium. Itaquè solebant Episcopi fidelibus sibi subjectis, & peregrè proficiscentibus literas dare, quæ generatim *formatæ* appellabantur. Duplicis autèm erant generis, quæ pro personarum qualitate, & conditione tribuebantur; quarum aliæ *pacificæ*, aliæ *commendatitiæ* dicebantur. Porrò pacificæ quibuscumque concedebantur, modò non indignis, nec seditiosis; At commendatitiæ tantùm dabantur viris de Ecclesia benemeritis, sive doctrinâ, sive pietate spectabilibus. Constat id manifestissimè ex can. 11. Concilii Chalcedonensis juxtà interpretationem Dionysii Exigui, ubi hæc habentur : *Omnes pauperes, & indigentes auxilio, cum proficiscuntur sub probatione, Epistolis, vel Ecclesiasticis pacificis tantummodò commendari decrevimus, & non commendatitiis literis, propter quod commendatitias literas honorationibus tantummodò prestari personis conveniat.* Generalis ergò disciplina, excipiendi, fovendique peregrinantes Christianos, erat quidèm Apostolorum ipsorum institutionibus probatissima, quemadmodùm constat ex Epistola 3. S. Joannis ad Gajum, ubi sic legitur : *Charissime fideliter facis, quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ.* Sed non eadem erat in singulis excipiendis ratio, quemadmodùm non erant eadem singulorum in Ecclesiam merita, quorum sanè conveniens erat mentionem fieri per commendatitias, per quas de peregrini, seu Clerici, seu Laici conditione constaret.

Canon 5. dist. 92. idem est cum can. 18. Antiocheno, & quidèm ex interpretatione Dionysii Exigui, licèt tamèn Gratiani editio in quibusdam vocibus corrupta videatur. En vulgatam Dionysii editionem : *Si quis Episcopus ordinatus ad Parochiam minimè, cui est elec-*

Can. 5. dist. 92.

electus, accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut populus vitet, aut propter aliam causam, non tamèn ejus vitio perpetratam, hic & honoris sit, & ministerii particeps, dummodò nil molestus Ecclesiæ rebus existat, ubi ministrare cognoscitur. Quem etiàm observare conveniet, quidquid Synodus perfecta Provinciæ, quod visum fuerit, judicando decreverit. Alii ità Græcum canonem interpretati sunt: *Si quis ordinatus non ierit ad paræciam, ad quam est ordinatus Episcopus, non suâ quidem culpâ, sed propter populi recusationem, vel aliquam aliam causam, quæ à se non oritur; is sit & honoris, & muneris particeps, dummodò nullam rebus Ecclesiæ, in qua convenit, molestiam adferat. Is autèm id suscipiat, quod perfecta Provinciæ Synodus, quod ad se allatum est, judicando statuerit.* Clarior videtur posterior hæc interpretatio. Si quis verò interrogaret, qualis habenda sit *perfecta* Synodus, facilè responderi posset ex canone 16. ejusdem Antiocheni Concilii, qui idem est cum can. 8. dist. 92., ubi dicitur perfectum illud dici Concilium, *cui Metropolitanus Episcopus interfuerit.*

Can. 7. dist. 92. Rursùs Dionysii Exigui, non Isidori Mercatoris interpretationem sequutus videtur Gratianus in can. 7. dist. 92., qui idem est cum canone 17. Antiocheno. Quædam tamèn ex vulgata Dionysii editione sunt emendanda. Ità habet illa: *Si quis Episcopus manus impositionem Episcopatus acceperit, & præesse populo constitutus ministerium subire neglexerit, nec adquieverit ire ad Ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communione privari, donec susceperit coactus officium, aut certe de eo aliquid integra decreverit ejusdem Provinciæ Synodus Sacerdotum.* Quænam nomine *integræ* Synodi veniat, dignosci potest ex can. 8. dist. 92., qui idem est cum can. 16. Antiocheno.

Can. 8. dist. 92. Et quidèm in eo referendo Gratianus neque Dionysium Exiguum sequutus est, neque Isidorum Mercatorem. Verba Dionysii hæc sunt: *Si quis Episcopus vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedemque pervadat absquè integro, perfectoque Concilio, hic abjiciatur necesse est, etsi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes.* Harmenopulus in epitome ejusdem canonis ità sententiam ipsam Concilii digessit: *Etiàm vacans Episcopus, si absquè integra Synodo, (integra autem est, cum & Metropolitanus adest) in Ecclesiam vacantem insilierit, licèt ità Civitatis illius populus voluerit, rejiculus est.* Hujus canonis auctoritas, simùl & antecedentis, id est, canonis 7. dist. 92. maximè venerabilis esse debet, cum recitati ambo fuerint à Leontio Episcopo in Concilio Chalcedonensi, quemadmodùm constat ex actione 11. Concilii ejusdem Chalcedonensis, quorum canonum vi Bassianus, & Stephanus Episcopatu Ephesi pulsi sunt dignitate tantùm, sive honore; communione tamèn, & necessariis ad vitam sustentandam iis concessis.

Can. 7. caus. 6. q. 4. Romani Correctores ad can. 1. caus. 6. quæst. 4. duo potissimùm aut emendare voluisse, aut reverà emendasse videntur. In primis cum agnovissent dictum canonem 1. in editione Gratiani memorari non nomine Concilii Antiocheni, sed potiùs Laodiceni, novissentque paritèr legi illum non inter canones Laodicenos, sed inter Antiochenos, jure optimo pro Laodiceno Concilio voluerunt legi debere Antiochenum; præsertim cum vetustissimum haberent Gratiani exemplar, in quo idem canon Antiocheni Concilii nomine legebatur. Huic errato facilem occasionem præbere potuerunt veteres canonum Collectiones, in quibus Laodiceni canones immediatè Antiochenis subjiciuntur; propterea exindè, qui legerent, poterant Antiochenos canones pro Laodicenis scribere, & viceversâ. Deindè verò in expositione canonis asseruerunt, Græcum exemplar valdè dissonare à versione Gratianea, ità postremò subjicientes: *Ac sanè, quòd Metropolitanus ad alterius Metropolitani vocationem deberet venire, atque in eodem Concilio duo Metropolitani futuri essent, vix videtur convenire.* An hæc posterior observatio æquè felicitèr cesserit, quemadmo-

modùm prior, judicare non audeo. Tantùm eo contentus ero, si varias Interpretum vetustiorum, ac meliorum, versiones adducam, quas unusquisque conferre deindè poterit cum canone Gratianeo. Agitur heic de canone 14. ex Antiochenis. Et, quoniàm Gratianus sequutus esse videtur versionem Isidori Mercatoris, primo loco adferam verba canonis, juxtà eumdem Isidorum ità expressa : *Si quis Episcopus de aliquibus causis criminalibus in judicio Episcoporum fuerit accusatus, contingat autem de ipsis Episcopos Provinciæ, & alios quidem innocentem eum pronunciare, alios reum ; propter hujuscemodi itaque controversiam amputandam, placuit Sanctæ Synodo Metropolitanum Episcopum alterius vicinæ Provinciæ advocari oportere, & aliquantos cum eo Episcopos alios, qui pariter residentes, quæcumque fuerint, dirimant quæstiones, propter hoc, ut firmum sit judicium, quod ab unius Provinciæ Episcopis fuerit promulgatum.* Dionysius Exiguus ab hac sententia nullo modo distat, ità scribens: *Si quis Episcopus de certis criminibus judicetur, & contingat de eo Provinciales Episcopos dissidere, cum judicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis ; pro totius ambiguitatis absolutione Sanctæ Synodo placuit, ut Metropolitanus Episcopus à vicina Provincia judices alios convocet, qui controversiam tollant : ut per eos simùl, & per Provinciales Episcopos, quod justum visum fuerit, adprobetur.* In Codice, qui appellatur canonum Ecclesiæ universæ eadem fermè verba leguntur. Non memoro hic priscam illam Latinam canonum editionem, quam publicam fecit Justellus in Tom. 1. suæ Bibliothecæ; in ea enim hic canon Antiochenus minùs integer reperitur ob vetustatem fortè MS. Codicis, qui in ea parte obliteratus est pag. mihi 294. Fulgentius Ferrandus eumdem canonem ità perstringit : *ut si de accusato Episcopo multæ sententiæ fuerint Episcoporum, Metropolitanus alterius Provinciæ convocetur.* Qui vult ad Martini Braccarensis Collectionem confugere, perpendat canonem 2. caus. 6. quæst. 4. Gentianus Hervetus ex Græcis exemplaribus ità est interpretatus : *Si quis Episcopus ob aliqua crimina judicetur, deindè contingat Episcopos, qui sunt in Provincia* (alii vertunt : *Episcopos Provinciæ*) *de eo dissentire; illis quidèm eum, de quo fertur sententia, innocentem pronunciantibus, his verò reum; pro tota componenda controversia visum est S. Synodo, ut Metropolitanus Episcopus ex propinqua Provincia alios evocet judicaturos, & controversiam decisuros, & cum Provincialibus, quod probatum fuerit, confirmet.* Alii postrema hæc verba ità exposuerunt : *Alios evocet judices, qui controversiam dirimant, cum Provincialibus, quod probatum fuerit, confirmando.* Neque sanè ego video, ab hisce interpretationibus distare interpretationem, quæ adfertur à Romanis Correctoribus, quorum sententiâ cum ceteris in eo concors est, ut scilicèt in Episcoporum causis, in Concilio Provinciali discussis, accedere debeant ad Synodum Provinciæ finitimæ Episcopi, ipse etiàm finitimæ Provinciæ Metropolitanus ad id invitatus, ut judicium & ipse, & alii Episcopi ferant, ubi penès Provinciales Episcopos jam pridèm congregatos dubitatio aliqua emerserit, aut in ferendo suffragio in æquales partes vota singulorum distracta fuerint. Neque video, turbari jurisdictionem Metropolitanorum in hac parte, ex eo quòd duo Metropolitani ad idem Concilium vocati conveniant, cum in primis versetur res in mutuis offfciis, quæ à Metropolitanis invicèm præstanda præscribuntur : deindè Metropolitanus, qui tamèn judex extrà ordinem accedit, injuriam nullam ordinario facit Metropolis Principi, nec ullam gradus sui injuriam patitur, quemadmodùm sæpissimè fieri idipsum contingit in delegationibus diversorum judicum, supremi Imperantis auctoritate factis. Demùm, etiamsi Metropolitarum jus aliquatenùs per hanc Concilii Constitutionem imminueretur, nihil repugnat; etenim, ubi Ecclesiarum utilitas exigit, non adeò subtilitèr de juribus personarum disputandum est : Quâ ratione Concilium Tridentinum statuit, ut Episcopi exempti eligant sibi Metropolim, ad quam

quam statuto tempore ad Concilia celebranda convenire teneantur. Sess. 24. de reformat. cap. 2.

Can. 5. caus. 6. q. 4. Vulgò se se intricatissimis disputationibus agitant Interpretes ad germanam intelligentiam consequendam canonis 5. caus. 6. quæst. 4., qui idem est cum canone 15. ex Antiochenis juxtà Isidorum Mercatorem. Dionysius Exiguus ità scripsit : *Si quis Episcopus, de certis criminibus accusatus, condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem Provinciæ, cunctique consonanter eamdem contrà eum formam Decreti protulerint, hunc apùd alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum Provinciæ manere sententiam.* Non memoro interpretationes alias, sive veterum, sive recentiorum; omnes enim unam exhibent, eamdemque sententiam. Sisto in controversiis Canonistarum, exindè quærentium, utrùm talis, tantaque fuerit apùd Antiochenos Episcopos Conciliorum Provincialium auctoritas, ut ab illorum sententiâ deneganda prorsùs appellatio sit, sive ad Synodum superiorem, sive ad aliam quamcumque etiàm in Ecclesia maximam potestatem? Christianùs Lupus ità credidit ex hoc Antiocheni Concilii canone posse deduci, propterèaque occasionem hinc arripuit detestandi & canones, & Synodum ipsam Antiochenam. Balsamon Græcus Interpres paucis se se expedit, remque omninò se absolvisse arbitratus est ità concludens : *Præsens canon sublatus est à quarto canone Synodi Sardicensis.* Balsamonis opinio mihi placere non potest animadvertenti, agi de duobus Conciliis Antiocheno, & Sardicensi, ætate valdè proximis, in quibus non est facilè præsumenda unius respectu alterius abrogatio; quod & ipse Balsamon agnovisse videtur, dum ità subdit : *Sin autem hoc nolis dicere, interpretare canonem, ut superiùs dictum est, & dic fieri condemnationem à Synodo, in quam non cadit appellatio, ut à Papa, vel à Patriarcha Constantinopolitano.* Sed hæc rursùs explicatio non satis convenire videtur verbis Antiocheni canonis, de Provincialibus Archiepiscoporum omnium Conciliis expressi, quem propterèa restringere fas non est ad sola Concilia Romani Pontificis, vel Constantinopolitani Patriarchæ juxtà mentem Græcorum. Alexius Aristenus asserit quidèm, hoc canone interdictam esse quamcumque appellationem à Conciliis Provincialibus interponendam; eos tamèn, qui contrà sentiunt, benigniùs, humaniùsque sentire, ac propterèa anteferendos esse Antiochenis ipsis Patribus : imò eo etiàm progreditur, ut asserat contrariam opinionem placuisse eisdem Antiochenis Episcopis in can. 4. Ego consentire non possum hujusmodi expositioni canonis, juxtà quam ejusdem Concilii Episcopi uno, eodemque judicio sibimet ipsi adversati fuisse credantur. Illustrissimus de Marca cum pluribus Gallicani Regni Episcopis ex hoc canone prædicarunt, supremum esse Conciliorum Provincialium judicium, à quo nulla ampliùs appellatio admittatur lib. 7. cap. 2. de concordia Sacerdotii, & imperii. Gratianus, quem Canonistarum fermè omnium, ac præsertim Italorum turba sequuta est, pòst relatum hujusmodi canonem ità subdidit: *Sic intelligendum verò est, nisi ad judicem majoris auctoritatis fuerit provocatum. Tùnc enim, per appellationem solutâ sententiâ, firmitatem non obtinet.* Mihi sanè, rem hanc ad rectam rationem rediganti, ab omnibus hisce Interpretibus recedendum videtur, atque ità omnis dirimenda controversia, ut & appellationibus ad superiores ordines faciendis nihil detrahatur, & simùl salva maneat Antiocheni Concilii optima Constitutio, quod utrumque præstare studioso sacrorum canonum cultori elaborandum est.

In primis itaquè nemo ex Catholicis, atque Religiosis viris debet derogare quidpiam Ecclesiastico ordini, quo fit, ut, quemadmodùm infima per media, ità media per suprema commodè dirigantur; quemadmodùm ergo Clericis Episcopi, & Episcopis Archiepiscopi præfecti sunt, ità & Archiepiscopis Primates, Patriarchas, ipsum deniquè Ponti-

fi-

ficem Maximum Superiores agnoscimus. cum verò Superior ille dicatur, qui inferiorum errata corrigere valeat, alitèr non possumus suprà Provincialia Metropolitarum Concilia Superiorem dicere, nisi qui possit de sententiarum ab ipsis prolatarum iniquitate judicare, illamque agnitam per appellationem emendare, id exigit recta Rei cujusque publicæ administratio; adeò ut nonnullis placuerit non ex gentium tantùm, sed & naturali ipso Jure appellandi ab inferioribus ad superiores concedendam esse facultatem.

Quibus tamèn ità constitutis, nihil omninò detrahitur Antiocheno canoni. Habet hæc observationes suas jucundas, & nitidas, quas etsi nemo ex Interpretibus, quod ipse noverim, hùc usquè fecerit, arbitror tamèn improbatum non iri. Animadverto, apùd veteres receptissimas quidèm fuisse boni publici causâ appellationes, ne scilicèt innoxii impunè ob quorumdam judicum imperitiam, sive improbitatem damnarentur; non tamèn appellationes istas in Reipublicæ ipsius dispendium retorqueri aliquandò potuisse; quod sanè contigisset, si facta fuisset litigantibus potestas appellandi perpetuò, etiàm pòst sententias pluriès repetitas per diversos Judices, vel Magistratus. Coercenda etiàm fuerat nimia perpetuò appellandi licentia, ne fortè improbi homines, jam pluriès damnati, appellationibus introductis lites perpetuas facerent, & non nisi rarò temeritatis suæ pœnis subjacerent. Hinc sapientissimè aliquandò constitutum est, ut, qui pòst duplex, aut triplex judicium damnatus fuerit, ampliùs appellandi facultatem non habeat. Id primùm apùd Græcos obtinuit, apùd quos vetustissima fuit lex, quâ pòst tertium judicium, in quo concors jusdicentium sententia haberetur, appellandi potestas denegabatur. Testem appello Platonem, qui in dialogo 6. de legibus, vel legumlatione pag. mihi 308. ità scribit: *Qui litigant, ad vicinos primùm, & amicos, & maximè rei, de qua quæritur, conscios, se convertant. Quòd si per eos non sufficienter fuerit judicatum, ad aliud judicium proficiscantur. Tertium verò, si per duo superiora reconciliati non fuerint, finem imponat.* Tertium ergò judicium apùd Orientales erat postremum, ex quo appellare ampliùs damnato non liceret. Quæ sanè disciplina, utpote & Civili, & Ecclesiasticæ utilitati conveniens, fuit ad Occidentem producta, receptaque propterea abs Justiniano l. un. Cod. *ne liceat in una ead. causa tertiò provocare*, auth. *Si quis litigantium eod. de Episc. audient.* probata demùm à Pontifice Maximo in cap. 65. *de appellationibus.*

Quis exindè facilè non deducat, qualis omninò fuerit Antiochenorum Episcoporum mens, ubi pòst concordem Concilii Provincialis sententiam nihil præsidii amplius, aut effugii damnatis superesse voluerunt? videlicèt ordo causarum Ecclesiasticarum is erat, ut primò res coràm Episcopo loci discuteretur, deindè pòst ejus sententiam ad Metropolitanum deferretur; demùm verò ad Concilium, in quo omnium comprovincialium Episcoporum auctoritas intercederet. Et sanè, si concors omnium sententia in Concilio fuisset, qualis etiàm in superioribus judiciis per Episcopum, atque Archiepiscopum prodita fuerat, quis plenæ Concilii sententiæ, nisi temerè litigans, acquiescere non debuisset? loquimur sanè de Provinciali Concilio, in quo non triplex tantùm concors judicium agnoscere fas est, sed tot judicia, quot Episcopi sunt, qui ad Concilium convenerunt. Arbitror itaquè, his me verè assequutum esse mentem Patrum Antiochenorum, qualis etiàm ex verbis Antiocheni canonis luculentèr adparet. Quid enim aliud significare videntur verba illa: *ab omnibus Episcopis*, & *consonantèr*, & illa: *firmam consonantium Episcoporum &c.*? Atque eo melior hæc mea interpretatio videri debet, quò per illam difficultates omnes, quæ ceteros agitant Glossographos, & Scriptores fermè universos, commodè extricantur.

Si

Si quis verò adhùc opponendum censeret canonem quartum Sardicensem, ex quo deduci videtur, apùd veteres Concilii Provincialis sententiam non habitam fuisse tamquàm supremam, facilè conciliaverim ajendo, in Sardicensi Concilio de ea causa agi, quæ non concordi Episcoporum omnium judicio finita fuisset; nec enim aliquid hujusmodi continetur ibidèm, undè constet, consonantem undequaquè & concordem fuisse Episcoporum omnium sententiam. Nec etiàm in hac re discutienda penitùs dubitarem ulteriùs progredi, ajendo, quemadmodùm Sardicensis Synodus Occidentalium potissimùm Episcoporum erat, propterèaque juxtà receptas Occidentis regulas judiciorum definiverat, ità Concilium Antiochenum Orientalium Episcoporum judiciales canones juxtà Græcorum jurisprudentiam definivisse. Sanè ex iis, quæ nupèr proponebam, liquet manifestè, apùd Græcos jam diù à tempore Platonis eam viguisse jurisprudentiam, ut tertium judicium concordium judicum pro supremo haberetur. In conspectu hujus Græcorum consuetudinis, quid aliud statuere poterant Antiocheni Patres, quàm nullam aliam expectandam esse sententiam pòst judicium Concilii Provincialis prolatum unanimi Episcoporum omnium consensione? Ast hæc de triplici conformi judicio doctrina nondùm ad Orientales pervenit, nisi pòst Constitutionem Justiniani Imperatoris in dicta l. un. cod. *Ne liceat in una &c.*, ac propterèa multò pòst Concilium Sardicense. Quid ergò aliud statuendum erat à Sardicensibus Occidentalibus Episcopis, sequentibus morem patriæ suæ, quàm ut perpetua usquè ad superiorem maximum appellatio concederetur? Fuit omni ætate sapientissima Ecclesiasticorum Patrum œconomia, quâ, ubi nihil specialitèr sacris canonibus receptum esset, civilium legum principiis canones accommodarent. Quamobrèm in diversis provinciis diversa disciplina recepta est ex eo, quòd diversæ essent legum civilium dispositiones: aut quòd varii mores, qui legum instar obtinent, proponerentur. Nemo enim ignorat, unicuique Episcopo in Ecclesiasticis Constitutionibus sanciendis suæ potiùs Provinciæ moribus, quàm alienis inhærendum esse.

In canone 3. hujus Antiocheni Concilii habetur canon 24. caus. 7. quæst. 1., qui ferè consonat cum interpretatione Isidori Mercatoris. Exhibebo nùnc ex Collectione Dionysii Exigui. Ità ille: *Siquis Presbyter, aut Diaconus, & omninò quilibet ex Clero, Parochiam propriam deserens, ad aliam properaverit; dein omninò demigrans in alia Parochia per multa tempora nititur immorari; ulteriùs ibidèm non ministret: maximè si vocanti suo Episcopo, & regredi ad propriam Parochiam commonenti, obedire contempserit. Quòd si in hac indisciplinatione perdurat, à ministerio modis omnibus removeatur, ità ut nequaquàm locum restitutionis inveniat. Si verò pro hac causa damnatum alter Episcopus suscipiat, hic etiàm à communi coerceatur Synodo, velùt qui Ecclesiastica Constituta dissolvat.* Can. 24. caus. 7. q. 1.

Quod autèm de Presbyteris, aliisque inferioribus Clericis statutum est in dicto can. 3., statuitur de Episcopis in can. 21. Antiocheno, qui refertur in can. 25. caus. 7. quæst. 1., Gratiano sempèr sequente Isidorum Mercatorem. Non præteribo ego interpretationem Dionysii, præsertim quòd non nihil varietatis & in verbis, & in sententia canonis deprehendatur: *Episcopus ab alia Parochia nequaquàm migret ad aliam, nec sponte sua prorsùs insiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Episcopo necessitate compulsus* (paulò alitèr alii ex Græcis exemplaribus: *nec ab Episcopis coactus*: auctor Codicis Ecclesiæ universæ apùd Justellum ait: *nec ab Episcopis necessitate compulsus*. Auctor priscæ Latinæ Collectionis apùd eumdem Justellum pag. mihi 295. tomo 1. ità habet: *Neque ab aliquibus Episcopis coactum*). *Maneat autèm in Ecclesia, quam primitùs à Deo sortitus est, nec indè transmigret, secundùm pristinum de hac re terminum constitutum.* Can. 25. caus. 7. q. 1.

Canon 3. caus. 8. quæst. 1. de-

promptus est ex canone 23. Antiocheno, & quidèm juxtà versionem Dionysii Exigui. Romani Correctores expunxerunt à Codicibus Gratiani verba hæc: *& electione Clericorum.* Reverà neque apùd Dionysium Exiguum, neque apùd Isidorum Mercatorem, neque apùd Græcos habentur. Verùm hæc adhùc leguntur in prisca illa Collectione Justelli, quam pluriès jam memoravi, ibi: *Non aliter fieri nisi aut cum Synodo, & judicio Episcoporum, & maximè electio Clericorum* pag. 295. tom. 1., ubi fortè legendum erit: *electione Clericorum.* Quamquàm verò in hoc canone cautum luculentèr adpareat, neminem ex Episcopis posse sibi in Episcopatu successorem designare, non tamèn hoc perpetuum fuit; Scimus enim, viros sanctissimos, quorum exempla improbata non sunt, id fecisse, suadente Ecclesiarum quarumdam utilitate. Sic Eusebius lib. 6. histor. Eccles. cap. 11.; & cap. 32. testatur, à Narciso Hierosolymorum Episcopo Alexandrum, à Theotecno Cæsareæ Palestinæ Episcopo Anatolium sibi substitutum fuisse, ut omittam vulgata exempla Severi Milevitani, & Valerii Hipponensis, de quibus mentionem fecit S. Augustinus epist. 110.

Can. 3. caus. 9. q. 1.

Canon 6. caus. 9. quæst. 2. legitur in can. 13. Antiocheno juxtà intepretationem Isidori, exceptis iis verbis: *nec ab aliis illùc trahatur Episcopis*, pro quibus apùd Isidorum hæc leguntur: *nec alios illùc secum adtrahat Episcopos.* Romani Correctores græca verba unà cum illorum interpretatione subjecerunt, observantes etiàm Dionysii versionem aptiùs, quàm Gratiani exemplar, exprimere sententiam Græci textus. En verba Dionysii: *Nullus Episcopus ex alia Provincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare, licèt consensum videantur præbere nonnulli, nisi literis tàm Metropolitani, quàm ceterorum, qui cum eo sunt, Episcoporum, rogatus adveniat, & sic ad actionem ordinationis accedat. Si verò, nullo vocante, inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus, & Ecclesiasticis negotiis, ad eum non pertinentibus, componendis, irrita quidèm, quæ ab eo geruntur, existant; ipse vero incompositi motus sui, & irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc jam damnatus à sancto Concilio.*

Can. 6. caus. 9. q. 2.

Memorato canoni 13. Antiocheno plurimùm consonat 22., qui apùd Gratianum refertur in can. 7. caus. 9. q. 2., ubi Gratianus imitatus videtur interpretationem Isidori Mercatoris; quamquàm hæc in nonnullis quamdam habeat vocum varietatem. Itaquè Isidorus Mercator ità scripsit: *Episcopum non debere in alienam irruere civitatem, quæ illi probatur non esse subjecta; neque in regionem, quæ ad ejus curam minimè dignoscitur pertinere, ad aliquid ordinandum, neque Presbyteros, neque Diaconos constituere ad alios Episcopos pertinentes, nisi forte cum consilio, & voluntate propriæ regionis Episcopi. Quòd si quispiam horum aliquid audere voluerit, irrita quidem erit hujusmodi ordinatio, & is, qui male usurpaverit, à Synodo arguatur. Nàm si ordinare non potuerit, nullatenùs alterius Parochianum judicare non præsumat.* Dionysius autèm Exiguus ità exhibet: *Episcopus alienam civitatem, quæ non est illi subjecta, non adeat, nec ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, super ordinatione cujusquam, nec constituat Presbyteros, aut Diaconos alteri subjectos Episcopo, nisi forte cum consilio, & voluntate regionis Episcopi. Siquis autèm tale aliquid facere tentaverit, irrita sit ejus ordinatio; & ipse coerceatur à Synodo; nàm, si ordinare non potuerit, nullatenùs judicabit.* Posteriora hæc verba: *nàm, si ordinare &c.* desiderantur in Codice, qui dicitur Ecclesiæ universæ, & in Græcis exemplaribus; at in prisca Collectione Latina canonum, edita abs Justello tomo 1. pag. mihi 295. ità leguntur: *Quia, quod vindicare non potest, ordinare non debet.*

Can. 7. caus. 9. q. 2.

Canon 2. caus. 9. quæst. 3. habetur in can. 9. Antiocheno juxtà Isidorum Mercatorem. Romani Correctores aliam interpretationem addiderunt ex Græcis exemplaribus. Subjiciam ego & aliam ex Dionysii Exigui Codice. *Per singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius Provinciæ ge-*

Can. 2. caus. 9. q. 3.

gerère, propter quod ad Metropolim omnes undiquè, qui negotia videntur habere, concurrunt. Undè placuit, eum & honore præcellere, & nihil ampliùs præter eum ceteros Episcopos agere, secundùm antiquam à Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantùm, quæ ad suam Diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. Unusquisque enim Episcopus habeat suæ Parochiæ potestatem, ut regat juxtà reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat omnis possessionis, quæ sub ejus est civitate: ita ut Presbyteros, & Diaconos ordinet, & singula suo judicio comprehendat. Amplius autèm nihil agere tentet, præter Antistitem Metropolitanum; nec Metropolitanus sine ceterorum gerat consilio Sacerdotum. Quicumque hunc Antiochenum canonem cum 33. ex Apostolicis contulerit, nullum inter utrumque discrimen agnoscet.

Can. 5. caus. 10. q. 1. Idem quoquè est cum canone 40. ex Apostolicis canon 5. caus. 10. q. 1., sive canon 24. ex Antiochenis. Cujus interpretationem sequutus fuerit Gratianus, mihi non constat. En verba Dionysii Exigui: *Quæ sunt Ecclesiæ, cum omni sollicitudine, & conscientia bona, & fide, quæ in Deum est, qui cuncta considerat, judicatque, serventur: quæ etiàm dispensanda sunt judicio, & potestate Pontificis, cui commissus est populus, & animæ, quæ intrà Ecclesiam congregantur.*

Can. 2. caus. 11. q. 3. Canon 2. caus. 11. quæst. 3. idem est cum canone 6. Antiocheno. Gratianus videtur sequutus Isidorum Mercatorem; hodiè tamèn inter Isidori, & Gratiani editiones aliquid discriminis intercedit. Habet enim Isidorus: *Siquis à proprio Episcopo excommunicatus est, non eum priùs ab aliis debere suscipi, nisi aut à suo fuerit receptus Episcopo, aut Concilio facto occurrat, ut respondeat; & si Synodo satisfecerit, statuimus, sub alia sententia eum recipi. Quod etiàm circà Laicos, & Presbyteros, & Diaconos, & omnes, qui in Clero sunt, convenit observari.* Longè meliorem esse, dixerunt Romani Correctores, interpretationem Dionysii Exigui, quæ his verbis exprimitur: *Siquis à proprio Episcopo communione privatus est, non antè suscipiatur ab aliis, quàm suo reconcilietur Episcopo: aut certè ad Synodum, quæ congregatur, occurrens pro se satisfaciat, & persuadens Concilio sententiam suscipiat alteram. Hæc autèm definitio maneat circà Laicos, & Presbyteros, & Diaconos, omnesque, qui sub regulâ esse monstrantur.* Plurimùm cum hoc canone congruit can. 5. Nicænus.

In can. 6. caus. 11. quæst. 3. habetur can. 4. ex Antiochenis, in quo describendo Gratianus sequutus omninò est interpretationem Dionysii Exigui, cum qua omninò consonat, dummodò à Gratianea editione auferatur vox illa *oportet*, quæ habetur propè finem canonis. Romani Correctores pro voce illa *damnatus* legendum esse arbitrantur *depositus* juxtà Græca exemplaria. Sanè, qui Græca exemplaria sunt recèns interpretati, ità scripserunt: *depositus*; ità etiàm scripsit Isidorus Mercator; ità quoquè legitur in prisca Collectione Latina Justelli Tom. 1. p. mihi 292.; ità demùm in Codice, qui appellatur Ecclesiæ universæ. Unus Dionysius Exiguus legit: *damnatus*. Hic canon recitatus est in Concilio Chalcedonensi actione 4. in causa Carosi, & Dorothei, Archimandritarum. Legit autèm canonem Aetius, Archidiaconus, & Primicerius Ecclesiæ Constantinopolitanæ, hoc modo, quemadmodùm describitur in Tom. 4. Venetæ editionis Labbeanæ pag. 1430. *Canon* 83. *Si quis Episcopus, à Synodo depositus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omninò qui est sub regula à proprio Episcopo, ausus fuerit amplius aliquid sacri ministerii gerere, sive Episcopus juxtà superiorem consuetudinem, sive Presbyter, sive Diaconus; posteà non liceat ei ne in altera quidem Synodò spem restitutionis, nec satisfactionis* (legunt alii: *nec defensionis*) *locum habere. Sed & omnes, qui èi communicant, ejiciantur ex Ecclesiâ; & maximè, si, postquàm cognoverunt sententiam in prædictos latam, iis communicare ausi fuerint.*

Can. 6. caus. 11. q. 3.

Can. 22. caus. 12. q. 1. Canon 23. caus. 12. quæst. 1. consonat omninò cum canone ultimo Concilii Antiocheni, qui etiàm canonis Apostolici nomine laudatus est in can. 22. caus. 12. quæst. 1. Gratianus se-

quutus est Dionysium Exiguum. Vix autèm vulgatæ Dionysii editiones aliquid habent, juxtà quod Gratiani fragmentum sit emendandum; etenim, ubi Gratianus scripsit *res lædantur Ecclesiæ*, apùd Dionysium legitur: *ceteræ lædantur Ecclesiæ*. Parùm autèm vel nihil discrepant aliorum interpretationes, nisi fortè alicui videantur observanda verba illa Gratiani, ex Dionysio relata: *Synodo Provinciæ pœnas iste persolvat*, quorum vice Isidorus Mercator habet: *reatum hunc, qui hujusmodi est, apùd Metropolitanum Provinciæ præstare debebit*. Vetus Interpres ità scribit: *Subjacere Synodo Provinciæ*; & alii ex Græcis exemplaribus: *Is Synodo Provinciæ administrationis rationem reddat*.

Planè ad hunc canonem observatione digna sunt illa verba: *Participet autèm & ipse, quibus indiget, si tamèn indiget*. Ex quibus deducitur, tum demùm Episcopum posse de bonis Ecclesiasticis participare, cum pauper sit, & penitùs indigens; ex quo facilè argumentari unusquisque potest, sive Episcopos, sive Clericos omnes, qui beneficia Ecclesiastica possident, non posse quidpiam ex beneficii fructibus in suos usus convertere, quotiès privatum, seu familiare, ut ajunt, patrimonium habeant, ex quo commodè sustententur. Porrò sententia hæc nullos habuit contradictores usquè ad sæculum 12., aut etiàm 13., prior enim ætas perpetuò sensit, Ecclesiam de bonis suis pauperibus tantummodò Clericis subvenire, divites autèm à commodis Ecclesiasticis prorsùs excludi, nisi fortassè isti propriis primùm renunciaverint, atque ex voluntate pauperes facti fuerint. S. Augustinus in epist. 185. ad Bonifacium ad rem ità scribit: *Si pauperum cumpauperes sumus, & nostra sunt* (Ecclesiæ bona), *& illorum. Si autèm privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*. Can. ult. caus. 12. quæst. 1. Quorsùm autèm distingueret Augustinus Episcopum divitem ab Episcopo paupere, ut iste bonorum Ecclesiasticorum particeps esse possit, non ille, nisi sentiret, Episcopum divitem nihil posse ne alimoniæ quidèm causâ percipere? Reverà excludit vir eximius ab iis percipiendis Episcopum divitem, ad quæ percipienda admittit Episcopum pauperem; atqui Episcopum pauperem nihil præter necessaria vitæ subsidia ex bonis Ecclesiasticis posse percipere viris egregiè cordatis persuasum est: excluditur ergò dives Episcopus ab ipsis alimentis ab Ecclesia expetendis. Justinianus in novella 3. cap. 3. statuit: *Expensæ, quæ fiunt ex Ecclesiasticis reditibus circà pios erogentur actus, & Deo placentes; & illis hæc ministrentur, qui pro veritate egent, & non habent aliundè alimentorum occasionem*. In Capitularibus Regum Francorum cap. 113. in additione 3. Parisiensis editionis anni 1677. ità legitur: *Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune; nec aliquid indè eis, qui sibi de suo sufficiunt, convenit erogare, quandò nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere*: & in can. sequenti: *Nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, undè pauper victurus erat, accipiunt*; Quibus omninò consonat Concilium Aquisgranense anni 816. in can. 120. ibi: *Patrum sententiæ docent, Clericos non esse sectatores divitiarum, nec res Ecclesiarum inofficiosè accipere debere*; & clariùs id habet in can. 107., ubi arguuntur Clerici propria possidentes, & nihilominùs alimenta ex Ecclesiæ reditibus postulantes. At, quoniàm in hoc eodem canone multa ex Juliano Pomerio deprompta sunt, verba potiùs adferam ejusdem Pomerii, quinti sæculi auctoris optimi, & probatissimi, ità scribentis in lib. 2. de vita contemplativa cap. 10. *Nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, undè pauper victurus erat, accipunt. De Clericis quidèm dicit Spiritus Sanctus: Peccata populi mei comedunt. Sed, sicut nihil habentes proprium non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt; ità possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt.*

piunt. Ipsi quoquè pauperes, si se possunt suis artificiis, aut laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis, aut infirmus accipere, ne fortè Ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes, etiàm nihil indigentes, accipiant, gravata, illis quoquè, quibus debeat, subvenire non valeat. Qui autèm Ecclesiæ serviunt, & labori suo veluti debita reddi oportere credentes ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant, quòd Ecclesiæ fideliter servientes stipendia terrena, ac non potius præmia æterna accipiant. Sæcularis quippè militia, quia cœlestia non habet, terrena strenuè militantibus præstat; undè satis indignum est, si fidelis, & operosa devotio Clericorum propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quòd si quilibet minister Ecclesiæ non habet, undè vivat, non ei præmium reddit hic, sed necessaria præstat Ecclesia, ut in futurum præmium laboris sui recipiat.... Quæso, quid eorum sit, quæ dixi, difficile? Ut homo id, quo opus non habet, ab Ecclesia non accipiat, aut ut, quod habet, sine causa contemnat? Si propter hoc non vult sua relinquere, ut habeat undè vivat, ut quid accipit, undè rationem reddat? Ut quid de peccatis alienis sua multiplicat? Clarissima sunt hæc ad rem nostram, ex quibus etiàm obviam facilè itur vulgato argumento, quod petunt ex Apostolo ad Chor. 1. cap. 9. abutentes verbis illis, quibus dicitur neminem suis unquàm stipendiis militare; itèm altari servientes de altari vivere. Hæc sanè Apostoli verba de Clericorum inopia sublevanda, non de laborum compensatione Pomerius interpretatus est, juxtà illud, quod ait Augustinus in lib. de Pastoribus, & ovibus cap. 2. ità scribens: *Non redditur sustentatio necessitatis à populo, quasi merces illis, qui sibi in charitate serviunt, sed tamquàm stipendium, quo, ut possint laborare, pascantur.* Paulus Apostolus sequutus fuerat Christi Servatoris documenta, qui apùd Matthæum dixerat: *Dignus est operarius cibo suo*: advertendum tamèn, Christum eumdem paulò anteà ità Apostolos alloquutum fuisse: *Nolite possidere aurum, neque argentum.* Alimenta itaquè debebantur Evangelii præconibus, atque Ministris, illis tamèn, qui nihil penitùs possidebant. Hæc ergò fuit veterum Sanctorum Patrum sententia, quæ adhùc Gratiani temporibus obtinere visa est; etenim Gratianus ipse ad calcem canonis 24. caus. 1. quæst. 1., inquirit, nùm Episcopus possit habere propria; distinguensque Episcopos familiam habentes à non habentibus, concludit, illos propria habere posse bona, quibus familiæ necessitatibus occurrant, non verò istos: *nisi fortassè retinendo sua à sumptibus Ecclesiæ abstineant*; *Quod fieri posse Prosper de vita contemplativa testatur, dicens: Illi autèm, qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renunciare non possint, si ea, quæ accepturi erant, dispensatori relinquant nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua, quia & ipsi quodammodò sua relinquunt, quandò propriis contenti rebus nihil eorum, quæ labori, vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt.* Verùm paulò pòst Gratiani ætatem, introductâ quomodolibèt opinandi licentiâ per homines, nescio an improbos, an indoctos, lugendum est, quantùm labefactata etiàm hac in parte fuerit Ecclesiastica disciplina. Quidquid tamèn molita fuit temporum improbitas, vel inscitia, non defuerunt sempèr Viri gravissimi, qui veterum Doctrinam sequuti sunt, & veritati studere potiùs, quàm indulgere libidini, voluerunt. Laudo heic Dionysium Chartusianum, qui in tractatu de vita Canonicorum artic. 14. ità scribit ad hanc rem: *Salubriùs, ac securiùs creditur, ac paretur dictis Sanctorum, per quos loquutus est Spiritus Dei, quàm Scholasticorum quorumdam, qui suo magis, quàm expedit, credunt, & nituntur ingenio, auctoritatem Sanctorum ad suam retorquentes opinionem.* Et ibidèm: *Quamvis ergò de proposita quæstione quidam dicant Scholastici, posse id licitè fieri, consultiùs tamèn credendum est verbis Hieronymi, & Bernardi, imò & Summi Pontificis, Beatique Prosperi: Ait enim Damasus Papa: Qui bonis parentum sustentari possunt, si accipiant, quod pauperum est, sacrilegium incurrunt.*

runt....Horum itaquè Patrum sententiis statur securiùs, quàm aliorum aliter opinantium.

Can. 2. caus. 21. q. 5.

Canon 2. caus. 21. quæst. 5. idem omninò est cum canone 12. ex Antiochenis, Gratiano de more suo Mercatoris interpretationem sequente. Ceterùm alii Interpretes verbis tenùs, non sententiâ, dissonant. Dionysius Exiguus ità scripsit: *Si quis à proprio Episcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Episcopus fortè damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad majus Episcoporum converti Concilium, &, quæ putaverint habere justa, plurimis Episcopis suggerant, eorumque discussiones, ac judicia præstolentur. Si verò, hæc parvipendentes, molesti fuerint Imperatori, hos nullâ veniâ dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitùs opperiri.* Sacrorum cononum studiosi torqueri ut plurimùm solent in interpretatione hujus canonis, in quo ceteroquin explicando nulla mihi superesse videtur difficultas. Plures asseruerunt, hunc canonem editum fuisse ab Antiochenis Episcopis in odium S. Athanasii, ut ipsi à Synodo Orientalium dejecto appellandi facultas omnis adimeretur; atque ideò eumdem canonem, tamquàm pravorum, hæreticorumque hominum decretum, ab Ecclesiasticarum legum numero rejiciendum. Cui observationi vires maximè addere videtur factum S. Joannis Chrisostomi, qui in Pseudosynodo, ad Quercum habitâ, depositus, cum hoc canone removeretur ab adversariis, ne ad alia judicia provocaret, respondit inter cetera, se hoc eodem canone non teneri, quòd nullam auctoritatem obtineat, fueritque à malevolis hominibus, atque hæreticis constitutus. Verùm, hæc licèt adferri potuerint abs Joanne Chrisostomo, ob hæreticorum vexationem maximè, ac vehementissimè turbato, exagitatoque, eo præsertim tempore, quo canones Antiocheni non omninò recepti apùd Græcos fuerant; cum tamèn, uti initio diximus, posteriùs canones ipsi Antiocheni venerabiles esse cœperint, atque in optimis canonum Codicibus recenseri; nulla ampliùs subest ratio, cur hunc canonem contemnamus, aut rejiciamus, eo vel magis, quòd in eo nihil aut fidei, aut germanæ sacrorum disciplinæ contrarium inveniri possit. Statuitur ibidèm, neminem ex Viris Ecclesiasticis, à Synodo depositum, debere apùd Principem conqueri, sive *Imperatoris auribus molestum existere*; sed potiùs curandum illi esse, ut causa majori in Synodo retractetur. Quid eâ ætate convenientius stabiliri poterat? A Synodo Diœcesana ad Synodum majorem, sive Provincialem provocatio conceditur, quod Juris utriusque principiis maximè consentaneum est, exigentibus, ut à minori judice majus Tribunal appellari valeat. Quod verò dicitur damnatos Episcopos molestos esse non debere auribus Imperatoris, prudentissimè etiàm decretum fuerat; Tum enim nupèr Catholicam Christi fidem amplexi fuerant Imperatores, nec ab optimo proposito avocandi ullâ occasione erant. Fortè autèm avocari potuissent, si quotidianis Episcoporum querelis molestiam pati debuissent. Etenim vel Aulicorum, & Procerum, adhùc superstitionibus gentilium involutorum, protervia perperàm de Ecclesia judicasset, & ipsi apùd Imperatorem ipsum conquesti fuissent, si iniqua judicia, & vexationes impias inter ipsos invicèm Episcopos agnovissent.

Hùc accedit, veteres Sanctos Patres in suis pro Christiana fide, & eam colentibus, Apologiis conquestos fuisse de Ethnicorum vexationibus, eâ præsertim de causâ, quòd Christiani molesti essent nemini, nec res Imperii ullo modo, aut occasione ullâ turbarent. Quid ergò satius Christianæ Reipublicæ tùm adversùs Gentium odia, atque invidiam tuendæ esse poterat, quàm ità Episcoporum contentiones in Synodis finire, ut nihil omninò molestiæ Imperantis auribus inferretur?

Can. 27. caus. 23. q. 8.

Eadem ratione explicandus erit can. 27. caus. 23. quæst. 8., qui pertinet ad can. 11. Concilii Antiocheni, quem Gratianus ex versione Isidori Mercatoris re-

retulisse videtur : quoniàm tamèn Gratianus etiàm ex ipso Mercatore nonnulla omisit, & quidèm digna observatione, operæ pretium erit hùc integrum canonem adferre. Ità Isidorus : *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel quicumque Clericus, & omnis omninò, qui est sub Ecclesiasticâ regulâ* (legunt alii : *Canone*; sed idem omninò est, cum utraque vox significet Catalogum, sive Matriculam Ecclesiæ, in qua Clericorum nomina conscribi solebant) *constitutus, præter consilium, vel literas eorum Episcoporum, qui sunt intrà Provinciam, & maximè Metropolitani, ad Imperatorem perrexerit, hunc abdicari, & ejici non solùm de communione debere, sed etiàm propriâ dignitate privari, tamquàm molestum, & importunum Imperialibus auribus, contrà Ecclesiastica constituta. Si autem necessitas cogat ad Imperatorem excurrere propter aliquam actionem, cum deliberatione, & consilio Metropolitani ipsius Provinciæ Episcopi, & ceterorum conscientiâ Episcoporum, qui in eadem Provincia sunt, atque cum literis eorum ire debebit.* Aliorum interpretationes Isidorianæ huic versioni consonare omninò mihi videntur : nolo tamèn omittere, quod Dionysius Exiguus exposuit, tanquàm notæ longè melioris Interpres. Hæc ipse : *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut quilibet Regulæ subjectus Ecclesiæ, præter Concilium, & literas Episcoporum Provinciæ, & præcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari, & abjici oportere, non solùm à communione, verùm & ab honore, cujus particeps videtur existere; quia venerandi Principis auribus molestiam tentavit inferre, contrà leges Ecclesiæ. Si igitùr adire Principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu, & consilio Metropolitani, & ceterorum Episcoporum, qui in eadem Provincia commorantur, qui etiàm proficiscentem suis prosequantur Epistolis.*

CAPUT X.

De Concilio Sardicensi.

Sardicensis Concilii nomine apùd Gratianum sequentes Canones inscripti sunt.

Can. 10. *dist.* 61. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 9. *dist.* 65. *multò varius in Græcis, & Latinis Codicibus.*
Can. 1. *dist.* 71. *ex melioris notæ Codicibus emendandus.*
Can. 36. *caus.* 2. *q.* 6. *varius in diversis exemplaribus.*
Can. 7. *caus.* 6. *q.* 4. *jungendus cum can.* 36. *caus.* 2. *q.* 6.
Can. 4. *caus.* 11. *q.* 3. *multò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 28. *caus.* 23. *q.* 8. *ad melioris notæ Codices exigendus.*

PRopè medium sæculi IV. jam damnatâ à Concilio Nicæno hæresi Arianorum, nondùm omninò extincta fuerunt Ariani Schismatis semina; superfuerunt enim perfidorum quorumdam reliquiæ, per quos turbæ clanculùm concitabantur ad eum finem, ut vel contemneretur, si fieri posset, Nicæna fides, vel saltèm aliis utrique parti communibus formulis exprimeretur. Præsertim verò vim suam omnem eò contulerunt, ut egregii, strenuique *Omousion*, seu *Consubstantialitatis* Patroni quâ minis, quâ vexationibus premerentur; persuasum enim erat Arianis, non alitèr se posse Nicænam fidem evertere, nisi primùm de medio tollerentur illi, quorum sapientiâ, prudentiâque Catholicæ Ecclesiæ germana Doctrina inconcussa custodiebatur. Inter Viros Ecclesiasticos in-

invictos Nicænæ fidei vindices constantissimus fuit S. Athanasius Alexandrinus Patriarcha, cujus doctrina singularis, eximiaque morum integritas cum Patriarchali auctoritate conjuncta Arianos plurimùm continebat. Adversùs illum præcipuos conatus, viresque suas intenderunt hæretici; qui, ne apertè in eodem redarguerent, in quo ipsi à causa protinùs cecidissent, videlicèt doctrinam, quam tuebatur Nicæni Concilii, fraude usi sunt, figmento suo de pluribus gravissimis criminibus eumdem per calumniam accusantes, atque irregulari omninò processu inauditum, indefensumque, licèt præsentem, damnantes Concilio Arianorum Episcoporum, ad eam ferendam sententiam convocato in Tyro Phœniciæ an. 335.

Hæc porrò acta non tàm suam, quàm Ecclesiæ universæ injuriam, & Catholicæ fidei periculum gravissimum continere, agnovit Athanasius, qui propterèa est apùd Imperatorem conquestus, rogans, ut ejus auctoritate perfidorum, impiorumque Episcoporum molitiones cohiberentur, & apùd Julium Pontificem Maximum ab eo postulans actis exhibitis, ut de causa ipse judicium ac sententiam ferret. Julius quidèm primùm in Romanis, quos celebravit, conventibus controversiam examinavit; detectisque hæreticorum versutiis, qui ab eodem Pontifice advocati in recessus se se recipiebant, & latebras; Athanasium absolvendum esse pronunciavit, eumdemque ad dignitatem, undè dejectus fuerat, restituendum. Verùm, ne fortè privatum videretur apùd Orientales hocce judicium, Ecclesiasticæ rei tùm demùm consultum iri judicarunt tum Imperatores Constantius, & Constans, cum Julius Papa, quotiès generale Concilium in Sardicensi Civitate celebraretur, ad quòd tàm Orientalis, quàm Occidentalis Ecclesiæ Episcopi convenirent, de Athanasii causa judicaturi. Erat enim Sardica Urbs in Illirico sita in confinio Mysiæ Superioris, ad quam propterèa, utpotè mediam inter Orientales, Occidentalesque Provincias, facilè universæ Ecclesiæ Antistites poterant causa Synodi accedere. Jamque per Enciclicam Epistolam moniti erant Episcopi omnes, imò propè fuerant, ut in unum congregarentur; quum Orientales Schismatici, prænoscentes sua callida, improbaque consilia tandèm aliquandò patère, variis tergiversationibus Concilium ipsum turbarunt, asserentes malle se seorsim aliam celebrare Synodum in Urbe Philippopoli, centum circitèr passuum millibus à Sardicensi distante; illud inter cetera allegantes, non alitèr se ad Sardicense Concilium accessuros, nisi primùm certò scirent, à Concilio ipso Athanasium fore excludendum.

Ità discissis Episcoporum animis, duo anno 347. celebrata fuere Concilia, quæ ambo Sardicensia appellata sunt; Alterum Occidentalium Episcoporum Sardicæ, atque in hoc Athanasius absolutus est; alterum Philippopolis Orientalium Episcoporum, atque in hoc versa vice renovata est, quæ jam diù ab Orientalibus ipsis lata fuerat, adversùs Athanasium iniqua sententia. Qui, qualisque tùm fuerit Ecclesiæ statutus in hac animorum dissensione facilè unusquisque conjiciet. Illud tamèn certissimum, vicisse tandèm aliquandò Occidentalium Episcoporum, atque obtinuisse sententiam, Occidentalium, inquam, qui Sardicam convenerant, & non tàm pro Nicæna fide, quàm pro ipsius Nicænæ fidei propugnatoribus alacritèr contenderunt. At è contrario Orientalium Arianorum Præsulum præceps judicium, licèt primò apùd Græcos ipsos plurimùm valuisset, tamèn contemni omninò, & reprobari visum est, quum Græci iidem Concilium Philippopolis detestari cœperunt, ac potiùs Sardicensem Synodum venerari. Sunt, qui adserunt, tùm primùm Sardicensem Synodum, Synodique canones à Græcis fuisse receptos, cùm in Trullana Synodo professi sunt canone 2., se canones Sardicenses recipere. Ibi enim

enim ità scripserunt: *Hoc quoque huic sanctæ Synodo pulcherrimè, & honestissimè placuit, ut ab hoc nùnc tempore deincèps...firmi, stabilesque maneant...Apostolorum* 85. *canones... obsignamus etiàm reliquos omnes canones, qui à sanctis, & beatis nostris Patribus expositi sunt, id est, à* 318. *divinitùs inspiratis Patribus, qui Nicææ convenerunt, iisque, qui Ancyræ...similiter & iis, qui Sardicæ, & qui Carthagine* &c. Ego sanè plurimùm dubitaverim, ne Trullani Episcopi nomine Synodi Sardicensis intellexerint non Synodum germanam Sardicensem, sed Pseudoconcilium illud, quod à Schismaticis Orientalibus, uti superiùs diximus, fuit celebratum, quod etiàm Sardicensis nomine appellatum fuisse scimus. Quid aliud suspicari possumus de Trullanis Episcopis ad Schismata pronis, quique in eodem canone 2. probarunt canonem illum Cypriani Carthaginensis, quo rebaptizantium disciplina adversùs Romanæ Ecclesiæ Doctrinam, jam diù generalitèr receptam, stabiliebatur? Præsertim verò id licet in controversiam deducere, quod Græci tempore Nicolai Papæ I., atque ità multò pòst Trullanum Concilium professi sunt, se Sardicensis Concilii canones non habere, quemadmodùm deducitur ex can. ult. dist. 16. Initio quidèm interfuerunt, subscripseruntque Concilio centum circitèr Episcopi, iique ut plurimùm Occidentales: Refert enim Athanasius in Epistola ad solitarios Episcopos, omnes, qui ad Concilium Sardicense convenerant, ex utroque Imperio fuisse circitèr 170., at 70. ex ipsis recessisse facto Schismate in Philippopolim certum est. Ipse autèm Athanasius, postquàm absolutionem in Concilio obtinuit, eamdem scripto circumtulit ad alios Episcopos quamplures, qui in Concilium non convenerant, sive Orientales, sive Occidentales, qui facilè etiàm subscripserunt, ac Sardicensi Concilio consenserunt. Hinc Athanasius idem scripsit in Apologia 2. Sardicensi Concilio subscripsisse 344. Episcopos; atque exindè colligitur, pòst celebratum Concilium hocce ducentos & suprà quadraginta Episcopos præter eos, qui convenerant, Synodo morem gessisse, illamque confirmasse. Ex istis autèm 344. Episcopis aliquos fuisse etiàm ex Orientalibus, vero admodùm simile est; propterèàque asserere jure possumus, Sardicensem Synodum ab aliquibus Orientalibus etiàm tùnc temporis fuisse receptam. Sic Joannes Antiochenus in sua Collectione canonum, sæculo 6. edita, Sardicensium canonum meminit. Generalitèr autèm receptum non fuisse crediderim, nisi recentiore tempore circà sæculum 10. aut 11., quum præsertim Græci in suos Codices Sardicenses canones communitèr retulerunt, Alexius Aristinus, Symeon Logotheta, Arsenius Monachus, aliique non pauci, qui tamèn ut plurimùm Sardicenses canones non juxtà temporis ordinem descripserunt, sed propè finem Codicis: fortè ut indicarent, Sardicenses eosdem canones non nisi posteriore tempore Græcis Codicibus accessisse.

Ex his facilè eruere quispiam potest, quid in ea disputatione sentiendum sit, nùm Sardicensis Synodus inter Œcumenicas sit recensenda. Convocationem Œcumenicam extitisse, nemo est qui neget; verùm, cum non statim apùd omnes recepta fuerit, ipso præsertim Concilii tempore plurimi ex Episcopis facto Schismate discessissent, non potuit apùd veteres Œcumenicæ nomine appellari. Hodiè tamèn ejusdem Concilii statuta, tanquàm generalis Ecclesiæ canones recipere unusquisque commodè poterit, cum universæ Ecclesiæ tandèm aliquandò consensus accesserit. Imò mihi admodùm placet quorumdam opinio, qui Synodum hanc Sardicensem vix à Nicæna distinguunt, aut eamdem tanquàm Nicænæ Appendicem appellant. Agebatur enim de rebus, quæ jam in Nicæno Concilio pertractatæ fuerant, aut quæ ex Nicæni Concilii definitionibus discutiendæ adhùc superfuerant. Atque hujus opinionis esse videntur Collectores canonum nonnulli, qui canones Sardi-

dicenses Nicænis immediatè subjecerunt, undè aliis suborta fuit occasio quandoquè laudandi Nicænos canones pro Sardicensibus; ex quo etiàm proficisci potuit, quod suo loco diximus, Nicænos canones ultrà viginti numeratos ab aliquibus fuisse. Probari id posset ex can. 3. Concilii Carthaginensis VI., & can. 101. Concilii Africani, itèm ex Epistola Synodica Concilii Constantinopolitani I. ad Damasum Papam, ubi nomine Nicæni Concilii refertur canon 5. ex Sardicensibus juxtà editionem Dionysii Exigui, & ex Concilio Africano, qui habetur in Codice ejusdem Dionysii, in quo nonnulli canones relati sunt in principio nomine Concilii Nicæni, qui potiùs sunt canones Sardicenses.

Constituta Sardicensis Concilii non tantùm ad fidem Catholicam confirmandam edita sunt, sed etiàm ad disciplinam Ecclesiasticam instituendam, quæ hodiè & græcè, & latinè scripta sunt. Ego hac in re fidendum potiùs arbitror Latinis, quàm Græcis exemplaribus; etenim Latina Græcis exemplaribus sunt vetustiora, cum sciamus Græcis fuisse incognitos ut plurimùm Sardicenses canones, arg. can. ult. dist. 16., apùd Latinos verò auctoritatem sempèr maximam habuisse. Inter Latinos autèm Scriptores eos sempèr anteferre juvabit, qui tempore præiverunt. Dionysius Exiguus in Præfatione suæ Collectionis ad Stephanum testatur, Codici suo se addere voluisse, nequid notitiæ subtraheret, statuta Sardicensis Concilii, simùl & Africani, quæ tamèn fatetur jam à Latinis edita fuisse, atque à Latinis exemplaribus se excerpsisse. Atque hæc necessariò prænotanda sunt, quia non omnes invicèm consonant horum canonum editiones, sive quòd numerus canonum juxtà diversitatem Codicum varius sit, alicubi enim 20. tantummodò, alicubi 21. exhibentur, sive etiàm quòd numerales notæ non in omnibus exemplaribus Concilii æquè subjectis canonibus respondeant; neque enim, arbitror, canones ab initio numeris fuisse distinctos, cum Dionysius Exiguus profiteatur in memorata Prefatione, se numerorum discrimina adscripsisse. Sed hæc omnia commodiùs, utiliùsque observabimus ad singulos Gratiani canones expendendos, qui ex Sardicensibus hisce deprompti videntur.

In primis autèm occurrit canon 10. dist. 61., qui juxtà Græca exemplaria est decimus numero inter Sardicenses, sed tum apùd Isidorum Mercatorem, cum apùd Dionysium Exiguum est numero decimus tertius. Porrò Gratiani editio consonare videtur & cum Isidoro, & cum Dionysio, uterque enim Latinam editionem veterem eamdem sequutus est. Plurimùm autèm intererit integrum hic describere canonem, cum nonnulla apùd Gratianum desiderentur. Ità Dionysius: *Osius Episcopus dixit: Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissimè tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratore* (Gratianus addiderat *Laicus*, quod sanè in vetustis Codicibus non habetur; quemadmodùm nec est in Græco exemplari, quod respondeat illis verbis, *aut ex administratore*) *Episcopus fuerit postulatus; ut non priùs ordinetur, nisi & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus, & ità per singulos gradus, si dignus fuerit, adscendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utiquè prolixum tempus, probari, quâ fide sit, quâve modestiâ, quâ gravitate, & verecundiâ. Et si dignus fuerit probatus, divino Sacerdotio illustretur: Quia conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temerè, & leviter ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus est; maximè cum & magister gentium beatus Apostolus, ne hoc fieret, denunciasse, & prohibuisse videatur; sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata. Universi dixerunt, placere sibi hæc.* Postrema hæc verba, *universi dixerunt, placere sibi hæc*, licèt apùd Labbeum legantur Dionysio Exiguo tributa, in Codice tamèn Justelli non leguntur. Ceterùm inveniuntur etiàm apùd Isidorum Mercatorem

Can. 10. dist. 61.

catorem : in Codicibus autem Græcis hæc habentur : *omnes dixerunt, ipsis placere, & omninò non oportere ea subvertere.* Sanè, ubi hæc clausula non adjiciatur, non potest ille dici canon Concilii Sardicensis, sed quædam propositio facta Concilio ab Osio Cordubensi, qui ibidem præfuisse dicitur. Si quis à me quæsiverit, cur in exemplaribus Græcis desint illa verba, *aut ex administratore*, seu his similia, facilè respondebo, me plurimùm suspicari de Photio, quod Græcos Codices, ut in aliis, ità & in hac parte corruperit; ut enim ipse ex administratore Ecclesiam Constantinopolitanam invaserat, è re sua esse duxit, si canones illos quoquomodò detorqueret, aut diverteret, quibus factum suum manifestè improbabatur. Integro autem canoni, ac definitioni edendæ occasionem dederunt Ariani quidam Episcopi, qui Athanasium damnatum è Sede Patriarchali dejecerant, atque in dejecti locum Gregorium quemdam Cappadocem laicum hominem, Neophytum, & recèns in Clero ordinatum suffecerant. Jure propterea tum statui debuerat, ne divites, scilicèt qui sæculi divitiis se se minimè abdicaverant, neve Scholastici de foro, id est, qui diserti essent in foro, eloquentes, atque eruditi causarum Patroni, statim ad Episcopale officium promoverentur.

Can. 9. dist. 65. Romani Correctores jam diù agnoverunt varias editiones, sive apùd Græcos, sive apùd Latinos canonis 9. dist. 65. Is est apùd Dionysium numero quintus inter Sardicenses; sed apùd Isidorum Mercatorem, quemadmodùm & in Græcis exemplaribus est numero sextus. Referam in primis Latinam editionem ceteris antiquiorem, quæ est Dionysii. *Osius Episcopus dixit : Si contigerit in una Provincia, in qua plurimi fuerint Episcopi, unum fortè remanere Episcopum; ille verò per negligentiam noluerit ordinare Episcopum, & populi convenerint; Episcopi vicinæ Provinciæ debent illum priùs convenire Episcopum, qui in ea Provincia moratur, & ostendere, quòd populi petant sibi Rectorem, & hoc justum esse, ut & ipsi veniant* (legunt alii: *ut & ipse veniat*), *& cum ipso ordinent Episcopum : quòd si conventus literis tacuerit, & dissimulaverit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicina Provincia Episcopi, & ordinent Episcopum.* Hæc eadem omninò leguntur apùd Isidorum Mercatorem, apùd quem tamèn uno eodemque contextu subsequitur canon, qui apùd Dionysium sextus est; pòst quem legitur adprobatio Synodi his verbis : *Synodus respondit : placet.* Ab editione hac & Dionysii, & Isidori recedendum non videtur, præsertim quòd adpareat, Isidorum non à Dionysio, sed ab aliis veteribus exemplaribus accepisse; etenim Isidorus habet numero 6., quod Dionysius habet 5. : item Isidorus sub numero 6. ea omnia refert, quæ Dionysius in duos distribuit canones numero 5. & 6.; quamobrèm facilè percipimus vulgata apùd veteres Concilii Sardicensis exemplaria in hoc unum consonasse, quemadmodùm habet in memoratis verbis editio Dionysii. Romani Correctores Græca etiàm exemplaria retulerunt, ac latinitate donarunt, ex quibus sanè diversa omninò canonis sententia dignoscitur. Quid vero? Nùm hac in re Græcis potiùs exemplaribus recentioribus, quàm Latinis vetustissimis fidem habebimus? Ego sanè eo adduci non possum, præsertim cum sciverim, qualis in recentioribus Codicibus habenda sit Græcis fides! Etsi enim Græcis exemplaribus, qualia à Romanis Correctoribus apùd Gratianum edita sunt, concordent Balsamonis, Zonaræ, Aristeni, & Harmenopuli interpretationes, nihil tamèn me magis movent, cum agatur de Interpretibus, qui pòst depravatos Græcos Codices scripsere. Ad hunc autem canonem respexisse videntur Episcopi Concilii Constantinopolitani I. Generalis in Epistola Synodica ad Damasum, aliosque Episcopos Romæ convocatos, ità scribentes : *De administratoribus singularum Ecclesiarum.., cum vetus, uti nostis, lex obtinuit, tum sanctorum Patrum in Concilio Nicæna decisio* (Nicæ-

num hic sanè dicitur pro Sardicensi, quemadmodùm jam superiùs observavimus); *ut videlicèt singularum Provinciarum Antistites, unà cum finitimis, modò ipsis ità visum fuerit, Episcopis, ad Ecclesiarum commodum habeant ordinationes. Ex cujus legis, & decisionis præscripto scitote, tum alias quoquè Ecclesias apùd nos administrari, tum illustrissimarum Ecclesiarum Sacerdotes delectos.* Quæ verba, quemadmodùm potiùs referri debent ad canonem Sardicensem, prout editus est in Latinis exemplaribus Isidori, & Dionysii, quàm prout editus est in exemplaribus Græcis, ità suadent, Latinis potiùs Dionysii, & Isidori, quàm Græcorum codicibus esse adhærendum.

Can. 1. dist. 71. In canone 1. dist. 71. descripti sunt duo canones Sardicenses, videlicèt 18. & 19. juxtà editiones Latinas. Gratianus ut plurimùm videtur verba descripsisse ab Isidoro Mercatore, aliqua tamèn etiàm retulit ex Dionysio Exiguo. Utriusque exemplar ego proferam. Ità Dionysius habet in canone 18. *Januarius Episcopus dixit: Illud quoquè statuat sanctitas vestra, ut nulli Episcopo liceat alterius Episcopi civitatis ministrum Ecclesiasticum sollicitare, & in suis Parochiis ordinare. Universi dixerunt: Placet; quia ex his contentionibus solet nasci discordia: & ideò prohibet omnium sententia, ne quis hoc facere audeat.* Paulò alitèr Isidorus, ibi: *Januarius Episcopus dixit: Illud quoquè sanctitas vestra statuat, ut nulli Episcopo liceat alterius civitatis hominem Ecclesiasticum sollicitare, & in sua Diœcesi ordinare Clericum; quia ex his contentionibus nasci solent discordiæ: & ideò prohibeat omnium sententia, nequis hoc facere audeat.* Sequitur deindè canon 19., in quo referendo tum Dionysius, cum Isidorus omninò concordant hisce verbis: *Osius Episcopus dixit: Et hoc universi constituimus, ut quicumque ex alia Parochia voluerit alienum ministrum sine consensu Episcopi ipsius, & sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio ejus. Quicumque autèm hoc usurpaverit, à fratribus, Coepiscopis nostris & admoneri debet, & corrigi.* In Græcis exemplaribus nihil habetur, quod memorato canoni 18. respondeat; sed tantùm quod consonet cum canone 19. his verbis: *Osius Episcopus dixit: Hoc quoquè omnes definiamus, ut siquis Episcopus ex alia Parochia velit alienum ministrum sine consensu proprii Episcopi in aliquo gradu constituere, irrita, & infirma ejusmodi Constitutio existimetur. Siqui autèm hoc sibi ipsis permiserint, à fratribus, & Coepiscopis & admoneri, & corrigi debent. Omnes dixerunt: Hoc quoquè Decretum stet firmum, & immobile.* Hæc habentur apùd Græcos in canone 15.; non enim, uti diximus, idem est ordo canonum in Græcis, qui in Latinis exemplaribus. Ideò autèm fortè desideratur apùd Græcos memoratus canon 18. ex Latinis, quia nihil aliud continet ille, quàm postulationem Januarii Episcopi, cui annuerunt Patres Concilii in sequentibus, sive in dicto canone 19.; Quamobrèm satis fuit Græcis ejusdem tantummodò 19. canonis verba in suum codicem referre.

Simùl jungenda sunt duo illa Gratiani fragmenta, quorum alterum habetur in can. 7. caus. 6. quæst. 4., alterum est in can. 36. caus. 2. quæst. 6., utrumque ad Concilium Sardicense pertinet, eamdemque sententiam continere videtur. Exhibebo in primis varietatem codicum, deindè nonnulla ad eorumdem interpretationem attingam. Canon 7. caus. 6. quæst. 4. apùd Dionysium Exiguum pars est canonis 3., ubi postquàm Osii nomine propositum fuisset, causas Episcoporum esse ab Episcopis Provinciæ judicandas, non verò ab Episcopis, qui in alia Provincia sunt constituti, hæc verba sequuntur: *Quòd si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterùm Concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo; & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autèm probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt; quæ decreverint, confirmata erunt. Si omnibus hoc placet? Synodus respondit: Placet.*

Can. 36. caus. 2. q. 6. & Can. 7. caus. 6. q. 4.

Isi-

Isidorus Mercator hanc eamdem sententiam retulit in canonem 4. Sardicensem, & quidèm eisdem omninò verbis, quæ apùd Gratianum leguntur. In Græcis exemplaribus eàdem ratione hæc describuntur, quemadmodùm apùd Dionysium Exiguum, videlicèt in canone 3. Sardicensi, postquàm definitum fuerit ex alia Provincia Episcopos causæ cognitores non esse advocandos in controversiis Episcoporum, his verbis: *Siquis autèm Episcoporum in aliquo negotio condemnari visus fuerit, & existimet, se non malam, sed bonam causam habere, ut etiàm rursùs judicium renovetur; si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, & de iis, qui judicaverunt, scribatur Julio Romanorum Episcopo, ut per propinquos Provinciæ Episcopos, si opus sit, judicium renovetur, & Cognitores ipse præbeat. Si autèm probare non potest causam ejus esse talem, ut eam rursùs judicari opus sit; quæ semèl sunt judicata, non infirmentur; quæ autèm sunt, firma habeantur.* Canon 36. caus. 2. quæst. 6. habetur in canone 7. Sardicensi apùd Dionysium, & Isidorum, in canone verò 5. in Græcis exemplaribus. Singulorum editiones hoc loco sunt describendæ. Ità Dionysius: *Osius Episcopus dixit: Placuit autèm, ut, si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint; si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri; si justum putaverit, ut renovetur judicium* (alia Dionysii editio habet: *ut renovetur examen*) *vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxtà fidem veritatis definiant. Quòd si is, qui rogat causam suam iterùm audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicaverit.* Paulò alitèr Isidorus his verbis: *Osius Episcopus dixit: Et hoc placuit, ut, si Episcopus accusatus fuerit, & omnes judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint; si appellaverit qui dejectus videtur, & confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & voluerit se audiri; si justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur Romanus Episcopus, qui in finitima, & propinqua altera Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxtà fidem veritatis definiant. Quòd si is, qui rogat causam suam iterùm audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyteros mittat; erit in potestate ipsius quid velit, & quid æstimet. Si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, ut habeant etiam auctoritatem personæ illius, à quo destinati sunt, erit in ejus arbitrio. Si verò crediderit sufficere Episcopos Comprovinciales, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit.* Græcis autèm exemplaribus hæc potiùs consonant ex interpretatione Herveti: *Osius Episcopus dixit: Placuit, ut, siquis Episcopus delatus fuerit, & congregati ejusdem regionis Episcopi eum gradu moverint; &, veluti appellans, confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & velit ipsum audire, & justum esse existimaverit ejus rei examinationem renovari, Coepiscopis scribere dignetur, qui sunt propinqui Provinciæ, ut ipsi diligenter, & accuratè singula perscrutentur, & ex veritatis fide de re sententiam ferant. Siquis autèm postulet, suum negotium rursùs audiri, & ad suam supplicationem Romanum Episcopum judicare visum fuerit, ut à proprio latere Presbyteros mittat, & sit in potestate illius, quodcumque rectè habere probaverit: & si decreverit, oportere eos mitti, qui cum Episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus, à quo missi sunt; & hoc ponendum est. Si autèm sufficere putaverit ad rei cognitionem, & Episcopi sententiam, faciet quod prudentissimo ejus consilio rectè habere videbitur. Responderunt Episcopi: Quæ dicta sunt, placuerunt.* Si quis à me postulaverit, quibusnam potiùs exemplaribus fidendum in hac parte sit, planè me omninò ignorare profiteor; cum de

de singulorum fide fas sit hac in re potissimùm dubitare. De Græcis exemplaribus non est, cur addam quidpiam; Ut enim recentia tempore sunt, atque ex Latinis vetustis Dionysii, & Isidori deprompta, nullam aliam, imò etiàm fortè minorem auctoritatem habent, quàm habeant codices Dionysii, atque Isidori. De Isidori Codice quid verba faciam? est ille solemnis, celebratusque canonum depravator, ubi præsertim ad rem, quam sibi nitio proposuerat, pertinere quodammodò possent. Superesset Codex Dionysii Exigui; sed quoniàm, uti in præfatione universi operis præmonui, fortè Dionysius fuit ex Monachis illis Scytis, qui, à sua Provincia peregrè profectus pòst schisma in Oriente concitatum, Romano Pontifici gravis, & maximè importunus extiterat, vereor valdè, ne quid in referendo canone hujusmodi spontè adtulerit, quo causæ suæ quoquo modo faveret.

Qualiscumque verò recipiatur editio, nemo non videt, huic canoni occasionem dedisse Athanasium Alexandrinum Patriarcham. Damnatus ille fuerat à Synodo Arianorum, apùd Græcos celebrata, imò & ab Episcopali sede depositus. Romam ipse ad Pontificem Maximum confugit, ut novi celebrationem Concilii impetraret, quemadmodùm deindè obtinuit, postquàm de adversariorum suorum odio, odiique causis Pontificem eumdem reddidit certiorem. Atque in hac eadem causa cum Athanasio nonnulli alii extiterant & ipsi ab Arianis damnati Episcopi in Conciliis, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyræ, Asclepas Gazæus, Lucius Hadrianopolitanus, & alii. In hac perturbatione rerum, dum integras Provincias Ariani, & ad schismata proni Episcopi administrarent, quid convenientius, atque Ecclesiæ utilius definiri poterat, quàm apùd Pontificem Maximum Episcoporum omnium Principem curari, ut judicia etiàm per accessionem Episcoporum in Provincia finitima degentium retractarentur, etiàm misso à latere Pontificis legato, qui ejusdem nomine, atque auctoritate singula moderaretur? Atque ipsum Julii Papæ nomen, quod specialitèr designatur in dicto can. 7. caus. 6. quæst. 4., manifestè indicat de illis Episcopis ibidèm actum fuisse, qui ad Julium ipsum confugerant jam, vel propè erant, ut confugerent, causâ retractandi judicii hæreticorum pravitate facti adversùs eos, qui pro Nicæna fide alacritèr, strenuèque pugnaverant.

Canon 4. caus. 11. quæst. 3. idem est cum canone 17. Sardicensi apùd Isidorum Mercatorem, quem videtur sequutus fuisse Gratianus; attamèn priora canonis verba hæc Gratiano adjici debent: *Osius Episcopus dixit: Quod me adhùc movet, reticere non debeo: Si Episcopus quis &c.*, & in posterioribus Gratiani verbis ità ex Isidoro legendum erit: *Nullus alius debet præsumere, ut recipiat, & communioni societ.* Dionysius Exiguus eadem ferè verba descripsit, quemadmodùm & Isidorus, & Gratianus: imò posteriora Dionysii verba magis cum Gratiano consonant, cum Dionysius habeat: *Nullus alius debet præsumere, ut eum communione societ.* In Græcis exemplaribus idem canon est numero decimusquartus, cujus verba & græcè, & latinè jam retulerunt Correctores Romani. In fragmentis Concilii Sardicensis, editis abs Justello in vetere Latina Collectione tomo 1. pag. mihi 287. hic canon est numero decimus sextus, & non cum Græcis exemplaribus consonans, sed potiùs cum Dionysio, & Isidoro. Porrò magnum discrimen intercedit inter Græcam, atque Latinam editionem: In Latina editione appellatio facienda decernitur ad Episcopos finitimos; at in Græcis exemplaribus ad Metropolitanum interponi debere. Undè hæc diversitas profecta fuerit, facilè ego conjicere possum; videlicèt ex iis, quæ ad eumdem canonem scripsit Aristenus Græcus interpres in notis ad Synodum Carthaginensem, quam Græci in suum Codicem receperant; cum enim ibi refer-

Can. 4. caus. 11. q. 3.

ferretur Sardicensis hic canon, Aristenus idem ità canonem ipsum paucis perstrinxit: *Presbyter, & Diaconus segregatus libertatem habet ad vicinos appellandi. Quin etiàm, qui segregavit, æquo animo ferre debet, quod confirmatum fuerit.* Subdit autèm: *Hic canon confusioni, & scandalis occasionem præbet. Nàm Clericum à suo Episcopo depositum ad Provinciæ istius Metropolitanum confugere, & appellare justum est, & canonicum; Metropolitano autèm absente, depositum vicinos adire Episcopos, eosque Episcopi ipsis non subjecti examinatores constituere à ratione alienum est, & tumultus causâ. Idcircò itaquè non universalis habendus est hic canon, & in aliis valens Diœcesibus, sed ut particularis in Carthagine, & Africa.* Itaquè Græci agnoverunt, Latinum canonem Sardicensem suis regionibus minimè convenire, ideòque eumdem detorquere non dubitarunt; quodque ibidèm definitimis Episcopis dicebatur, de Metropolitano juxtà disciplinam suæ Ecclesiæ intellexerunt.

Carthaginense Concilium, quod nupèr memoravi, illud ipsum est, quod Dionysius Exiguus edidit in fine primæ partis sui Codicis. Ex eo autèm non nihil deduci potest, quod pertinet tum ad hunc Sardicensem canonem, de quo in can. 4. caus. 11. quæst. 3., tum ad alterum Sardicensem, de quo in can. 36. caus. 2. quæst. 6., uterque ex hisce canonibus propositi sunt in hoc Concilio Africano, non quidèm nomine Concilii Sardicensis, sed potiùs nomine Concilii Nicæni, quemadmodùm de pluribus aliis factum esse jam superiùs observavimus. Verba, quæ in actis ejusdem Concilii Carthaginensis describuntur, sunt hæc: *Ità enim dixerunt fratres in Nicæno Concilio, cum de Episcoporum appellatione decernerent: Placuit autèm, ut, si Episcopus accusatus fuerit &c.* Sequitur hic memoratus canon 36. caus. 2. quæst. 6. Pòst hæc verò Alypius Episcopus Tagastensis legatus Provinciæ Numidiæ asseruit quidèm, se recipere quidquid in Nicæno Concilio pridèm fuerat constitutum; at verò se hunc canonem non invenire inter statuta Nicæni Concilii, ideòque satius esse Constantinopolim legatos dirigere, ut fidem faciant de hoc canone, inter Nicænos nùm habeatur, an minùs; intereà verò paulispèr eam disciplinam esse servandam, donèc integra exemplaria habeantur Nicænæ Synodi. Rursùs inferiùs protulerunt quidam Episcopi Africani alterum canonem Sardicensem, qui idem est cum can. 4. caus. 11. quæst. 3.: sed cum recitaretur, refert Dionysius: *Augustinus Episcopus Ecclesiæ Hipponensis Provinciæ Numidiæ dixit: Et hoc nos servaturos profitemur, salvâ diligentiore inquisitione Concilii Nicæni. Aurelius Episcopus dixit: Si hoc etiàm omne vestræ charitati placet, responsione firmate. Universum Concilium dixit: Omnia, quæ in Nicæno Concilio statuta sunt, nobis omnibus placent &c.* Ex quibus apertè liquet, duos hosce canones non alitèr in Africana Ecclesia fuisse receptos, quàm ubi crediderunt, & quatenùs existimarunt, à Nicæno Concilio constitutos fuisse; proindèque plurimùm dubitare nos posse, utrùm recepti iidem fuerint ab Ecclesia Africana, cum agnovit eos in Sardicensi potiùs Concilio fuisse conditos, non in Nicæno.

Canon 28. caus. 23. quæst. 8. idem est cum canone 8. Concilii Sardicensis apùd Dionysium Exiguum, & Isidorum Mercatorem, seu canone 7. in Græcis exemplaribus. Gratianus non integrum canonem retulit, propterèa è re erit hoc loco describere, qualis apùd Dionysium habetur, à quo sanè vix, aut ne vix quidèm alii Collectores discrepant. Ità Dionysius: *Osius Episcopus dixit: Importunitates & nimia frequentia, & injustæ petitiones fecerunt, nos non tantam habere vel gratiam, vel fiduciam, dum quidam non cessant ad comitatum ire Episcopi, & maximè Afri, qui, sicut cognovimus, sanctissimi Fratris, & Coepiscopi nostri salutaria consilia spernunt, atque contemnunt; ut non solùm ad comitatum multas, & diversas Ecclesiæ non profuturas perferant causas, neque ut fieri solet, aut oportet, ut pauperibus, aut viduis, aut pupillis subveniatur; sed & dignitates sæculares, & administrationes quibusdam pos-*

Can. 28. caus. 25. q. 8.

postulent. Hæc itaquè pravitas olim non solùm murmurationes, sed & scandala excitat. Honestum est autèm, ut Episcopi intercessionem his præstent, qui iniquâ vi opprimuntur, aut, si vidua affligatur, aut pupillus expolietur; si tamèn isthæc nomina justam habeant causam, aut petitionem. Si vobis ergò, fratres charissimi, placet, decernite, ne Episcopi ad comitatum accedant; nisi fortè hi, qui religiosi Imperatoris literis vel invitati, vel vocati fuerint. Sed quoniàm sæpè contingit, ut ad misericordiam Ecclesiæ confugiant, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio, vel insulis damnantur, aut certè quamcumque sententiam suscipiunt, subveniendùm est his, & sine dubitatione petenda indulgentia. Hoc ergò decernite, si vobis placet. Universi dixerunt: Placet, & constituatur. Sic Sardicensi canone ad integritatem suam redacto, adparet duo potissimùm à sanctis Patribus saluberrimè constituta fuisse. Primum est, ne Episcopi Imperatorum auribus molestiam inferrent, præsertim ea postulantes, in quibus nullum Ecclesiasticum negotium contineretur, aut quæ fortè minùs æqua viderentur. Cum enim sæpissimè, ut fertur, similia Episcopi peterent, verendum facilè erat, ne ipsi apùd Imperatores ità contemnendi essent, ut, etiàm si necessitas Ecclesiarum postularet, quidpiam ab eisdem Imperatoribus non forent impetraturi. Alterum est, ut Episcoporum sollicitudini commissum sit fidelibus oppressis, præsertim inopibus, succurrere, pro ipsis intercedendo apùd Imperatores, illorumque causam, dummodò justa fuisset, producendo. Prætereà, siqui fuissent, ob delicta publica condemnati, vel exilio, vel deportatione, & ad Ecclesiam confugissent, munus erat Episcoporum veniam pro ipsis petere à Principe, eo sanè consilio, ut peccata admissa Rei ipsi emendarent, acceptâ publicâ pœnitentiâ in Ecclesia, per quam Reipublicæ per crimen Rei læsæ æquè satisfieri, ac per deportationem, aut exilium videbatur. Bellè facit ad hanc rem, quod Gregorius II. epistola 2. ad Leonem Imperatorem scribebat his verbis: *Vides Imperator Pontificum & Imperatorum discrimen? Si quispiam te offenderit, domum ejus publicas, & spolias, solam illi vitam relinquens, tandèmque illum etiàm vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longè à liberis, & ab omnibus cognatis, & amicis suis amandas. Pontifices non ita; sed, ubi peccavit quis, & confessus fuerit, suspendii, vel amputationis capitis loco Evangelium, & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tamquàm in carcerem in secretaria, sacrorumque vasorum æraria conjiciunt in Ecclesiæ Diaconia, & in Cathecumata ablegant, ac visceribus ejus jejunium, oculisque vigilias, & laudationem ori ejus indicunt.* Et sanctus Augustinus in epist. 159. *Vocatur quidèm & ista damnatio*, (ubi scilicèt publici peccatores pœnitentiis Ecclesiasticis affliguntur), *sed quis non intelligat magis beneficium, quàm supplicium, nuncupandum, ubi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina subtrahitur?*

CAPUT XI.

De Concilio Laodiceno.

Concilii Laodiceni Canones, à Gratiano relati.

Can. 5. dist. 18. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 26. dist. 23. ad melioris notæ exemplaria exigendus.
Can. 27. dist. 23. ad meliorum codicum fidem exigendus.
Can 28. dist. 23. consonat cum optimis exemplaribus.
Can. 4. dist. 24. idem est cum can. 6. dist. 61. ex interpretatione Dionysii.

Can.

Can. 19. *dist.* 32. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 3. *dist.* 42. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 4. *dist.* 42. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 2. *dist.* 44. *varius in diversis exemplaribus.*
Can. 10. *dist.* 44. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 9. *dist.* 46. *ex aliis veterum Codicibus explicandus.*
Can. 6. *dist.* 61. *idem est cum can.* 4. *dist.* 24. *ex interpretatione Mercatoris.*
Can. 6. *dist.* 63. *plurimùm consonat cum interpretatione Dionysii.*
Can. 2. *dist.* 69. *ex optimis Codicibus supplendus.*
Can. 5. *dist.* 80. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 28. *dist.* 81. *ex interpretatione Isidori Mercatoris.*
Can. 15. *dist.* 93. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 16. *dist.* 93. *ad Codices melioris notæ exigendus.*
Can. 8. *dist.* 95. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
Can. 66. *caus.* 1. *q.* 1. *parùm, aut nihil proposito Gratiani conveniens.*
Can. 4. *caus.* 26. *q.* 5. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 4. *caus.* 26. *q.* 7. *consonat cum omnibus fermè exemplaribus.*
Can. 8. *caus.* 33. *q.* 4. *consonat cum omnibus fermè exemplaribus.*
Can. 8. *de cons. dist.* 3. *varius in diversis exemplaribus.*
Can. 58. *de cons. dist.* 4. *vix in diversis exemplaribus varius.*
Can. 36. *de cons. dist.* 5. *ad melioris notæ Codices exigendus.*
Can. 37. *de cons. dist.* 5. *veterum omnium interpretationi consonus.*

NON eadem omnium fuit veterum Conciliorum ratio. Scimus, Provincialia Concilia apùd antiquos bis singulis annis celebrari consuevisse; & tamèn pauca ex illis ad nos usquè pervenerunt. Quid aliud exindè conjicere debemus, quàm ut plurimùm in eisdem de privatis quorumdam hominum causis pertractatum fuisse, quarum acta parùm intererat relinquere posteritati, vel si qua generatim constituta sunt, non fuisse in omnibus, undè utilitas in posteritatem redundaret. Concilium tamèn Laodicenum ex illis est, quorum auctoritas maximi sempèr in Ecclesia habita fuit, sive quòd vetustissimam, optimamque sacrorum disciplinam tradere videatur, sive quòd apùd Collectores omnes canonum etiàm antiquissimos maximè probatum fuerit, ac commendatum. Celebratum illud fertur in Laodicea Civitate Phrygiæ Pacatianæ, non, ut alii adserunt, in Laodicea Syriæ Civitate, quemadmodùm manifestè expressum est in principio ejusdem Synodi, sive in exemplaribus Græcis, qualia interpretatus est Hervetus, aliique, sive apùd Isidorum Mercatorem. Quamobrèm deceptus omninò fuisse vulgò creditur Gratianus, qui in can. 11. dist. 16. auctorem canonum Concilii Laodiceni præcipuè fuisse narrat Episcopum Theodosium. Fortè enim existimavit, Concilium habitum fuisse in Laodicea Syriæ, cujus Episcopus fuit Theodosius, vel, ut alii legunt, Theodorus, quemadmodùm refert Eusebius lib. 7. cap. ult. At Metropolitanus Laodiceæ Phrygiæ erat tùm Nunechius quidam, qui Synodo eidem præfuisse dicitur. Duos suprà triginta Episcopos Concilio interfuisse Gratianus idem refert in dicto can. 11. Nihil est, cur contradicam. At, si Gratianum eumdem quis sequi vellet in numerandis Concilii Canonibus, usquè ad sexaginta, & unum, nescio sanè, utrùm talibus inniteretur, argumentis, quæ certa prorsùs essent, ac fide digna. Dionysius enim Exiguus Collector vetustissimus, Græcorumque exemplarium apprimè peritus, tantùm 59. memorat, quorum postremus hic est: *Quòd non opporteat plebejos Psalmos in Ecclesia cantare, nec libros præter canonem legi:*

gi : sed sola sacra volumina Novi Testamenti, vel Veteris. Isidorus Mercator addidit sexagesimum canonem, in quo peculiaritèr expressit, quales habendi essent libri Ecclesiastici Sacræ Scripturæ, sive quæ legi deberent in Ecclesia, cum ex Novo, tum ex Vetere Testamento. Cum Isidoro Mercatore consonant omninò Græca exemplaria, in quibus canon idem sexagesimus est postremus inter Laodicenos. Fortè autèm Gratianus talem Codicem præ manibus habuit, in quo postremus canon Laodicenus erat divisus in duos, in primo quorum libri Veteris Testamenti, in altero libri Novi Testamenti recensebantur. Reverà apùd Alexium Aristenum Græcum Interpretem idem canon est distributus in duos, ità, ut in primo Veteris Testamenti Codices ille enumeret, in altero Codices Novi Testamenti.

Longè autèm difficilius esset de tempore hujus Concilii disputare; ejus enim incerta omninò ætas est apùd eruditissimos viros, quorum alii antè Concilium Nicænum celebratum dicunt, & anno circitèr 314.; alii verò non solùm pòst Concilium Nicænum, sed & pòst Antiochenum, vel anno circitèr 360., vel 364. sub Liberio, vel anno 367. sub Damaso. Qui Concilium Laodicenum antè Nicænum celebratum fuisse ferunt, his argumentis utuntur: primò, quod in Concilio Laodiceno canone 50. recenseantur omnes sacri libri Veteris Testamenti, quin tamèn ulla fiat mentio Libri Judith, qui tamèn, teste S. Hieronymo in Epist. 3. jam receptus fuerat, ac probatus in Nicæno Concilio. Quomodò fieri potuit, ajunt alii, ut quod in Nicæno Concilio admissum fuerat, non probaretur in Laodiceno, si Laodicenum esset Concilio Nicæno posterius? Secundò ajunt, multa esse in Laodiceno Concilio definita, quæ jam constituta fuerant in Nicæno, quin tamèn Laodiceni Patres memorent, illa eadem à Nicænis jam Patribus fuisse decreta. Qui è contrario sentiunt, Laodicenum Concilium pòst Nicænum, & Antiochenum celebratum fuisse, ità argumentantur. Omnes Collectores canonum etiàm vetustissimi consueverunt describere canones Laodicenos pòst Antiochenos, quod sanè argumento est, posteriùs fuisse conditos, attento præsertim more Collectorum veterum, qui juxtà temporum ordinem canones collocare ut plurimùm solebant. His accedit ratio luculentissima; etenim in canonibus Laodicenis fit mentio de Hæreticis Photinianis, quorum nomen, & hæresis cognita esse tantummodò potuit pòst Concilium Nicænum. Quòd si prioris sententiæ Patroni responderint Photinianorum nomen in recentiores Codices irrepsisse, quemadmodùm nonnullis asserere placuit, falsitatis argui facilè poterunt, quòd demonstretur nomen Photinianorum apùd Dionysium Exiguum canone 7., necnon in exemplaribus Græcis, quibus sanè maxima fides debetur.

Ego verò, ubi veteres Historici, aut Collectores altum silentium servant, ubi propterea conjecturis dandus est locus, candidè fateor, me in posteriorum potiùs sententiam trahi, ut existimem pòst Concilium Nicænum, atque Antiochenum hujusmodi Synodum Laodicenam fuisse celebratam. Nec enim ullum negotium facessit, quod contrà adferri solet aut ex Libro Judith, aut ex Nicænis Constitutionibus. Quod enim in primis dici solet, in canone 50. Laodiceno recenseri libros omnes Veteris Testamenti ab Ecclesia receptos, nullam tamèn fieri mentionem libri Judith, licèt fuerit in Nicæno Concilio probatus, parùm probat, vel quia is canon quinquagesimus non in omnibus, ut prænotavi, Concilii exemplaribus habetur; vel quia in Concilio Nicæno, Hieronymo eodem teste, Liber Judith, tamquàm honore dignus habitus quidèm est, nondùm tamèn fuit inter canonicos, & verè sacros adnumeratus, quod fortè præstare indè voluerunt in sua Provincia Laodiceni Patres, vel demùm quia in Concilio Laodiceno mens Patrum erat definire

non

non canonicos libros, sed eos tantùm, qui legendi in Ecclesia essent ad populi fidelis institutionem, quemadmodùm constat omnibus, quicumque canonem ipsum legerint. At verò longè diversa sunt hæc duo, videlicèt indicare libros canonicos, & libros, qui in Ecclesia leguntur; Possunt enim esse quidam ex canonicis libris, quos publicè legere in Ecclesia non expediat ob infirmitatem quorumdam, qui illos non satis intelligentiâ suâ assequuntur, vel fortè etiàm in aliam omninò sententiam detorquent. Sunt in illis singularia nonnulla, quæ ad exemplum facilè trahi non possunt, quemadmodùm in proposita specie in Libro Judith multa laudantur ideò, quia ex speciali divina illustratione profecta sunt, quæque generalitèr omnibus non liceret. Deindè verò, quod dicitur multa Laodiceni Concilii capita eamdem continere sententiam, quæ continetur in Nicænis, quin tamèn mentio non fiat de Nicæno Concilio, levissimum omninò argumentum est, neque enim video opus eo fuisse Laodicenis Patribus, ut constitutionibus suis auctoritatem conciliarent, præsertim verò id necessarium non erat, quòd tùnc temporis notissimi essent apùd Græcos Nicæni canones, quos pro re proposita nominatim adferre pro supervacaneo haberi posset. Quòd si adhùc aliqua sit hujus argumenti vis, hujusmodi etiàm erit ad probandum Nicænum Concilium non esse Laodiceno posterius; etenim, si in Nicæno Concilio plurima sunt constituta, quæ anteà jam edita fuissent in Laodiceno, cur Nicæni Patres non professi sunt se confirmare, quæ jam fuerant à Laodicenis Episcopis decreta? Porrò, qualiscumque obtineat apùd eruditos opinio, illud sempèr certissimum erit, Laodicenum Concilium, ejusque canones maximè venerabiles esse, vel propter vetustatem disciplinæ, quam continent optimam, vel quòd in Codicibus canonum etiàm antiquissimis inserti fuerint, & vulgò recepti.

Apùd Gratianum primus refertur canon 40. Concilii hujus in can. 5. dist. 18. juxtà interpretationem Isidori Mercatoris, juxtà quam tamèn jam alii animadverterunt in aliquibus exemplaribus, pro verbo *adire* legi *abire*; & in posterioribus ità habent vulgata Mercatoris exemplaria: *Quod si contempserit, se ipsum videbitur accusasse, nisi fortè per infirmitatem ire non possit.* Interpretationem adferam Dionysii Exigui, ità scribentis: *Quòd non oporteat Episcopos ad Synodum vocatos omninò contemnere, sed protinùs ire, & docere, vel discere ea, quæ ad correctionem Ecclesiæ, vel reliquarum pertinent rerum. Se ipsum verò, qui contempserit, accusabit; nisi fortè per ægritudinem ire non possit.* Qui recèns Græcos Codices latinitate donarunt, his verbis canonem explicaverunt. *Quòd non oportet Episcopos ad Synodum vocatos negligere, sed abire, & docere, vel doceri, ad correctionem Ecclesiæ, & reliquorum. Si quis autèm neglexerit, is seipsum accusabit, præterquàm si propter intemperiem, & ægritudinem non veniat.* Can. 5. dist. 18.

Mercatoris etiàm interpretationem sequutus est Gratianus in can. 26. dist. 23., qui idem est cum can. 21. Laodiceno; attamèn pro illis verbis: *In Sacrarium, sive Secretarium*, scripserat Isidorus hæc tantùm: *In Secretarium.* Ego puto, Gratianum, aut quemvis alium, incidisse in breviatos characteres cujusdam Codicis, in quo ità scriptum esset: *In Sacrarium*, lineolâ suprâ vocem adpositâ, undè quispiam ad marginem adscripserit, *sive Secretarium*; quæ verba Gratianus idem, aut quivis alius in textum transtulerit. Dionysius Exiguus ità canonem edidit. *Quòd non oportet, subdiaconos habere locum in Diaconico, & Dominica vasa contingere*; atque his cum verbis consonant omninò exemplaria græca etiàm juxtà hodiernas editiones. Illud intereà animadvertendum est, *Diaconicum* fuisse locum, in quo sacra Dominica parabantur, & vasa præsertim sacrificio destinata servabantur, quod ad curam Diaconorum, & sollicitudinem pertinebat. Can. 36. dist. 23.

Prosequitur Gratianus in can. 27.

Can. 27. dist. 23. dist. 23., & refert canonem 22. Laodicenum, corruptum tamèn ; sive enim ad Græcos Codices confugimus, sive ad Dionysium Exiguum, sive ad Isidorum, omnes ità exhibent: *Quòd non oporteat Subdiaconum* (legunt alii : *Ministrum*) *uti orario, nec ostia derelinquere.* Gratiani Codices vulgati habent: *Nec hostias derelinquere* ; quæ verba Romani Correctores emendare se nolle ob hanc causam professi sunt, ut glossemata Interpretum adjecta Codicibus retinerent. Glossographi autèm vulgò interpretati sunt, ut Subdiaconi sumere debeant hostias simùl cum aliis ministris. Sed hæc parùm apta sunt. Balsamon & Zonaras ajunt, antiquissimam disciplinam fuisse, ut Subdiaconi Ecclesiarum fores tenerent, & Cathecumenos, eosque, qui pœnitentiæ subditi erant, cum opus esset, introducerent, aut educerent. Quod hic dicitur, Subdiaconos deferre orarium non debere, idipsum statuitur ratione inferiorum Clericorum in canone sequenti 23. Laodiceno, qui est idem cum can. 28.

Can. 28. dist. 23. dist. 23., cujus verba apùd Dionysium hæc sunt : *Quòd non oporteat Lectores, aut Cantores orariis uti, & ità legere, vel psallere.* Orarii nomen alii à Græcis, alii à Latinis primò derivatum asserunt. Qui à Græcis derivant, ità dictum asserunt à verbo ὁράω, quod significat observare; qui verò Latinum vocabulum dicunt, vel ab hora, seu tempore, vel ab ore, seu vultu ità nuncupatum asserunt. Porrò orarium linteum quoddam oblongum, erat quadrangulare, quo utebantur sacri administri in sacrorum celebratione, vel ut os suum pro necessitate tergerent, undè & Sudarium apùd aliquos appellatum est, vel ut inferioribus Clericis, & Ministris signum darent, quandonàm fieri deberent petitiones Cathecumenorum, aliorumque, vel in Ecclesia, vel in Ecclesiæ foribus existentium. Erat illud ornamentum Episcoporum, quemadmodùm deducitur ex can. 39. Concilii Toletani IV. itèm fuisse Presbyterorum insigne docemur ex Concilio Braccarensi III. can. 4. Diaconos quoquè orarium gestare debere, cautum scimus in memorato canone 39. Concilii Toletina IV. quod apùd ipsos Judæos etiàm in usu erat; nàm primus Minister Summi Pontificis, qui apùd ipsos dicebatur *Segen*, Sudarium quoddam manu tenebat, cujus agitatione signum daret Levitis, ut canerent.

Canon 4. dist. 24. idem est cum canone 12. Laodiceno juxtà interpretationem Dionysii Exigui, apùd quem tamèn pro voce illa, *dignitatem*, legitur: *potestatem.* Gratianus eumdem canonem rursùs descripsit in can. 6. dist. 61. sed ex interpretatione Isidori Mercatoris, apùd quem tamèn priora verba hæc sunt: *Episcopos non oportet &c.* Sententia apùd omnes eadem est ; nàm, qui Græca exemplaria consuluerunt, ità descripserunt canonem : *Quòd Episcopi Metropolitanorum, & finitimorum Episcoporum judicio in Ecclesiastico Magistratu constituendi, diu probati & in ratione fidei, & in recti verbi dispensatione.* Can. 4. dist. 24. & can. 6. dist. 61.

Canon 19. dist. 32. idem est cum canone 11. ex Laodicenis juxtà interpretationem Isidori. Quâ tamèn in re observandum est, Isidorum non scripsisse *matricuriæ*, quemadmodùm legitur apùd Gratianum, sed potiùs *matriculariæ*, vel uti aliis placet, *matricolariæ.* Ferrandus Diaconus in sua breviatione canonum ità perstrinxit canonem Laodicenum in can. 221. *Ut mulieres, quæ apùd Græcos Presbyteræ appellantur, apùd nos autem viduæ, seniores, & matriculæ, in Ecclesia tamquàm ordinatas constitui non liceat.* Ex hac sanè Ferrandi editione videtur Isidorus Mercator canonem exarasse. Verùm apùd Dionysium Exiguum, cum quo etiàm Græca exemplaria congruere videntur, ità legitur : *Quod non oporteat eas, quæ dicuntur Presbyteræ, vel Præsidentes, in Ecclesiis ordinari.* Huic canoni occasionem dare potuerunt mulieres quædam, quæ ad instar Presbyterorum in Presbyteras se ordinari curabant ad exemplum earum, quæ Diaconissæ ad instar Diaconorum ordinabantur. Non erat eadem ratio Presbyterarum, quæ Can. 19. dit. 32.

Dia-

Diaconissarum esse poterat; etenim Diaconissarum officium maximè erat utile, atque opportunum in Ecclesia, præsertim ubi ageretur de cæremoniis baptismalibus, quæ ad Diaconatus munus pertinere videbantur. Quemadmodùm enim apùd veteres Baptisma per immersionem administrabatur, decebat viris baptizandis Diaconos adesse, fœminis autèm Diaconissas, quarum operâ convenientiùs illæ disponerentur, & honestiùs. Itèm, ubi in dispensandis agapis peculiare Diaconorum officium versabatur, congruebat maximè, ut, quemadmodùm in virorum conviviis ministrarent Diaconi, ità Diaconissæ in fœminarum conviviis ministrarent. Sed hæc omnia, quæ exigebant duplex quodammodò Diaconatus officium, alterum per masculos, alterum per fœminas exercendum, ad officia Presbyteratus pertinere nullò modo poterant: quamobrèm opportunum Laodicenis Patribus visum non est, ut, quemadmodùm Diaconissæ, ità etiàm Presbyteræ fœminæ ordinarentur.

Can. 3., & 4. dist. 42.

In Ecclesiasticis agapis celebrandis aliquot apùd veteres abusus irrepserant; licet enim illæ ab initio in signum Christianæ communionis, & mutuæ fidelium charitatis servandæ causâ fuerint institutæ, tamèn ab hac optima origine plurimùm deflexerunt. Quidam enim ex fidelibus, immoderatè servientes abdomini, res Ecclesiasticas quasi cauponarias habebant, propterèaque etiàm in Templis ipsis, Deo dedicatis, & ebrietati, & gulæ studebant: imò etiàm eo intemperantiæ devenerant, ut quæcumque possent, diriperent omnia, atque in privatas domos asportarent. Huic gravissimo Ecclesiarum incommodo consulere voluerunt Eliberitani Patres duplici canone 27., & 28., quos retulit Gratianus in canones 3., & 4. dist. 42. sequutus interpretationem Mercatoris; qui tamèn in can. 27. aliquid amplius habet, ibi: *Non oportet Ministros Altaris, vel quoslibet Clericos, aut etiàm Laicos, ad agapen vocatos &c.* Referam, quæ ad hunc locum exposuit Dionysius Exiguus in canone 27. *Quòd non oportet sacro ministerio deditos Clericos, aut Laicos, ad agapen vocatos, ciborum partes accipere: propterèà quòd hinc Ecclesiastico ordini fiat injuria.* Et in canone 28. *Quòd non oporteat in domiciliis divinis, id est, in Ecclesiis, convivia, quæ vocantur agapæ, fieri; nec intrà domum Dei comedere, vel accubitus sternere.* Porrò quod ibidèm dicitur, de accubitu non sternendo in Ecclesiis, ad veterum morem respicit, qui cœnaturi accumbere solebant, undè latina phrasis est *mensis accumbere.*

Canon 2. dist. 44. legitur in canone 24. ex Laodicenis, & quidèm ferè juxtà Isidorum Mercatorem. Ità exhibet Isidorus: *Quoniàm non oportet Altari deservientes, à Presbyteris usquè ad Diaconos, & deinceps ordinis Ecclesiastici omnes usquè ad ministros, aut Lectores, aut Psaltes, aut Exorcistas, aut Ostiarios, aut etiàm eos, qui in proposito continentiæ sunt, tabernas intrare.* Paulò alitèr habet Dionysius Exiguus ibi: *Quòd non oportet sacro ministerio deditos, à Presbyteris usquè ad Diaconos, & reliquum Ecclesiasticum ordinem, id est, usquè ad Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas, & Ostiarios, & ex numero Continentium, & Monachorum ingredi tabernas.* Qui recentia Græca exemplaria sunt interpretati, his verbis canonem explicarunt: *Quòd non oportet sacratos, à Presbyteris usquè ad Diaconos, & deinceps quemlibet Ecclesiastici ordinis usquè ad Ministros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exercitatorum ordinis in cauponam ingredi* (vel, ut aliis lubet: *vel Cantores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel Ordinis Monachorum in cauponam ingredi.*) Monent Correctores Romani, ad hunc canonem hujusmodi clausulam à Gratiano adjectam fuisse, *nisi causa necessitatis.* Porrò, licèt clausula minimè legatur in canone Laodiceno, tamèn antiquissima est, cum habeatur in eo canone, qui vulgò est 54. inter Apostolicos his verbis: *Si quis Clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur; præterquàm si in publicum diversorium in via propter necessitatem diverterit.*

Can. 2. dist. 44.

Canon 10. dist. 44. consonat cum canone 55. Laodiceno, ubi tamèn alii le-

Can. 10. dist. 44.

legunt *commensalia*, alii *commissaria*, alii *commissalia*: Dionysius Exiguus ità est interpretatus: *Quòd non oporteat Sacerdotes, aut Clericos, ex collatis, vel comessationibus convivia celebrare; hoc autèm nec Laicis posse congruere.* Clariùs alii græca verba verterunt hoc modo: *Quòd non oportet sacratos, & Clericos, ex collatione* (Græci legunt *ex symbolis*) *convivia peragere, sed neque Laicos.* Hoc itaquè canone quorumdam ingluvies coercetur, qui pecunias simùl conferebant, ut lautiora exindè convivia exquisitis epulis instruerentur; symbolum enim apùd Græcos, quemadmodùm docet Balsamon, & Zonaras, significat collationem quamdam; undè, qui pecuniam parandarum epularum causâ simùl conferebant, ex symbolis convivia peragere dicebantur.

Canon 9. dist. 46. idem est cum canone 5. Laodiceno juxtà interpretationem Mercatoris: Clariùs Dionysius Exiguus: *Quòd non oporteat Sacerdotes, & Clericos fœnerantes usuras, vel quæ dicuntur sescupla, id est, & summam capitis, & dimidium summæ, percipere.* Qui Græcum textum sequuti omninò sunt, ità exposuerunt: *Quòd non oportet Sacerdotes fœnerari; & usuras, quæ dicuntur hemioliæ* (seu, ut alii asserunt, *sesquialteræ*), *id est, totius sortis dimidia pars, accipere.* Can. 9. dist. 46.

In canone 6. dist. 63. videtur Gratianus Dionysium Exiguum sequutus fuisse, qui in canone 13. Laodiceno ità habet: *Quòd non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium provehendi.* Non nihil dissidet Isidorus Mercator his verbis: *De eo, quod non sit populis concedendum, electionem facere eorum, qui Altaris ministerio sunt applicandi.* Qui Græca exemplaria, qualia hodiè edita habemus, interpretati sunt, potiùs cum Dionysio consonant: hinc scribit Hervetus: *Turbis non esse permittendum eorum, qui sunt in Sacerdotio constituendi, electionem facere.* Can. 6. dist. 63.

In canone 2. dist. 69. exhibetur canon 26. Laodicenus. Isidorus Mercator his verbis expressit: *Non oportet exorcisare eos, qui necdùm ab Episcopis sunt provecti, neque in Ecclesiis, neque intrà domos.* Dionysius Exiguus ità scribit: *Quòd hi, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tàm in Ecclesiis, quàm in domibus exorcisare non possunt*; neque ab his omnibus alia sive Latina, sive Græca exemplaria dissonant. Non omittam tamèn hùc loci adferre, quod ad hanc rem animadvertit Balsamon, utpotè qui germanam Concilii sententiam adsequutus fuisse mihi videtur. Ità ille: *Quidam adgrediebantur exorcisare, hoc est, cathechizare infideles, qui hoc per Episcopalem manuum impositionem non acceperant; & cum accusarentur, contendebant se hoc in Ecclesiis non fecisse, sed in quadam domo; & ideò se nulli pœnæ obnoxios conservari æquum censebant. Dicunt ergò Patres, quòd etiàm est adjurare sacrum ministerium, nec oportet quempiam hoc adgredi, nisi ab Episcopo promotus fuerit.* Can. 2. dist. 69.

In canone 5. dist. 80. Gratianus exhibuit interpretationem canonis 57. Laodiceni, ab Isidoro factam. Dionysius Exiguus ferè eamdem sententiam expressit his verbis: *Quòd non oporteat in villulis, aut in agris Episcopos constitui, sed visitatores. Veruntamèn jam pridèm constituti nihil faciant præter conscientiam Episcopi civitatis: Similiter & Presbyteri præter consilium Episcopi nihil agant.* Græca exemplaria cum his omninò consonant, quemadmodùm in Græco idiomate eruditi animadvertunt; quos autèm Dionysius & Isidorus appellavit *Visitatores*, Græci vocant *Periodeutas*, quos alii *circumcursatores*, alii *circuitores*. Can. 5. dist. 80.

Canon 28. dist. 81. legitur in canone 30. Laodiceno juxtà interpretationem Mercatoris. Dionysius Exiguus minimè dissonat; ità enim scribit: *Quòd non oporteat sacris officiis deditos, aut Clericos, aut continentes, vel omnem Laicum Christianum lavacra cum mulieribus celebrare; quia hæc apùd gentes reprehensio prima est.* Nomine *Continentium* hoc in loco nullos alios intelligo, quàm Monachos, quemadmodùm facile est deducere ex Græco textu, qui de Ascetis expressus est. Porrò nomine *Ascetarum* Monachos apùd veteres intelligi nemo ignorat. Can. 28. dist. 81.

Canon 15. dist. 93. habetur in canone- Can. 15. dist. 93.

none 20. ex Laodicenis, in quo tamèn non omnes Codices omninò consonant. Ità Dionysius: *Quòd non oporteat Diaconum coràm Presbytero sedere, sed jussione Presbyteri sedeat. Similitèr autèm & Diaconis honor habeatur ab obsequentibus, id est, Subdiaconis, & omnibus Clericis.* Isidorus Mercator: *Quoniàm non oportet Diaconum sedere præsente Presbytero, sed ex jussione Presbyteri sedeat. Similitèr autèm honorificetur & Diaconus à Ministris inferioribus, & omnibus Clericis.* Qui Græca recèns edita exemplaria sequuti sunt, ità explicarunt: *Quòd non oportet Diaconum antè Presbyterum sedere, sed sedere cum jussu Presbyteri. Similiter autèm, Diaconis haberi honorem à Ministris, & omnibus Clericis, oportet.*

Can. 16. dist. 93. Canon 16. dist. 93. perperàm descriptus esse videtur apùd Gratianum. Canon 25. Laodicenus, undè ille depromptus videtur, non ad Diaconos pertinet, sed potiùs ad Ministros, quorum nomine hoc in loco Subdiaconi potiùs intelliguntur. Reverà Dionysius Exiguus hoc modo canonem exposuit: *Quòd non oporteat Subdiaconos Panem dare, vel Calicem benedicere*; & quamquàm, qui Græca exemplaria interpretati sunt, ità explicaverint: *Quòd non oportet Ministrum Panem dare, vel Calici benedicere*; tamèn Zonaras Græcus Interpres ità sententiam Concilii declaravit: *Cum Hypodiaconis sacra Vasa contingere, aut in Diaconico versari, munusve aliquod ibidèm exercere vetitum sit, multò minùs aut Panem dare, hoc est Domini Corpus fidelibus impertiri, aut Dominici Sanguinis Calici benedicere eisdem licebit.* Et Alexius Aristenus, *Presbyterorum*, inquit, *aut Diaconorum opus Ministri Ecclesiæ perficere non permittuntur. Quocircà nec Panem, vel Calicem populo tradunt.* Ex quibus omnibus nemo non videt, nomine benedictionis Calicis hoc loco venire eam, non qua Calix consecratur, sed qua fidelibus distribuitur, juxtà illud Apostoli: *Panis, quem frangimus, & Calix, quem benedicimus, nonne participatio Corporis, & Sanguinis Christi est?*

Can. 8. dist. 95. Canon 8. dist. 95. idem est cum can. 56. ex Laodicenis juxtà interpretationem Isidori Mercatoris, dummodò pro illis postremis verbis, *aut in peregrinationis commodo eum abesse constiterit*, ità legamus: *aut in peregrinis eum abesse constiterit*, Verùm non satis integer est Isidori canon. Meliùs Dionysius ità scribens: *Quòd non oporteat Presbyteros antè processionem Episcopi introire Sacrarium, & sedere, sed cum Episcopo debent ingredi, vel in subsellis sedere: nisi forsitàn infirmitate detineatur, aut proficiscatur Episcopus*; quæ sanè verba magis etiàm consonant cum Græcis exemplaribus, quæ ab aliis ità latinè scripta sunt: *Quòd non oportet Presbyteros antè Episcopi introitum ingredi, & sedere in Sacrario, sed cum Episcopo ingredi: nisi fortè infirmitate detineatur, vel peregrè profectus sit Episcopus.*

Can. 66. caus. 1. quæst. 1. consonat cum can. 32. ex Laodicenis juxtà interpretationem Mercatoris. Paulò alitèr Dionysius habere videtur ibi: *Quòd non oporteat ab hæreticis eulogias accipere, quæ sunt maledictiones potiùs, quàm benedictiones.* Sed nihil refert *eulogias* græcè appellare, vel latinè *benedictiones*: etenim eulogiæ nihil aliud apùd veteres erant, quàm panes benedicti, qui unicuique de populo etiàm absenti distribuebantur in signum Ecclesiasticæ communionis, quemadmodùm constat ex eodem Concilio Laodiceno can. 14. & ex Augustino in Epist. 35. ad Alypium ità scribente: *Panem unum sanctitati tuæ unitatis gratiâ misimus, quo etiàm Trinitatis soliditas continetur. Hunc Panem eulogiam esse tu facies dignitate sumendi.* Ex his facilè liquet, perperàm hunc canonem à Gratiano laudari, ut exindè colligatur Sacramenta plurima ab hæreticis collata nullo modo valere, uti ipse ait pòst canonem 60. eadem caus. 1. quæst. 1., non enim ibi agitur de Sacramentis Hæreticorum, sed potiùs de signis Ecclesiasticæ communionis, quæ ab hæreticis nullo modo exhiberi possunt, atque à Sacramentorum natura quàm longissimè distant. Can. 66. caus. 1. q. 1.

In canone 4. caus. 26. quæst. 5. exhibetur can. 36. ex Laodicenis; & qui- Can. 4. caus. 26. q. 5.

quidèm juxtà interpretationem Dionysii in prioribus verbis; posteriora apud eumdem Dionysium hæc sunt: *Eos autèm, qui his utuntur, ab Ecclesia pelli præcipimus.* Paulò alitèr exposuerunt Græcorum exemplarium recentiores interpretes, ità: *Quòd non oportet sacratos, vel Clericos esse magos, vel incantatores, vel mathematicos, vel astrologos, vel facere, quæ dicuntur phylacteria* (vel, ut aliis placet, *quæ dicuntur amuleta*) *quæ quidem sunt ipsarum animarum vincula: eos autem, qui ferunt, ejici ex Ecclesia jussimus.* Phylacteria, sive amuleta nihil aliud erant, quàm fasciæ quædam collo appensæ, quibus aliqui putabant, quamdam inesse virtutem ad certos effectus producendos, juxtà illud quod ad hunc canonem Alexius Aristenus tradit: *Qui Sacerdotium profitetur, non erit magus....vel ex iis, qui amuleta collis appendunt.*

Can. 4. caus. 26. q. 7. Canon 2. Laodicenus habetur in can. 4. caus. 26. quæst. 7., & quidèm ferè consonat cum Isidoro Mercatore, cujus hæc sunt verba: *His, qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant orationi, confessioni, ac pœnitentiæ, malorum suorum perfectam conversionem demonstrantes, pro qualitate peccati pœnitentiæ tempus tribuendum est; propter misericordiam & bonitatem Dei, qui hujusmodi sunt, revocandi, & ad communionem applicandi.* Alii Interpretes similia omninò habent. Inter ceteros Dionysius Exiguus ità scribit: *De his, qui diversis facinoribus peccaverunt, & perseverantes in oratione confessionis, & pœnitentiæ, conversionem à malis habere perfectam, pro qualitate delicti, talibus pœnitentiæ tempus impensum propter clementiam, & bonitatem Dei communio concedatur.*

Can. 8. caus. 33. q. 4. Quadragesimale tempus olim ità observabatur, ut fideles ab illis penitùs abstinerent, quibus possent quoquo modo à pœnitentia, atque ab oratione distrahi. Hinc vetitum fuit celebrare tum natalitia, cum nuptias, quemadmodùm legitur in canone 52. Laodiceno, quem Gratianus retulit in can. 8. caus. 33. quæst. 4. juxtà interpretationem Mercatoris. Dionysius Exiguus, aliique Interpretes omninò concordant.

Canon 8. de consecr. dist. 3. idem est cum canone 50. ex Laodicenis juxtà interpretationem Isidori Mercatoris. Paulò alitèr Dionysius his verbis: *Quòd non oporteat in Quadragesima in ultima septimana quintæ feriæ jejunium solvere, totamque quadragesimam sine veneratione transire, magisque conveniat omnem Quadragesimam districto venerari jejunio.* Isidori autèm, & Gratiani interpretatio magis cum Græcis exemplaribus consonat; etenim ex istis hæc exprimuntur: *Quòd non oportet in Quadragesima postremâ septimanâ quintæ feriæ jejunium solvere, & totam Quadragesimam dehonestare; sed oportet totam Quadragesimam jejunare aridis vescentes.* Duo in hoc constituta sunt. Alterum pertinet ad Quadragesimale jejunium, quod postrema Quadragesimæ hebdomadæ feriâ quintâ finem habere non debeat; atque id decretum est adversùs quosdam, qui, postquàm per totam Quadragesimam jejunassent, maximâ quintâ feriâ jejunium solverent instante Cœna Domini; ad cujus exemplum putabant, posse se agnum comedere, & sic omni jejunii lege solutos esse. Pertinet alterum ad modum jejunii observandi, juxtà quem quicumque verè jejunaturi essent, aridis tantummodò vesci debebant. Referam ad hanc rem, quod tradit Balsamon: *Nota ex præsenti canone, quòd aridis vesci debemus omni quartâ, & sextâ feriâ. Qui ergò sine morbo cum oleo, & testaceis jejunant, faciunt contrà legem: Multò autèm magis, qui in quartis, sextisque feriis pisces comedunt. Quia autèm necesse est, ut aquam bibant etiàm, qui morbo non laborant, dicimus, quòd Canones quidèm nihil tale definiunt: quoniàm autèm magnus Epiphanius Cypri in panariis dicit, debere fideles in sex diebus antè Pascha pane, & sale, & aqua nutriri, cum aridorum esu aquam quoquè bibere bonum est.* Videtur, cum his maximè congruere, quod scribit auctor Constitutionum Apostolicarum lib. 5. cap. 19. ibi: *in diebus Paschæ jejunare incipientes à secunda Sabbati usquè ad Parascevem, et Sabbatum dies sex, solo pane utentes, sale, atque oleribus, & aquâ in potum.*

Can. 8. de cons. dist. 3.

Ca-

Can. 58. de cons. dist. 4. Canon 58. de cons. dist. 4. idem est cum can. 46. ex Laodicenis, juxtà interpretationem Mercatoris. Dyonisius Exiguus his verbis Græcum canonem exhibet : *Quòd oporteat eos, qui ad baptisma veniunt, fidem discere, et quintâ feriâ septimanæ majoris Episcopo, aut Presbyteris reddere* : Apùd alios hæc verba leguntur: *Quòd oportet eos, qui baptizandi sunt, fidem ediscere, & quintâ hebdomadis feriâ Episcopo, vel Presbytero renuntiare.* Mos iste veterum erat, quo tempore præsertim in die Paschatis baptismatis Sacramentum administrari solebat. Plurimùm ad hanc eamdem rem consonant Concilium Braccarense II. Can. 1., & Concilium Agathense can. 13.

Can. 36. de cons. dist. 5. In canone 36. de cons. dist. 5. referuntur canones 41., & 42. ex Laodicenis, sed Gratianus fidem veterum, sive Græcorum, sive Latinorum, sequutus minimè est. Etenim Dionysius Exiguus ità habet in can. 41. *Quòd non oporteat Sacerdotem, vel Clericum sine literis proficisci Canonicis.* Et in can. 42. *Quòd non oporteat Sacerdotem, vel Clericum præter jussionem sui proficisci Pontificis.* Apùd Isidorum Mercatorem hæc leguntur in can. 41. *Non oportet Ministrum Altaris, vel etiàm Laicum sine Canonicis literis, id est, formata, aliquò proficisci.* Et in can. 42. *Non oportet Ministrum Altaris, vel quemlibet Clericum præter jussionem Episcopi ad peregrina proficisci.* Fortè ex hac Isidori interpretatione desumpsit Gratianus ea, quæ de Laicis subdidit. Ceterùm de Laicis nulla fit mentio in exemplaribus Græcis, ex quibus canone 41. hæc describi latinè possunt. *Quòd non oportet sacratum, vel Clericum sine jussu Episcopi iter ingredi*, & canone 42. *Quòd non oportet sacratos, vel Clericos sine literis Canonis iter ingredi.*

Can. 37. de cons. dist. 5. In canone 37. de cons. dist. 5. sequutus est Gratianus de more suo interpretationem Isidori Mercatoris ad canonem 54. Laodicenum. Et quidèm cum Isidoro consonare videtur Dionysius his verbis : *Quòd non oporteat Sacerdotes, aut Clericos quibuscumque spectaculis, in cœnis, aut in nuptiis interesse, sed, antequàm thymelici ingrediantur, exurgere eos convenit, atque indè discedere.* Tymelicorum mentio fit in Jure civili, tamquàm eorum qui gladiatorum muneribus se se exercebant l. 4. de his, qui notant. infamia, l. 10. de pollicitation., vel qui inhonestè vivebant, uti deducitur ex l. ult. Cod. Theodos. de Clericis, ibi : *ut nulla fœmina, nec puer Thymelici consortio imbuantur, si Christianæ Religionis esse cognoscitur.* Videsis Alexandrum ab Alexandro lib. 3. genialium dierum cap. 9.

CAPUT XII.

De Concilio Constantinopolitano I.

Tria apùd Gratianum laudantur Concilia nomine Constantinopolitana. Primum est generale illud sub Damaso, alterum rursùs generale sub Vigilio celebratum; postremum ad Photii tempora pertinet. De omnibus suo loco sejunctim agendum est. In præsentia memorabo Canones illos, qui ex Concilio Constantinopolitano sub Damaso à Gratiano deprompti fuerunt.

- *Can.* 10. *dist.* 19. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 3. *dist.* 22. *incertæ fidei, & varius in exemplaribus.*
- *Can.* 8. *caus.* 9. *q.* 2. — *Can.* 9. *caus.* 9. *q.* 2. — *simùl jungendi, atque ex interpretatione Dionysii explicandi.*

NOndùm omninò pacatæ fuerant res Ecclesiæ, diutiùs quarto sæculo Arianorum callidè tergiversantium contentionibus undequaquè concussæ, quum jam novæ emerserunt hæreses adversùs Spiritum Dei, Spiritum ex Patre, &

Filio proficiscentem, & Deum. Etenim, labente eodem sæculo, Macedonius quidam Constantinopolitanus Episcopus, vir in primis malè apùd Catholicos audiens, quòd Arianis plurimùm faveret; deindè verò ipsis etiàm Arianis invisus, quòd teterrima fecisset scelera, suisque malo fuisset exemplo, in Schismata, & dissensiones pronus novæ sectæ se se auctorem constituit; cœpitque docere, Spiritum Sanctum Deum non esse. Huic Episcopo perditissimo accessit Aetius quidam, qui, exceptis quibusdam præjudicatis in Aristotelicorum schola sententiis, ad divina exindè intendens animum, perperàm tum de Filio Dei, cum de Spiritu Sancto disserebat, facilèque se Macedonio socium devinxit. Aetium inter ceteros libentissimè audivit Eunomius, qui deindè institutores etiàm suos perfidiâ superavit; ut enim erat ingenii alacriter fervidus, plurimos in suam sententiam pertraxit: undè apùd Historicos Eunomianorum nomen celebratissimum est, qui & Arii hæresim renovarunt, & Macedonii errata provexerunt, divinam tum Dei Filio, tum Spiritui Sancto, naturam denegantes. Hinc nemo non videt, quanto in periculo versaretur Ecclesia, præsertim Constantinopolitana, quæ primùm nacta est in Episcopum suum Macedonium pòst annum 350., deindè, eo abdicato, Episcopum habuit Eudoxium Arianum pòst annum 359. Ei quidèm successit Evagrius Hortodoxæ fidei propugnator, sed is deindè actus in exilium fuit, intruso in ejus locum Demophilo Semiariano; & quamquàm huic, Theodosio Magno Imperatore Optimo curante, substitutus deindè fuerit Gregorius, cognomento Theologus, sive Nazianzenus, non diù tamèn perstitit; cujus locum circà annum 380. Maximus Alexandrinus, homo hæreticus Arianus, suffectus est.

Gravissimo huic incommodo, quod in Constantinopolitana Ecclesia universi, ac præsertim Orientales omnes fideles, ægrè patiebantur, non meliori modo occurrendum erat, quàm si celebraretur generale Concilium in ipsa etiàm urbe Constantinopoleos, quò fieret, ut & ea, quæ ad fidem, & ea, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam facere possent, saluberrimis decretis firmarentur. Hùc operam suam contulit, & quidèm maximam, Theodosius Magnus Imperator: hùc Damasi Pontificis Maximi vota collimarunt: quamobrèm, consentientibus omnibus, in urbem Constantinopolitanam acciti sunt Episcopi Ecclesiæ universi, convenerunt que centum & quinquaginta, ut plurimùm Orientales, quorum potissimùm causa agebatur, anno Domini 381.; confirmatâque Nicæna fide adversùs Arium, non solùm damnata fuit Macedonii, aliorumque hæresis adversùs divinam Spiritus Sancti naturam blasphemo quodam improborum hominum impetu concitata; verùm etiàm in vicem perfidorum Episcoporum, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfuerant, suffectus est Nectarius, licèt recèns baptizatus, Vir ætate gravis, & sapientiâ, prudentiâque, & morum integritate insignis ac venerabilis.

Nonnulla quoquè disciplinæ Ecclesiasticæ capita definiri necesse ibidèm fuit, quemadmodùm reverà constituta sunt. Verùm accerrima est inter Viros eruditos disputatio, nùm tres tantummodò in hoc Concilio constituti canones fuerint, quemadmodùm hoc numero refert Dionysius Exiguus, an verò septem, quemadmodùm apùd alios Collectores habentur, præsertim in exemplaribus Græcis, qualia hodiè edita habemus. Ego sanè, si unam editionem cum altera conferam, video maximè interesse non solùm in recensendo canonum numero, sed etiàm in ipsis Canonibus inter ipsos distinguendis: exempli causâ; qui est apùd Dionysium secundus, apùd alios Collectores in duos divisus est, atque consonat cum secundo & tertio. Necessarium sanè non est proposito meo in singula inquirere. Satis erit, si de iis edisseram, quæ apùd Gratianum habentur; præsertim quòd nihil amplius

à

à Gratiano afferatur, quod non in tribus prioribus Canonibus Concilii contineatur

Inter Gratiani fragmenta, ex hoc generali Concilio deprompta, primum locum tenet canon 10. dist. 19., cujus verba relata sunt penitùs ex interpretatione Isidori Mercatoris; dummodò tamèn hæc initio addantur: *De Maximo Cynico Philosopho, & propter totius indisciplinationis ejus doctrinam &c.* Hic porrò canon apùd eumdem Isidorum numero sextus est, apùd Dionysium Exiguum tertius, in Græcis autèm exemplaribus, quæ hodiè edita habemus, est quartus. Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi Arabica sequutus est Dionysium Exiguum, & quarto numero hunc eumdem canonem descripsit. Romani Correctores verba canonis ex Græco textu paulò alitèr interpretati sunt, quàm habeat Gratianus. Referam ego verba Dionysii Exigui interpretis antiquissimi: *De Maximo Cynico, & ejus inordinata constitutione, quæ Constantinopoli facta est, placuit neque Maximum Episcopum esse, vel fuisse, nec eos, qui ab ipso in quolibet gradu Clerici sunt ordinati; cum omnia, quæ ab eodem perpetrata sunt, in irritum deducta esse videantur.* Porrò hic canon referendus est ad ea, quæ superiùs diximus, videlicèt ad Maximum Alexandrinum, qui ab Arianis in locum Gregorii Nazianzeni suffectus fuerat in Episcopatu Constantinopolitano. Cynicus appellatus est Maximus, quòd Cynicorum Phylosophiæ addictus esset. *Cynici autèm*, subdit Balsamon, & Zonaras ad hunc canonem, *dicebantur propter eorum arrogantiam, audaciam, & impudentiam.* Et Abulpharagius Dinast. 5. de Cynicis ait: *Facta canum referunt, eosque Cynicos, vel Caninos appellarunt.* Nemo in dubium revocaverit, quo minùs hic canon verè tribuendus sit Concilio Constantinopolitano, cum in omnibus Concilii editionibus etiàm antiquissimis, licèt non sub eodem numero, habeatur: imò Sozomenus de eo certum testimonium ferat in lib. 7. cap. 9. Observatione illud peculiaritèr dignum est, quòd in hoc canone non propriè depositus fuisse dicatur Maximus, sed potiùs irrita ejusdem ordinatio declaretur; is enim non erat juxtà sacrorum canonum Constitutiones ordinatus, sed hæreticorum potiùs operâ, imò, nec petito consilio Provincialium Episcoporum, ad Constantinopolitanam Sedem adductus.

Plurimùm dissonant inter se hujus Concilii Codices in exhibendo Gratiani fragmento, quod descriptum legimus in can. 3. dist. 22.; ubi, postquàm statutum est, unumquemque Episcopum ultrà Ecclesiam suam, vel Diœcesim jurisdictionem exercere non debere, ità subsequitur: *Ecclesias autèm Dei in barbaricis gentibus constitutas gubernari convenit juxtà consuetudinem, quæ est à Patribus observata. Verumtamèn Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum pòst Romanum Episcopum, propterea quòd Urbs ipsa sit junior Roma.* Isidorus Mercator eadem verba habet, quæ legimus apùd Gratianum, & quidèm in can. 5., quem omninò distinguit ab eo capite, in quo de Ecclesiis, apùd Barbaros constitutis, definitum fuerat; illud enim recenset in canone 4. proximè antecedente. Justellus in suo Codice canonum Ecclesiæ universæ ità exposuit integrum canonem, numero tertium: *Constantinopolitanæ Civitatis Episcopus habeat privilegia honoris pòst Romanum Episcopum, eo quòd sit ipsa nova Roma.* Qui Græca recèns edita exemplaria sunt interpretati, sic scripserunt in can. 3. *Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes pòst Romanum Episcopum, eo quòd sit ipsa nova Roma.* Paulò alitèr Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi Arabica, ubi can. 2., postquàm traditum est neminem ex Episcopis transgredi posse fines administrationis sibi adsignatos, subjicitur: *Ad hæc Episcopo Constantinopolitano honor, dignitas, & majestas deferantur; propterea quòd proximus pòst Episcopum Romanum sedet; quoniàm urbs Constantinopolis hodiè est nova Roma (in exemplaribus inveni scriptum: novam Nicæam) & manifestum est, quòd usquè ad nostra hæc tempora nova Roma appelletur.* In alia vetusta Collectione Latina, edita apùd Justel-

Can. 10. dist. 19.

Can. 3. dist. 22.

tellum Tomo 1. pag. mihi 302. in fine canonis 3. hæc habentur : *Constantinopolitanum autèm Episcopum habere Primatum honoris pòst Romanum Episcopum, pro quòd eam esse censemus juniorem Romam.*

Pòst hanc Codicum varietatem plurimùm inter se dissident eruditi in explicanda, tradendaque canonis ejusdem sententia. Asserunt nonnulli, hunc canonem Apocryphum prorsùs, & suppositium esse, adjectum fortè à Græcis, illis præsertim, quorum intererat Constantinopolitanum Patriarchatum ab antiquissimis Generalium Conciliorum Sanctionibus auspicari. Alii, inficiari non audentes canonem in Concilio fuisse editum, asserunt, illum parum auctoritatis habere, quòd à Pontifice Maximo receptus non fuerit, aut confirmatus, cum non ignorent, non statim pòst Concilium hoc Constantinopolitanum Episcopum Civitatis Constantinopoleos Patriarchalem dignitatem obtinuisse. Alii etiàm asseruerunt & germanum esse canonem, & probatum in universa Ecclesia; ex eo tamèn deduci non posse, jam tùm Constantinopolitanam Ecclesiam Patriarchalem fuisse. Quid memorem aliorum opiniones alitèr arbitrantium, ubi cuique voluntati suæ hac in re morem gerere se posse placuit?

Ego sanè, ut candidè fatear, non potui hùc usquè aliis potiùs, quàm aliis, adhærere. Gravia sunt omnibus argumenta, & non exigui momenti conjecturæ; quæ sanè, sicut in antiquissimis rebus plurimùm valent, quotiès unam tantùm partem adjuvant, ità è converso, ubi utrimque rem promovere videntur in oppositas partes, rem ipsam magis in incerto collocant. Itaquè ego singulorum rationes tantummodò exponam, ut unusquisque facilè exindè possit quamcumque maluerit opinionem amplecti. In primis verò quædam in facto consistentia non omittam, ut certa ab incertis penitùs separentur. Certissimum in primis illud est, hunc canonem in omnibus Codicibus legi, nec apùd quempiam ex Collectoribus etiàm vetustissimis omissum fuisse; imò laudatur tanquàm in hoc Concilio Constantinopolitano editus à Sozomeno lib. 7. cap. 9., & à Socrate lib. 5. cap. 8. Illud præterea certum est, non eadem apùd Collectores omnes formulâ explicari, quod pertinet ad dignitatem Episcopi Constantinopolitani; alii enim Episcopo eidem competere ajunt *Primatum honoris*; alii *privilegia honoris*; alii *Primatus honorem*; alii *honorem, dignitatem, & Majestatem, ut proximus pòst Romanum Episcopum sedeat*; alii demùm *priores honoris partes*. Itèm certum etiàm est, eumdem canonem non ubiquè apùd Collectores in eodem loco, ac sub eodem numero collocatum fuisse, cum in aliquibus collectionibus habeatur tamquàm Appendix canonis 2. Constantinopolitani, in aliis sit numero tertius, in aliis etiàm quartus. Demùm etiàm certum est, hunc ipsum canonem confirmatum fuisse abs Justiniano Imperatore in Novella 131., in qua cum definitum esset in cap. 1., Sanctorum quatuor priorum Conciliorum dogmata, & canones recipiendos esse, deindè ità statuitur in cap. 2. *Ideòquè sancimus secundum earum* (id est, quatuor Synodorum) *definitiones, Sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum; Beatissimum autèm Archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum habere locum pòst Sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem, aliis autèm omnibus sedibus præponatur.* Indubia sunt isthæc, atque perspicua. Juvet nùnc adferre Eruditorum, alitèr opinantium, uti diximus, argumenta.

Sunt, ajebam, qui hunc canonem suppositium arbitrantur, ea de causâ, quòd etiàm pòst tempora ejusdem Constantinopolitani Concilii nemo ex Episcopis Constantinopolitanis sibi primatum suprà ceteros Episcopos auctoritate hujus canonis vindicaverit; quod sanè non omisissent, si eum canonem in promptu habuissent, cum Constantinopolitani Episcopi nullum non lapidem moverint, ut dignitatem suam suprà Græ-

Græcos Episcopos omnes attollerent: præsertim verò id fecisset Anatolius, qui, licèt à Leone Magno exagitaretur, quòd ipse se majorem ceteris Orientalibus Episcopis assereret, nullibi tamèn Constantinopolitanum hunc canonem opposuerit, ex quo causæ ejus maximum præsidium accessisset. Imò Anatolius idem, si jam Primatus sui rationem definitam in præcedentibus Conciliis agnovisset, frustrà curasset clanculùm in Concilio Chalcedonensi, ut definiretur in canone 28., quemadmodùm suo loco ostendemus. Ajunt prætereà, non esse verosimile Constantinopolitanæ sedis Primatum Concilii hujus tempore potuisse constitui sine contradictione Orientalium Episcoporum, præsertim cum detraheretur plurimum tum juribus Metropolitani, cui Constantinopolitanus Episcopus suberat, tum juribus Patriarchæ Alexandrini, qui primam totius Orientis sedem tenere ob prærogativam suæ Ecclesiæ videbatur; præsertim verò, cum in canone 2. ipsius Concilii Constantinopolitani statueretur, salva esse debere singulis Ecclesiis privilegia, & jura Episcoporum, quemadmodùm jam anteà fuerant in Nicæno Concilio constituta; in Concilio autèm Nicæno can. 6. cum prima dignitas Ecclesiæ Orientalis concessa fuisset Alexandrino Episcopo, & secundus honor Antiocheno, non poterat sine manifesta antynomia Constantinopolitanus Episcopus ceteris omnibus anteferri, ne Constantinopolitani Patres fingantur in uno eodemque canone & confirmare Nicænas regulas, atque illas evertere.

Alitèr argumentantur illi, qui hunc canonem germanum, & genuinum esse asseverant. Exhibent enim Codices antiquissimos, præseferunt Historicorum veterum gravissima testimonia, à quibus sanè difficile est in re facti obtentu cujusvis rationis recedere. Ex eruditis autèm, qui ità arbitrantur, nonnulli sunt, qui, ut adversariorum difficultatibus suprà propositis responderent, dixerunt, hunc canonem, de quo disputatur, editum fuisse dissoluto Concilio à quibusdam Episcopis Orientalibus, qui præter modum evehere Constantinopolitanam sedem, ac dignitatem optabant, proindèque canonem hunc Concilii ipsius Constantinopolitani auctoritatem minimè habere. Verùm (ipsorum veniâ dixerim,) ingeniosa sunt potiùs hæc, quàm vera; cum neminem ex Historicis adferre quispiam possit, ex quo deducatur Episcopos quosdam Orientales dissoluto Concilio novas regulas edidisse, ac nomine ejusdem Concilii evulgasse. Si fortè id aliquo modo demonstrari posset, facile esset concipere, quâ ratione aut Alexandrinus, aut Antiochenus Episcopus non restiterint, cum absentes proponerentur, aut ab Episcopis Constantinopolitanis, datâ occasione, non proditus fuerit canon, utpotè cui totius Concilii consensus minimè accesserat. Sed cum hæc non innitantur historicâ fide, frustrà elaborandum esset, eo vel magis, quòd in contrarium urgeant penès me gravissimæ conjecturæ. Quis enim auctor esse potuit, dissoluto Concilio Constantinopolitano, ut nonnulli Episcopi, jam aliis abeuntibus, rursùs convenirent, & de Primatu sedis Constantinopolitanæ privato judicio statuerent, aut quidpiam de eodem Primatu jam editis canonibus insererent, vel adjicerent? Si quis potuisset ità Sedis Constantinopolitanæ honores promovere, is sanè inter ceteros esse debebat ipsemet Constantinopolitanus Episcopus, utpotè cujus maximè intererat. At verò ego id ne suspicari quidèm ausim de Nectario, qui recèns è Cathecumeno factus erat in eodem Concilio Episcopus Constantinopolitanus; inverosimile enim omninò est, Virum eximium, morum integritate apùd omnes commendatissimum, statim ad Constantinopolitanam sedem evectum, Primatum Orientis totius contrà mores, & disciplinam sui temporis exoptasse, atque ad id quamplures Orientales Episcopos excitasse, ut, dissoluto Generali Concilio, & facto quo-

quodammodò Schismate, novum Conventum facerent, delaturi Primatum Episcopo Constantinopolitano, dimissis & non auditis illis, quorum poterat interesse. Quòd si ex subscriptionibus Episcoporum, in Concilio factis, illarumque ordine, aliquod argumentum deduci potest, facile erit agnoscere in Concilio ipso Constantinopolitano jam Nectarium ipsum Constantinopolitanum Episcopum obtinuisse Primatum honoris, cum primus actis Concilii subscripsisse agnoscatur.

Sequitur aliorum opinio, existimantium, hunc quidèm canonem in Concilio Constantinopolitano editum fuisse, non tamèn in universali Ecclesia statim receptum, contradicentibus præsertim Pontificibus Maximis; quod probant ex sancto Leone Magno inter ceteros, & sancto Gregorio Magno, qui & Anatolio, & Joanni Constantinopolitanis, ad Primatum Orientalis Ecclesiæ contendentibus, feruntur alacritèr obstitisse. Hi sunt, qui Concilii Constantinopolitani decreta in duas classes distribuenda fore arbitrantur; vel enim ad fidem confirmandam pertinent, unàque damnandam hæresim Macedonii, atque aliorum; ac tùm asserunt, Concilii Constantinopolitani decreta fuisse generalitèr in tota Ecclesia probata; vel versantur in disciplina Ecclesiastica stabilienda; atque in ea parte Ecclesiæ universæ auctoritatem minimè agnoscunt. Non videntur autèm temerè rem ità explicavisse; habent enim ad hanc rem perspicua verba Gregorii Magni in Epistola ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum, Episcopos, quæ est in lib. 6. c. 31., ità scribentis: *Et canones quidèm Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant; sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt: Romana autem Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius hactenùs non habet, nec accipit; in hoc autèm eamdem Synodum accepit, quod est per eam contrà Macedonium definitum. Reliquas verò hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab aliis jam Patribus damnatas, reprobat.* Si cui placeat hæc interpretatio, is facilè sibi persuadere poterit, eam Synodum, ad quam neque Pontifex Maximus, neque ejus Legati intervenerant, à Romanis habitam, & receptam fuisse tantummodò in dogmatibus fidei, non autèm in ceteris, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinebant; etenim ad unitatem Ecclesiarum satis erat Græcis, Romanos certiores facere de fidei definitionibus apùd ipsos editis, quidquid deindè de Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus fuisset constitutum: imò etiàm exindè facilè percipiet, quare apùd Latinos Constantinopolitani tamdiù decertare debuerint, ut suprà Orientales Episcopos primum locum teneret Constantinopolitanus Antistes: nondùm ubiquè recepto Constantinopolitano canone, non erat, cur facilè Latini Constantinopolitanorum votis, ac postulationibus indulgerent.

Postrema tandèm aliorum opinio hæc erat, ut scilicèt potuerit hic canon in utraque Ecclesia recipi, quin tamèn exindè sequeretur, Constantinopolitanum Episcopum & dignitate gradus, & potestate jurisdictionis ceteros Orientales Episcopos antecedere. Aliud quippè significat, simplicem suprà quosdam Episcopos honorem habere, aliud exercere jurisdictionem. Hoc porrò canone concessus est *honor Primatus*, id est, uti aliis placet explicare, *primatus honoris, seu privilegium honoris*, aut *honor, dignitas, majestas, ut proximus pòst Romanum Episcopum sedeat*, aut *priores honoris partes*. Hæ autèm formulæ non aliud sonant, quàm nudum honorem, non honorem cum potestate, seu jurisdictione conjunctum. Honorabilis ergò horum sententiâ in vim hujus canonis fuit Constantinopolitanus Episcopus, non suprà ceteros Episcopos potestate donatus; ut ex. gr. posset primus sedere in Concilio, primus Concilio subscribere apùd Græcos, non jurisdictionem in alios exerceret, sed potiùs suo ipse Metropolitano in Provincialibus negotiis subderetur. Qui ità sentiunt, ità etiàm explicant honorem Hierosolymitano Episcopo debitum,

tum, prout statuitur in canone 7. ex Nicænis, ubi ità legitur: *Quoniàm consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat ordinem honoris, Metropoli propriâ dignitate servatâ.* Merebatur sanè tùnc temporis singularem honorem Civitas Constantinopolitana, Imperiali sede insignita, & jam *novæ Romæ* titulo nuncupata, cui maximum decus vel in eo accessisset, quotiès ejus Civitatis Episcopus in comitiis sacris celebrandis & considendo, & subscribendo primus apùd Græcos haberetur, salvâ ceteroquin in reliquo aliorum Episcoporum jurisdictione. Hinc facilè percipiunt rationem, quare in hoc Constantinopolitano Concilio primus subscripserit Nectarius Constantinopolitanus, etiàm antè Episcopos Alexandrinum, & Antiochenum; quare rursùs in Concilio Chalcedonensi primus subscripserit Anatolius pòst Legatos Pontificios; itèm, cur in actis ejusdem Chalcedonensis Synodi legatur Episcopos conquestos esse, quòd in Conciliabulo Ephesino Flavianus Constantinopolitanus quinto loco fuerit collocatus, scilicèt pòst Hierosolymitanum, & Antiochenum Episcopos, uti habetur in actione 1. Concilii Chalcedonensis. Hinc etiàm percipitur, quare hic canon de honore Primatus Episcopi Constantinopolitani minimè repugnet anterioribus Concilii verbis, quibus asseritur eadem potestas Episcopis omnibus, ac Metropolitis, quæ jam fuerat in Nicæno Concilio constituta; cum prior canonis pars de potestate, atque jurisdictione, posterior verò de nuda honoris prærogativa intelligatur.

Exposui his plures eruditorum opiniones. Omnibus sua laus debetur; nec video in quam ego potiùs pertrahar, aliorum propterea, qui meliùs sapiunt, judicium libentissimè expectabo. Quæcumque autèm arripiatur ex dictis sententia, illud certissimum est, ex eo canone paulatim Episcopos Constantinopolitanos, majorem in dies jurisdictionem, ac potestatem ut explicarent, studuisse, quo tandèm aliquandò non honore tantummodò, sed & auctoritate ceteris Orientalibus Episcopis, etiàm Patriarchali honore præcellentibus, præferrentur; quod etiàm posteriore ætate Latinis placuit, quemadmodùm deduci perspicuè potest ex cap. 23. de privilegiis.

Quæ leguntur in can. 8. & 9. caus. 9. quæst. 2. in Concilio Constantinopolitano proximè antecedunt verba dicti canonis 3. dist. 22., imò apùd Dionysium Exiguum unum eumdemque numero canonem constituunt, videlicèt secundum. In aliis editionibus, in quibus diversus est canonum numerus, alitèr describuntur; etenim in Græcis exemplaribus canones 8. & 9. caus. 9. q. 2. idem sunt cum canone 2. Constantinopolitano, & canon 3. dist. 22. idem est cum canone 3. Constantinopolitano. Gratianus sequutus est Isidorum Mercatorem, qui canonem 8. caus. 9. q. 2. descripsit in Concilio numero secundum, & canonem 9. caus. 9. q. 2. descripsit numero tertium; at canonem 3. dist. 22. descripsit numero quintum; & quidèm Gratiani verba cum eodem Isidoro consonant. Paulò alitèr habet Dionysius Exiguus can. 2. his verbis: *Qui sunt super Diœcesim Episcopi, nequaquàm ad Ecclesias, quæ sunt extrà præfixos sibi terminos, accedant, nec eas hac præsumptione confundant; sed juxtà canones Alexandrinus Antistes, quæ sunt in Ægypto, regat solummodò; & Orientis Episcopi Orientem tantùm gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt. Asianæ quoquè Diœceseos Episcopi ea solùm, quæ sunt in Asiana Diœcesi, dispensent; nec non & Ponti Episcopi ea tantùm, quæ sunt in Ponto; & Thraciarum, quæ in Thraciis sunt, gubernent. Non vocati autèm Episcopi ultrà Diœcesim non accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes Ecclesiasticas. Servatâ verò, quæ scripta est, de gubernationibus regulâ, manifestum est, quòd illa, quæ sunt per unamquamque Provinciam, ipsius Provinciæ Synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio. Ecclesias autèm Dei in Barbaricis &c.* Quæ hoc in loco sequuntur verba jam superiùs retuli ad canonem

q. 8. & 9. caus. 9. q. 2.

nem 3. dist. 22. Huic Concilii Constitutioni occasionem dederunt plurium Episcoporum excessus, qui in alienis, remotissimisque Diœcesibus Episcopos ordinaverant; inter quos fuit Meletius Orientis Episcopus, qui, Constantinopolim profectus, ibidèm ipse inter alios Gregorium Nazianzenum in Episcopum ordinaverat, si fides est Sozomeno lib. 7. cap. 3. & 7., itèm Petrus Alexandrinus Episcopos ex Ægypto Constantinopolim miserat, qui Maximum Cynicum Episcopum etiàm Constantinopoleos consecrarent, eodem Sozomeno teste dicto lib. 7. cap. 19., licèt omninò distinctæ, dissitæque Diœceses essent; etenim Meletius in Oriente degebat, Petrus in Ægypto, & Constantinopolis Urbs in Thracica Diœcesi esset constituta. Porrò apùd Græcos quinque erant divisæ Provinciæ; scilicèt Oriens, Ægyptus, Asiana, Pontica, & Thracica. Orienti subdebatur Palestina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Isauria, Palestina salutaris, Palestina secunda, Phœnice Libani, Euphratensis, Syria salutaris, Osrhoena, Mesopotamia, & Cilicia secunda. Ægypto subdebatur utraque Lybia, Thebais, Ægyptus, Arcadia, & Augustanica. Asianæ suberant Pamphylia, Hellespontus, Lydia, Pisidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia salutaris, Lycia, Caria, & Insulæ. Ponticæ subdebantur Galatia, Bithynia, Honorias, Cappadocia prima, Cappadocia secunda, Paphlagonia, Pontus Polemoniacus, Hellespontus, Armeniæ prima, & secunda, & Galatia salutaris. Demùm Traciæ subdebantur Europa, Thracia, Hæmimontis, Rhodope, Mæsia secunda, & Scythia.

CAPUT XIII.

De Concilio Cæsaraugustano.

Ex Concilio Cæsaraugustano legitur apùd Gratianum.

Canon 15. *de cons. dist.* 3. *Potissimùm adversùs Priscillianistas editus.*

ANno circitèr 381. celebratum est Concilium Cæsaraugustanum, ità dictum à Cæsaraugustana Civitate vulgò *Zaragoza* in Tarraconensi Provincia Aragonum Metropoli, convenientibus Episcopis duodecim sub Fitadio. Occasionem Concilio dederunt hæretici Priscillianistæ, qui tùnc Hispaniarum Ecclesias perturbabant, ajentes duos esse Deos, sive duo rerum principia, bonorum alterum, alterum malorum: hinc iidem in odium Dei Creatoris, quem die septimo rerum omnium universitatem complevisse, ac requievisse acceperant, diem Dominicum minimè sanctificabant, imò præter morem tristes eodem tempore se se rigidis jejuniis affligebant. Quamobrèm Cæsaraugustani Patres generalitèr decreverunt, ut nemo superstitionis hujusmodi causâ diem Dominicum jejunando transigeret, quod & posteà in universa Ecclesia moribus receptum est. Habetur hæc Constitutio in canone 2. Cæsaraugustano, quem retulit Gratianus in can. 15. de cons. dist. 3., cujus tamèn verba ità legenda sunt: *Nequis jejunet die Dominicâ, causâ temporis, aut persuasionis, aut superstitionis, ut de quadragesimarum diebus ab Ecclesiis non desint; nec habitent latibula cubiculorum, ac montium, qui in his suspicionibus perseverant, sed exemplum, & præceptum custodiant Sacerdotum, & ad alienas villas agendorum conventuum causâ non conveniant. Ab universis Episcopis dictum est: Anathema sit, qui hæc commiserit.*

CA-

CAPUT XIV.

De Concilio Bilonensi.

Nomine Concilii Bilonensis retulit Gratianus sequentem Canonem.

Can. 16. *dist.* 18. *Potius est Concilii Hipponensis.*

OBscurissimum est, & prorsùs ignotum apùd studiosos rerum Ecclesiasticarum Concilium illud, quod Bilonensis nomine laudavit Gratianus in can. 16. dist. 18.; neque enim vel locus designari potest, undè appellatum ità fuerit, vel quâ de causa, vel quo tempore, vel quo auctore fuerit celebratum. Correctores Romani observarunt, hunc canonem in veteribus Gratiani exemplaribus desiderari; sed, cum in plurimis etiàm antiquissimis habeatur, non est cur à me sit prætereundus. Sentiunt eruditi fermè omnes, emendandam esse inscriptionem, & pro Bilonensi Concilio legendum potiùs esse Cabilonense. Ego vulgari huic opinioni facilè adhærerem, quotiès in aliquo Cabilonensi Concilio canon hujusmodi haberetur. Sed in editis Cabilonensibus Conciliis frustrà hæc Constitutio quæritur: quamobrèm arbitror, hanc conjecturam tùm demùm locum habituram esse, cum tale Concilium Cabilonense adpareat, in quo canon ille reperiatur.

Intereà ego potiùs arbitror, pro Concilio *Bylonensi* legendum potiùs esse *Hypponense*, neque enim tanta est vocis utriusque dissimilitudo, ut non facilè ex Codicibus præsertim MSS. una vice alterius exarari potuerit. Referendus erit tùnc canon 16. dist. 18. ad Concilium Hipponense anni 393. in quo fertur S. Augustinus adhùc Presbyter de fide & symbolo strenuè disputavisse, quemadmodùm narrat Possidius in ejus vita cap. 7. Huic Concilio adscribi solent canones xl.; sed Schelstratius Ecclesiæ Africanæ Dissert. 3. cap. 6. suppositicios eos esse, variis argumentis contendit; contrà quàm dein conatus fuerit Paschasius Quesnellius in Dissertatione sua 12. in Appendice ad Leonem Magnum. Quidquid tamèn sit, hodiè ipsimet Hipponenses canones desiderantur; ac superest tantummodò breviatio quædam, seu breviarium eorumdem incerti auctoris. Edidit integrum Quesnellius in Codice Canonum, quem tribuit Ecclesiæ Romanæ, ubi cap. 5. hæc leguntur: *Ut propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpè veterascunt, singulis quibusque annis Concilium convocetur, ad quod omnes Provinciæ, quæ primas sedes habent, ex Conciliis suis ternos legatos mittant: ut & minùs invidiosi, minùsque hospitibus sumptuosi conventus plena possit esse auctoritas.* Ceterùm ejusdem Concilii Breviarium antiquissimum est, cum de eo mentio fiat in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ cap. 34. ibi: *Epigonius Episcopus dixit: In hoc Breviario, quod decerptum est de Concilio Hipponensi, nihil arbitramur esse emendandum, vel assuendum, nisi, ut dies sanctæ Paschæ tempore Concilii innotescat*; quæ verba deprompta sunt ex Concilio Carthaginensi anni 397. Sunt, qui ad calcem Concilii Carthaginensis vulgò III. adjecerunt Breviarium Hipponensis Concilii, sed paucis admodùm canonibus descriptis, inter quos num. 6. leguntur hæc verba: *ut per singulos annos Concilium convocetur*: Idem autèm Carthaginense Concilium ità constituerat can. 2. *Similiter placuit, ut propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpè veterascunt, singulis quibusque annis Concilium convocetur.* Fortè itaquè apùd Gratianum habemus integrum Hipponensem canonem, quem Gratianus idem in aliquo vetusto Codice conservatum descripserit; etenim ea, quæ modò retuli, verba sunt vel ex Breviario petita, vel ex Concilio Carthaginensi, in quo

Hipponense confirmatum fuerat. Nihilominùs tamèn facilè suspicabor, recentiores canonum Collectores quidpiam addidisse, ut vetustum canonem moribus suorum temporum accommodarent, in ea præsertim parte, in qua agitur de Abbatibus ad Synodum convocandis.

Utile prætereà erit hoc in loco observare, eamdem non sempèr fuisse Ecclesiarum disciplinam ratione temporis, quo Concilia celebrari debeant. Etsi enim aliquandò quibusdam in Provinciis cautum fuerit, ut bis singulis annis Concilia fierent, quemadmodùm manifestè liquet ex canone 38. ex Apostolicis, ex Concilio Nicæno, aliisque quamplurimis; aliquandò tamèn paulò alitèr decretum est, ità exigentibus Ecclesiarum utilitatibus, videlicèt ut semèl tantùm unoquoque anno convocarentur, sicuti non solùm deducitur ex dicto canone 16. dist. 18., qualemcumque tandèm auctorem habeat, verùm etiàm ex Concilio Toletano IV. anni 633. can. 3. ibi: *Quia juxtà antiqua Patrum decreta bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non sinit, saltèm vel semèl à nobis celebretur.* Itèm in Concilio Nicæno II. generali can. 6. hæc leguntur: *Quoniàm canon est, qui dicit, bis in anno in unaquaque Provincia per congregationes Episcoporum fieri oportere quæstiones canonicas, propter vexationem, & quòd itineri perficiundo minùs sufficerent, qui cogebantur, statuerunt sancti sextæ Synodi Patres ea omninò, & quacumque postposita causâ, semèl in anno fieri, & delicta corrigi. Hunc ergò canonem nos quoquè renovamus.* Aliquandò etiàm statutum scimus, ut tertio quoquè anno tantummodò fierent, quemadmodùm habetur in Concilio Matisconensi anni 585. can. 20., in Concilio Lateranensi III. anni 1179. ses. 10., & demùm in Concilio Tridentino ses. 24. cap. 2. Si hodiernam praxim inspicimus, nullus ampliùs esse videtur Synodorum Provincialium usus, quidquid exoptaverint Tridentini Patres, fortè, ut arbitror, quòd non satis certa sint Metropolitanorum in suffraganeos Episcopos jura, cum, sicut in plurimis, ità & in hac re consuetudinibus potiùs Provinciarum, quàm Juri scripto pareatur. Vix autèm identidèm celebrari videmus Episcopales Synodos; quibus si consulatur Ecclesiasticæ disciplinæ, fortè per pravas consuetudines violatæ, communi Clericorum consensione accedente, ac consilio præeunte, futurum erit, ut veterum Patrum sanctiones juxtà eorumdem mentem executioni mandentur.

CAPUT XV.

De pluribus Africanis, sive Carthaginensibus Conciliis, 4. vel 5. Ecclesiæ sæculo celebratis.

Africana Concilia ità retulit Gratianus, ut nùnc generali nomine Provinciæ illa *Africana* appellaverit; nùnc verò peculiari nomine Urbis, in qua Conventus facti sunt, *Carthaginensia.* Ex Carthaginensibus verò modò servato ordine temporis numeravit, ex. gr. primum, secundum, aut tertium; modò ità inscripsit, ut ignotum prorsùs esset, qualenam ex Carthaginensibus Conciliis memoraretur. Hæc in causa sunt, cur in præsens sub uno capite Gratianea fragmenta, ad Concilia Africana, aut Carthaginensia quæcumque pertinentia, comprehendam sequenti methodo.

Ex Concilio Carthag. 1.
- *Can. 3. dist. 54. paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can. 6. dist. 71. paulò varius in diversis exemplaribus.*

Can.

Can. 3. caus. 15. q. 7. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 1. caus. 21. q. 3. pertinet potiùs ad Concilium Chalcedonense.
Can. 2. caus. 21. q. 3. consonat cum aliis Africanæ Ecclesiæ Conciliis.

Ex Concilio Carthag. 2.
- Can. 3. dist. 31. referendus ad can. 3. dist. 84.
- Can. 5. dist. 65. ad melioris notæ Codices exigendus.
- Can. 3. dist. 84. ad melioris notæ Codices exigendus.
- Can. 5. caus. 11. q. 3. ad melioris notæ Codices exigendus.
- Can. 29. caus. 11. q. 3. ad melioris notæ Codices exigendus.
- Can. 4. caus. 15. q. 7. paulò varius in diversis exemplaribus.
- Can. 50. caus. 16. q. 1. ad exemplarium integritatem exigendus.
- Can. 1. caus. 26. q. 6. consonat cum optimis exemplaribus.
- Can. 5. caus. 26. q. 6. consonat cum optimis exemplaribus.

Ex Concilio Carthag. 3.
- Can. 5. dist. 23. paulò varius in diversis exemplaribus.
- Can. 2. dist. 24. consonat cum Breviario Fulgentii Ferrandi.
- Can. 8. dist. 32. commodâ interpretatione illustrandus.
- Can. 7. dist. 38. paulò varius in diversis exemplaribus.
- Can. 5. dist. 42. consonat cum optimis exemplaribus.
- Can. 4. dist. 44. consonat cum optimis exemplaribus.
- Can. 2. dist. 72. consonat cum aliis Africanorum Conciliorum fragmentis.
- Can. 5. dist. 77. consonat cum optimis exemplaribus.
- Can. 27. dist. 81. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
- Can. 32. dist. 81. paulò varius in diversis exemplaribus.

Ex Concilio Carthag. 3.
- Can. 3. dist. 99. consonat cum optimis exemplaribus.
- Can. 3. caus. 1. q. 4. consonat cum optimis exemplaribus.
- Can. 4. caus. 1. q. 4. apocryphus, sed cum sententia Patrum Africanorum facilè conformis.
- Can. 34. caus. 2. q. 6 } simùl jungendi, atque ex aliis Concilii
- Can. 37. caus. 2. q. 6. } exemplaribus emendandi.
- Can. 1. caus. 4. q. 5. } simùl jungendi, & paulò varii in di-
- Can. 1. caus. 4. q. 6. } versis exemplaribus.
- Can. 27. caus. 7. q. 1. paulò varius in diversis exemplaribus.
- Can. 19. caus. 11. q. 1. ex melioris notæ Codicibus emendandus.
- Can. 43. caus. 11. q. 1. ad melioris notæ Codices exigendus.
- Can. 44. caus. 11. q. 1. est veluti summa canonis 43. caus. 11. quæst. 1.

Ex Concilio Carthag. 3.
- Can. 1. caus. 12. q. 3. consonat cum optimis exemplaribus.
- Can. 6. caus. 14. q. 4. paulò varius in diversis exemplaribus.
- Can. 5. caus. 15. q. 7. varius in diversis exemplaribus.
- Can. 51. caus. 16. q. 1. consonat cum optimis exemplaribus.
- Can. 13. caus. 20. q. 1. est potiùs Concilii Agathensis.
- Can. 14. caus. 20. q. 1. idem est cum can. 5. dist. 77.
- Can. 3. caus. 21. q. 3. paulò varius in diversis exemplaribus.
- Can. 2. caus. 26. q. 6. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
- Can. 14. caus. 26. q. 6. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.

Can. 5. caus. 26. q. 7. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 49. de cons. dist. 1. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 5. de cons. dist. 2. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 96. de cons. dist. 2. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 75. de cons. dist. 4. ad melioris notæ Codices exigendus.
Can. 107. de cons. dist. 4. jungendus cum can. 19. caus. 11. quæst. 1.

Can. 9. dist. 18. paulò varius in exemplaribus Concilii.
Can. 2. dist. 23. consonat cum exemplaribus Concilii.
Can. 7. dist. 23. vix varius in exemplaribus Concilii.
Can. 8. dist. 23. nonnullis adjectis recentiore manu.
Can. 11. dist. 23. consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 15. dist. 23. paulò varius in diversis Codicibus.
Can. 16. dist. 23. consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 17. dist. 23. in diversis Codicibus varius.
Can. 18. dist. 23. consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 19. dist. 23. consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can 20. dist. 23. consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.

Ex Concilio Carthag. 4.

Can. 29. dist. 23. paulò varius in diversis Codicibus.
Can. 33. dist. 23. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.

Omnes incertæ auctoritatis.

Can. 6. dist. 24. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 1. dist. 37. à veterum disciplina alienus.
Can. 7. dist. 41. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 8. dist. 41. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 3. dist. 46. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 4. dist. 46. aliter refertur in vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 5. dist. 46. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 6. dist. 46. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 7. dist. 46. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 8. dist. 46. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 55. dist. 50. varius in diversis exemplaribus.
Can. 33. dist. 81. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 34. dist. 81. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 5. dist. 88. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 6. dist. 88. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 7. dist. 88. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 1. dist. 90. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 2. dist. 90. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 6. dist. 90. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 7. dist. 90. paulò varius in diversis Codicibus.
Can. 8. dist. 90. idem est cum can. 2. dist. 90.
Can. 3. dist. 91. non convenit Carthaginensi Concilio.

Can. 4. dist. 91. emendandus ex exemplaribus Concilii.
Can. 4. dist. 95. paulò varius in exemplaribus Concilii.
Can. 9. dist. 95. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 10. dist. 95. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 32. caus. 2. q. 6. veterum disciplinæ difformis.
Can. 1. caus. 6. q. 2. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Ex eodem Concilio Carthagin. 4.
Can. 37. caus. 7. q. 1. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 38. caus. 7. q. 1. paulò varius in exemplaribus Concilii.
Can. 19. caus. 11. q. 3. paulò aliter in exemplaribus Concilii.
Can. 30. caus. 11. q. 3. veteri disciplinæ admodùm conformis.
Omnes incertæ auctoritatis.
Can. 35. caus. 11. q. 3. vix Concilio conveniens.
Can. 9. caus. 13. q. 2. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 1. caus. 14. q. 1. perperàm à Gratiano explicatus.
Can. 6. caus. 15. q. 7. veteri disciplinæ admodùm conformis.
Can. 11. caus. 18. q. 2. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 35. caus. 24. q. 3. ad melioris notæ Codices exigendus.
Can. 11. caus. 26. q. [illegible]. paulò aliter in vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 8. caus. 26. q. 6. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 6. caus. 26. q. 7. ad melioris notæ Codices exigendus.
Can. 1. caus. 27. q. 1. jam à Romanis Correctoribus ad fidem aliorum Codicum exactus.
Can. 5. caus. 30. q. 5. idem est cum can. 33. dist. 23.
Can. 63. de cons. dist. 1. consonat cum vulgatis exemplaribus Concilii.
Can. 66. de cons. dist. 1. consonat cum vulgatis exemplaribus Concilii.
Can. 67. de cons. dist. 1. consonat cum vulgatis exemplaribus Concilii.
Can. 23. de cons. dist. 3. consonat cum vulgatis exemplaribus Concilii.
Can. 20. de cons. dist. 4. consonat cum vulgatis exemplaribus Concilii.
Can. 60. de cons. dist. 4. paulò varius in Concilii exemplaribus.
Can. 11. de cons. dist. 5. ad meliorum Codicum fidem exigendus.
Can. 12. de cons. dist. 5. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 10. dist. 18. ad meliorum Codicum fidem exigendus.
Can. 13. dist. 32. ad meliorum Codicum fidem exigendus.
Caa. 65. dist. 50. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 66. dist. 50. est potiùs Siricii Papæ in epistola ad Himerium Tarraconensem.
Can. 2. dist. 58. ad meliorum Codicum fidem exigendus.
Can. 4. dist. 84. idem est cum can. 13. dist. 32.
Ex Concilio Carthagin. 5.
Can. 38. caus. 2. q. 6. ad meliorum Codicum fidem exigendus.
Can. 21. caus. 7. q. 1. consonat cum optimis exemplaribus.
Can. 22. caus. 7. q. 1. consonat cum optimis exemplaribus.
Can. 36. caus. 11. q. 3. consonat cum optimis exemplaribus.
Can. 39. caus. 17. q. 4. varius in diversis exemplaribus.
Can. 3. caus. 21. q. 5. ad meliorum Codicum fidem exigendus.
Can. 10. caus. 23. q. 3. hodiè à Romanis Correctoribus emendatus.
Can. 26. de cons. dist. 1. paulò varius in diversis exemplaribus.

- *Can.* 24. *de cons. dist.* 3. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 111. *de cons. dist.* 4. *ex aliis Codicibus emendandus.*

Ex Concilio Carthagin. 7.

- *Can.* 1. *caus.* 3. *q.* 10. *concordat cum optimis exemplaribus.*
- *Can.* 1. *caus.* 4. *q.* 1. *ad melioris notæ Codices exigendus.*
- *Can.* 1. *caus.* 4. *q.* 2. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 2. *caus.* 4. *q.* 6. *referendus ad canonem* 1. *caus.* 4. *q.* 1.
- *Can.* 3. *caus.* 6. *q.* 2. *consonat cum optimis exemplaribus.*

Ex Concilio Carthagin. 8.

- *Can.* 11. *caus.* 11. *q.* 1. *pertinet ad Concilium Carthagin. anni* 407.

Ex Concilio, quod Carthaginen. unicum Gratianus appellavit.

- *Can.* 50. *caus.* 12. *q.* 2. *referendus ad canonem* 50. *caus.* 12. *q.* 2.
- *Can.* 51. *caus.* 12. *q.* 2. *pertinet ad Concilium Carthaginense anni* 419.

Sequuntur ex Conciliis Carthaginensibus.

- *Can.* 3. *dist.* 74. *referendus est ad canonem* 4. *dist.* 74.
- *Can.* 4. *dist.* 74. *pertinet ad Concilium Carthaginense anni* 419.
- *Can.* 6. *caus.* 10. *q.* 2. *pertinet potiùs ad Leges Longobardorum.*
- *Can.* 1. *caus.* 33. *q.* 2. *est potiùs Concilii Agathensis.*

Sequuntur ex Conciliis Africanis.

- *Can.* 39. *caus.* 2. *q.* 6. *pertinet ad Concilium Carthaginense anni* 407.
- *Can.* 9. *caus.* 11. *q.* 3. *pertinet ad Concilium Carthaginense anni* 419.
- *Can.* 15. *caus.* 16. *q.* 3. *pertinet ad Concilium Carthaginense anni* 418.

- *Can.* 7. *caus.* 27. *q.* 2.
- *Can.* 8. *caus.* 27. *q.* 2.

} *tribui nullo modo possunt Conciliis Africanis, aut aliis quibuslibet veterum temporum.*

QUicumquè sive integerrimos veterum Patrum Africanorum mores, sive eximiam eorumdem doctrinam contempletur, statim agnoscet, quòd summam sanè apùd omnes sibi venerationem conciliaverit vetus Ecclesia Africana. Anxia fuit disciplinæ custos Cypriano Duce, in Tertulliano sapientissimas morum regulas tradidit, in Augustino, (ut Fulgentium omittam, & Optatum Milevitanum) strenuè adversùs hæreses pugnavit, in asperrimis negotiis prudentissima, in perscrutandis rebus altissimis sapientissima, ceterisque dotibus ut plurimùm prædita, quæ rectè formatam, institutamque Dei Ecclesiam decent. Hinc est, quòd canones, in Africanis Conciliis editi, licèt Africanorum tantummodò Provincias spectarent, tamèn in aliis etiàm Provinciis maxima in parte passim recepti fuerint, quasi generalium Conciliorum Constitutiones. Etenim, quotquot in Codicem redegerunt Ecclesiasticos canones, non sanè Carthaginenses canones omiserunt, imò eorumdem perhonorifica sempèr mentio facta est. Ipsemet Dionysius Exiguus, cujus ceteroqui potissimum studium fuit, ut Græcos canones latinè interpretaretur, eadem ratione, quâ Sardicenses retulit, ipsâ ab Africanis abstinendum sibi non esse duxit. In Codice antiquissimo canonum, quem Romanæ veteri Ecclesiæ tribuit Quesnellius (quæcumque tandèm sit ejus Codicis auctoritas, & fides), primum obtinent locum post Nicænos canones Carthaginensis Concilii; imò & ipsi Græci studuerunt, ut iidem Africani canones in Græcum idioma converterentur, suisque Codicibus insererentur, quos propterea probarunt in Synodo Quinnisexta can. 2., quemadmodùm jam observaverunt Romani Correctores ad canonem 1. dist. 20. verbo *Carthaginensium.* Sanè in hoc canone 1. vi-

videntur iidem Carthaginenses canones, sive etiàm Africani (utroque enim nomine, & *Africanensium*, & *Carthaginensium* ibidèm appellantur) per Romanam Ecclesiam, sive à Leone Pontifice Maximo confirmati. Jam patet ex iis, quæ superiùs sunt descripta, fragmentis, quò in pretio habiti fuerint Carthaginenses canones apùd Gratianum, qui plurimos ex eisdem in suum Codicem retulit, imitatus sanè Ivonem, Burchardum, & Reginonem, ut ceteros alios omittam illorum temporum Collectores.

Cum verò, ut ajebam, apùd Collectores eosdem, ac propterèa etiàm apùd Gratianum Concilia Africana, ac præsertim Carthaginensia, invicèm inter se se non distinguantur, quorum tamèn distinctio maximè utilis esse omnibus facilè videtur, antequàm Gratianeis ipsis fragmentis manum admoveam, operæ pretium erit ordinem quemdam texere Carthaginensium Conciliorum, illorum saltèm, quorum memoria ad nos usquè pervenit, aut quorum apùd eruditos, vel Collectores canonum mentio solet esse frequentior.

I. Carthaginensis Synodus celebrata fertur anno 217. sub Agrippino Episcopo, convocatis omnibus Numidiæ, & Africæ Episcopis, quam memorat Cyprianus in epistola ad Quintum, & in epistola ad Bajanum. Hujus sanè doctrina ab Ecclesia recepta non fuit, cum ibidèm definitum fuerit baptizatos ab hæreticis rebaptizandos esse, quemadmodùm apùd Afros ex illorum sententia fieri consuevisse, re nondùm satis maturè discussâ, nemo est qui ignorat.

II. Synodus Carthaginensis eodem etiàm fortè anno 217. sub Agrippino celebrata est, in qua definitum fuisse scimus, ne clericus ullum tutelæ vel curæ onus susciperet. Fidem hujus facit idem Cyprianus in epistola ad Clerum & plebem Furnitanorum.

III. Concilium factum est circà annum 254. sub S. Cypriano in causa Felicissimi, & Novatiani, quemadmodùm constat ex eodem Cypriano in epistola ad Antonianum, itèm ex epistola ad Cornelium Papam. Hujus ejusdem Concilii mentionem fecit auctor libelli Synodici cap. 22.

IV. Concilium Carthaginense, nondùm extincto Novatiano schismate, celebratum est sub ipso S. Cypriano anno sequenti, id est, anno circitèr 255. uti refert Cyprianus idem in lib. 1 epist. 2. & 3. Actum in eo est de pœnitentia lapsis, & reversis ad Ecclesiam, concedenda; necnon de definiendo ejusdem pœnitentiæ modo.

V. Synodus Carthaginensis sub eodem Cypriano celebrata est anno 257. adversùs eos, qui adversùs disciplinam in Ecclesia receptam asserebant, infantes non nisi pòst octavum à nativitate diem baptizandos esse, exemplo Judaicæ Circumcisionis. Hujus etiàm meminit Cyprianus lib. 3. epist. 8. ad Fidum presbyterum.

VI. Quoquè Concilium celebravit Cyprianus anno circitèr 258. in causa Basilidis, & Martialis, ubi actum fuit de Libellaticis, sive iis, qui, persequutione urgente, metu mortis concussi privatim fidem Christi abnegarunt, publicum verò idolorum cultum datâ pecuniâ redemerunt.

Tria Concilia, ac propterèa VII., VIII., & IX. se celebrasse refert Cyprianus circà idem tempus, uti constat ex ejus epistola ad Jubajanum; in quibus actum maxima cum alacritate de rejiciendo baptismate hæreticorum: atque ex istis Concilium unum fuit (fortè postremum) celebratissimum numero Episcoporum, qui usquè ad 217. convenerant; cujus sententiæ recitantur apùd eumdem Cyprianum frequentissimè, & apùd S. Augustinum lib. 6. de baptismo; atque apùd Collectores in capita 87. dividuntur. Et, quamquàm in hac Synodo multa sint contrà baptismatis rationes, & jura, quæ postmodùm in Ecclesia recepta sunt; Græci tamèn, (nescio, an odio Romanæ Ecclesiæ, contrà cujus consuetudines ii canones statuti fuerant; an ob maximam, quam ergà Africanos veneratio-

nem

nem profitebantur), non dubitarunt in suos Codices singula traducere, atque in Græcum idioma ad commodam suorum perceptionem convertere. Inter ceteros autèm Balsamon & Zonaras, sicut ceteros antiquissimos Græcos canones, ità capita hujus Concilii notis, atque observationibus illustrarunt.

X. Carthaginensis Concilii acta recensuit Augustinus in breviculo Collationis die 3. cap. 14., necnon Optatus Milevitanus lib. 1. Celebratum illud fuit anno circitèr 306. in causa Cæciliani Episcopi, qui, licèt absens, & inauditus, damnatus est, suffecto in ejus locum, & dignitatem Majorino.

Prætereo autèm lubentissimè hoc in loco nonnulla Carthaginensia Concilia, seu potiùs Conciliabula, ut ajunt, utpotè quæ à Donatistis convocata sunt circà initium quarti sæculi, ad fovendum schisma, quod pridèm concitaverant; non enim merentur hæc, ut Ecclesiasticis sanctorum Patrum Conciliis accenseantur.

XI. Potiùs Concilium Carthaginense appellavero, quod celebratum fuit anno 348. vel, ut aliis placet, anno 349. sub Grato Episcopo Carthaginensi, cujus acta, & canones numero quatuordecim extant in Codicibus Conciliorum.

XII. Concilium dici fortè posset illud, quod protulit Lucas Holstenius ex veteri MS. codice ad annum 390. sub Genethlio Episcopo habitum. Tria & decem in eo capita continentur, disciplinam Ecclesiasticam veterem omninò spectantia. Fateor quidèm, Concilium istud non omni falsitatis suspicione vacuum esse. Verùm hoc in loco illud memorasse sufficiat, ne novo huic Carthaginensium Conciliorum ordini deesse quidpiam videatur.

XIII. Concilium Carthaginense habitum est anno 394. sub Aurelio Episcopo, cujus mentio fit in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ num. 34. apùd Labbeum; quid verò in eo gestum fuerit, prorsùs ignoratur.

His omnibus postremo loco addi possunt alia Concilia Carthaginensia numero quindecim, sub eodem Aurelio Episcopo celebrata ab anno circitèr 400. usquè ad annum 419., in quibus plura Ecclesiasticæ disciplinæ capita sunt sanctissimè constituta. Canones horum Conciliorum appellantur hodiè à Collectoribus *Codex canonum Ecclesiæ Africanæ*, atque idem ipse est, quem Græci in suum idioma transtulerunt ad utilitatem Ecclesiæ suæ, quemque Zonaras, Balsamon, & Aristenus, Græci Interpretes, observationibus explicarunt. Apùd Latinos edidit Justellus eumdem Codicem notis illustratum, & Philippus Labbeus se illum edidisse profitetur ex vetustis MSS. Codicibus *integrum, non intercisum, neque in varia veluti membra discerptum.* Non est sanè hoc loco ommittendum, hunc eumdem Codicem, ex variis Aurelii Carthaginensis Conciliis compactum, laudari apùd quamplures nomine Concilii Carthaginensis, vel Africani. Itèm eidem Codici inserta sunt quædam ad alia Africana Concilia pertinentia, sed veluti per indicem, quemadmodùm exhibentur aliquot canones Concilii Hipponensis, & Milevitani, undè aliquandò contingere potuit, ut canones Milevitani, aut Hipponenses Carthaginensium nomine appellarentur. Quis primus singula hæc capita, sub Aurelio constituta, in unum quasi Codicem redegerit, incertum est. Certò tamèn scimus, omnia illa fuisse ab Africana, sive Carthaginensi Ecclesia probata, quemadmodùm constat ex Carthaginensi Concilio anni 419.

Ex his jam collegimus Concilia num. 28. Carthaginensia. Plura posteriora tempore numerari possent. Sed abstinendum ab ulterioribus arbitror, sive quòd passim à Collectoribus distincta secernantur perspicuâ methodo, sive quòd posteriorum hujusmodi Conciliorum editiones parùm valere possunt ad obtinendam notitiam fragmentorum Gratiani. Satis intereà fuit antiquiorum seriem describere, in quibus potissimùm gravissima apùd omnes etiàm eruditissimos difficultas versatur.

De

De Canonibus Concilii Carthaginensis, quod primum dicitur apùd Gratianum.

Quod primum Carthaginense Concilium in Gratiani Codicibus, necnon vulgò apùd Collectores Conciliorum appellatur, illud ipsum est, quod ego superiùs numero undecimum recensebam; quod scilicèt sub Grato Episcopo celebratum est anno 348. vel 349., cujus exemplaria duo hodiè apùd Labbeum edita habemus. Hùc in primis refertur canon 3. dist. 54., quem hodiè Romani Correctores laudatum voluerunt ex cap. 8. Concilii I. Carthaginensis; & quidèm rectè, cum reverà habeatur in d. cap. 8., sed priora verba non eadem in omnibus exemplaribus habentur: Nàm prior Labbei editio ità exhibet: *Magnus Episcopus Astiagensis dixit: Quid dilectioni vestræ videtur? Procuratores, & actores etiàm per se, tutores pupillorum debeant ordinari. Gratus Episcopus dixit: Si pòst deposita &c.* In altera Labbei editione ità scriptum est: *Magnus Episcopus Aptongensis dixit: Quid dilectioni vestræ videtur? Procuratores, & actores, tutores etiàm, seu curatores pupillorum si debeant ordinari? Gratus Episcopus &c.* Hæc sanè disciplina consonat cum moribus Ecclesiæ Africanæ veteris, in qua receptum erat, ne, qui clero adscripti essent, tutelam, aut curam gererent, ne fortè occasione publici muneris à divinis ministeriis abstraherentur, quemadmodùm constare potest ex Concilio Carthaginensi, quod superiùs recensui num. 2., & S. Cypriano in epist. ad clerum, & plebem Furnitanorum. Quòd si quispiam quæreret, cur hoc Carthaginense Concilium, quod ego numero undecimum inter Carthaginensia recensui, vulgò tamèn apùd Collectores, & in ipsis Gratiani Codicibus primum dicatur, facilis ratio reddi potest; vel fortè, quia primum est Carthaginense ex iis, quæ pòst Concilium Nicænum Generale I. celebrata sunt, vel quòd primum sit, & antiquissimum pòst schismaticos in Africa deturbatos, atque confectos, uti ait Baronius ad annum 397. num. 42.

In eodem Concilio can. 3. legitur canon 6. dist. 71. cujus tamèn verba in aliis exemplaribus paulò alitèr describuntur hoc modo: *Privatus Episcopus Vegeselitanus* (legunt aliqui *Begeizelitanus*) *dixit: Suggero Sanctitati vestræ, ut statuatis, non licere Clericum alienum ab aliquo suscipi sine literis Episcopi sui, neque apùd se retinere; nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet, sine conscientia ejus Episcopi, de cujus plebe est. Gratus Episcopus dixit: Hæc observantia pacem custodit; Nàm & memini in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet; Sed si fortè erit necessarius, petat à collega suo, & per consensum habeat.* Aliæ editiones habent: *Sed si fortè erit necessarius ordinationi, ut de vicino homo sit necessarius, petat à collega suo, & concessum habeat.* Quoniàm verò Gratus Episcopus ibidèm laudat Concilium Sardicense, referre se voluit ad canonem 19. ejusdem Synodi, in quo statuitur, neminem debere ex aliena Ecclesia ordinari, nisi suo Episcopo consentiente, ibi: *Et hoc universi constituimus, ut, quicumque ex alia Parochia voluerit alienum ministrum sine consensu Episcopi ipsius, & voluntate ordinare, non sit rata ordinatio ejus.* Hæc porrò Constitutio in sequentibus Conciliis Africanis sub Aurelio est confirmata, quemadmodùm constat ex cap. 54. in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ; itèm apùd Dionisium Exiguum in Concilio Carthaginensi cap. 54. Posset tamèn negotium quoddam facesere caput 55. sive in dicto Codice Africano, sive in eodem Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui, cujus capitis 55. hæc inscriptio legitur: *ut Carthaginensi Episcopo, undè voluerit, Clericum liceat ordinare.* Quicumque hujus inscriptionis auctor est, non videtur subjecti capitis prorsùs intellexisse sententiam; nàm integrum caput aliò pertinet: videlicèt dicitur, non Clericos quoscumque posse à Carthaginensi Episcopo de quacumque Provincia ordinari, quod sanè esset adversùs constituta Africano- Can. 6. dist. 71.

rum in dicto can. 6. dist. 71., & constituta Concilii Sardicensis, sed pertinere ad curam, ac sollicitudinem Episcopi Carthaginensis, ut, quotiès in Africa Episcopus quidam eligendus esset, & in locum defuncti substituendus, in Ecclesia vacante novum Episcopum de quacumque Provincia eligeret, ac consecrandum proponeret; quod sanè exigere videbatur utilitas Ecclesiastica; ubi enim de Episcopis agebatur, quærendus erat, & quidèm ex Provinciis pluribus, prudentissimus quisque, cum aliquandò contingeret, ut in civitate, cui præficiendus esset, aptus Dei minister desideraretur. Ità in canone legitur: *Unus autem Episcopus difficilè invenitur constituendus. Quapropter, si necessarium Episcopatui quis habuerit presbyterum, & unum, ut dixisti frater, habuerit, etiàm ipsum ad promotionem dare debebit.*

De canone 3. caus. 15. quæst. 7. nihil est, quod peculiaritèr hic attingam. Habetur is in eodem Concilio cap. 11. Romani autèm Correctores jam satis observarunt scriptionis varietatem, qualis in diversis Concilii exemplaribus habetur.

Can. 3. caus. 15. q. 7.

Depravatus maximè fuerat Gratiani Codex in can. 1. quæst. 3. caus. 21.; etenim ejus initio proponebatur, Clericos sæcularibus negotiis vacare non debere, idque confirmabatur auctoritate Concilii Carthaginensis I., *in quo Nicolaus Papa Episcopis Castilianis dixisse legitur &c.* Necessaria hic omninò fuerat Romanorum Correctorum emendatio his verbis: *In quo Nicasius Episcopus Culusitanus dixisse legitur capite* 6. Pòst hæc verba subsequi immediatè debebat canon, *credo placere*, qui modò ordine secundus est in dicta quæst. 3. caus. 21., is enim canon idem est cum cap. 6. ejusdem Concilii Carthaginensis his verbis: *Necasius* (legunt alii *Nicasius*, alii *Nicasus*) *Episcopus Culusitanus dixit: Credo, placere suggestionem meam sanctitati vestræ, & displicere vobis, ut, qui serviunt Deo, & annexi sunt Clero, accedant ad actus, seu administrationem, vel procurationem domorum. Gratus Episcopus dixit: Et Apostolorum statuta sunt, quæ dicunt: Nemo militans Deo ingerit se negotiis sæcularibus. Proindè aut Clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio Clericorum: Universi dixerunt: Hoc observamus.* At auctor Palearum, cum adnexuerit fortè ad marginem canonem 3. Concilii Chalcedonensis, qui ad eamdem rem demonstrandam plurimùm facere videbatur, occasionem dedit recentioribus, qui Gratiani Codicem exararunt, ut Chalcedonensem canonem, primo loco appositum Carthaginensi I. Concilio adscriberent, canone Carthaginensi infrà supposito, numero 2. Itaquè, quod initio quæstionis legitur de Concilio Carthaginensi, referendum est ad canonem 2., quem nupèr integrum exhibui. De canone 1. qui est Concilii Chalcedonensis nihil hic dixero, sed potiùs infrà, ubi de canonibus Chalcedonensibus agendum erit. Intereà verò monebo, disciplinam in dicto canone 2. constitutam confirmatam esse in Conciliis Carthaginensibus, sub Aurelio celebratis, quemadmodum luculentèr eruitur ex can. 16. Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, sive canone 16. Codicis canonum Ecclesiæ universæ, ubi hæc leguntur: *Itèm placuit, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio, & inhonesto victum quærant, quia respicere debent scriptum esse: nullus militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

Can. 1. & 2. caus. 21. q. 3.

De Canonibus Concilii Carthaginensis, quod secundum dicitur apùd Gratianum.

Concilium, quod vulgò Carthaginense II. appellatur, unum ex iis est, quæ ab Aurelio Carthaginensi Episcopo celebrata fuisse diximus. Fortè ideò secundum appellatum fuerit, quòd secundum fuerit ex Conciliis Aurelii. Sunt, qui ajunt, celebratum fuisse anno 390., alii anno circitèr 397. Ediderunt illud, nec non ejusdem canones Labbeus, & Harduinus cum veteribus MSS.

MSS. codicibus collatum. In canone 2. hujus Concilii leguntur canon 3. dist. 31., & canon 3. dist. 84. De canone 3. dist. 31. nihil aliud specialitèr dixero, nisi illum referendum esse ad canonem 3. dist. 84., in quo integra habetur Carthaginensium Patrum sententia. Canon autèm 3. dist. 84. restituendus est ad fidem optimorum exemplarium. Non videntur deesse codices antiquissimi ad hanc rem; nàm, ut ajebam, Carthaginensium Conciliorum canones, sub Aurelio editi, apùd omnes maximè venerabiles extiterunt, atque in unum codicem à vetustis collectoribus redacti fuerunt. Dionysius Exiguus, qui sub nomine Concilii Carthaginensis 138. Africanæ Ecclesiæ canones complexus est, ità eumdem descripsit numero 3. *Aurelius Episcopus dixit: Cum in præterito Concilio de continentia, & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti très, qui constrictione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt, Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos, ità placuit, ut condecet sacros Antistites, ac Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Domino postulant, impetrare; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoquè custodiamus.* Deindè numero 4. ità subdidit: *Faustinus Episcopus Ecclesiæ Potentinæ Provinciæ Piceni, legatus Romanæ Ecclesiæ, dixit: Placet, ut Episcopus, Presbyter, & Diaconus, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant. Ab universis Episcopis dictum est: Placet, ut in omnibus pudicitia custodiatur, qui altari inserviunt.* Et quidèm cum hac Dionysii editione omninò consonat Codex canonum Ecclesiæ Africanæ cap. 3. & 4. Paulò alitèr canonem alii descripserunt, eumdem interpretati ex Græcis Codicibus his verbis: *Aurelius Episcopus dixit: Cum in priore Synodo de continentiæ, & castitatis modo quærebatur, placuit, ut ii tres gradus, qui vinculo quodam castitatis per consecrationem implicati sunt, Episcopi, inquam, Presbyteri, & Diaconi, ut sanctos Episcopos, & Sacerdotes Dei, & Levitas, & divinis Sacrificiis ministrantes decet, in omnibus continentes sint, quo possint, quod à Deo simpliciter petunt, impetrare: ut & quod per Apostolos traditum, & ab ipsa antiquitate servatum est, nos quoquè similitèr servemus.*

Can. 3. dist. 31. & can. 3. dist. 84.

In canone 12. ejusdem Carthaginensis Concilii legitur can. 5. dist. 65. Si Concilium Dionysii Exigui, aut Codicem Africanæ Ecclesiæ observemus, exhibebitur idem canon num. 13. hisce verbis: *Aurelius Episcopus dixit: Quid ad hæc Sanctitas vestra? Ab universis Episcopis dictum est: A nobis veterum statuta debere servari, sicuti &, inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ, tàm facilè non præsumant multi congregati Episcopi Episcopum ordinare, nisi necessitas fuerit: tres Episcopi in quocumque loco sint, ejus præcepto ordinare debebunt Episcopum: & si quis contrà suam professionem, vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit.* Nomine Primatis hic designatur Metropolitanus, sive Archiepiscopus juxtà morem Ecclesiæ Africanæ.

Can. 5. dist. 65.

Canon 8. ejusdem Concilii refertur in can. 5. caus. 11. quæst. 3., sed verba Concilii ipsius plurimùm dissonant à Gratiano; illic enim ità legitur: *Alypius Episcopus Ecclesiæ Tagastensis, legatus Provinciæ Numidiæ, dixit: Nec illud prætermittendum est, ut si quis fortè Presbyter, ab Episcopo suo correptus, aut excommunicatus, tumore, vel superbia inflatus putaverit separatim Deo sacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contrà Ecclesiasticam fidem, disciplinamque crediderit, non exeat impunitus. Valentinus primæ sedis Provinciæ Numidiæ dixit: Necessariò disciplinæ Ecclesiasticæ, & fidei congrua sunt, quæ frater noster Alypius prosequutus est. Proindè, quod exindè videtur vestræ dilectioni, edicite. Siquis Presbyter contrà Episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit. Ab universis Episcopis dictum est: Siquis Presbyter à præposito suo excommunicatus, vel correptus fuerit, debet utiquè apùd vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia, (quod absit), inflatus secernendum se ab Episcopi sui commu-*

Can. 5. caus. 11. q. 3.

nione duxerit, ac separatim, cum aliquibus schisma faciens, Sacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Nihilominùs & de civitate, & congregatione, in qua fuerit, longiùs repellatur, ne vel ignorantes, vel simpliciter viventes serpentinâ fraude decipiat; quoniàm secundùm Apostolum Ecclesia una est, una fides, unum baptisma. Et si querimoniam justam adversùs Episcopum habuerit, inquirendum erit. Ità habent vulgati Concilii Codices. In Concilio autèm Carthaginensi, quod edidit Dionysius Exiguus eadem sententia legitur, quemadmodùm etiàm in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, nàm in canone 10. hæc habentur : *Alypius Episcopus legatus Provinciæ Numidiæ dixit : Nec illud prætermittendum est, ut, siquis fortè Presbyter, ab Episcopo suo correptus, tumore, vel superbia inflatus, putaverit separatim Sacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare, contrà Ecclesiasticam fidem, vel disciplinam crediderit, non exeat impunitus. Valentinus primæ sedis Provinciæ Numidiæ dixit : Necessariò disciplinæ Ecclesiasticæ, & fidei congrua sunt, quæ frater noster Alypius prosequutus est : proindè, quid videatur vestræ dilectioni, edicite.* Et in can. 11. *Ab universis Episcopis dictum est: siquis Presbyter à Præposito suo correptus fuerit, debet utiquè apùd vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari : quòd nisi fecerit, sed superbiâ, (quod absit), inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim, cum aliquibus schisma faciens, Sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat : ac, si querimoniam justam adversùs Episcopum non habuerit, inquirendum erit.* Atque ex his, arbitror, Gratiani canonem posse restitui.

Can. 29. caus. 11. q. 3.

Romani Correctores jam nonnulla adnotaverunt ad can. 29. caus. 11. quæst. 3., ut eum ad meliorum Codicum fidem redigerent. Habetur is in canone 7. ejusdem Concilii Carthaginensis juxtà Codices vulgatos. Non omittam ego verba referre Dionysii Exigui, qui eumdem canonem edidit in sua Synodo Carthaginensi num. 9., præsertim quòd eadem verba omninò legantur in Codice Africanæ Ecclesiæ. Ità ille : *Augustinus Episcopus legatus Provinciæ Numidiæ dixit : Hoc statuere dignemini, ut siqui fortè merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, & sive ab aliquo Episcopo, vel Presbytero fuerint in communione suscepti, etiàm ipse pari cum eis crimine teneatur abnoxius, refugientes sui Episcopi regulare judicium. Ab universis Episcopis dictum est : Omnibus placet.* Cum autèm iste canon Augustinum Hipponensem Episcopum auctorem habere videatur, nemo est, qui exindè propter Viri eximii præstantiam eumdem non suscipiat libentissimè.

Can. 4. caus. 15. q. 7.

Canon 4. caus. 15. quæst. 7. legitur in eodem Concilio can. 10. : in postremis autèm verbis non omnes omninò Codices consonant; in aliis enim legitur: *Et à sex Presbyter, & à tribus Diaconus cum proprio suo Episcopo*; in aliis : *& à sex Presbyteris, & à tribus Diaconibus cum proprio suo Episcopo.* Non arbitror recedendum à Dionysii Exigui lectione, quæ habetur in canone 12., eo vel magis, quòd ista consonat omninò cum Codice canonum, qui tributus est Ecclesiæ Africanæ. *Felix Episcopus dixit : Suggero secundùm statuta veterum Conciliorum, ut siquis Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare : ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis audiatur, & Presbyter à sex Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur, & Diaconus à tribus.*

Can. 50. caus. 16. q. 1.

Canon 50. caus. 16. quæst. 1. habetur in cap. 5. ejusdem Concilii. Romani Correctores, quæ apùd Gratianum deerant, supplere ex editionibus Concilii jam cœperunt. Nondùm tamèn omninò integrum canonem juxtà edita exemplaria exhibuerunt. En verba Concilii : *Felix Episcopus Selemselitanus dixit: Etiàm, si hoc placet sanctitati vestræ, insinuo, ut Diœceses, quæ numquàm Episcopos habuerunt, non habeant; & illa Diœcesis, quæ aliquandò habuit, habeat proprium. Et si, accedente tempore, crescente fide Dei, populus multiplicatus desideraverit proprium habere Rectorem, ejus videlicèt voluntate, in cujus potestate est Diœcesis constituta, habeat Epis-*

co-

copum. Secundum hanc prosecutionem sanctitas vestra æstimet, quod fieri debeat. Genedius (legunt alii : *Genethlius*) *Episcopus dixit : Si placet insinuatio fratris, & Coepiscopi nostri Felicis, ab omnibus confirmetur. Ab universis Episcopis dictum est : Placet.* Hic canon, qualis in Concilio habetur, & apùd Gratianum, minimè legitur aut apùd Dionysium Exiguum, aut in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ ; ubi tamèn nonnulla alia leguntur his similia in cap. 53. his verbis : *Epigonius Episcopus dixit : Multis Conciliis hoc statutum à cœtu Sacerdotali est, ut plebes, quæ in Diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ Episcopos numquàm habuerunt, non nisi cum voluntate ejus Episcopi, à quo tenentur, proprios accipiant Rectores, id est, Episcopos.* Et pòst multa subjicitur: *Universi Episcopi dixerunt : Placet, placet.*

Can. 1. caus. 26. q. 6. Canon 1. caus. 26. quæst. 6. idem omninò est cum canone 3. ejusdem Concilii Carthaginensis. Dionysius Exiguus in memorato Concilio Carthaginensi in can. 6. eadem ferè verba descripsit, quæ etiàm consonant cum canone 6. in Codice Ecclesiæ Africanæ, ibi : *Fortunatus Episcopus dixit : In præteritis Conciliis statutum meminimus esse, ut Chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, necnon & puellarum consecratio à Presbyteris non fiant : Siquis autèm emerserit hoc faciens, quid de eo statuendum sit ? Aurelius Episcopus dixit : Audivit dignatio vestra suggestionem fratris, & Coepiscopi Fortunati, quid ad hæc dicitis ? Ab universis Episcopis dictum est : Chrismæ confectio, & puellarum consecratio à Presbyteris non fiat ; vel reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero non licere, hoc omnibus placet.*

Can. 5. caus. 26. q. 1. Pòst verba nupèr descripta in can. 1. caus. 26. quæst. 6. sequuntur statim in eodem Carthaginensi Concilio verba canonis 5. caus. 26. quæst. 1., cum enim in canone 3. Concilii Carthaginensis definitum fuisset, Presbyteros non posse pœnitentibus manus imponere, illosque Ecclesiæ reconciliare, statim subjectum est, hanc facultatem Presbyteris concedi debere, quotiès necessitas exigat infirmitatis, aut inopinati casus, eademque etiàm verba descripta sunt in canone 7. Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, necnon in can. 7. Codicis Ecclesiæ Africanæ.

De Canonibus Concilii Carthaginensis, quod tertium dicitur apùd Gratianum.

Nomine Concilii Carthaginensis tertii vulgò intelligunt illud, quod celebratum fertur sub Aurelio Episcopo Carthaginensi, Cæsario, & Attico Consulibus, sive ad annum 397.: quod fortè ideò tertium dicitur, vel quia tertium sit pòst celebrationem Nicæni Concilii inter Carthaginensia, vel quia tertium numeretur pòst redditam pacem Africanæ Ecclesiæ, extinctasque seditiones schismaticorum; vel demùm quia tertium ex iis fuerit, quibus Aurelius Carthaginensis Episcopus præfuit. Habentur ipsius acta, & canones apùd Labbeum ab Harduino emendati. In canone 40. hujus Concilii habetur canon 5. dist. 23., atque etiàm refertur in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui cap. 50., necnon in Codice Ecclesiæ Africanæ cap. 50. his verbis : *Sed & illud est statuendum, ut, quandò ad eligendum Episcopum convenerimus, si qua contradictio fuerit oborta, quia talia tractata sunt apùd nos,* (Gratianus legit : *quia sæpè talia facta sunt apùd vos.* Vulgata Concilii exemplaria consonant cum Dionysio Exiguo, & Codice Ecclesiæ Africanæ. Harduinus autèm legit : *Quia talia facta sunt apud nos*), *non præsumant ad purgandum eum, qui ordinatus est, tres Episcopi jam ; sed postuletur ad numerum supradictorum unus, vel duo,* (ità etiàm legitur in editionibus Concilii, contrà quam legatur apùd Gratianum), *& in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primò personæ contradicentium. Postremò etiàm illa, quæ objiciuntur, pertractentur, & cum purgatus fuerit in conspectu publico, ità demùm ordinetur. Si hoc cum vestræ sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignationis respon-*

Can. 5. dist. 23.

ponsione. Ab universis Episcopis dictum est: Satis placet.

Ut nullus ordinetur Clericus, nisi probatus vel Episcoporum examine, vel populi testimonio. Can. 2. dist. 24. Verba sunt, quæ leguntur in eodem Concilio can. 22., quæque retulit Gratianus in can. 2. dist. 24. Desideratur hic quidèm canon sive in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui, sive in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ. Verùm eisdem omninò verbis habetur apùd Ferrandum Diaconum in cap. ult. breviationis canonum, ubi fragmentum idem laudatur nomine Concilii Carthaginensis tit. 29.

Duriuscula quibusdam, Græcis præsertim Interpretibus, visa est jurisprudentia, quæ exhibetur in can. 8. dist. 32., qui in eodem Concilio refertur can. 18., & in Codice Ecclesiæ Africanæ, necnon Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui can. 16. eisdem omninò verbis, ibi: *Placuit, ut Lectores, cum ad annos pubertatis pervenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri:* Asperum quippè visum fuit aliquibus tale jugum tenelis adhùc adolescentibus imponere, ignorantibus ut plurimùm, quod magis expedire sibi possit. Quamobrèm ad hunc canonem ait Balsamon: *Cautum est à Sanctis Patribus, ut Lectores in tempore pubertatis pòst annum 14. cogantur vel matrimonio conjungi, vel cœlibatum profiteri. An hoc autèm apùd Africanos observatum sit, nescio, sed apùd alias Ecclesias non servatur. Existimo autèm, quòd nec in ulla unquàm regione hoc servatum sit, ut quod Apostolorum sexto Canoni adversetur, qui decernit, ut Lectores, & Cantores, etiàm postquàm in Clerum provecti fuerint, uxores ducant, & nec uxorem ducendi tempus defuit, nec, ut continentiam profiteantur, exigit.* Atque idem tradit Zonaras in suo glossemate hujus canonis. In editionibus Labbei hæc observatio ad hoc fragmentum habetur: *Hoc 19. caput vetusti codices sic habent: ut Lectores usquè ad annos pubertatis legant; deincèps autèm, nisi uxores custodita pudicitia duxerint, aut continentiam professi fuerint, legere non sinantur.* Fortè Can. 8. dist. 32.

non displicebit, quod notat Harduinus ad illa verba: *ad annos pubertatis*, ità scribens: *perfectæ nimirùm, sive ad annum 21.* Atque Harduinus videtur imitatus fuisse in hac parte Alexium Aristenum Græcum Interpretem, qui hoc ipsum Carthaginensis Concilii fragmentum expendens ità scribit: *Lector autèm, qui impuberem ætatem transilierit, & viginti ferè annos attigerit, & Hyppodiaconus fieri cupit (nam 20. annis junior Hyppodiaconus non ordinatur, ut decimusquintus sextæ in Trullo Synodi canon statuit), vel uxorem antè ordinationem ducat, vel cælibem agere profiteatur. Nàm pòst ordinationem nec Presbytero, nec Diacono, nec Hyppodiacono matrimoniale jugum in se suscipere licet, sed Lectoribus solis, & Cantoribus illud permittitur.* Planè, si aut Harduinus, aut Aristenus Carthaginensium Patrum mentem attigerunt, nihil amplius supererit, undè asperitatis Africana Ecclesia arguatur, sed potiùs apta omninò, ac provida hujusmodi disciplina videbitur.

In eodem Concilio can. 3. habetur can. 7. dist. 38. ubi tamèn postrema verba paulò varia sunt in diversis Codicibus; etsi enim in nonnullis idem legatur, quod apùd Gratianum, in aliis tamèn ità legitur: *ne se aliquid contrà statuta Concilii fecisse asserant.* Apùd Dionysium Exiguum in Concilio, quod Carthaginense appellat, itèm in Codice Ecclesiæ Africanæ cap. 18. hæc exhibentur: *Itèm placuit, ut ordinatis Episcopis, vel Clericis priùs ab ordinationibus suis placita Conciliorum auribus eorum inculcentur: ne se aliquid contrà statuta Concilii fecisse pœniteant.* Paulò alitèr etiàm explicaverunt, qui ex Græcis exemplaribus Africanum canonem interpretati sunt, his verbis: *Similitèr placuit, ut, cum ordinatur Episcopus, vel Clericus, priùs ab ordinatoribus suis Synodorum placita eorum auribus indantur, ut, si ex Synodi Decreto non agant, eos pœniteat.* Can. 7. dist. 38.

Etsi ab ipsa Apostolorum ætate Christi fideles in Ecclesiam convenire solerent, simùl manducaturi sacram agapen, in signum mutuæ communionis, & arctissimæ conjunctionis in una, ea- Can. 5. dist. 42.

eademque fide ; exindè tamèn pravus abusus irrepserat ex immoderato delicatiorum fidelium luxu , qui non Dominicam, uti S. Paulus scribit, sed propriam cœnam se manducare præsumebant ; atque, ad æbrietatem usquè , & immodicam saturitatem cibis, potuque fruentes, Ecclesiam Dei contemnebant, appositis præsertim juxtà veterum morem lectisterniis, ad majorem convivandi luxum accommodatis. Hæc in causa fuerunt, ut hujusmodi Christianorum cœnæ vetitæ exindè fuerint ; ac proindè caveri cœperit, ne in Ecclesiis Deo dicatis ullo modo convivia celebrarentur, nisi fortè necessitas hospitii id suaderet. Hùc pertinet canon 5. dist. 42. depromptus ex canone 30. ejusdem Concilii Carthaginensis, cum quo etiàm omninò congruit canon 42. sive in Concilio Carthaginensi jam sæpiùs memorato Dionysii Exigui, sive in Codice Ecclesiæ Africanæ , in quibus tamèn pro verbo illo *reficiantur* legitur *reficiant*. Quodcumque legatur, eadem semper erit, nec immutata, sententia.

In canone 27. ejusdem Concilii legitur eisdem verbis can. 4. dist. 44., cum quo etiàm omninò consonat can. 40. tum apùd Dionysium Exiguum, cum in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ. Idipsum olim Julianus Imperator apùd Ethnicos prohibuit sacrificulis in Epistola ad Arsacium Galatiæ Sacerdotem apùd Sozomenum lib. 5. cap. 15. his verbis: *Sacerdotem hortare , ne accedat ad spectacula , neve in taberna bibat.*

Can. 4. dist. 44.

In eodem Carthaginensi Concilio cap. 21. eisdem omninò verbis refertur can. 2. dist. 72. In Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui , necnon in Codice Africanæ Ecclesiæ desideratur, quamvis ibi nonnulla habeantur valdè similia in cap. 54. ibi: *Epigonius Episcopus dixit: In multis Conciliis hoc statutum est, etiàm nùnc hoc confirmatum est à vestra prudentia , beatissimi Fratres , ut Clericum alienum nullus sibi præripiat Episcopus præter ejus arbitrium , cujus fuerit Clericus.* Videantur, quæ superiùs prosequutus sum ad canonem 6. dist. 71. Ferrandus Diaconus hunc ipsum canonem in epitomen redactum retulisse videtur in cap. 27. sui Breviarii his verbis : *Ut Episcopus alienum Clericum non suscipiat , neque ordinet.*

Can. 2. dist. 72.

Canon 4. ejusdem Concilii Carthaginensis duobus in locis , & quidèm eisdem verbis, apùd Gratianum refertur , videlicèt in can. 5. dist. 77. & in can. 14. caus. 20. quæst. 1. Consonant omnia cum Dionysio Exiguo in can. 16. Concilii Carthaginensis, & in canone 16. Codicis Ecclesiæ Africanæ: quamquàm tamèn nonnulli sint , qui omiserint ea verba : *nec Virgines consecrentur*, quemadmodùm in Pandectis canonum Beveregianis. Posteriora illa verba: *& ut Lectores populum non salutent*, ità Zonaras Græcus interpres explicavit. *Lectoribus ne expleto ministerio se ad populum salutandi gratiâ convertant , interdictum. Solos namque eo tempore Antistites , & Sacerdotes , non congregatam in Ecclesia multitudinem , ab iis salutari fas est. Ipsi enim sacrati sunt , multitudo verò à sacris ordinibus longo intervallo disjuncta , ut proindè iis potiùs à populo honorem exhiberi , præsertim dum in sui ministerii functionibus versantur , oporteat.* Sed, ut candidè fatèar , non mihi satis placet hujusmodi Zonaræ interpretatio, ut in ea penitùs consistendum existimem. Est & aliud salutationis genus, quod fortè Lectoribus Patres Carthaginenses prohibere voluerunt. Erat receptum in Ecclesia Africana , ut ad officium Lectorum pertineret , publicè Evangelium in Ecclesia legere , quemadmodùm hodiè apùd nos inter Diaconorum munera recensetur. Testem voco S. Cyprianum , qui in lib. 2. epist. 5. in antiqua editione ità scribit de Lectore. *Ab officio lectionis incipiat , quia nihil magis congruum voci , quæ Dominum gloriosâ prædicatione confessa est , quàm celebrandis divinis lectionibus personare pòst verba sublimia , quæ Christi martyrium proloquutæ sunt. Evangelium Christi legere , undè martyres fiunt.* Olim etiàm usu receptum erat, ut, antequàm Evangelium publicè legeretur , elatâ voce clamaretur à Lectore

Can. 5. dist. 77. & Can. 14. caus. 20. q. 1.

ver-

versùs populum *Pax vobis*, quomodò hodiernis temporibus dici solent ea verba: *Dominus vobiscum*; quod ex eadem Cypriani Epistola constat ibi: *Interim vobis hoc die auspicatus est pacem, dum dedicat lectionem.* Quam cæremoniam augurandi populo pacem vulgò ab Ecclesiasticis Patribus salutationem fuisse appellatam, facilè deducitur ex Epist. 86. Innocentii Papæ ibi: *non licet Presbyteris coràm Episcopo populum benedicere, aut salutare.* Itaquè, si Carthaginensi canone Lectoribus prohibetur, ne populum salutent, facilè prohibitum intelligo, ne populo elatâ voce pacem augurentur, quod tantùm reservatum est Sacris Ministris in superiore ordine constitutis; quemadmodùm hodiè solis Episcopis reservatum scimus. Hinc inter munera Episcoporum præcipua hanc potestatem salutandi populum Optatus Milevitanus adnumerat lib. 1. circà finem. Reverà ea formula indicare videtur auctoritatem quamdam, & jurisdictionem proferentis, quâ fiat, ut, qui salutantur, Ecclesiasticam pacem habere, & communione frui declarentur, imò etiàm præcipiantur.

Can. 27. dist. 81. In canone 17. ejusdem Concilii legitur eisdem verbis canon 27. dist. 81. sed sive apùd Dionysium Exiguum, sive in Codice Africanæ Ecclesiæ desideratur.

Can. 32. dist. 81. Consonat etiàm cum canone 25. ejusdem Concilii canon 32. dist. 81. Harduinus varios esse Codices observavit in illis verbis, *sed cum Conclericis*; alii enim Codices habent, *sed cum Clericis*, itèm in illis, *sed aut ubi Clerici præsentes*, alii enim exhibent: *nisi aut Clerici præsentes.* Referam verba Dionysii Exigui, qui hunc eumdem canonem descripsit in suo Concilio Carthaginensi num. 38. ibi: *Clerici, vel continentes ad viduas, vel virgines, nisi ex jussu, vel permissu Episcoporum, aut Presbyterorum, non accedant; & hoc non soli faciant, sed cum Conclericis, vel cum iis, cum quibus Episcopus, aut Presbyter jusserit; nec ipsi Episcopi, & Presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi fœminas, sed ubi aut Clerici præsentes sunt, aut graves aliqui Christiani*: quæ eadem verba leguntur in can. 38. Codicis Ecclesiæ Africanæ. Continentium autèm nomine in hoc canone designari Monachos probant Balsamon, Zonaras, & Alexius Aristenus ex S. Basilio can. 19. ibi: *Virorum autèm professiones non novimus, præterquàm siqui seipsos Monachorum Ordini annumerarunt, qui tacitè videntur cælibatum admittere.*

Canon 3. dist. 99., qui Africani Concilii nomine apùd Gratianum laudatur, eisdem omninò verbis legitur in can. 26. hujus Carthaginensis Concilii, eisdem itidèm verbis in can. 39. tum Synodi Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, tum Codicis Africanæ Ecclesiæ. Video in hoc canone singularem Africanæ Ecclesiæ disciplinam, in qua ambitionis, & supervacuæ elationis signum videbatur, si, qui primam Episcopalem sedem teneret, Episcoporum Princeps, sive Archiepiscopus appellaretur. Voluerunt potiùs Primatem appellari, seu Primæ Sedis Episcopum. Can. 3. dist. 99.

Ad canonem 48. ejusdem Concilii pertinet can. 3. caus. 1. quæst. 4. ubi tamèn quædam omissa à Gratiano fuerunt. Integra hæc est sententia: *De Donatistis placuit, ut consulamus Fratres, & Consacerdotes nostros Siricium, & Simplicianum de solis infantibus, qui baptizantur penès eosdem, ne quod suo non fecerunt judicio, cum ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illos error impediat, ne promoveantur sacri Altaris Ministri.* Eadem verba leguntur apùd Dionysium Exiguum, necnon in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ can. 47. Ex his planè verbis constat, in hac Donatistarum infantium causa nihil peculiaritèr definitum fuisse in hoc Carthaginensi Concilio, sed expectandam Siricii Romani Pontificis, nec non Simpliciani Mediolanensis Episcopi, fuisse sententiam. Neque sanè novum erat eo tempore Episcopis in Concilio convocatis aliorum Coepiscoporum præsertim in gravissimis causis expectare sententiam. Sic Toletanum Concilium I. circà finem 4. Can. 3. caus. 1. q. 4.

sæ-

sæculi celebratum proferri posset, in quo ità legitur : *Expectantes pari exemplo, quid Papa, qui nùnc est, quid Sanctus Simplicianus Mediolanensis Episcopus, reliquique Ecclesiarum rescribant Sacerdotes.* Quæ si ità sunt, eccur Gratianus nobis exhibet alium canonem ejusdem Concilii, ex quo res definita prorsùs adparet in can. 4. eadem quæst. 4. caus. 1. ? Hunc sanè canonem frustrà inter canones Concilii, frustrà apùd Dionysium Exiguum, frustrà in Codice Africanæ Ecclesiæ requirimus. Quamobrèm perspicuum est, illum editum fuisse posteriore manu, atque ad complendam Carthaginensium Patrum sententiam, dubitationemque omnem de medio tollendam adjectum. Quicumque autèm sit ejusdem canonis auctor, rem sanè optimam peregisset, si undenàm Concilii sententiam absolutam acceperit, significasset, si fortè Siricii, & Simpliciani responsa perspexerit, si additamenta Concilio facta à Patribus Carthaginensibus sciverit. Ego sanè non dubito, quin talis demùm insederit Carthaginensibus Episcopis sententia, qualis in dicto canone 4. clarissimè exprimitur. Etenim ipsi Carthaginenses Patres summâ sempèr cum benignitate, atque clementia cum Donatistis egerunt, proptereàque in dubio abs juris rigore deflectere hac in re voluisse præsumendi sunt ; ut scilicèt usu dein receperint, ut infantes Donatistas ad Ecclesiam conversos ab Ecclesiasticis gradibus non repellerent. Scio quidèm, initio statim ac Donatistarum hæresis in medium erupit, Africanos Episcopos austeritate gravi usos fuisse adversùs concitatum schisma, ipsosque schismaticos : Hinc in Concilio Hipponensi anni 393. can. 41. definitum est, ut Donatistæ Clerici ad fidem reversi non in Clericorum numerum, sed tantùm inter Laicos reciperentur, iis Episcopis tantùm exceptis, qui unà cum plebe sua ab hæresi recessissent. In hoc, de quo agimus, Carthaginensi Concilio controversia esse cœpit, distractis hinc ad benignitatem, illinc ad severitatem disciplinæ Episcoporum animis, de infantibus apùd Donatistas natis, nùm ad Ecclesiasticos Ordines promoveri valerent : at deindè tempore Anastasii Papæ circà annum 401. mitiùs agi cœpit, quò faciliùs Donatistæ ad unitatem reverterentur ; inductumque fuit, ut unusquisque, ab hæresi Donatistarum reversus, ità reciperetur in Ecclesiam, ut hæresis nulla ratione ei officeret, proptereàque singuli Clerici in suis ordinibus, quasi postliminii jure, consisterent. Ità cautum scimus in Concilio Africano anni 401., cujus canones habemus in Codice Ecclesiæ Africanæ à numero 65. usquè ad numerum 85. Itaquè, si progressu temporis leniùs agi cæptum est cum Donatistis, verosimile est dubitationem illam, in Carthaginensi, de quo agimus, Concilio subortam, ità demùm resolutam fuisse, ut benigniùs cum iisdem ageretur, atque ad sacras etiàm ordinationes admitterentur, qui infantes apùd illos baptizati fuissent. Legi possent ad hanc rem præcipuè canones 66. 68. & 69. Codicis Ecclesiæ Africanæ. Etsi igitur, qui canonem 4. caus. 1. quæst. 4. descripsit primus, non omninò certum Africanæ Ecclesiæ monumentum nobis adtulerit, non erit tamèn omninò damnandus, quòd fortè mentem Carthaginensium Episcoporum, qualis posteà ex consuetudine recepta illius Ecclesiæ adparuit, nobis exposuerit.

Can. 4. caus. 1. q. 4.

In canone 10. ejusdem Carthaginensis Concilii, qui idem est cum canone 15. Concilii Carthaginensis Dionysii Exigui, nec non Codicis Ecclesiæ Africanæ, hæc leguntur : *Hoc etiàm placuit, ut, à quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliquâ cupiditate, aut gratiâ depravati. Sanè, si ex consensu partium electi fuerint Judices, etiàm à pauciori numero, quàm constitutum est, non liceat provocari.* In his ver-

Can. 34. caus. 2. q. 6. & can. 37. caus. 2. q. 6.

bis descriptos videmus duos Gratiani canones 34., & 37. caus. 2. quæst. 6., quos propterea simùl conjungere juvabit, quotiès recta utriusque habenda sit interpretatio. Jure autèm arguendus est Gratianus, qui in dicto canone 34. particulam negativam omisit, contrariamque omninò sententiam Africanis Patribus affingere non dubitavit, contrà quam legatur in omnibus ejusdem canonis exemplaribus, imò etiàm contrà generales Juris regulas, quibus appellatio ab electis judicibus prohibetur. Idem fragmentum optimè paucis exposuit Græcus interpres Zonaras, cujus verba hic refero: *Quòd si Judices illi ipsi, qui inter se judicio conflictantur, accusator nimirùm, & reus elegerint, quamvis, inquit, pauciores, quàm præfinitum est, designentur, nempè in Episcoporum causa duodenis, Presbyterorum sex, Diaconorum tribus, tamèn ab his judicibus damnato provocandi facultas non erit, quod civiles quoquè leges eodem modo sanxere, & tertio libro tit. 1. cap. 44., & lib. 9. Basilicorum videre est.* Idipsum scribit Alexius Aristenus in commentario ejusdem canonis, ità concludens: *Quomodò, qui Judices Ecclesiasticos elegit, quos & sermone, & vità inculpatos esse judicavit, dicens se insipienter, & injustè ab iis judicari, & reprehensionem quamdam hominibus Sacerdotalibus ab ipso judicatis adferre admitatur.* Ex quibus sanè adparet, unum Gratianum ità depravasse sententiam Africani canonis, ut contrariam omninò reddiderit, & Juri difformem arg. l. 27. §. 2. de recept. arb., & l. 1. cod. eod. tit.

Jungendi etiàm sunt canon 1. caus. 4. quæst. 5., & can. 1. caus. 4. quæst. 6., uterque enim pertinet ad canonem 7. ejusdem Concilii, sive canonem 19. Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, & in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ. Integra canonis verba hæc sunt: *Aurelius Episcopus dixit: Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primates Provinciæ ipsius* (jam superiùs observavi Primatum nomine eos fuisse appellatos in Africa, qui apùd nos Archiepiscopi dicuntur) *causam deferat accusator, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur: Nisi ad causam suam dicendam electorum judicum die statuta literis evocatus* (ità habet Dionysius, & Codex Africanæ Ecclesiæ: In vulgata editione Concilii hæc verba *electorum judicum* &c. omissa sunt, quorum vice hæc leguntur: *Primatis literis evocatus.* Harduinus autèm notat, legendum esse: *Electorum judicum die statuta literis evocatus*, & quidèm in Codicibus Græcis etiàm hoc modo legitur, ut sonet: *Eorum, qui ad judicandum electi sunt, literis evocatus*) *minimè occurrerit, hoc est, infrà spatium mensis, ex ea die, quâ eum literas accepisse constiterit. Quòd si aliquas veras necessitatis causas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, causæ dicendæ intrà alterum mensem integram habeat facultatem: Verùm tamdiù pòst mensem secundum non communicet, donèc purgetur. Si autèm ad Concilium universale anniversarium* (Id consonat Constitutionibus Ecclesiæ Africanæ, ex quibus singulis annis Nationale Afrorum Concilium celebrari mandabatur) *occurrere noluerit, ut vel ibi causa ejus terminetur; ipse in se damnationis sententiam dixisse judicetur, tempore sanè, quo non communicat, nec in sua Ecclesia, vel Parochia communicet* (in vulgatis Concilii exemplaribus legitur: *Nec in sua plebe communicet*; quæ sanè verba non abhorrent à pristino loquendi more, juxtà quem *plebium* nomine intelligebantur, quas hodiè Parochias appellamus, quemadmodùm deduci potest ex can. 27. caus. 7. quæst. 1.). *Accusator autem ejus, si nunquàm diebus causæ dicendæ defuerit, à communione non removeatur: si verò aliquandò defuerit, subtrahens se, restituto in communione Episcopo, ipse removeatur à communione accusator: ità tamèn, ut nec ipsi adimatur facultas causæ peragendæ, si se ad diem occurrere non noluisse, sed non potuisse probaverit. Placuit verò illud, ut cum agere cæperit in Episcoporum judicio, si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamèn Ecclesiasticas* (Gratianus hic addit: *vel criminales*, perperàm tamèn, quemadmodùm

Cán. 1. caus. 4. q. 5. & can. 1. caus. 4. q. 6.

dùm observarunt Romani Correctores, cum in omnibus Concilii exemplaribus desiderentur) *asserere voluerit.* Cum postremis hisce verbis concordat etiàm canon 129. in Codice Ecclesiæ Africanæ, ibi: *Omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda.* Similia etiàm statuta exhibentur in concilio Constantinopolitano canone 6., si fides sit auctori Codicis, qui appellatur *Codex canonum Ecclesiæ universæ*, ibi enim cap. 169. ità legitur: *Siquis propriam querelam, id est, privatam adversùs Episcopum moverit, utpotè circumventus, defraudatusve ab eo, aut injuria aliqua ab ipso affectus, in ejusmodi accusationibus nec persona accusatoris, nec religio inquirenda est. Oportet enim omnibus modis Episcopi conscientiam liberam esse, & eum, qui se injuriâ affectum dicet, cujuscumque religionis fuerit, jus suum consequi.*

In eodem Carthaginensi Concilio canone 20. legitur, quod edidit Gratianus in can. 27. caus. 7. quæst. 1., & quidèm eisdem omninò verbis. Monet tamèn Harduinus, postrema verba ità describenda fuisse ex veteri codice MS. *supergrediatur in Diœcesim Collegæ sui*; quâ sanè ratione meliùs, & clariùs Patrum Africanorum sententia exprimitur. Ferrandus Diaconus eumdem canonem ità perstrinxit in suo Breviario cap. 24. *ut nullus Episcopus plebem alienam usurpet.*

Can. 27. caus. 7. q. 1.

In canone 38. ejusdem Concilii legimus duo Gratiani fragmenta, scilicèt canonem 19. caus. 11. quæst. 1., & can. 107. de consecr. dist. 4. hoc ordine dispositos. *Illud autèm suggerimus mandatum nobis, quod etiàm in Capuensi* (legendum potiùs esset *Capsensi*) *plenariâ Synodo videtur statutum, non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Episcoporum* (hic est canon 107. de cons. apùd Gratianum). *Nàm Cresconius Villarhegiensis Episcopus, plebe suâ derelictâ, Tubuniensem invasit Ecclesiam, & usquè hodiè commonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere eamdem, quam invaserat, plebem contempsit. Adversùm istum, quæ pronunciata fuerant, confirmata quidèm audivimus, sed petimus secundùm quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam, quo jam, necessitate ipsâ cogente, liberum sit Rectorem Provinciæ secundum statuta gloriosissimorum Principum adversùs illum adire, ut qui miti admonitioni sanctitatis vestræ acquiescere noluit, & emendare illicitum, auctoritate judiciariâ protinùs excludatur. Aurelius Episcopus dixit: Servatâ formâ disciplinæ, non æstimabitur appetitus, si à vestra charitate modestè conventus recedere detrectaverit, &c.*, quæ habentur integra in dict. can. 19., ex iis, quæ nupèr descripta sunt, in prioribus verbis emendando. Habentur etiàm hæc in Codice Ecclesiæ Africanæ, & apùd Dionysium cap. 48.

Can. 19. caus. 11. q. 1. & can. 107. de cons. dist. 4.

Canon 43. & 44. caus. 11. quæst. 1. pertinet ad canonem 9. ejusdem Concilii, sive ad canonem 15. Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, nec non in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ. Jam Romani Correctores observarunt exemplarium varietatem, in describendo canone 43., & in canone 44. adnotarunt, eum non aliud continere, quàm summam canonis præcedentis 43. Itaquè de canone 44. ego non dubito, illum nihil aliud esse, quàm summam præcedentis capitis; id enim perspicuum redditur unicuique, intuenti vel Concilium Carthaginense Dionysii Exigui, vel codicem Ecclesiæ Africanæ; utrobiquè enim, antequàm canon 15. describatur, hæc summatim præmittuntur, uti moris est in aliis etiàm capitibus: *De diversis ordinibus, Ecclesiæ servientibus; ut siquis causam criminis incurrerit, & abjecerit judicium Ecclesiasticum, debeat periclitari &c.* Quis hæc non videat eadem verba esse, quæ Gratianus retulit in dicto can. 44.? Deindè sequitur canon: *Deindè placuit, ut quisquis Episcoporum &c.* Erant itaquè illa Collectoris verba, quibus paucis perstrinxerat canonem, quem erat subjecturus. Ivo Carnotensis Parte 6. cap. 362. Præfationem illam cum verbis canonis conjunxit, quasi uno eodemque contextu delineanda; Gratianus exindè quasi duos Carthaginenses canones descripsit. In

Can. 43. & 44. caus. 11. q. 1.

canone autèm 43. caus. 11. quæst. 1. peculiaria etiàm nonnulla sunt adnotanda; licèt enim eadem Gratiani verba habeantur integra in canone 9. Concilii Carthaginensis juxtà vulgarem editionem, si tamèn antiquiores Collectores consulamus, nonnulla sunt, quæ recentiore manu adjecta dici possunt. Ego ut plurimùm à Dionysio Exiguo non recedo, præsertim cum hac in parte omninò illi consonet Codex canonum Ecclesiæ Africanæ. Itaquè apùd ipsum ità legitur in can. 15. *Item placuit, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cum in Ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota; si, relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali; in civili verò perdat, quod evicit, si locum suum obtinere maluerit.* Quæ sequuntur apùd Gratianum, ibi: *Siquidem ad eligendos &c.* in hisce codicibus penitùs desiderantur. Justellus in notis ad suum Codicem Africanum ità de verbis, apùd Gratianum adjectis, scribit: *Quæ quidèm verba in omnibus latinis, græcisque codicibus, editis, & MSS., quibus in hac editione usi sumus, non habentur, nec in Collectione Dionysii Exigui, Moguntiæ editâ anno* 1525. Duo sanè voluerunt in hoc canone Africani Patres; primùm scilicèt, Clericorum levitatem, & procacitatem coercere, qui pòst causam in uno judicio agitari cæptam, ad alios Judices confugere adamabant. Alterum ità causas Clericorum sine strepitu componere in Conciliis Ecclesiasticis, ut omnis contentionum, atque odii inter viros Ecclesiasticos occasio tolleretur.

Canon 1. caus. 12. quæst. 3. habetur in can. 49. ejusdem Concilii, & quidèm eisdem omninò verbis; itèm in can. 32. Codicis Ecclesiæ Africanæ, & Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum. Eadem sententia passim recepta est in Jure Ecclesiastico, Concilio Agathensi can. 48., Gregorio Magno lib. 9. Epist. 14., Capitularibus Caroli Magni lib. 1. cap. 156., can. 40. vulgò Apostolorum, quibus addi potest Justinianus in Nov. 131. cap. 13., & Codex Theodosianus tit. de bonis Clericorum.

Can. 1. caus. 12. q. 3.

Ad compescendam Clericorum quorumdam avaritiam editus est in eodem Concilio Carthaginensi canon 16., qui apùd Gratianum est canon 6. caus. 14. q. 4. Ibi scilicèt Clericis omninò prohibitum est, ne aliquo prætextu contractu Mutui abutantur, & usuras accipiant. Refertur idem canon in Codice Ecclesiæ Africanæ, nec non in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui num. 16. his verbis: *Itèm placuit, ut Clericus si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem, quantum dederit accipiat*; vel: *Si speciem, eamdem speciem, quantam dederit, accipiat.*

Can. 6. caus. 14. q. 4.

Non omnia Carthaginensis Concilii exemplaria eisdem verbis exprimunt Gratianeum canonem 5. caus. 15. q. 7. Habetur is in can. 8. Concilii, tum in can. 20. in Codice Africano, & apùd Dionysium. Vulgata Concilii exemplaria ità habent: *Si autèm Presbyteri, vel Diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis cum proprio Episcopo legitimo numero collegarum* (addit hic Dionysius: *Quos ab eodem accusati petierint*, consonatque in hac parte Codex Africanæ Ecclesiæ. Alii autèm ex Græco textu ità interpretati sunt: *Adjuncto legitimo numero electitiorum Episcoporum ex propinquis regionibus, quos ii, qui accusantur, petierunt). Id est, in Presbyteri nomine quinque, in Diaconi duobus* (Dionysius Exiguus, & auctor Africani Codicis habent: *id est, unà secum in Presbyteri nomine sex, in Diaconi tres*; quibus consonat Græcus textus, quem ità alii latinè ediderunt: *Id est, in dilatione nominis Presbyteri sex, & Diaconi tribus*). *Episcopi ipsorum causam discutiant eadem dierum, & dilationum, & à communione remotionum* (sunt, qui pro hisce postremis verbis: *Et à communione remotionum*, legunt: *Et examinationum) & discussione personarum inter accusatores, & eos, qui accusantur, forma servatâ. Reliquorum autèm Cleri-*

Can. 5. caus. 15. q. 7.

ricorum causas etiàm solus Episcopus loci agnoscat, & finiat.

Can. 51. caus. 16. q. 1. Canon 51. caus. 16. quæst. 1. legitur in can. 42. ejusdem Concilii, itèm in can. 53. apùd Dionysium Exiguum, nec non in Codice Ecclesiæ Africanæ his verbis: *Epigonius Episcopus dixit: Multis Conciliis hoc statutum à cœtu Sacerdotali est, ut plebes, quæ in Diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ Episcopos nunquàm habuerunt, non nisi cum voluntate ejus Episcopi, à quo tenentur, proprios accipiant Rectores, id est, Episcopos.* Et pòst multa: *Universi Episcopi dixerunt: Placet, Placet.*

Can. 13. caus. 20. q. 1. Canon 13. caus. 20. quæst. 1. ad nullum ex Carthaginensibus Conciliis pertinere ullo modo potest, licèt à Gratiano laudetur nomine Concilii Carthaginensis III. Cuinam verò Synodo potiùs tribuendum sit, jam rectè indicarunt Romani Correctores, ajentes legi illum potiùs in can. 19. Concilii Agathensis, cujus verba hæc sunt: *Sanctimoniales, quamlibet vita earum, & mores probati sint, antè annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.* Ceterùm, Concilii Carthaginensis III. esse non posse, facilè probatur, si verà sunt, quæ in editionibus ejusdem Concilii leguntur in can. 4. relata apùd Gratianum in can. 5. dist. 77., & in can. 14. caus. 20. quæst. 1.; cum enim ibidèm præscribatur, ne antè annum vigesimumquintum Virgines consecrentur, falsò adtribuitur eidem Concilio statutum de virginibus antè annum quadragesimum non velandis; ne fortè duo decreta invicèm adversantia in eodem Concilio affingamus. Ego suspicor, inscriptionem Concilii Carthaginensis III. dicto canoni 13. adjectam, è margine in textum irrepsisse. Etenim in veteribus Gratiani exemplaribus canon 14. caus. 20. quæst. 1. referebatur quasi ex Concilio Africano IV., cum tamèn in can. 5. dist. 77. eadem verba referrentur ab ipso Gratiano ex Concilio Carthaginensi III. Fortè quidam Gratianei Codicis studiosus ad marginen ejusdem canonis 14. caus. 20. quæst. 1. adjecit Concilii tertii Carthaginensis nomen, ut se se referret ad dictum canonem 5. dist. 77. Factum deindè fuit, ut marginalis adjectio, facta canoni 14., accommodaretur ab imperito quodam Amanuensi canoni 13., undè etiàm hodiè 13. canon laudetur nomine Concilii II. Carthaginensis.

Can. 3. caus. 21. q. 3. Canon 3. caus. 21. quæst. 3. legitur in canone 15. ejusdem, de quo agimus, Carthaginensis Concilii, monet tamèn Harduinus, ad verbum illud *Procuratores* legendum esse: *Procuratores privatorum.* Et Labbeus testatur, integrum hunc canonem in quibusdam vetustis libris ità conceptum esse: *Ut Episcopi, Presbyteri, & Diacones non sint Conductores, aut Procuratores privatorum; neque ullo negotio tali victum quærant, quo eos peregrinari, vel ab Ecclesiasticis Officiis avocari necesse sit.* Dionysius Exiguus in suo Concilio Carthaginensi, nec non Codex Africanæ Ecclesiæ in cap. 16. potiùs consonant cum Gratiano his verbis: *Itèm placuit, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non sint Conductores, aut Procuratores, neque ullo turpi negotio, & inhonesto victum quærant, quæ respicere debent scriptum: Nullus militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

Can. 2. caus. 26. q. 6. Canon 2. caus. 26. quæst. 6. legitur quidèm eisdem verbis in can. 36. ejusdem Concilii Carthaginensis. Paulò alitèr tamèn habetur in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, nec non in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui his verbis can. 6. *Fortunatus Episcopus dixit: In præteritis Conciliis statutum meminimus esse, ut chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non & puellarum consecratio à Presbyteris non fiant: Siquis autèm emerserit hoc faciens, quid de eo statuendum sit? Aurelius Episcopus dixit: Audivit dignatio vestra suggestionem Fratris, & Coepiscopi nostri Fortunati, quid ad hæc dicitis? Ab universis Episcopis dictum est: Chrismæ confectio, & puellarum consecratio à Presbyteris non fiat; vel reconciliare quemquàm in publica Missa Presbytero non licere, hoc omnibus placet.* Fortè tamèn, ut diximus ad can. 1. caus. 26. quæst. 6., hæc Dionysii, atque Afri-

ca-

cani Codicis verba pertinent ad Concilium Carthaginense, quod vulgò secundum appellatur.

In Codice Ecclesiæ Africanæ, itèm in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui can. 43. ità legimus: *Ut pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur, ut & Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absentiæ Episcopi necessitate cogente. Cujuscumque autèm pœnitentis publicum, & vulgatissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, antè absidem manus ei imponatur.* Hic canon in vulgatis Concilii tertii Carthaginensis exemplaribus divisus est in duos, positos numero 31. & 32., quemadmodùm etiàm apùd Gratianum in can. 14. caus. 26. quæst. 6., & in can. 5. caus. 26. quæst. 7. Verba illa *antè absidem* ità interpretatur Zonaras: *Illud namquè antè absidem, idem, ac antè porticum significat*; illum videlicèt locum, in quo erat Flentium statio ante Ecclesiam in foribus, sive in atrio, ne statim admitterentur sic pœnitentes ad ulteriores pœnitentium gradus simùl cum aliis, qui non adeò gravitèr in Ecclesiæ conspectu deliquerant.

Can. 14. caus. 26. q. 6. & Can. 5. caus. 26. q. 7.

Etiàm pòst Romanam correctionem *ex Concilio Africano* cap. 8. laudatur canon 49. de cons. dist. 1. Legitur ille in cap. 29. Concilii, de quo agimus, Carthaginensis, & quidèm ferè eisdem verbis; etenim apùd Gratianum ubi legitur: *sive Episcoporum, sive ceterorum*, in vulgatis Concilii exemplaribus legitur: *Sive Episcoporum, sive Clericorum, sive ceterorum &c.* In reliquis omninò consonant. Monet tamèn Harduinus, in MSS. quibusdam codicibus desiderari illa verba: *quo Cœna Domini celebratur.* Ego arbitror à Gratianea editione non esse in hoc loco recedendum, cum prorsùs concordet cum Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui, & cum Codice canonum Africanæ Ecclesiæ cap. 41. Sanè jam viguit in Ecclesia antiquissima consuetudo, ut Sacramentum Altaris non nisi abs jejunis susciperetur, quemadmodùm perspicuè deduci potest ex Epistola S. Joannis Chrysostomi ad Cyriacum Episcopum. Sed peculiaris fuisse deducitur Africanæ Ecclesiæ consuetudo, ut aliud in Cœna Domini servaretur. Adfero hùc verba Concilii Trullani in can. 29. ibi: *Carthaginensis Synodi canon dicit, ut sanctâ Altaris non nisi à jejunis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo Cœna Domini peragitur; tum fortassè propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles Patribus hac dispensatione usis. Cum nihil ergò nos inducat, ut accuratam diligentiam relinquamus, apostolicas, ac paternas traditiones sequentes, statuimus, non oportere in Quadragesima postremâ septimanâ quintâ feriâ jejunium solvere, & totam Quadragesimam injuriâ afficere.* Quòd autèm subditur in Carthaginensi canone de commendationibus defunctorum, ad sepulturas pertinet; quæ cum vespere fieri solerent, quidam putabant eâ occasione religionis, religiosæque pietatis favore posse tum sacra celebrari etiàm à non jejunis, quod tamèn Carthaginenses Patres reprobarunt, sancientes tùm defunctos solis orationibus Deo à fidelibus commendari.

Can. 49. de cons. dist. 1.

Canon 5. de cons. dist. 2. in canonibus ejusdem Concilii Carthaginensis legitur num. 24., eisdem omninò verbis, quæ habentur apùd Gratianum. Monet tamèn Labbeus, in vetustis codicibus ità haberi: *Ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aquæ mixtum. Primitiæ verò, seu mel, & lac, quod uno die solemnissimo pro infantis mysterio solet offerri, quamvis in Altari offeratur, suam tamèn habet propriam benedictionem, ut à Sacramento Dominici Corporis, aut Sanguinis distinguantur, nec amplius de primitiis offeratur, quàm de uvis, & frumentis.* Eadem ferè verba habentur tum apùd Dionysium Exiguum in Concilio Carthaginensi, tum in Codice Ecclesiæ Africanæ can. 37., exceptis tantummodò illis verbis; *uno die solemnissimo pro infantis mysterio*; alii autèm ex Græco textu ità explicarunt; *uno die consueto ad infantum mysterium.* Quæ verba consi-

Can. 5. de cons. dist. 2.

siderans Zonaras ait ; *Illud verò, ad infantium mysterium, quidam sic intelligunt, ut ea parvulis sacrorum mysteriorum loco præbeantur, quod ego quidèm haùd probaverim. Alii verò quasi lac primitiarum nomine propter infantes, quippè qui solo lacte alantur, offerri solitum fuerit.* Ego sanè existimaverim, huic canoni maximam lucem attulisse Labbeum in sua adjectione, ex vetustis codicibus deprompta, ubi asseruit legi hæc verba : *uno die solemnissimo pro infantis mysterio* : Designatur enim hoc in loco, consuevisse olim lac & mel unico die solemnissimo in Ecclesia offerri, videlicèt die Nativitatis Dominicæ, cujus festivitas jure appellari poterat *infantis mysterium* ; atque hæc oblationum species apta maximè erat ad significanda Pastorum munera, quæ Domino Servatori recèns nato oblata fuerunt. Quidquid sit de hujusmodi, ceteroquin planâ, & accommodâ, interpretatione, exhibetur hoc in fragmento vetus illa disciplina, quâ receptum erat, ne aliud in Altari Sacrorum tempore offerretur, quam uva, & frumentum, utpote quæ sola cum Sacrificio convenire quodammodo possunt ; & quidèm de hac oblatione juxtà veteres ritus plura adnotant viri eruditi ad interpretationem canonis 3., & 4. inter eos, qui Apostolici nuncupantur.

Can. 96. de cons. dist. 2.

De canone 96. de cons. dist. 2. vix est, quod peculiaritèr dicamus. Habetur eisdem omninò verbis in canone 35. ejusdem Concili Carthaginensis. Videtur autèm depromptus ex Fulgentio Ferrando, in cujus breviario num. 170. ex Concilio Carthaginensi tit. 42. referuntur hæc verba : *Ut Scenicis, atque histrionibus reconciliatio non negetur.* Ceterùm in canone 63. Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, & in Codice canonum Africanæ Ecclesiæ nonnulla leguntur, quæ plurimùm ad hanc eamdem rem faciunt his verbis : *Et de his etiàm petendum, ut siquis ex qualibet ludrica arte ad Christianitatis gratiam venire voluerit, ac liber ab illa macula permanere; non eum liceat à quoquam iterùm ad eadem exercenda reduci, vel cogi.* Clarius etiàm id habetur in can. 45. rursùs apùd Dionysium Exiguum, & in Codice Africano, his tamèn verbis, ex quibus his conjungendus est can. 75. de cons. dist. 4. *Ut ægrotantes, qui pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizentur. Ut scenicis, atque histrionibus, ceterisque hujusmodi personis, vel apostaticis conversis, vel reversis ad Deum, gratia, vel reconciliatio non negetur.* Dictus autèm canon 75. habetur in can. 34. ejusdem Concilii Carthaginensis, cujus varietatem jam Romani Correctores adnotarunt. Labbeana editio ità exhibet : *Ut ægrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* Alii ex Græco textu ità sententiam Concilii explicaverunt : *Ut qui sunt infirmi, & pro se respondere non possunt, tùnc baptizentur, quandò voluntate sua de se proprio periculo dixerint.* Posteriora illa canonis Gratianei verba : *Similiter & de pœnitentibus agendum est*, cum in nullo alio Codice reperiantur, facile est suspicari, à Gratiano edita fuisse, qui ea, quæ de Baptismo constituta sunt, ad pœnitentiæ Sacramentum produxerit.

Can. 75. de cons. dist. 4.

De Canonibus Concilii Carthaginensis, quod quartum dicitur apùd Gratianum.

Quod apùd Gratianum appellatur Concilium Carthaginense quartum, fuit illud universale totius Africæ, ad quod convenisse perhibentur sub Aurelio Carthaginensi Episcopi numero 214., inter quos & S. Augustinus Hipponensis Episcopus subscripsit. Incidit autèm in Consulatum Honorii, & Euthichiani, qui concurrit cum anno 398., regente Romanam Ecclesiam Anastasio. In vulgatis Conciliorum editionibus centum & quatuor huic Concilio canones tribuuntur, atque exhibentur ; eorumdem tamèn nemo ex antiquis Scriptoribus meminit ; non Fulgentius Ferrandus in sua bre-

breviatione canonum; non Dionysius Exiguus; imò nec in ipso Africanæ Ecclesiæ Codice aliquid reperitur, quod ex hoc Concilio depromptum videri possit. In tanto veterum silentio gravis mihi suspicio suboritur, acta hujus Concilii apocrypha esse, nomine saltèm, itèm præfatione, & subscriptionibus Episcoporum, in quibus Aurelii Carthaginensis, aliorumque Africanorum Antistitum nomina reperiuntur. Primus, qui canones ibi descriptos nomine Concilii Carthaginensis laudavit, fuit Egbertus Eboracensis Episcopus, qui vivebat circà annum 740.: deindè Regino, Burchardus, Anselmus Lucensis, Ivo, & Gratianus laudaverunt. Quis porrò verosimile esse posse arbitretur, Concilium istud, ceteroquin, ut ajunt, universale totius Africæ, vetustissimos latuisse Collectores, ipsum etiàm Ferrandum, nec fuisse in Codice Africanæ Ecclesiæ insertum? Augent suspicionem meam quædam observationes, quæ ex veteribus MSS., in quibus hujus Concilii acta reperiuntur, depromi facilè possunt. Etenim antiqui diversis nominibus inscripserunt eos canones, & acta, qui huic Carthaginensi Concilio hodiè tribuuntur. Alicubi appellantur *Statuta Ecclesiæ antiquæ*. Ità in MS. Codice Corbejensi, & in alio Bibliothecæ Parisiensis Collegii Societatis Jesu; in quibus MSS. etiàm desideratur præfatio, in qua Aurelii Carthaginensis nomen habetur. Alibi, ut in MS. Barberiniano, quemadmodùm notatur in editione Labbeana, hæc est inscriptio: *Statuta Orientis antiqua*; cui inscriptioni etiàm consonat Atto Vercellensis Episcopus (vivebat is circà annum 945., ejusque opuscula habentur in Spicilegio Dacheriano), quippè apùd ipsum appellantur *Statuta Orientalium* in epist. 8. Quî autèm fieri potest, ut Orientali Ecclesiæ tribuerentur, quæ in Africana Ecclesia erant constituta? Addo his, reperiri quædam in hisce actis ac canonibus, quæ posteriori potiùs ætati conveniunt; etenim in can. 1. leguntur quædam fidei formulæ, quæ ad damnandam Euthychetis hæresim posteà exortam plurimùm faciunt; ac proindè perspicuè innuunt, illud fragmentum Concilio Carthaginensi anni 398. tribui nullatenùs posse. Prætereà in eodem can. 1. hoc ab Episcopo inquirendum decernitur: *Si in baptismo omnia peccata, id est, tàm illud originale contractum, quàm illa, quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur?* Quæ sanè præsupponere videntur jam exortam hæresim Pelagianam; at verò Pelagius non nisi anno 412. legitur damnatus, aut in Africam venisse, nisi pòst annum 411. Quibus omnibus addi potest, formulas in hoc Concilio expressas non convenire ullo modo cum illis, quæ in aliis ejus temporis Africanis Conciliis conspiciuntur: Nec enim Episcoporum identidèm interrogantium, consulentium, ac demùm definientium verba inter canonum statuta occurrunt, quemadmodùm in ceteris. Demùm, si canones hujus Concilii omnes considerentur, libellus potiùs videtur ad cæremonias quasdam Sacramentales confectus, quàm Synodales definitiones, quæ olim ut plurimùm ardua disciplinæ capita, prout res incidebat, constituta continebant. Hæc omnia simùl juncta, atque ad rectam rationem exacta, si non prorsùs apocrypha docebunt hujus Concilii acta, saltèm verò maximè suspecta faciunt, ut de eorumdem auctoritate, aut origine facilè dubitare quispiam possit. Ceterùm adeò ego non audeo, ut canones, quales in ea Synodo describuntur, penitùs respuam, ac illos veneratione aliquâ dignos minimè censeam. Sunt enim illi veteri canonum disciplinæ maximè accommodati, ac plurimùm veteri Juri Ecclesiastico observando studiosis inserviunt. Si ergò Africanis Patribus, aut quarto sæculo tribui neutiquàm possunt, fortè alterius erunt Concilii alterius cujuspiam Ecclesiæ, atque etiàm sexti, septimive sæculi monumenta.

Est hoc meum generatim de canonibus hisce judicium: undè liquet, quænam

nam penès me sit de Gratianeis exindè perceptis fragmentis generalis opinio. Nùnc ad singula venio; atque in primis agnosco, Gratianeum canonem 9. dist. 18. haberi in canone 21. hujus Concilii his verbis: *Ut Episcopus ad Synodum ire, non sine satis gravi necessitate inhibeatur* (duas illas voculas *non sine* monet Harduinus in veteribus MSS. desiderari), *sic tamèn, ut in sua persona legatum mittat, suscepturus, salvâ fidei veritate, quidquid Synodus statuerit.* Integra hæc verba descripsi, ut agnoscatur varietas Codicum, & præsertim Gratianeæ editionis, à qua tamèn hac in parte recedendum non esse censerem.

Can. 9. dist. 18.

Can. 2. dist. 23. Can. 2. dist. 23. legitur in can. 1. hujus Concilii Carthaginensis: legitur prætereà in libro Romani Ordinis cum hac inscriptione: *Ex Ecclesiasticis statutis*; quod magis, magisque probat, apùd veteres hosce canones non consuevisse nomine alicujus Concilii Carthaginensis laudari. Ubi de Romano Ordine peculiari capite agam, nonnulla præcipuè de hoc canone attingam. Hoc in loco adnotasse sufficiat, postrema hujus canonis verba cum vulgatis Concilii editionibus consonare: verùm apùd Reginonem lib. 1. de Eccles. disciplinis cap. ult., Burchardum lib. 1. cap. 8., & Ivonem part. 5. cap. 62. compendio quodam fuisse perstricta ibi: *Cum in his omnibus examinatus plenitèr instructus repertus fuerit, tùnc ordinetur.*

Can. 7. dist. 23. Pòst canonem nupèr memoratum sequitur num. 2. can. 7. dist. 23., ubi eadem etiàm verba leguntur, exceptâ voce illa *fundendo*, in cujus vicem habetur in vulgatis exemplaribus Concilii: *fundentes.*

Can. 8. dist. 23. In canone 3. ipsius Concilii sequitur can. 8. dist. 23., cujus verba omninò congruunt cum verbis Concilii usquè ad §. *Sicut autèm*, qui sanè §. meo judicio à Gratiano, aut ab alio quovis Collectore videtur adjectus, præsertim cum etiàm omissus fuerit ab Ivone, qui idem fragmentum retulerat in part. 6. Decreti cap. 12. Hæc autèm Gratiani, aut alterius cujuscumque, adjectio non est ab Ecclesiastica disciplina vetere aliena, cum olim juberentur Sacerdotes cum orario, quoad fieri posset, incedere. Sic apùd Regionem lib. 1. de Eccles. discipl. in principio inquirendum à Presbyteris proponitur: *Si sine stola, vel orario in itinere incedant.* Et in lib. 1. cap. 333. ex Concilio Triburiensi hæc leguntur: *ut Presbyteri non vadant, nisi stolâ, vel orario induti.* De orario jàm alibi superiùs sermonem habui.

Sequuntur in eodem Concilio canone 4., 5., 6., 7., 8., 9., & 10., canones 11., 15., 16., 17., 18., 19., & 20., dist. 23., & quidèm omnes cum vulgatis Concilii exemplaribus omninò congruunt. Duo tantummodò observatione in ipsis digna sunt. Primum est in dicto can. 15. dist. 23. in illis verbis: *cum aqua, manile, & manutergium*; etenim vulgata Concilii editio ità habet: *urceolum cum aqua, & manile, & manutergium.* Alii autèm legere malunt: *urceolum cum aquimanile, & manutergium*; quæ postrema lectio conformior videtur veteri phrasi loquutionis Romanæ; siquidèm in usu olim erant aquimanilia, quorum mentio habetur in l. 3. princ. & §. 3. ff. de suppellect. leg., itèm in l. 19. §. 12., & l. 21. §. 2. de auro, & arg. leg. Erant aquimanilia ità dicta, quòd aqua in eis maneret, & ex illis effunderetur in pelves; vel quòd apùd antiquos antè cibum in usu essent, dum manus aquâ perfunderent. Hinc in memoratis Jureconsultorum fragmentis aquimanilia inter species argenti escarii relata sunt, nullâ alia sanè de causa, nisi, quòd cænaturis porrigerentur. Itaquè exindè colligitur aquimanile apùd Ecclesiasticos viros olim appellatum fuisse vas illud, in quo aqua continebatur parata ad abluendas Sacerdotum manus, cum illi ad sacram Mensam accederent. Alterum, quod dignum observatione videtur, pertinet ad dictum canonem 17. dist. 23., ubi traditur formula, quâ Episcopus Exorcistatus ordinem confert. Etenim postrema illa ver-

Can. 11. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. dist. 23.

ba *supèr energumenum, sive baptizatum, sive cathecumenum*, non in omnibus codicibus eadem leguntur. In Labbeana editione Concilii adnotatur, in aliquibus ità legi: *supèr energumenum, sive baptizandum*; verba autèm illa, *sive cathecumenum*, desiderari. Si hæc lectio prævalere deberet, contrà quàm receptum sit pòst Gratiani Codicem, facilè recipi posset, potissimam Exorcistarum potestatem in eo olim fuisse sitam, ut energumenis, id est, baptizandis, sive (quod idem & unum est) Cathecumenis adessent, variisque orationibus, & exorcismis eosdem præpararent, quemadmodùm etiàm hodiè fieri solet inter ipsos ritus & cæremonias baptismales, juxtà Rituale Romanum.

Can. 29. dist. 23. habetur in cap. 98. & 99. ejusdem Concilii, ubi tamèn pro illis verbis, *nisi ipsis rogantibus*, ità legitur: *nisi ipsis jubentibus*. Regino in Appendice 1. can. 19. refert primam hujus canonis partem ex Concilio Aurelianensi V.; ubi tamèn nihil tale reperitur, si fides esse debet vulgatis ejusdem Concilii editionibus.

Can. 29. dist. 23.

Verba canonis 33. dist. 23. jam Regino Prumiensis sub nomine Concilii Carthaginensis descripserat in cap. 153. lib. 2. de Eccles. discipl. Burchardus, & Ivo eadem retulerunt, sed sub nomine Concilii apùd Valentias cap. 101. Gratianus contentus fuit verba eadem recitare, nullum tamèn auctorem ipse laudavit, fortè quòd nollet Ivoni potiùs, & Burchardo, quàm Reginoni, vel è converso, morem gerere. Democharcs, & Contius in editionibus Gratiani ad marginem adnotarunt, hunc canonem haberi in can. 13. Concilii IV. Carthaginensis. Hanc notam Romani Correctores è margine in textum transtulerunt. Reverà eadem ipsa verba habentur in cap. 13. ejusdem Concilii Carthaginensis.

Can. 33. dist. 23.

Cum vulgatis ejusdem Concilii exemplaribus can. 22. consonat canon 6. dist. 24. Animadvertit Harduinus, in MSS. veteribus ità legi: *Episcopus consilio Clericorum suorum Clericos ordinet, ità ut civium conniventiam & testimonium quærat.* Hæc sanè disciplina generatim apùd Episcopos omnes servata fuit; sed quoniàm de Conciliis Carthaginensibus agimus, Sanctissimum Africanum Episcopum laudabo, Cyprianum videlicèt, qui in Epist. 5. ad Presbyteros, & Diaconos suos ità scribit: *Ad id verò, quod scripserunt mihi Compresbyteri nostri Donatus, & Fortunatus, Novatus, & Gordius, solus rescribere nihil potui, quandò à primordio Episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis meâ privatim sententiâ gerere.* Et rursùs ibidèm: *Quamquàm causa compelleret, ut ipse ad vos properare, & venire deberem, primò cupiditate, & desiderio vestri, quæ res in votis meis summa est, tum deindè ut ea, quæ circà Ecclesiæ gubernaculum utilitas communis exposcit, tractare simùl, & plurimorum consilio limare possemus &c.*

Can. 6. dist. 24.

Can. 1. dist. 37.

Can. 1. dist. 37. legitur quidèm in cap. 16. hujus Concilii: verùm, utrùm apùd veteres Patres, præsertim Africanos, usu receptus fuerit, maximè dubitaverim. Prohibentur ibidèm Episcopi legere Gentilium libros; hæreticorum autèm Codices legere jubentur *pro necessitate, & tempore*, vel, uti alii legunt, *pro necessitate temporis*. Verùm vel nomine gentilium librorum ii intelliguntur, in quibus de superstitionibus, atque Idolorum cultu ex proposito tractatur; vel ii, qui nihil tale continent, sed vel quid factum fuerit per historiam docent, vel bonarum artium cultoribus prosunt. Si de libris primi generis agatur, non video, cur ab ipsis Episcopo abstinendum foret, cum tamèn præcipuum munus Episcopi esset ità studere, ut prædicatione suâ gentes potissimùm ad Christi fidem adduceret? Quomodò autèm adduceret, nisi gentium superstitiones oratione, ac disputatione refutaret? Quomodò tandèm refutaret, nisi plenam earumdem notitiam habuisset, quam non nisi ex Ethnicorum eorumdem libris haurire potuisset? Saltèm verò cur non jubentur Episcopi æquè Gentilium, at-

atque hæreticorum libros legere *pro necessitate, aut tempore*, cum eadem tùm fuerit Ethnicorum, atque Gentilium oppugnandorum ratio? Si verò alterius generis libros intelligimus, opponitur statim Cypriani, & Augustini exemplum, qui fuere potissima Africanæ Ecclesiæ lumina. Cyprianum memoro in primis, quem latinæ linguæ peritissimum fuisse scimus, ejusque studiosissimum, cujus tamèn linguæ elegantiam, integritatemque in solis Gentilium libris adservatam vel illi agnoverunt, qui prima ipsius elementa addiscere potuerunt. Augustinum deindè, cujus opera si legerimus, aureos præsertim libros *de Civitate Dei*, innumera in illis agnoscemus ex Gentilium libris deprompta. Neque verò suspicandum, Augustinum aut contrà suæ Ecclesiæ canones voluisse delinquere, aut, quod pejus esset, de delicto suo gloriolam quærere, referendo in suos Codices librorum illorum fragmenta, à quorum lectione jussus fuerat penitùs abstinere. Qui plura ad hanc rem desiderat, videat Cotelerium in Tom. 2. Patrum I. sæculi pag. 127.

Can. 7. dist. 41. legitur eisdem verbis in canone 14. & 15. ejusdem Concilii, dummodò pro voce illa Gratianea *hospitium* legatur *hospitiolum*. Ex quibus constat, quâ mediocritate Episcopi veteres in re præsertim familiari usi fuerint; atque ad hoc ipsum pertinet can. 8. dist. 41., cujus verba leguntur in eadem Synodo cap. 45.

Can. 7. dist. 41.

Can. 8. dist. 41.

Can. 3. dist. 46. omninò consonat cum canone 56. ejusdem Concilii.

Can. 3. dist. 46.

Quæ in can. 4. dist. 46. leguntur, licèt consonent cum can. 56. ipsius Concilii, plurimùm tamèn videntur cum Ecclesiastica vetere disciplina pugnare, si generatim sumantur, non prout jacent apùd Gratianum, sed prout ab aliis Conciliorum Collectoribus, & in ipsius integris Concilii exemplaribus referuntur, ibi: *Ut Episcopus accusatores fratrum excommunicet. Et si emendaverint vitium, recipiat eos ad communionem, non ad Clerum.* Agitur itaquè hoc in loco de Clericis, qui Clericos accusaturi sunt: At quis dixerit, accusationes Clericorum Clericis eisdem apùd veteres fuisse interdictas? cum cæteroqui nemo ignoret, in Conciliis, præsertim Provincialibus, passim receptas esse, atque admissas Clericorum adversùs Clericos accusationes. Anne fortè apùd veteres danda erat Clericis delinquendi impunè licentia? Non ità insedit Africanis Patribus in canone 8. Codicis Africanæ Ecclesiæ, ut cetera ommittam, ibi enim ità legimus: *Aurelius Episcopus dixit: Placet igitùr charitati vestræ, ut is, qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversùs majorem natu non habeat accusandi. Ab universis Episcopis dictum est: Si criminosus est, non admittatur, placet.* Ab accusando itaquè tum demùm removendus erat quispiam, quotiès & ipse, qui accusaturus esset, crimini fuisset obnoxius; ac propterèa generalis esse non poterat disciplina, ut quilibet Clericus alterum Clericum accusare non posset, nisi dicamus apùd Africanos Clericos omnes fuisse sceleribus irretitos. Agnovit hanc difficultatem Gratianus, aut quisquis alius, qui propterèa hunc canonem non descripsit, qualis in aliis Exemplaribus Concilii legitur, sed è re esse putavit, si illa verba adjiceret: *qui non probanda fratribus objiciunt.* Sed hic rursùs ego maximè dubitaverim, utrùm recepta apùd veteres generalis hæc regula fuerit, ut excommunicarentur accusatores illi ex Clericis, nunquàm etiàm in Clerum recipiendi, qui crimina manifestis argumentis probare non potuissent, de quibus Clericos accusavissent.

Cum canonibus ejusdem Concilii 54., 57., 60. & 67., consonant canones 5., 6., 7., & 8. dist. 46.; observandum tamèn est in dicto can. 6. dist. 46. verbum illud *censemus* à Gratiano, vel ab alio quovis Collectore adjectum fuisse, cum non legatur in vulgatis Concilii exemplaribus. Notandum præterea memoratum canonem 5. dist. 46. laudatum fuisse nomine Carthaginensis Concilii in Pœnitentiali Romano, edito

Can. 5. 6. 7. & 8. dist. 46.

ab Antonio Augustino, tit. 4. cap. 14., de quo suo loco sermonem instituam, ubi de Pœnitentialibus agendum erit. In eodem autèm Pœnitentiali pro illis verbis, quæ sunt apùd Gratianum, *maximè in Sacerdotibus*, leguntur hæc alia: *maximè à Sacerdotibus.*

Can. 55. dist. 50. De canone 55. dist. 50. nihil est, quod specialiter hoc loco subjiciam. Habetur ille in canone 68. & 69. ejusdem Concilii. Romani autèm Correctores jam observarunt, quæ in aliis Codicibus est, verborum differentiam.

Can. 33. & 34. dist. 81. Omninò consonant cum can. 102. & 103. ejusdem Concilii canones 33. & 34. dist. 81.

Can. 5. 6. & 7. dist. 88. Quàm alienus debeat esse Episcopus à negotiis sæcularibus, ne fortè illorum occasione à curis Ecclesiasticis abstrahatur, apertissimè docent canones 5., 6., & 7. dist. 88., quorum verba in omnibus exhibent canones 17. 18., & 20. memoratæ Synodi Carthaginensis.

Can. 1. dist. 90. In eodem Concilio can. 59. statuitur, ad Episcopos pertinere dissidentes Clericos ad concordiam trahere, quam sententiam Gratianus retulit in can. 1. dist. 90.: aliquæ tamèn Concilii editiones pro illis verbis *per audientiam* habent *per audaciam*: existimaverim ego legendum potiùs: *propter audaciam.*

Can. 2. & 3. dist. 90. Ex canone 93., & 94. hujus Concilii Carthaginensis descriptus est can. 2. dist. 90., quò etiàm pertinet can. 8. eadem dist. 90. ubi Gratianus eadem repetiit, fortè immemor eorum, quæ tùm pridèm adduxerat. Hæc eadem ex Concilio Carthaginensi laudaverat Regino in lib. 2. cap. 375., habenturque etiàm apùd Halitgarium in lib. 4. cap. 31. Similia prætereà idem Regino adtulit in lib. 1. cap. 61. ex Concilio Nannetensi, ubi, postquàm statutum est, dissidentes fideles, qui nolunt reconciliari, ab Ecclesia ejiciendos esse, ità statim subjicitur: *Non enim possumus munus, vel oblationem ad Altare offerre, donèc priùs Fratri reconciliemur.* Petet fortè quispiam, quid significent voces illæ *sacrarii*, & *gazofilacii*, & quænam sint inter utramque discrimina. Quod ut dignoscatur, observandum est, olim à fidelibus consuevisse in Ecclesiam oblationes adferri, præsertim verò panem, & vinum causâ consecrationis, aut etiàm alias res, per Sacerdotem dein benedicendas, ut populo distribuerentur in signum Ecclesiasticæ communionis. Unaquæque res oblata primùm in gazophilacio reponebatur ab ipsismet offerentibus, sive in corbona, quemadmodùm appellant alii. Deindè à gazophilacio, sive corbona extractæ res à Sacerdotibus in duas partes dividebantur, quarum una Clericis cedebat ad alimoniam, altera verò consecrationi, vel benedictioni destinata, quæ videlicèt nitidior esset, & aptior, in sacrarium deferebatur; à quo deindè extracta opportuno tempore in Altari benedicenda, aut conseeranda collocaretur.

Canon 6. dist. 90. consonat omninò cum canone 25. ejusdem Concilii in vulgatis editionibus. Non ità autèm consonat cum can. 26. canon 7. ejusdem dist. 90. nitidiùs enim, & meliùs exhibent vulgatæ editiones: *Statuendum* (legunt alii: *studendum*) *est Episcopis, ut dissidentes Fratres, sive Clericos, sive Laicos, ad pacem magis, quàm ad judicium, cohortentur.* Can. 6. & 7. dist. 90.

Quod Gratianus retulit in can. 3. dist. 91. habetur in can. 49., & 52. Concilii ejusdem. Regino partem ejusdem canonis jam nomine Concilii Carthaginensis retulerat in cap. 181. lib. 1. Qualis sit in diversis Codicibus verborum varietas jam observarunt Romani Correctores. Ego sanè hujusmodi sententias nuspiàm auderem Africanis Episcopis adtribuere, sed potiùs tyroni cuipiam Latinæ locutionis, Latinam linguam ad sui profectum exercenti. Quis enim credat, Africanos Patres, qui maximè pollebant elegantiâ sermonis, ità loqui: *Clericus, qui absquè corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendio privetur?* Nùm apùd Afros Clericorum corpora tenuiora erant, aut delicatiora? Deindè maximè Can. 3. dist. 91.

mè improprium est, infirmitatem corporis appellare *corporis inæqualitatem*. Minùs etiàm aptum mihi videtur, quod in eodem canone dicitur, Clericos ad agriculturam adigendos esse victus, vestimentique parandi causâ, cum nullibi apùd veteres, aut in monumentis certis Ecclesiasticæ disciplinæ quidpiam tale legatur. Quod verò etiàm probat, memoratum hunc canonem Concilio huic tribui non posse, illud est, quod in aliis ejusdem Concilii Canonibus idipsum repetatur. Sic in can. 51. legitur: *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat*; & in can. 53. *Omnes Clerici, qui ad operandum validiores sunt, & artificiola, & literas discant*. Nulla sanè hic mentio occurrit de agricultura, sed potiùs de artificio, quod sanè tale esse debuerat, ut Clericum à rebus divinis non distraheret. Retulit hos canones Gratianus in can. 4. dist. 91., quibus etiàm addidit can. 48. & 50. ejusdem Concilii, ut ajunt, Carthaginensis. In can. 48. ità legitur: *Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur*. Et in can. 50. *Clericum, inter tentationes ab officio suo declinantem, vel negligentiùs agentem, ab officio suo removendum*. Hæc verba videtur omninò depravasse Gratianus, aut quisquis alius Gratiano auctor extitit; quod & Romani Correctores observaverunt, referentes intereà canonem 42. ejusdem Concilii, ità conceptum: *Clericum inter tentationes officio suo incubantem gradibus sublimandum*; quæ verba collata cum canone 50. memorato manifestè demonstrant canonem, prout jacet apùd Gratianum, perperàm fuisse descriptum, atque propterea ex aliis Concilii exemplaribus emendandum.

Can. 4. dist. 91.

Canon 4. dist. 95. habetur in cap. 36. ejusdem Concilii, ubi tamèn desiderantur verba illa *omni anno*. Putat autèm Vir eruditus, pro illis verbis apud Gratianum legendum esse *omninò*. Quandò verò in hoc canone decernitur, Presbyteros rurales, sive Parochos à suis Episcopis debere chrisma petere vel per se, vel *per illum, qui Sacrarium tenet*, intelligimus facilè peti posse per eum, cui cura Sacrarii est commissa, sive ille Diaconus sit, sive Subdiaconus, quemadmodùm statutum legimus in lib. 7. Capitular. cap. 310. ibi: *Non aliis tradendum* (chrisma), *nisi solummodò Presbyteris, vel Diaconis, aut Subdiaconis benè fidelibus. Indignum est enim, ut alii illud suscipiant, nisi illi, qui hoc in tradendo usuri sunt*. Posteriore tempore exolevit hæc disciplina, non solùm enim aliquandò ad petendum chrisma Clerici minores mitti solent, verùm etiàm Laici; quam tamèn consuetudinem quidam recentioris ætatis Episcopi improbarunt, quemadmodùm videri potest apùd Concilium Diœcesanum Raymundi Episcopi Helenensis anni 1380.

Can. 4. dist. 95.

Quanto apùd veteres Episcopos in honore fuerint, atque esse debuerint Presbyteri, manifestè probant canon 9. & 10., dist. 95., ex ejusdem Concilii canonibus 34., & 35. decerpti. Quod autèm ibi dicitur, etiàm S. Hieronymi auctoritate confirmatur, qui in Epist. 58. ad Evagrium ità scribit: *Ceterùm etiàm in Ecclesia Romæ Præsbyteri sedent, & stant Diaconi: licet, paulatim increbrescentibus vitiis, inter Presbyteros absente Episcopo sedere Diaconum viderim*.

Can. 9. & 10. dist. 95.

Nomine Carthaginensis IV. Concilii cap. 7. laudatur à Gratiano can. 32. caus. 2. quæst. 6., sed frustrà in Africanis Codicibus, aut Conciliis quæritur. Arbitror Gratianum, qui unus, quoàd noverim, hoc fragmentum retulit, aut quemvis alium, qui Gratiano auctor extiterit, inflexisse ad propositum suum nonnullos canones Africani Codicis, præsertim verò canonem 104. in quo hæc habentur. *Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur: Si autèm Episcopale judicium ab Imperatore postularit, nihil obsit*. Et in can. 15. statuitur, Clericum à proprio loco cadere, quotiès ad publica judicia venire voluerit, non potiùs suam causam arbitrio Episcopi sine contentione, & fori strepi-

Can. 32. caus. 2. q. 6.

pitu definiri. Fortè itaquè Gratianus putavit, sententiam Concilii Africani, de Clericis conceptam, quâ sæcularibus judiciis contentionis causa abstinere jubentur, protrahi posse ad Catholicos omnes, quasi & ipsi prohibeantur causas suas definiendas subjicere alterius fidei, & religionis judicibus. Ad hanc sanè rem nullus hùc usquè proditus est canon, nec adeò facilè Collectores aliqui debent certam jurisprudentiam nonnullis in casibus definitam ad diversos casus similitudinis cujuscumque prætextu extendere, ne fortè hac ratione novas leges, novaque privilegia effingendi occasio singulis præbeatur.

Can. 1. caus. 6. q. 2. In eadem Carthaginensi Synodo, quæ quarta dicitur in cap. 29. legitur can. 1. caus. 6. quæst. 2. qui sanè, si Carthaginensibus priorum temporum Patribus tribuendus est, referendus est ad illam probatissimam disciplinam, quâ in Conciliis Provincialibus accusationes excutiebantur, atque adversùs reos Ecclesiasticæ censuræ infligebantur, assignatis unicuique pro rei merito pœnitentiæ gradibus.

Can. 37. caus. 7. q. 1. Canon 37. caus. 7. quæst. 1. consonat quidèm omninò cum can. 27. ejusdem Concilii: verùm occurrunt utrobiquè minùs propriæ vocabulorum significationes, & minùs castigata latinitas ità, ut exindè præconcepta suspicio augeatur, hæc scilicèt fragmenta tamquàm suppositicia redargui posse. Quippè verba illa *fiendum poposcerit* vix nono, aut decimo Ecclesiæ sæculo conveniunt. Præterea nec rectè dicitur, Episcoporum translationes fieri posse *Decreto Clericorum, & Laicorum*; Etsi enim Episcopi Clericorum consilio, populique consensu transferri solerent, nullibi tamèn sive consilium, sive consensus hujusmodi *Decreti* nomine appellatur.

Can. 38. caus. 7. q. 1. Varia paulispèr sunt exemplaria in canone 38. caus. 7. quæst. 1., qui depromptus est ex eodem Concilio can. 33., etenim in vulgatis Codicibus pro illis Gratiani verbis: *Si causâ visitandi ad Ecclesiam alterius Episcopi venerint*, legitur: *Si causâ visitandæ Ecclesiæ ad Ecclesiam alterius venerint.* Utrobiquè tamèn eadem sententia promitur, ut scilicèt honor exhibeatur Episcopo, quotiès ad alium Episcopum vel amicitiæ, vel Christianæ unitatis significandæ causâ accesserit.

Can. 19. caus. 11. q. 3. Canon 19. caus. 11. quæst. 3. depromptus est ex can. 73. ejusdem Concilii, ubi tamèn paulò alitèr verba referuntur, quæ jam descripserunt ad eumdem canonem Correctores Romani.

Can. 30. caus. 11. q. 3. Conformis est veteri disciplinæ canon 30. caus. 11. quæst. 3. qui omninò consonat cum can. 66. ejusdem Concilii Carthaginensis, quæcumque tandèm sit illius auctoritas. Siquidèm sæpissimè veteres constituisse scimus, ut causæ Clericorum pòst Episcopale judicium ad Synodum Provinciæ deferrentur, quemadmodùm habetur in can. 28. Codicis canonum Ecclesiæ Africanæ, qui idem est cum canone 28. Concilii Carthaginensis Dionysii Exigui.

Can. 35. caus. 11. q. 3. In eodem Concilio canone 28. legitur canon 35. caus. 11. quæst. 3. inutilitèr tamèn videtur prodiisse hujusmodi sententia, nec digna prorsùs, quæ tamquàm generalis agendi regula in Concilio generali totius Africæ proponeretur. Quænam enim controversia esse poterat, nùm injusta damnatio tamquàm irrita habenda foret, & idcircò in Synodo retractanda? Mihi sanè in celebratissimis hujusmodi Episcoporum conventibus non videtur teri potuisse tempus in explicandis rebus clarissimis, & ferè synonimis.

Can. 9. caus. 13. q. 2. Maximè attendenda est sententia canonis 9. caus. 13. quæst. 2., quæ eisdem verbis expressa legitur in Carthaginesi canone 95. Mos erat apùd Christianos veteres, ut morientes quidpiam Ecclesiis ultimâ voluntate relinquerent; hæredes tamèn avaritiâ ducti aliquandò voluntati defunctorum morem gerere detrectabant, aut in longius tempus differebant. Monentur hic omnes, ne hac de causa damnentur, *tamquam gentium ne-*

necatores. Hæc sanè verba quid aliud denotant, nisi bona, Ecclesiis ultimâ voluntate donata, in egentium usus convertenda prorsùs esse, & quidèm ex eorumdem relinquentium mente? Id porrò si verum est, maxima apùd Clericos habenda est beneficiariorum fructuum, præsertim antiquorum, ratio, ne in dispensatione illorum quidpiam adversùs piam fundatorum, ut ajunt, voluntatem delinquant.

Canon. 1. caus. 14. quæst. 1. his verbis legitur in canone 19. Concilii Carthaginensis: *ut Episcopus pro rebus transitoriis non litiget provocatus*; quæ verba Gratianus pluribus distinctionibus explicare conatur, sed meo judicio parùm appositis. Ait in primis, Episcopum litigare non debere, ut lucrum captet; posse tamèn, si de damno vitando contendat. At hæc distinctio ex eisdemmet canonis verbis enervatur, etenim statuitur, ut ne provocatus quidèm litiget. Sanè, qui provocatur, agit sempèr de damno vitando, non de lucro faciendo; siquidèm, qui provocatur, regulariter possidet, qui autèm jam possidet, rei jam sibi partæ periculum subit in controversiis. Videtur agnovisse difficultatem Gratianus, qui statim ad aliam distinctionem confugit, ajendo, Episcopum non posse quidèm de suis, posse tamèn de rebus Ecclesiæ litigare. Sed pejor altera hæc distinctio esse videtur; per quam nomine Ecclesiæ Episcopo conceditur, quod suo nomine denegatur. Etenim ideò Sacri canones litigia, & controversias omnes ab Episcoporum animis amovere voluerunt, quòd per lites sæpissimè nascantur jurgia, & discordiarum semina excitentur, per quæ Christiana charitas, non refrigescit tantummodò, sed prorsùr extinguitur. In hac specie, concedendumne videbitur Episcopo in causa Ecclesiæ Ecclesiasticam ipsam pacem, tranquillitatemque Christianam, & quidèm nomine Ecclesiæ ejusdem disrumpere, quod non conceditur in causa ipsius propria? Mihi ad interpretationem hujus canonis, qualemcumque demùm auctoritatem apùd erùditos obtineat, potiùs placet dicere, ibi moneri Episcopos omnes, ut, quotiescumquè ad judicium pro re temporali provocati fuerint, non priùs ad forenses strepitus accedant, quàm cum adversario rem ipsam componere quasi per arbitrium conati fuerint, ut eâ ratione omnis controversia dirimatur.

Can. 1. caus. 14. q. 1.

Jam superiùs tradebam ad can. 6. dist. 24. eam fuisse Ecclesiæ Africanæ disciplinam, ut Episcopi nihil sine Clericorum suorum consilio peragerent, quod præsertim ex S. Cypriano demonstrabam. Idipsum exhibet etiàm canon 6. caus. 15. quæst. 7., qui refertur in can. 23. ejusdem Concilii Carthaginensis; atque cum hoc temperamento arbitror intelligendum esse illud, quod dicitur in can. 20. Codicis canonum Ecclesiæ Africanæ, ibi: *Reliquorum autèm Clericorum* (illorum videlicèt, qui infrà Diaconos constituti sunt) *causas etiàm solus Episcopus loci agnoscat, & finiat*. Solus, inquam, Episcopus loci, ut non necesse sit advocari alios ex finitimis Diœcesibus, quemadmodùm statutum paulò anteà fuerat in causis Presbyterorum, & Diaconorum, non tamèn excludatur consilium Clericorum, qui cum eodem Episcopo in eadem civitate unum quodammodò Ecclesiasticum corpus constituere dicebantur.

Can. 6. caus. 15. q. 7.

Can. 11. caus. 18. q. 2.

Can. 11. caus. 18. legitur eisdem omninò verbis in can. 97. hujus ejusdem Concilii.

Can. 35. caus. 24. q. 3.

In can. 35. caus. 24. quæst. 3. exhibentur tres canones Concilii Carthaginensis ejusdem, videlicèt 70. 71., & 72. In canone 70. ità habetur: *Clericus hæreticorum, & schismaticorum tàm convivia, quàm sodalitates evitet æqualiter*. In can. 71. *Conventicula hæreticorum non Ecclesia, sed conciliabula appellantur*. Et in can. 72. *Cum hæreticis nec orandum, nec psallendum*. Hæc quidèm omnia si ad Carthaginense aliquod Concilium reverà pertinerent, de Donatistis præsertim intelligenda fore facilè unusquisque percipiret, qui eorum schismata tùnc temporis

Afri-

Africanam Ecclesiam discidisse apprimè noverit.

Can. 11. caus. 26. q. 5. In canone 89. ejusdem Concilii ità legitur : *Auguriis, vel incantationibus servientem à Conventu Ecclesiæ separandum. Similiter & superstitionibus Judaicis, vel feriis inhærentem.* Hæc verba paulò alitèr retulit Gratianus in can. 11. caus. 26. quæst. 5.

Ex canone 76., & 78. Concilii editus est canon 8. caus. 26. quæst. 6., ex quo apertè dignoscitur, qualis habita fuerit pœnitentiæ satisfactoriæ, ut ajunt, apùd veteres ratio ; etsi enim, instante necessitatis articulo, quis absolveretur à culpa, non abibat tamèn à pœna satisfactionis immunis, quotiès supervixisset.

Can. 8. caus. 26. q. 6.

Can. 6. caus. 26. q. 7. In can. 6. caus. 26. quæst. 7. plures Concilii ejusdem canones congeruntur. Dabo ego distinctos canones. In can. 74. hæc leguntur : *Ut Sacerdos pœnitentiam imploranti absquè personæ acceptione pœnitentiæ leges injungat.* In can. 75. *Ut negligentiores pœnitentes tardiùs recipiantur.* In can. 80. *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponatur.* In can. 81. *Mortuos pœnitentes Ecclesiæ adferant* (legunt alii : *efferant*), *& sepeliant.* In can. 82. *Pœnitentes etiàm diebus remissionis genua flectant.* In can. 79. *Pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & oblationibus, & orationibus commendetur.* Consonant hæc cum Gratianeo fragmento, exceptis illis verbis, *die autèm Dominico*, usquè ad vocem *Catholicus*, quæ tamèn referenda esse ad canonem 64. ejusdem Concilii jam diù Romanorum Correctorum notæ ipso etiàm descripto canone designarunt.

Can. 1. caus. 27. q. 1. De canone 1. caus. 27. quæst. 1. nihil dicendum superest pòst notas Romanorum Correctorum, qui satis eumdem exegerunt ad fidem optimorum Codicum juxtà canonem 104. ejusdem Concilii.

Can. 5. caus. 30. q. 5. De canone 5. caus. 30. quæst. 5. nihil est omninò, quod peculiaritèr hoc in loco subjiciam. Idem ipse est cum can. 33. dist. 23., de quo superiùs actum est.

Aspera sanè videtur sententia canonis 63. de cons. dist. 1., cujus tamèn verba eadem leguntur in can. 24. hujus Concilii. Exhibet sanè Africanæ Ecclesiæ disciplinam ad summum jus aliquando efformatam, quod ipsum dicere possumus ad canonem 66. de cons. dist. 1. qui omninò consonat cum canone 88. ipsius Concilii.

Can. 63. de cons. dist. 1.

Can. 66. de cons. dist. 1.

Inter Ecclesiasticas cæremonias, præsertim verò Missarum solemnitates, quæ in Ecclesia apùd veteres frequentabantur, alia pertinebant ad singulorum, etiàm cathecumenorum, instructionem, utpote in quibus rudimenta fidei tradebantur ; alia verò eos tantùm spectabant, qui jam baptizati Ecclesiasticæ communionis participes omninò facti fuerant. Hinc est, quòd Cathecumeni inter medias celebritates extrà Ecclesiam dimitterentur, quod dicebatur *Missa Cathecumenorum.* Facilè ex his intelligitur canon 67. de cons. dist. 1., ubi statuitur omnes, etiàm Gentiles, Hæreticos, necnon Judæos, in Ecclesiam admittendos esse usquè ad Missam Cathecumenorum ; ut scilicèt illi orantium Sacerdotum solertiâ, ac studio quoquomodò allicerentur ad Catholicam fidem amplectendam. Iste canon 67. consonat omninò cum can. 84. juxtà vulgata exemplaria ejusdem Concilii Carthaginensis.

Can. 67. de cons. dist. 1.

De canone 23. de cons. dist. 3. & de can. 20. de cons. dist. 4. nihil est, quod singulari indigeat observatione. Consonat ille omninò cum canone 65. iste verò cum canonibus 99. & 100. Concilii ipsius Carthaginensis, quem Gratianus intelligendum vult, quotiès nulla necessitas alitèr suadeat, quod cum perpetua Ecclesiæ praxi consentaneum est.

Can. 23. de cons. dist. 3. & Can. 20. de cons. dist. 4.

Canon 60. de cons. dist. 4. legitur in cap. 65. ex Carthaginensibus hujus Concilii, verbis tamèn paulò diversis ibi : *Baptizandi nomen suum dent, & diù abs-*

Can. 60. de cons. dist. 4.

abstinentiâ vini, & carnium, ac manus impositione crebrâ examinati baptismum percipiant. Planè abstinentiæ legem antè baptismum Cathecumenis olim impositam fuisse, nemo est qui ignorat, cum præsertim ex ipsamet Christi Domini institutione descendat, juxtà illud Evangelii: *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum &c.* Quod spectat ad manuum impositionem, erat hæc olim cæremonialis quidam actus, qui baptizandis adhibebatur, de quo S. Augustinus in lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 26. ità scribit: *Cathecumenos secundùm modum suum per signum Christi, & orationem manus impositione sanctificari.* Similia quædam leguntur in canone 3. Concilii Matisconensis II. anni 585. ibi: *Omnes omninò à die Quadragesimæ cum infantibus suis ad Ecclesiam observare præcipimus, ut, impositionem manuum certis diebus adepti, & sacri olei liquore perunctì, legitimi diei festivitate fruantur, & sacro baptismate regenerentur: quo possint & honoribus, si vita comes fuerit, Sacerdotalibus fungi, & singularis celebrationis solemnitate frui.*

Canon 11. de cons. dist. 5. confectus est ex canonibus 90., 91., & 92. ejusdem Concilii. Sunt singula à singulis secernenda. Dicitur in can. 90. *Omni die Exorcistæ Energumenis manum imponant*; in can. 91. *Pavimenta domorum Dei Energumeni verrant.* Et in can. 92. *Energumenis in domo Dei assidentibus victus quotidianus per Exorcistas opportuno tempore ministretur.* Nomine Energumenorum hoc in loco facilè intelligi Cathecumenos posse mihi persuadeo, præsertim ratione habitâ illorum, quæ diximus superiùs ad canonem 17. dist. 23., ac tùm statim unusquisque intelliget, qualisnam fuerit manus impositio supèr hujusmodi Energumenos facta juxtà ea, quæ nupèr dicta sunt ad canonem 60. de cons. dist. 4.: statim etiàm intelliget, quomodò nonnulli ex Cathecumenis propè Ecclesiam sumptibus Ecclesiasticis in communi viverent, ii fortè, qui à patria, aut à parentibus recesserant Christianæ fidei causâ; & quomodò isti hu-

Can. 11. de cons. dist. 1.

militatis actibus exercerentur, atque ad Christi baptismum præpararentur, inter cetera verò verrendis Ecclesiis incumbere juberentur.

Demùm in canone 86. ejusdem Concilii legitur eisdem verbis canon 12. de cons. dist. 5. monet tamèn Harduinus, in aliquibus Codicibus pro illa voce *conjugibus* legi *conjugalibus*, quod tamèn non videtur sententiam Concilii immutare. Sanè cum superiùs agnoverimus ex can. 60. de cons. dist. 4. Cathecumenos pœnitentiis ad Sacramentum baptismatis præparatos fuisse, eamdem nùnc docemur servatam disciplinam in Neophitis, iis videlicèt, qui recèns baptismum susceperant; qui adhùc pœnitentiis salutaribus exercebantur, non quòd pòst sacrum regenerationis lavacrum ampliùs expiari, expurgarive indigerent, sed ut Christianæ Religioni, Ecclesiasticæque disciplinæ magis, ac magis in dies assuescerent.

Can. 12. de cons. dist. 1.

De Canonibus Concilii Carthaginensis, quod quintum dicitur apùd Gratianum.

Non omnium eruditorum una, & communis opinio est de tempore, quo celebratum fuerit Carthaginense Concilium, quod vulgò quintum appellatur. Alii referunt ad Consulatum Cæsarii, & Attici, sive ad annum 398., ac proindè asserunt, habitum fuisse antè Concilium Carthaginense, quod quartum dicitur, ex ea ratione, quòd Concilium hoc numero quintum, ut vocant, habitum feratur 6. Kalendas Junii, at Concilium vulgò quartum dicatur celebratum eodem anno mense Novembri. Alii vulgatum Conciliorum Carthaginensium ordinem omninò sequentes volunt, hoc Concilium vulgò quintum non nisi anno 400., vel posteriùs celebratum. His opinionibus variis occasionem dare potuit, quòd Codices, in quibus Concilii ipsius acta descripta sunt, non designent perspicuè tempora Consularia, cum ità ibidèm legatur: *Pòst Consulatum placuit &c.*, aut, ut aliis lubet legere: *Pòst Con-*

Consulatum Cæsarii, & Attici placuit &c., aut cum aliis : *Pòst Consulatum Flavii Stiliconis.* Non est tamèn, cur adeò de tempore solliciti simus, cum in hac re brevis alicujus temporis ratio nullum negotium facessat. Gravissima est, & maximè venerabilis hujus Concilii auctoritas, sive Episcoporum, qui eò convenerant, numerum spectemus, (subscripserunt autèm duo suprà septuaginta unà cum Aurelio Carthaginensi); sive honorem apùd veteres huic eidem Synodo adtributum; cujus sanè canones in Codicem, quem vocant Africanæ Ecclesiæ, relatos, aliæ etiàm Ecclesiæ receperunt, ipsi etiàm Græci, qui Græcam interpretationem eorumdem elucubrarunt, disciplinæ Ecclesiasticæ stabiliendæ, confirmandæve causâ.

Can. 10. dist. 18. Ex canonibus Gratiani, qui ex hoc Concilio deprompti sunt, est in primis canon 10. dist. 18., quem Gratianus aliis verbis expressit. Juvabit ex melioris notæ Codicibus canonem integrum restituere. Habemus autèm sive vulgaria Concilii exemplaria apùd recentiores canonum Collectores, sive Concilium Carthaginense Dionysii Exigui, sive Codicem canonum Ecclesiæ Africanæ. In vulgatis Concilii exemplaribus est numero 10., in Codice Ecclesiæ Africanæ, & apùd Dionysium est numero 76. Dionysii verba hæc sunt : *Item placuit, ut, quotiescumquè Concilium congregandum est, Episcopi, qui neque ætate, neque ægritudine* (verba illa *neque ætate* monet Harduinus in MSS. Codicibus desiderari), *neque aliâ graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant, & Primatibus suarum quarumque Provinciarum intimetur, ut de universis Episcopis vel duæ, vel tres turmæ fiant, ac de singulis turmis vicissim, quotquot electi fuerint, ad diem Concilii instantissimè occurrant. Quòd si non potuerint occurrere, excusationes suas in tractoria* (legunt alii *tractatoria*, perperàm Gratianus *literatoriè*) *conscribant : vel si pòst adventum tractoriæ* (legunt alii *tractatoriæ*) *aliquæ necessitates repentè forsitàn ortæ fuerint, nisi rationem impedimenti sui apùd suum Primatem reddiderint, Ecclesiæ suæ communione debere esse contentos,* (legunt alii ex quibusdam Græcis Codicibus : *ab Ecclesiæ communione debere esse contemtos*). Ex his emendare juvabit editionem Gratiani. De nomine *tractoriæ*, sive *tractatoriæ*, satis eruditè nonnulla jam adnotarunt Romani Correctores. Paucis ego dicam, epistolas hujusmodi tractorias, sive tractatorias fuisse speciem quamdam epistolæ, ut hodiè vocant, Circularis, ità dictam à tractu, sive circuitu locorum, in quem mittebantur, atque ut plurimùm à Metropolitano, dum Episcopos suffraganeos ad Concilium convocaret. Quod ex Augustino probatur, qui epist. 217. ità scribit : *Tractatoria ad me 5. idus Decembris venit jam finito die, & me valdè indispositum invenit, ut occurrere omninò non possem.* Hinc facilè percipimus sententiam Carthaginensium Patrum, in eo canone expressam. Volebant illi, ut, si qui Episcopi justas haberent causas, quibus excusarentur, ne ad Concilium accederent, ipsas ad calcem tractatoriæ epistolæ, quam à Metropolitano receperant, exprimerent, & sic expressas cum eadem tractatoria epistola ad Concilium mitterent.

Ejusdem Concilii canonem tertium duplicem in locum Gratianus retulit, scilicèt in can. 13. dist. 32., & in can. 4. dist. 84., sed non utrobiquè eisdem verbis usus est : immò nullibi integrum, prout in optimis Codicibus legitur, canonem descripsit. Vulgatæ Concilii editiones exhibent canonem, prout hodiè habetur pòst Romanam Correctionem in can. 4. dist. 84., licèt in aliquibus editionibus pro illis verbis : *Secundùm priora statuta*, legatur : *Secundum propria statuta*, quæ verba referenda videntur ad canones in præcedentibus Conciliis Carthaginensibus constitutos, qualis adferri potest inter ceteros canon 3. dist. 84. Dionysius Exiguus in suo Concilio Carthaginensi ità canonem edidit numero 25. *Aurelius Episcopus dixit : Addimus fratres charissimi præterea, cum de quorumdam Clericorum, quamvis Lectorum* (sunt qui ex Græ-

Cad. dist. 32. & can. 4. dist. 84. 13.

Græcis Codicibus ità scripserunt: *præterquàm lectorum*) *ergà uxores proprias continentia referretur; placuit, quod & in diversis Conciliis firmatum est, ut Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, sed & Episcopi, secundùm propria statuta, etiàm ab uxoribus se contineant, ut tanquàm non habentes videantur esse, quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Ceteros autèm Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate. Ab universo Concilio dictum est: Quæ vestra sanctitas est justè moderata, & sancta, & Deo placita sunt, confirmamus.* Qui Græcis Codicibus student, notarunt longè alitèr referri apùd Græcos verba illa canonis: *etiàm ab uxoribus se contineant*; ità quippè interpretantur: *in propriis terminis à conjugibus abstineant*, sive, ut ait Balsamon ad eumdem canonem: *Tempore vicis suæ, sive quandò tractant sacra.* Nemo autèm exindè non videt, Græcos hujusmodi Interpretes voluisse Africanum canonem moribus suarum Provinciarum accommodare, quemadmodùm, & aliquandò Latini Interpretes græcos canones inflexisse ad mores Latinos, jam observavi superiùs.

Can. 65. dist. 50. Canon 65. dist. 50. habetur eisdem omninò verbis in canone 11. hujus Concilii, cui etiàm consonat canon 27. tum apùd Dionysium Exiguum, tum in Codice Ecclesiæ Africanæ apùd Justellum, ex quo duo deduci posse videntur: Primum, ne Presbyteri, vel Diaconi, in gravia crimina lapsi, pœnitentiæ publicæ subjiciantur, quod significatur per eà verba: *non manus tanquàm pœnitentibus, vel tanquàm fidelibus Laicis imponatur*, quòd eâ ratione factum est, quia hujusmodi lapsi à Clero penitùs removentur, nec duplex omninò pœna pro uno crimine erat imponenda. Alterum, ne rebaptizati ad Clerum admitterentur. Sed non ità canonem descripserunt, qui eumdem interpretati sunt, qualis apùd Græcos editus est. In Pandectis canonum editis Oxonii anno 1672. ità habetur: *Similitèr confirmatum est, ut si quandò Presbyter, vel Diaconus alicujus gravioris criminis convicti fuerint, quod eos sacro ministerio necessariò movet, non esse eis manus imponendas, ut pœnitentiam agentibus, vel ut fidelibus Laicis, neque permitti eis tanquàm rebaptizatis ad Cleri gradum promoveri.* Quamquàm verò in hoc canone, ità concepto, expressè cautum non videatur, rebaptizatos ad Clericorum gradus non esse admittendos, hæc tamèn disciplina quasi firma apùd Africanos tùm fuisse præsupponitur. Ceterùm sub quarti sæculi finem certum est, in Africa nonnullos fuisse etiàm ex rebaptizatis, qui non Diaconi, & Presbyteri tantùm, sed & Episcopi constituti fuerunt, quem veluti gravem abusum luget Felix III. Romanus Pontifex in Synodo Romana anni 487. ibi: *Communis dolor, & generalis est gemitus, quod intrà Africam rebaptizatos etiàm Episcopos, Presbyteros, Diaconosque cognovimus.* Et in Epistola Synodica ad universos Episcopos: *Ne ex his unquàm, qui in qualibet ætate alibi, quàm in Ecclesia Catholica, aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsùs permittantur accedere.* Itaquè dubium non est, in primis apùd Africanos fuisse constitutum, ne rebaptizati honoribus Ecclesiasticis initiarentur, atque hoc adversùs Donatistas, qui quoscumque ad hæresim accedentes etiàm in Ecclesia baptizatos rebaptizabant. Quum verò spes fuit, ut facilè nonnulli ex Donatistis reverterentur ad fidem, si illis permitteretur ad Ecclesiasticas etiàm dignitates pervenire, aliquandò benignâ dispensatione factum est, ut etiàm rebaptizati ad fidem reversi vel ipsas Episcopales Sedes ascendere possent. Porrò humanissimè apùd Afros circà annum 420. actum fuisse cum Donatistis, etiàm solutâ paulispèr Ecclesiasticæ disciplinæ austeritate, universa propemodùm illius temporis Africanæ Ecclesiæ acta testantur, necnon pluribus in locis S. Augustinus, quemadmodùm constare potest specialitèr ex can. 25. in fine dist. 50.

Concilio eidem Carthaginensi V. tribuitur apùd Gratianum can. 66. dist. 50., qui tamèn in eo desideratur, quem- Can. 66. dist. 50.

admodùm etiàm desideratur tum in Codice Ecclesiæ Africanæ, tum in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui. Auctorem hujus canonis exhibeo ego Siricium Romanum Pontificem, qui in Epistola ad Himerium Episcopum Tarraconensem cap. 14. apùd Dionysium Exiguum eadem omninò habet. Fortè verò non Siricii Papæ, sed Carthaginensis Concilii nomen apùd Gratianum præfertur, quòd ad marginem ejusdem capitis adjectum in quodam Codice fuerit nomen Concilii Carthaginensis V., ut indicaretur similia quædam constituta fuisse in eodem Carthaginensi Concilio; Gratianus autèm canonem ipsum Concilio Carthaginensi adscripserit. Porrò similia quædam constituta fuisse in eodem Concilio patet ex iis, quæ diximus ad can. 65. dist. 50., cui addi posset Africanæ disciplinæ testis Augustinus in can. 25. dist. 50.

Potiùs ad hoc idem Concilium Carthaginense V. pertinet can. 2. dist. 58. qui idem habetur tum in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui, tum in Codice canonum Africanæ Ecclesiæ cap. 80., cujus verba hæc sunt: *Item placuit, ut siquis de alterius monasterio repertum* (vulgati Concilii Codices habent *receptum*) *vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in suo Monasterio Majorem Monasterii constituerit; Episcopus, qui hoc fecerit, à ceterorum communione sejunctus suæ tantùm plebis communione contentus sit; & ille neque Clericus, neque Præpositus perseveret.* Hinc patet, jure optimo expuncta fuisse ex hoc canone à Romanis Correctoribus nonnulla, quæ Gratianus, aut quivis alius, qui Gratiano auctor extitit, adjecerat.

Can. 2. dist. 58.

Laudanda est Episcoporum Africanorum prudentia in can. 1. ejusdem Concilii, quem retulit Gratianus in can. 38. caus. 2. quæst. 6., & Dionysius Exiguus in Concilio Carthaginensi cap. 59. descripsit, quemadmodùm descriptus etiàm est in cap. 59. Codicis canonum Ecclesiæ Africanæ juxtà editionem Justelli. Invaluerat eâ ætate, ut controversiæ Christianorum ex antiquo, & ferè Apostolico more sine respitu & figura judicii procùl ab jurgii, Sacerdotum arbitrio componerentur præsertim verò in Conciliis, quorum venerabilis apùd omnes debebat esse sententia. Verùm, cum aliquandò contingeret, ut quidam huic sententiæ non acquiescerent, immò ad judicia publica provocarent, illud optatissimum fuit Carthaginensibus Patribus, ne Clerici, qui aut testes, aut cognitores in Synodali arbitrio fuerant, ad testimonium ferendum in eadem causa in publico judicio vocarentur, ne fortè quæ in Concilio jam definita fuerant proderentur, atque ità aut uni parti præjudicium fieret, aut Synodale judicium minùs decorè à publicis judicibus revocatum publicè videretur. Ut id definiretur, iidem Carthaginenses Patres à religiosis Imperatoribus postularunt, quorum sanè auctoritate publicorum judicium potestas restringenda fuerat. En verba canonis, prout descripta sunt in Codice Dionysii Exigui, necnon in Codice Ecclesiæ Africanæ apùd Justellum. Postquàm in cap. 58. dictum fuerat: *Instant etiàm aliæ necessitates à religiosis Imperatoribus postulandæ &c.*, ità subjicitur in cap. 59. *Petendum etiàm, ut statuere dignentur, ut siquis fortè in Ecclesia quamlibet causam jure Apostolico, Ecclesiis imposito, agere voluerint, & fortassè decisio Clericorum uni parti displicuerit, non liceat Clericum in judicium ad testimonium devocari eum, quia cognitor, vel præsens fuerit: ut nulla ad testimonium dicendum Ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur.* His & paulò obscuram canonis sententiam explicasse mihi videor, & Gratianeum canonem à Gratiano ipso depravatum ad suam integritatem restituisse.

Can. 38. caus. 2. q. 6.

Canon 21. caus. 7. quæst. 1. omninò consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus can. 5., itèm cum canone 71. Codicis Ecclesiæ Africanæ, & Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum. Cujus tamèn canonis sententia conferenda sempèr erit meo judicio cum canone 12. Concilii Chalcedonensis ibi: *Si autèm etiàm Civitas aliqua ab Imperatoria*

Can. 21. caus. 7. q. 1.

auctoritate innovata fuerit, civiles & publicas formas Ecclesiasticarum quoquè Parrochiarum ordo consequatur.

Can. 22. caus. 7. q. 1. Ecclesiâ Episcopali vacante, ne Clerus & populus de Episcopi novi electione dissentientes schismate Ecclesiam discinderent, præstituebantur apùd Africanos Viri gravissimi in Civitatibus, quorum operâ pacatè successoris electio fieret. Appellabantur illi *Intercessores*, & *Interventores*, qui intereà res ipsas Ecclesiasticas administrabant. Ne verò hujusmodi Intercessores potestate sibi concessa abuterentur, & diutiùs vices Episcopi gerere affectarent, cautum præterea, ut, quantociùs fieri posset, electionem faciendam curarent, ità ut qui intrà annum minimè curasset, Intercessoris officio caderet, novusque ejus loco Intercessor constitueretur. Sunt hæc constituta in can. 8. hujus Synodi Carthaginensis, quem Gratianus eisdem verbis descripsit in can. 22. caus. 7. quæst. 1. Habentur eadem in can. 74. tum Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, tum Codicis Africanæ Ecclesiæ apùd Justellum; quibus tamèn in locis pro illis vòcibus *anno expleto*, legitur *anno exempto*.

Can. 36. caus. 11. q. 3. Canon 36. caus. 11. quæst. 3. legitur in cap. 12. ejusdem Concilii, & in can. 79. Codicis Africani apùd Justellum, & Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum; ubi tamèn pro vocula *vel* legitur hæc alia: *&*; quemadmodùm jam Romani Correctores observaverunt. Utile erit & aliam hùc loci afferre canonis editionem, quam alii exhibent ex Codicibus Græcis his verbis in can. 82. *Rursùm decretum est, ut, quotiès Clericis accusatis, & aliquorum criminum in eos dicto testimonio sive propter probrum Ecclesiæ, sive propter reverentiam (quibus nominibus eis parcitur) sive propter insolentem hæreticorum, & gentilium exultationem, si, ut par est, causam suam defendere, & suæ probandæ innocentiæ curam gerere voluerint, hoc intrà annum excommunicationis faciant. Sin autèm intrà annum causam suam purgare neglexerint, nulla eorum deinceps vox omninò admittatur.*

Quod Gratianus in can. 39. caus. 17. quæst. 4. refert ex Concilio Carthaginensi cap. 26. habetur in hoc ipso, de quo agimus, Concilio, cap. 4. juxtà vulgatas editiones, itèm in can. 26. Codicis Africanæ Ecclesiæ apùd Justellum, & can. 26. Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum. Quoniàm verò hujusmodi exemplaria non omninò invicèm consonant, adferam hùc, quæ Dionysius habet, cujus verba cum Carthaginensi Codice sunt conformia. *Itèm placuit, ut rem Ecclesiæ nemo vendat: Quòd si reditus non habet, & aliqua nimia necessitas cogit, hoc insinuandum esse Primati Provinciæ ipsius*, (vulgata Concilii Exemplaria ità habent: *Quòd si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse Primati Provinciæ ipsius*), *ut cum statuto numero Episcoporum, utrùm faciendum sit, arbitretur. Quòd si tanta urget necessitas Ecclesiæ, ut non possit antè consulere, saltèm vicinos testes convocet Episcopos, curans ad Concilium omnes referre suæ Ecclesiæ necessitates. Quòd si non fecerit, reus Deo, & Concilio venditor, honore amisso, teneatur.* In vulgatis Concilii Exemplaribus hæc potiùs habentur: *Quòd si tanta urgeat necessitas Ecclesiæ, ut non possit antè Primatem consulere, saltèm pòst factum curiositatem habeat & vicinis Episcopis hoc antè indicare, & ad Concilium referre eas suæ Ecclesiæ necessitates. Quòd si non fecerit, reus Concilii venditor teneatur.* Meliùs alii, & clariùs ex Græco textu postrema hæc Concilii verba expresserunt. *Et Deo & Synodo rationi reddendæ obnoxius videbitur venditor, & à proprio honore alienus.*

Can. 39. caus. 17. q. 4.

Canon 3. caus. 21. quæst. 5. in vulgatis Conciliorum collectionibus legitur eisdem verbis in hoc eodem Concilio Carthaginensi can. 2. Sed observanda necessariò sunt, quæ leguntur tum apùd Dionysium Exiguum in Concilio Carthaginensi, jam sæpiùs memorato, cum in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ apùd Justellum can. 62., ubi idem fragmentum habetur. In canone 58. ità exorsi fuerant Carthaginenses Patres: *Instant etiàm aliæ necessitates à religiosis Im-*

Can. 39. caus. 17. q. 5.

pe-

peratoribus postulandæ: Ut reliquias idolorum &c. Prosequuntur in can. 59. *Petendum etiàm, ut statuere dignentur, si qui fortè &c.* Subdunt in can. 60. *Illud etiàm petendum, ut quæ contra præcepta divina &c.* Deindè in can. 61. *Nec non & illud petendum, ut spectacula theatrorum &c.* Rursùs in canone 62., qui idem est cum hoc canone 3. caus. 21. quæst. 5. ità legitur: *Et illud petendum, ut statuere dignentur, ut, si quis cujuslibet honoris Clericum judicio Episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari, interpositâ pœnâ damni, pecuniæ, atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse præcipiant.* Ex quibus adparet, longè diversam esse canonis editionem apùd Gratianum, qui ab ipsis Africanis Patribus constitutum asseruit, quod Africani Patres, ut ab Imperatoribus religiosissimis constitueretur, tantummodò desiderarunt, vel etiàm petierunt. Ad hanc rem optimè Balsamon Græcus Interpres: *Placuit ergò Patribus Imperatores admoneri, ut statuant, pœnæ pecuniariæ, & privationi honoris eos subjici, qui eos defendunt, ac liberant, sive sint Ecclesiastici, sive etiàm alii, cujuscumque sint ætatis, vel naturæ.* Huic autèm Episcoporum Carthaginensium voto indulsit Honorius Imperator lege latâ, quæ habetur in Cod. Theodos. num. 35. tit. de Episcopis, Ecclesiis, & Clericis, translata deindè in l. 14. Cod. Justin. de Episc. & Clericis, quæ lex directa fuit ad Hadrianum Præfectum Prætorio Africæ, & Illyrici.

Eadem agendi ratio fuit Africanorum Patrum, cum de Pauperum defensoribus adversùs divitum nonnullorum potentiam, atque tyrannidem constituendis ageretur. Id liquet ex canone 9. hujus Concilii, qui legitur in can. 75. Codicis Ecclesiæ Africanæ, & Carthaginensis Concilii apùd Dionysium Exiguum. Depravaverat illum Gratianus in prioribus verbis in can. 10. caus. 23. quæst 3. Sed Correctores Romani juxtà optimos Codices emendarunt. Porrò Africanorum Patrum postulationi huic morem gesserunt Imperatores, quorum auctoritate constituti fuerunt pauperum defensores, quemadmodùm probari posset ex Possidio in vita S. Augustini cap. 12., & ex Gregorio Magno passim in Epistolis, juncta l. 1. & seq. Cod Theodos. de defensoribus Civitatum.

Can. 10. caus. 23. q. 3.

Canon 26. de cons. dist. 1. habetur in can. 14. ejusdem Concilii, itèm in Codice Ecclesiæ Africanæ, necnon in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui can. 83., ubi tamèn pro voce illa: *per villas*, legitur, *per vias*; & pro illis verbis, *aut reliquiæ certæ sunt*, legitur, *aut aliquæ reliquiæ sunt.* Jam tùm cæperant quidam per somnia, fictasque revelationes, & oracula commentitia superstitiosos cultus inducere, quibus necessariò occurrendum erat, ne fortè rursùs eâ occasione induceretur cultus in delubra gentilium; quæ adhùc ædificata manebant in viis sine ornamentis. Id facilè ostendi potest ex canone 58. ejusdem Codicis Ecclesiæ Africanæ, ubi leguntur hæc verba: *Instant etiàm aliæ necessitates à Religiosis Imperatoribus postulandæ, ut reliquias Idolorum per omnem Africam jubeant penitùs amputari: nàm plerisque in locis maritimis, atque possessionibus diversis adhùc erroris istius iniquitas viget: ut præcipiantur & ipsa deleri, & templa eorum, quæ, in agris, vel in locis abditis constituta, nullo ornamento sunt, jubeantur omni modo destrui.*

Can. 26. de cons. dist. 1.

Canon 24. de cons. dist. 3. referendus est ad canonem 7. ejusdem Concilii, sive ad canonem 73. Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, & in Codice Ecclesiæ Africanæ; Ex quibus ità describendus esset: *Itèm placuit, ut dies venerabilis Paschæ formatarum subscriptione omnibus intimetur. Dies verò Concilii idem servetur, qui in Hipponensi Concilio constitutus est, id est, x. Kal Septembris.* (legunt alii xi., alii *ante x. Septembris.* Balsamon ad hunc canonem scribit, diem 21. mensis Augusti fuisse diem pro celebrando Concilio adsignatam) *& scribendi ad singularum quarumque Provinciarum Primates, ut, quandò apùd se Concilium con-*

Can. 24. de cons. dist. 3.

congregant, istum diem non impediant.

Canon 111. de Cons. dist. 4. in vulgatis Concilii hujus Carthaginensis Canonibus can. 6. habetur, & quidèm omninò consonans cum Gratiani exemplaribus à prioribus verbis usquè in finem. Ibidèm tamèn Harduinus monet, desiderari in suo antiquo Codice MS. posteriora verba, quæ habentur in vers. *Similitèr.* Desiderantur prætereà in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, sive Latino, sive Græco: desiderantur etiàm in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui, licèt ibidèm priora verba habeantur cap. 72. Verosimile itaquè est, versiculum *Similiter* recentiore manu additum esse, postquàm præsertim baptismati comparata fuit consecratio Ecclesiarum. Visum enim Interpretibus fuit, posse id, quod de baptismate constitutum fuerat, ad sacras Ecclesiarum dedicationes extendi.

Can. 111. de cons. dist. 4.

De Canonibus Concilii Carthaginensis, quod septimum dicitur apùd Gratianum.

Anno circitèr 418. orta est controversia in Africana Ecclesia de appellationibus ad Romanum Pontificem; cujus causâ convenerunt Africani Episcopi sub Aurelio Carthaginensi, præsentibus etiàm Romani Pontificis Legatis in urbe Carthaginensi. Diù disputata res fuit, atque discussa; statim autèm dirimi non potuit, quòd Legati Romanæ Sedis in suæ sententiæ præsidium adduxissent Nicænorum canonum auctoritatem; Africani verò Episcopi respondissent, in illis Ecclesiis Nicænos canones non haberi. Hinc oportuit conventum ipsum dissolvere, missis tamèn intereà legatis ad Græcos, à quibus germanos Nicæni Concilii canones acciperent. Pòst legatorum reditum, qui Nicænos viginti tantummodò numero canones adtulerunt, rursùm convenerunt Africani Patres in Concilium, atque anno circitèr 419. nonnullos canones ediderunt ad judicia Ecclesiastica pertinentes, quorum hodiè quinque habemus in Conciliorum collectionibus. Duabus itaquè, ità dixerim, actionibus hoc Concilium constat, alterâ, quæ præcessit missionem legatorum ad græcos, altera quæ successit. Primam vulgò appellant Concilium Carthaginense VI., secundam Concilium Carthaginense VII., ad quam, ut ajebam, quinque canones pertinent. Et quidèm gravis etiàm est hujus secundæ actionis, sive, ut, ajunt, septimæ Synodi Carthaginensis auctoritas, sive quòd legati Romanæ Ecclesiæ interfuerint, sive quòd regulæ ibidèm constitutæ ex sententiis Nicæni Concilii videntur expressæ, sive ex Episcoporum numero, qui multò ultrà ducentos convenerant, inter quos fuit etiàm Augustinus Hipponensis, sive demùm quòd nonnulla capita ex iis in Codicem Ecclesiæ Africanæ relata sint, & in Concilium Carthaginense Dionysii Exigui, necnon à Græcis ad utilitatem Orientalis Ecclesiæ traducta fuerint.

In can. 3. hujus Concilii legitur canon 1. caus. 3. quæst. 2., & quidèm eisdem omninò verbis, cui etiàm omninò consonat canon 130. in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui, & in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ sive Græco, sive Latino cap. 130., vel 131. juxtà alias editiones.

Can. 1. caus. 3. q. 10.

Ex canone 1., & 2. ejusdem Concilii deprompti sunt Gratiani canones 1. caus. 4. quæst. 1., & 2. caus. 4. quæst. 6., quæ fragmenta simùl conjungi debent, ut unaquæque suis locis accommodentur. Sic habet canon 1., quem retulit Dionysius in Concilium suum Carthaginense can. 128., quique etiàm legitur in Codice Ecclesiæ Africanæ can. 128. *Placuitque omnibus,* (hùc referendus est canon 1. caus. 4. quæst. 1.) *quoniàm superioribus Conciliorum decretis de personis, quæ admittendæ sunt ad accusationem Clericorum, jam constitutum est, & quæ personæ non admittantur* (habet Dionysius: *non admitterentur*) *jam expressum non est: idcircò definimus, eum ritè ad accusationem non admitti, qui, posteaquàm ex-*

Can. 1. c. 4. q. 1. & Can. 2. caus. 4. q. 6.

excommunicatus fuerit, in ipsa adhùc excommunicatione constitutus, sive sit Clericus, sive Laicus accusare voluerit. Pòst hæc sequitur can. 2. in Concilio, cum quo consonat canon 129. apùd Dionysium, & in Codice Africano, ex quibus supplere debemus eumdem canonem 1. caus. 4. quæst. 1. *Itèm placuit, ut omnes servi, vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt; Omnes etiàm infamiæ maculis adpersi, id est, histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ, hæretici etiàm, sive Pagani, sive Judæi. Sed tamèn omnibus*, (huic referendus est canon 2. caus. 4. quæst. 6.), *quibus accusatio denegatur, in caussis propriis accusandi licentia non neganda.*

Can. 1. caus. 4. q. 2.

Canon 1. caus. 4. quæst. 2. legitur eisdem verbis in can. 4. ejusdem Concilii Carthaginensis, itèm in can. 131. Concilii Carthaginensis apùd Justellum, & in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, ubi tamèn pro illis verbis *infrà annos* 14. legitur: *intrà annos quatuordecim.* Videntur etiàm cum hoc canone in ea parte, quâ definitur, domestica testimonia recipienda non esse, congruere probatissimæ Juris Civilis Romani regulæ, quemadmodùm adparet ex l. 3. Cod. de testibus, l. 24. ff. eodem, & apùd Paulum lib. 5. sententiarum.

Can. 3. caus. 6. q. 2.

Cum canone 5. ejusdem Concilii Carthaginensis consonat canon 3. caus. 6. quæst. 2., itèm cum canone 132. & 133. Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, & Codicis canonum Ecclesiæ Africanæ; etenim ibi canon 132. incipit à prioribus verbis *placuit &c.* usquè ad vers. *Quamdiù excommunicato*, à quo incipit canon 133. Romani Correctores observaverunt, in Africano Concilio legi adjecta ea verba: *secretè tamèn interdicat ei communionem, donèc obtemperet*: verùm arbitror, hæc recentiore manu addita esse, cum desiderentur in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui, quod sanè antiquissimum est, ut omittam Codicem Ecclesiæ Africanæ abs Justello editum, ubi nec etiàm habentur.

De canone 11. *caus.* 11. *quæst.* 1., *quem Concilio Carthaginensi* 8. *tribuit Gratianus.*

Can. 11. caus. 11. q. 1.

Romani Correctores nomine Concilii Carthaginensis octavi, à Gratiano laudati in can. 11. caus. 11. quæst. 1. intellexerunt Concilium Milevitanum, quod anno 416. celebratum in Africa dicitur, ea de causâ, quia in Concilio Milevitanò cap. 10. eadem verba leguntur. Hinc nonnulli ex eruditis vulgò putarunt, Concilium Milevitanum pro Carthaginensi VIII. accipi consuevisse. Ego arbitror, non esse recedendum à Gratiani editione, ut scilicèt nomen Concilii Carthaginensis retineatur, sive illud octavum sit, sive alio sub numero collocetur; etenim jam initio capitis hujus attigimus, modum numerandi Concilia Carthaginensia non eumdem apùd omnes recipi potuisse. Sanè video, hunc ipsum canonem 11. Gratiani legi apùd Fulgentium Ferrandum, & quidèm Africanum, subjecto nomine Concilii Carthaginensis num. 43. in breviario his verbis: *ut quicumque Episcopus ab Imperatore publicum judicium postulaverit, honore proprio privetur. Concilium Carthaginense tit.* 9. Prætereà apùd Dionysium Exiguum in Concilio Carthaginensi, nec non in Codice Ecclesiæ Africanæ idem fragmentum tribuitur Concilio Carthaginensi, sub Aurelio celebrato, Honorio 7., & Theodosio 2. Consulibus, quorum Consulatus incidisse fertur in annum 407, quemadmodùm constat ex canone 104. dicti Codicis, & dicti Concilii apùd Dionysium, ubi hæc leguntur: *Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur. Si autem Episcopale judicium ab Imperatore postularit, nihil ei obsit.* Verba hæc sunt sanè eadem cum verbis dicti canonis 11. apùd Gratianum. Porrò vox illa *quicumque* de solis Clericis intelligenda est, quemadmodùm verba illa sequentia demonstrant: *honore proprio privetur*; nomen enim *honoris* in Africanis

Con-

Conciliis Clericalem significat dignitatem. Quòd si canonem sequentem etiàm inspiciamus apùd Dionysium Exiguum, & in Codice Africanæ Ecclesiæ, ubi ità legitur : *Quicumque autèm non communicans in Africa, si in transmarinis ad communicandum obrepserit, jacturam Clericatus excipiat* ; facilè intelligemus, ibidèm sermonem fuisse de solis Clericis institutum. Omitto Ferrandum Diaconum, qui strictiùs Carthaginensem Canonem intellexit, videlicèt de solis Episcopis, uti constat ex ejus can. 43. superiùs descripto. His addi potest sententia Patrum Carthaginensium in can. 43. caus. 11. quæst. 1., cum interpretationibus Græcorum Zonaræ, & Aristeni ad eumdem canonem 104. Codicis Ecclesiæ Africanæ. Nàm, ut aliorum verba omittam, Aristenus ait : *Episcopus, vel Clericus, criminibus accusatus, & Ecclesiasticum recusans judicium, & ab Imperatore sæculares judices petens, honore suo privabitur.* Porrò maxima in hac parte fuit cura, ac sollicitudo Episcoporum Africæ, ne Episcopi, vel Clerici mutuis contentionibus, ac litium jurgiis odia foverent, atque ad publica judicia pergerent, propterea sæpè sæpiùs admoniti sunt, ut, si quæ discrimina suborirentur, ea omnia in Concilio proponerentur, atque Episcopali arbitrio finirentur, quasi paterno judicio in causis filiorum, quemadmodùm luculentissimè constat ex pluribus canonibus Africanis, iis præsertim, quos editos habemus in Codice canonum Africanæ Ecclesiæ.

De Canonibus, quos retulit Gratianus nomine Concilii Carthaginensis unici.

Can. 50. & 51. caus. 12. q. 3.

Nomine Concilii Carthaginensis unici retulit Gratianus canonem 51. caus. 12. quæst. 2., Addo ego canonem 50. ibidèm, cum meo judicio uterque canon eumdem habeat auctorem. Inquirere sanè juvabit, utrùm, & ad quodnam Concilium Africanum hæc fragmenta sint referenda, itèm quomodò contigerit, Concilium illud *unicum* à Gratiano appellari, quandò tamèn ipsemet Gratianus octo Concilia Carthaginensia numeravit? Dicerem ego in primis, inscriptionem Gratiani fuisse in recentioribus exemplaribus depravatam, ut loco istarum vocum, *Ex Concilio Carthaginensi unico* legendum sit : *Ex Concilio Carthaginensi V.*, id est, *quinto* ; cui immutationi vocum fortè occasionem dedisse potuit litera *V.*, quæ & numerum quinarium, & vocem *unicum* designare legentibus poterat ; ut exindè quispiam Amanuensis unicum potiùs, quàm quintum Concilium legerit, & exindè unici Concilii nomen in exemplaribus Gratiani editum fuerit. Novum cuipiam non videatur detegere istiusmodi errata in inscriptionibus fragmentorum ; nàm hujus rei exemplum ferè simile ego exhibeo in Pandectis, scilicèt in l. 3. ff. de jurisdictione. Vulgatæ editionis inscriptio ità habet : *Ulpianus lib. 2. de officio Quæstoris.* Attamèn Ulpianum non nisi unicum, & singularem librum de officio Quæstoris scripsisse constat ex inscriptione legis unicæ ff. de officio quæstoris, quæ ità habet : *Ulpianus lib. singulari de officio Quæstoris* ; quamobrèm nunquàm me pœnituit opinionis meæ in hac parte, cum dixerim erratum ortum fuisse ex litera initiali *S*, quæ & *secundum*, & *singularem* librum designare poterat, proindèque Amanuensem uno in loco scripsisse singularem, alio in loco secundum librum de officio Quæstoris. Eadem itaquè ratione contingere potuit, Gratianum, aut quemvis alium recensuisse Concilium quintum Carthaginense, cujus tamèn vicè alii posteriore tempore legerint unicum. Reverà, si consulamus Codicem Ivonis Carnotensis, faciliùs hæc mea probabitur opinio, cum ibi hæc ejusdem canonis habeatur inscriptio in parte 3. cap. 239. *Ex Carthagin. Concilio V. cap.* 1111. Si itaquè hoc modo inscriptionem Gratianeam restituerimus, non erit difficile similem sententiam reperire in Concilio Carthaginensi, quod vulgò quintum dicitur. Eadem enim,

quæ habentur in can. 50., & 51. caus. 12. quæst. 2. legimus in can. 4. Concilii vulgò quinti Carthaginensis, sive in can. 39. caus. 17. quæst. 4., quæ hoc loco non adfero, cum jam superiùs ex ordine descripserim.

Hæc verosimilia sunt. Dabo etiàm certiora, sicui fortè hùc usquè adducta non satis placeant. Gratianus unicum appellavit Carthaginense Concilium illud, quod unicum descripsit Dionysius Exiguus, qui idem est cum Codice canonum Ecclesiæ Africanæ; Et quidèm impropriè Concilium dici potest, cum sit potiùs plurium Carthaginensium Conciliorum Collectio. Nihilominùs tamèn, cum placuerit Dionysio Carthaginense Concilium illud appellare, potuerunt posteriores Collectores Dionysium sequuti ad hoc Concilium se referre, atque Concilium Carthaginense unicum nominare. Porrò in canone 33. Dionysiani hujus Concilii, necnon Codicis Ecclesiæ Africanæ leguntur hæc verba: *Itèm placuit, ut Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ, ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis; quomodò & Episcopis non licet vendere prædia Ecclesiæ, ignorante Concilio, vel Presbyteris suis. Non habente ergò necessitatem, nec Episcopo liceat matricis Ecclesiæ, nec Presbytero rem Tituli sui usurpare.* Quicumque hæc contulerit cum dictis canonibus 50., & 51. caus. 12. quæst. 2., agnoscet, non tantùm eamdem omninò sententiam, sed etiàm eadem verba ibi referri, ut prorsùs dubium esse non possit, quin ex eo loco Gratianus eosdem canones descripserit. Quod ut etiàm luculentiùs demonstrem, attendere juvabit inscriptionem integram, qualis apùd Gratianum habetur in dicto can. 51. *Ex Concilio Carthaginensi unico cap. ult.* Concilium Carthaginense, descriptum à Dionisio Exiguo, duas habet partes. In priore describuntur acta, & canones Concilii Carthaginensis sub Aurelio pòst Consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII., VIII. Kal. Junias: fertur autèm, hoc Concilium celebratum fuisse anno 419., continetque canones 33., pòst quos ità legitur: *Recitata sunt etiàm in ista Synodo diversa Concilia universæ Provinciæ Africanæ, transactis temporibus Aurelii Carthaginensis Episcopi celebrata &c.* Hinc sequuntur alii canones præcedentium Conciliorum quamplurium. Itaquè canon 33. est postremus Concilii Carthaginensis anni 419., in quo explicit prima pars Collectionis Carthaginensis Dionysianæ. Gratianus verba ejusdem canonis 33. refert in dictis Canonibus 50., & 51. nomine canonis ultimi Concilii Carthaginensis. Quid clarius ergò, quàm Gratianum eumdem canonem 33. voluisse describere? Addam hoc loco, Fulgentium Ferrandum ejusdem canonis meminisse in sua breviatione cap. 45., ibi *Ut Episcopi rem Ecclesiæ sine Primatis consilio non vendant. Concil. Carthagin. tit. 5. Concil. Hippon. tit. 9.* Itèm cap. 95. *ut Presbyteri rem Ecclesiæ sine conscientia Episcopi non vendant. Concilio Anquiritano tit. 15. Concilio Hipponiregiensi tit. 9.* Crisconius Africanus in suo Breviario Canonico eadem fermè descripsit num. 252., ibi: *Ut Presbyteri rem Ecclesiæ, in qua sunt constituti, non vendant; & nulli Episcopo liceat, rem Tituli matris Ecclesiæ usurpare. Concilio Carthaginensi can. 33.*

De aliis Canonibus, quos nomine Carthaginensium Gratianus retulit.

Nonnulla adhùc supersunt Gratiani fragmenta, quæ generatim aut sub Carthaginensis, aut sub Africani Concilii nomine recensentur. Carthaginensi Concilio can. 31. tribuuntur can. 3. & 4. dist. 74. Hoc sanè in loco Gratianus non aliud Concilium intellexit, quàm illud quod Carthaginensis nomine recensuit Dionysius Exiguus, quique primam partem constituit in Codice Ecclesiæ Africanæ. Hoc Concilium, jam diximus, celebratum fuisse sub Aurelio anno 419. Ac reverà in can. 31. ejusdem Synodi hæc leguntur: *Itèm placuit, ut, quicumque Clerici, vel Diaconi pro neces-* can. 3. & 4. dist. 74.

si-

sitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo, undè recedere noluerunt. Hæc sanè verba consonant cum dicto can. 3. dist. 74. Dionysius autèm Exiguus, sive auctor Codicis Ecclesiæ Africanæ, aut quisquis alius, ejusdem canonis epitomen ità præposuerat juxtà morem Collectorum: *Si qui Clerici ab Episcopis suis promoti contempserint, nec illic maneant, undè recedere noluerunt.* Hæc etiàm verba descripsit Gratianus antè canonem Concilii Carthaginensis. Contius verò, qui Gratianeis capitibus numericas notas adposuit, hæc verba à canone Concilii omninò separavit, quasi duo prorsùs canones essent, propterèaque perperàm hodiè verba posita sub canone 3. videntur pertinere ad Concilium Carthaginense, & verba posita sub canone 4. videntur reticito ipsorum auctore relata. Facile est ex his unaquæque restituere.

Falsò inscribitur nomine Concilii Carthaginensis can. 6. caus. 10. quæst. 2.; undè etiàm simili nomine inscriptum fuit idem fragmentum in cap. 2. de precariis apùd Gregorium IX., non solùm enim à Carthaginensi Concilio abjudicandum esse, deducitur ex silentio veterum omnium Collectorum, qui de hoc fragmento in colligendis Ecclesiæ Africanæ capitibus penitùs non meminerant; verùm potissimùm ex eo, quod præcariæ illæ rerum Ecclesiasticarum concessiones, de quibus illic agitur, pristinis illis temporibus, quibus plura Africana Concilia celebrata feruntur, nondùm erant in usu, nec constat in Africa unquàm in usu fuisse. Non agitur sanè ibidèm de precario illo, quod Romanæ leges, sive Prætoris edicta tuebantur, contractu videlicèt ad nutum revocabili, juxtà l. 1. 2., & 12. ff. de præcario, sed de alia contractus specie, quæ, labente demùm quinto sæculo, in Gallia primùm, dein in Hispania celebrari cœpit, uti constare potest ex Concilio Agathensi can. 58., Epaonensi can. 18., & Aurelianensi IV. can. 36. Hujus contractus formulam exhibet Marculfus lib. 2. cap. 39. Eveniebat quandòquè, nonnullos ex nobilibus ob injuriam temporum non solùm privata peculia, & familiaria, verùm etiàm publica Civitatum, quibus præerant, æraria exhausisse, ut Ecclesiasticarum rerum subsidiis, sive ad Clericos, si ad Monachos pertinentium, ad utilitatem aliquandò publicam indigerent. Hinc ipsi, precario quodam, sive precibus intervenientibus, ab Episcopis petebant, ut possent ad certum tempus possessionibus Ecclesiarum, aut Monasteriorum uti, eâ primùm lege, ut quotannis annuam præstationem in agnitionem dominii Ecclesiæ, vel Monasterio penderent; datâ deindè fide, ut, elapso tempore, quod ut plurimùm quinquennium erat, possessiones ipsas restituerent, nisi nova, & urgens necessitas renovari precarium postularet. Et quidèm, quousquè nulla fraus admissa est, optima habita fuit hujusmodi disciplina. Sed, quoniàm aliquandò aut sine causa petebantur, aut sine causa concedebantur etiàm ad diuturna tempora hujusmodi precaria, operæ prætium fuit, gliscenti malo, & incommodo Ecclesiarum consulere. Potissimùm verò rerum Ecclesiasticarum patrocinium susceperunt Religiosi Imperatores, inter quos fuit Lotharius, qui constituit, ne sine causa res Ecclesiasticæ præcario concederentur, utque sine causa concessæ auctoritate Episcoporum liberè revocarentur. Lotharii Constitutio habetur in legibus Longobardorum lib. 3. tit. 10. l. 2., quam eamdem Constitutionem Gratianus nomine Carthaginensis Concilii in dicto can. 6. recensuit eisdem verbis.

Can. 6. caus. 10. q. 2.

Canon 1. caus. 23. quæst. 2. apùd Gratianum laudatur: *ex Concilio Carthaginensi, cui interfuit Augustinus.* Falsò tamèn, quemadmodùm jam animadverterunt Romani Correctores, observantes illum potiùs haberi in can. 25. Concilii Agathensis, & in Capitularibus Regum Francorum, quorum etiàm verba re-

Can. 1. caus 23. q. 2.

retulerunt in ea parte, in qua paulò varia dignoscuntur. Video ego, undenàm Gratianus erraverit in hac inscriptione. Parùm ipse sollicitus fuit in editione Ivonis, ex qua canonem istum describebat. Etenim Ivo Carnotensis in parte 8. Decreti can. 323. canonem quemdam laudavit, hac adjectâ inscriptione: *Ex Concilio Carthaginensi, cui interfuit Augustinus*; deindè progrediens ad sequentes canones usquè ad 328. capitum omnium inscriptiones omisit, ità ut videantur singula ex eodem Concilio Carthaginensi deprompta. In canone itaquè 328. descripserat verba Concilii Agathensis nullâ inscriptione auctoris adpositâ, fortè quòd eadem verba jam nomine Concilii Agathensis descripserat superiùs in eadem parte 8. cap. 231., in quæ prospiciens Gratianus, eadem verba in suum Codicem relaturus, Concilio Carthaginensi adtribuit, cui Augustinus interfuerat.

De aliis Canonibus, quos generatim Africanorum nomine retulit Gratianus.

Can. 39. caus. 2. q. 6.

Africano Concilio generatim Gratianus prætèr ea, quæ jam suis singula locis intexui, tribuit canonem 39. caus. 2. quæst. 6. Habetur autèm in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui, & in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ apùd Justellum num. 96., cujus sententia ut commodè percipiatur, referendus etiàm erit canon præcedens 85. Describuntur illic acta Concilii Carthaginensis, celebrati, Honorio 7. & Theodosio 2. Augusto Consulibus, sub Aurelio Episcopo, quod tempus incidit in annum 407., atque ab initio cautum fuerat, ut, ubi causa communis totius Africæ exigeret, Concilium plenarium fieret Africæ totius, convenireturque in Carthaginensem Civitatem: si quandò verò communes non essent causæ, unaquæque ex illis in sua Provincia discuteretur, ac definiretur. En verba canonis 95. *Placuit, ut non sit ultrà fatigandis Fratribus anniversaria necessitas: Sed quotiès exegerit causa communis, id est, totius Africæ, undecumquè ad hanc sedem de hac re datæ literæ fuerint, congregandam esse Synodum in ea Provincia, ubi opportunitas persuaserit; causæ autèm, quæ communes non sunt, in suis Provinciis judicentur.* Deindè statim sequitur canon 96. *Si autèm fuerit provocatum, eligat, qui provocaverit, judices; & cum eo & ille, contrà quem provocaverit: ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare.* Hæc sunt, quæ Gratianus retulit in can. 39. caus. 2. quæst. 6., cujus exindè clara apparet sententia. Etenim, cum statutum esset, non ampliùs celebrari debere Concilia, ad quæ totius Africæ Episcopi jam diù defatigati convenirent, sed uniuscujusque negotia debere in unaquaque Provincia terminari, difficultas suborta statim fuerat de appellationis judicio, ex eo quòd anteà à Conciliis Provincialibus ad annuum Nationale provocaretur. Ne itaquè obessent quieti Episcoporum harum appellationum causæ, definiri oportuit quosdam eligi à litigantibus judices, qui vices Nationalis Concilii gererent, & à quorum sententia omnis appellatio denegaretur.

Can. 9. caus. 11. q. 3.

Ex Africano quoquè Concilio refertur canon 9. caus. 11. quæst. 3., qui sanè pertinet ad Concilium, sub Aurelio Carthagine celebratum anno 419. pòst Consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. Augustorum, octavo Kalendas Junias. Istud Concilium est, quod superiùs diximus constituere primam partem Codicis Ecclesiæ Africanæ, nec non Concilii Carthaginensis Dionysii Exigui. Porrò in hoc Concilio cap. 29. ità legitur: *Item placuit universo Concilio, ut, qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive Episcopus, sive quilibet Clericus, & tempore excommunicationis suæ antè audientiam communionem præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.* Ferrandus Diaconus ad hunc canonem respexisse videtur in sua breviatione canonum cap. 54. his verbis: *Ut si quis Episcopus à Synodo fuerit excommunicatus, communicare non audeat: Et si fecerit, spem res-*

restitutionis non habeat. Attamèn subdidit, se hoc fragmentum referre ex Concilio Hipponiregiensi. Non pugnant tamèn hæc, cum familiare fuerit apùd Afros eadem in diversis Conciliis statuta renovare. Cum Ferrandi inscriptione videtur consonare Codex canonum, à Petro Pitteo editus, ubi idem canon insertus est in quodam Concilio hujus notæ. Consularis: *Pierio, & Ardabore Consulibus in Basilica Leontina*; quæ nota indicat Concilium celebratum anno 427., & in Hipponensi Civitate, in qua Leontina Basilica erat constituta. Hic ipse canon relatus etiàm posteriore ætate fuit inter Capitularia Regum Francorum lib. 5. cap. 30. editionis Parisiensis anni 1677.

Can. 15. caus. 16. q. 3. Canon 15. caus. 16. quæst. 3. pertinet ad Concilium Carthaginense anni 418. sub Aurelio celebratum, Honorio XII., & Theodosio VIII. Consulibus, adversùs hæresim Pelagii, & Cœlestii. Postquàm enim ibidèm plura constituta fuerint capita adversùs eosdem hæreticos, de divina gratia, & prædestinatione perperàm sentientes, nonnulla subjecta sunt de Donatistis ad unitatem convertendis, quæ exhibentur tum in Concilio Africano Dionysii Exigui, tum in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ à numero 108. usquè ad 127. In capite autèm 121. hæc leguntur: *Itèm placuit, ut, quicumque negligunt loca, ad suam Cathedram pertinentia, in Catholicam unitatem lucrari, conveniantur à diligentibus vicinis Episcopis, ut id agere non morentur. Quòd si intrà sex menses à die conventionis non effecerint, qui potuerit ea lucrari ad ipsum pertineant. Ità sanè, ut si ille, ad quem pertinuisse videbantur, probare potuerit, magis illius electam negligentiam ab hæreticis, ut impunè ibi sint, & suam diligentiam fuisse præventam, ut eo modo ejus cura sollicitior vitaretur: Cum hoc Judices Episcopi cognoverint, suæ Cathedræ loca restituant.* Romani Correctores græcum etiàm textum adduxerunt cum interpretatione latina. Si fortè quispiam peteret, quâ de causa adeò solliciti modò fuerint Carthaginenses Patres, ut Donatistas ad unitatem reducerent, ut pœnam gravissimam Episcopis imponerent, qui conversionem illorum quoquomodò neglexissent; Responderem, ut arbitror, plurimùm interfuisse tùnc temporis Donatistas, quo citiùs fieri posset, ad unitatem adducere. Etenim cum Pelagius, & Cœlestius, novæ hæreseos auctores, sceleris sui consortes undecumquè quærerent, facile erat Donatistas adhùc extrà communionem existentes Pelagianis accrescere, Catholicos autèm in varia schismata dissensionesque divisos difficilius erat adversùs hæreses nupèr gliscentes remedium opportunum Ecclesiæ Africanæ adferre.

Auctor Palearum in causa 27. q. 2. duo fragmenta inseruit num. 7. & 8., quæ tamèn Contius in sua editione debuisset sub uno tantummodò numero juncta comprehendere. Quod enim in cap. 7. legitur, nihil aliud est, quàm sententia illius, qui conditionem matrimonio adpositam non valere demonstraturus erat ex Africano Concilio; cum tamèn nihil hujusmodi in ullo ex Africanis Conciliis reperiatur, aut reperiri unquàm possit. Hujusmodi sanè fragmenta apùd neminem ex veteribus reperiuntur, non tantùm in Africano Codice, aut Dionysio Exiguo, aut Ferrando, aut Crisconio, qui ceteroquin omnes in describendis Africanis Canonibus fuerunt accuratissimi, sed nec apùd ipsos recentiores Collectores Reginonem, Burchardum, & Ivonem; & primùm in Gratiani Codicibus, & quidèm jam per Gratianum absolutis, adparuerunt ignoti auctoris manu. Reverà ipsorum fragmentorum hujusmodi phrasis non nisi duodecimo sæculo circà finem, aut initio sæculi 13. convenire potest, quem-admodùm nec ipsa disputandi ratio novæ Philosophiæ tùnc temporis exortæ accommodata. Ceterùm, quæ in dicto canone 7., & 8. traduntur ab auctore Paleæ non satis consonant cum recta præsertim veterum philosophandi ratione. Ait ille, conditionem desponsationi

Can. 7. & 8. caus. 27. q. 2.

ad-

adjectam pro nulla habendam esse, ac si omninò adjecta non fuerit. Nulla de hac re esse potuit apùd veteres disputatio, imò nec levissima dubitatio, ut Africanos Patres in Conciliis ob causas gravissimas congregatos frustrà detineret. Imò miror, Interpretes nostros in hac re alacritèr disputare, atque concludere tandèm id receptum esse favore matrimonii, exemplo ultimarum voluntatum, in quibus non omnes quidèm, sed impossibiles facto, vel jure conditiones pro non adjectis habentur juxta l. 4. ff. de condit. & demonstr. Itaquè, quotiès dicimus conditiones matrimoniis adjectas nullius esse momenti, non prospicimus legum favorem quemdam, quo illæ matrimonia prosequutæ fuerint; sed profectum agnoscimus ex ipsa matrimonii natura, atque substantia. Reverà effictus hic legum favor à legibus profectus esset, & quidèm pòst concertationem diutinam; quemadmodùm & ultimarum voluntatum favor, undè conditiones impossibiles ab illis detrahuntur pòst diutinàm Jurisconsultorum concertationem obtinuit, arg. d. l. 4. de cond., & demonstr. At de conditionibus matrimonio adjectis nullibi unquàm disputatum fuisse liquet, præsertim apùd veteres Jureconsultos nullum hujus, aut similis disputationis vestigium adparet, cum tamèn iidem in enodandis Juris difficultatibus æquè subtilissimi essent, atque elegantissimi. Aliàs verò matrimonii natura, atque substantia exigit, conditiones nullas matrimonio adjici posse. Etenim ea indita fuit apùd omnes cultiores gentes matrimonio indoles, atque natura, ut, præter quàm in ceteris obligationibus regularitèr obtineat, duo distincti contractus in eo soleant intervenire, scilicèt alter præcedens, qui Sponsalium contractus appellatur, alter consequens, qui Matrimonium, vel Nuptiarum contractus propriè dicitur; uterque autèm diversis regulis circumscribitur: præcipuè verò hæc sunt utriusque discrimina, ut Sponsalia esse nequeant, nisi ubi adhùc matrimonium pendeat; & viceversa non possit Matrimonium esse, quousquè negotium in futurum adhùc tempus protrahatur. Hac præsuppositâ matrimonii naturâ, ecquis non videat frustrà disputari de conditione matrimonio adjecta? omnis quippè conditio, utpotè quæ obligationem in futurum tempus supendit, & differt, ipsimet matrimonii substantiæ adversatur, nec sanus quispiam esse potest, qui velit uno eodemque actu matrimonium, id est, obligationem de præsenti contrahere, & simùl obligationem in futurum tempus differre. Propterèà statim ac quis de præsenti, consentit, & matrimonium reverà contrahi, jam certum est eum nolle actum suspendere ac propterèà nolle matrimonio conditionem adjicere. Itaquè res hæc disputationem nullam, aut controversiam pati poterat; & vix digna erat, quæ inter Philosophos, Theologosve duodecimi, aut decimi tertii sæculi Scholarum pulverem agitaret. Concludemus propterèà, disputationis hujus auctorem paulò recentiorem esse Gratiano, qui ut suæ sententiæ Patronos, ac cultores quæreret, auctoritatem Concilii Africani ostentavit, atque ostentavit eo tempore, quo omnia sine discrimine facilè recipiebantur. Imò, cum sciret Gratianei Decreti maximam esse auctoritatem, in hoc sententiam suam inseruit, nec quidèm frustrà; etenim suarum sententiarum Interpretes invenit Glossographos, aliosque studiosos, imò etiàm canonum Collectores, vel omni exceptione majores, qui in Collectionibus sacrorum canonum optimis easdem insererent, quemadmodùm liquet ex cap. 1. extrà de conditionibus adpositis.

APPEN-

APPENDIX.

De Concilio apùd Valentias.

Can. 123. de cons. dist. 4.

Subjicio hoc in loco Concilii Valentini fragmentum, quod scilicèt hoc nomine à Gratiano refertur in can. 123. de cons. dist. 4., quia non in Valentino Concilio legitur, sed potiùs pertinet ad Concilium Carthaginense, quod vulgò quartum appellant: immò & istud ipsum agnovit Gratianus, qui eumdem canonem retulit ex Concilio Carthaginensi IV. in can. 4. dist. 95., de quo jam superiùs egimus. Non est tamèn, cur in hac parte de Gratiano potissimùm conqueramur, cum antè Gratianum Collectores alii, Burchardus, & Ivo Concilium Valentinum pro Carthaginensi potiùs inscripserint. Fortè suspicari licet, Collectores hujusmodi errore facti lapsos esse, quòd ad marginem inscriptum viderint nomen Concilii Vasensis II. in cujus can. 3. hæc leguntur ferè similia: *Per singula territoria Presbyteri, vel Ministri ab Episcopis, non prout libitum fuerit à vicinioribus, sed à suis propriis, per annos singulos Chrisma petant, appropinquante solemnitate Paschali: nec per quemcumque Ecclesiasticum, sed, si qua necessitas, aut Ministrorum occupatio est, per Subdiaconem, quia inhonorum est inferioribus summa committi. Optimum autèm est, ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est. Si quid obstat, saltèm is, cujus officii est sacrarium disponere, & Sacramenta suscipere.* Ad marginem itaquè Carthaginensis canonis adjectum fuerat nomen Vasensis Concilii, ut indicaretur similia in Vasensi Concilio legi. At Collectores Concilium apùd Valentias pro Vasensi scribere per oscitantiam potuerunt; deindè, quod Carthaginensis Concilii erat, Concilio apùd Valentias adtribuere.

CAPUT XVI.

De Concilio Milevitano.

Postquàm de Carthaginensibus Conciliis actum est, juvabit statim de Concilio Milevitano disserere, utpotè quod Ecclesiæ Africanæ Concilium est, imò etiàm hujusmodi Constitutiones edidit, quæ in Carthaginensibus ipsis Conciliis fuere probatæ. Pertinent autèm ad Milevitanum Concilium sequentes Canones.

Can. 3. *dist.* 72. *consonat cum aliis Ecclesiæ Africanæ Constitutionibus.*
Can. 19. *caus.* 2. *q.* 6. } *simùl jungendi unà cum can.* 15. *caus.* 16. *q.* 3. *&*
Can. 33. *caus.* 2. *q.* 6. } *confirmati in Concilio Carthag. totius Africæ an.* 418.
Can. 35. *caus.* 2. *q.* 6. *consonat cum aliis Canonibus Ecclesiæ Africanæ.*
Can. 42. *caus.* 11. *q.* 1. *est potiùs Concilii Toletani* 3.
Can. unico caus. 11. *q.* 2. *referendus ad can.* 42. *caus.* 11. *q.* 1.
Can. 34. *caus.* 11. *q.* 3. *idem est cum can.* 35. *caus.* 2. *q.* 6.
Can. 2. *caus.* 16. *q.* 6. *confirmatus etiàm in Concilio Carthaginensi anni* 418.
Can. 5. *caus.* 32. *q.* 7. *jam pridèm etiàm editus in Concilio Carthaginensi anni* 407.

Can. 152. *de cons. dist.* 4.
Can. 153. *de cons. dist.* 4.
Can. 154. *de cons. dist.* 4.
Can. 155. *de cons. dist.* 4.
Can. 156. *de cons. dist.* 4.

Confirmati omnes in Concilio Generali totius Africæ anni 418. *adversùs Pelagianos, & Cælestianos.*

CONcilium Milevitanum Milevi in Numidia apùd Afros celebratum est anni 416., atque ad ipsum convenerunt Viri, & morum integritate, & doctrinâ spectatissimi numero sexaginta, inter quos fuit eximius Ecclesiæ Antistes Augustinus Hipponensis. Potissima Concilii causa fuit, ut Africanæ Ecclesiæ, per hæreses Cælestii, & Pelagii læsæ, consuleretur, statuereturque, quemadmodùm & de vi divinæ gratiæ, & de liberi arbitrii facultate sentiendum foret. Et quidèm id decretum est prioribus Canonibus octo, quibus alii canones usquè ad 27. subjecti fuerunt ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam, quorum omnium auctoritas maximi sempèr habita fuit apùd omnes, præprimis autèm apùd Africanos ipsos, qui illos ferè omnes renovarunt in Concilio totius Africæ 217. Episcoporum anno 418. celebrato, quod vulgò dicitur Concilium Carthaginense VI.: apùd alias verò Provincias fuerunt maximè venerabiles, illas præsertim, quæ Africanæ Ecclesiæ codices, uti suo loco diximus, receperunt.

In canone 15. hujus Concilii habentur verba canonis 3. dist. 72., etsi autèm nonnullæ Concilii editiones eadem omninò habeant, quæ apùd Gratianum leguntur, tamèn in vulgatis exemplaribus ità legimus: *Itèm placuit, ut quicumque in Ecclesia primùm, vel semèl legerit, ab alia Ecclesia ad clericatum non teneatur.* Et quidèm eisdem ferè verbis refertur in Concilio Carthaginensi, quod Dionysius Exiguus suæ Collectioni canonum inseruit, can. 90. ibi: *Itèm placuit, ut quicumque in Ecclesia vel semèl legerit, ab alia Ecclesia ad clericatum non teneatur. Et subscripserunt: Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & prælecto subscripsi: similiter & ceteri Episcopi subscripserunt.* Eadem omninò habentur in cap. 90. Codicis Ecclesiæ Africanæ Græci, & Latini apùd Justellum; ubi ille canon tribuitur Concilio Carthaginensi, Arcadio, & Honorio v. Consulibus celebrati, sive anno 402. Huic Constitutioni occasionem dedisse arbitror Julianum quemdam Episcopum Africanum, qui Clericum Lectorem ordinatum in Mappaliensi Diæcesi, quique jam duobus annis in ea legerat, Epigonio Episcopo subditum, ordinavit Ecclesiæ suæ Diaconum. De hac re conquestus fuerat Epigonius in Concilio Carthaginensi Consulibus Cæsario, & Attico, sive anni 397., allegans in multis jam Africanis Conciliis illud constitutum fuisse, *ut clericum alienum nullus sibi præripiat Episcopus, præter ejus arbitrium, cujus fuerit clericus*: quo proposito, Carthaginenses Patres illud Juliani Episcopi factum tanquàm iniquum, atque indignum damnarunt. Videsis canonem 54. Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, & in Codice Africano Justelli.

Can. 3. dist. 72.

Jungendi simùl sunt canones 19. & 33. caus. 2. quæst. 6.: imò etiàm hùc referri posset canon 15. caus. 16. q. 3., qui nomine Africani Concilii à Gratiano laudatur, atque in hoc eodem Milevitano Concilio etiàm legitur in can. 24. simùl cum can. 19. & 33. caus. 2. quæst. 6., postquàm enim in Milevitano Concilio can. 24. ea statuta fuerint, quæ legimus in dicto can. 15. caus. 16. quæst. 3. usquè ad illa verba: *Suæ cathedræ loca restituant*, hæc statim sequuntur. *Sanè, si Episcopi, inter quos causa versatur, diversarum sunt Provinciarum, ille Primas det Judices, in cujus Provincia est locus, de quo contenditur. Si autèm ex communi placito vicinos elegerint, aut duo eligantur, aut tres. Quòd si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur, aut duorum. A judicibus autèm,*

Can. 19 & 33. caus. 2. q. 6.

tèm, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare; (hæc sunt verba dicti canonis 33. caus. 2. quæst. 6.) *Et quisquis probatus fuerit per contumaciam nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ sedis Episcopo fuerit probatum, det literas, ut nullus ei communicet Episcoporum, donèc obtemperet.* (Hæc retulit Gratianus in dictum canonem 19. caus. 2. quæst. 6.) Hæc omnia probata, ac confirmata fuerunt in Concilio generali totius Africæ Carthaginensi anno 418., habenturque in canone 121., & 122. Codicis Africani apùd Justellum, & Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, ubi tamèn hæc verba leguntur: *A judicibus autèm, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare. Et quisquis provocatus repertus fuerit per contumaciam nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ Sedis Episcopo fuerit probatum, det literas, ut nullus ei communicet Episcopo, donèc obtemperet.* Porrò hæc omnia, quæ Gratianus separata retulit, simùl jungenda sunt, ut integra omninò habeatur Concilii sententia; fortè enim evenire posset, ut in alienam omninò sententiam detorqueantur, si singula seorsim apùd Interpretes explicentur. Itaquè hæc inerat Milevitanis, necnon Carthaginensibus Patribus sententia. Cœlestiani, ac Pelagiani hæretici Africanas Provincias omninò turbabant, quæ tamèn jam diutino schismate Donatistarum discissæ fuerant. Hinc gravissimum imminebat periculum, futurum fortè, ut Donatistæ Pelagianis, Cœlestianisque jungerentur adversùs veram, & Catholicam Ecclesiam pugnaturi. Quod quemadmodùm facilè evenire poterat ob consuetam hæreticorum omnium indolem, qui dummodò veræ adversentur Ecclesiæ, etiàm cum aliis, à quibus ceteroqui dissentiunt, hæreticis fœdus inire solent, ità maximum Africanæ Ecclesiæ incommodum minitabatur. Quamobrem visum fuit Ecclesiæ utile, ut Donatistæ, quoad fieri posset, etià remissa paulispèr pristinâ disciplinæ severitate, allicerentur ad unitatem; atque hæc cura, ac sollicitudo potissimùm movere debebat Episcopos illos, in quorum diœcesibus Donatistæ morabantur. Commendata propterèà res eisdem Episcopis in Concilio fuit, adjectâ etiàm pœnâ, ut, si iidem negligentes fuerint, alius autèm Episcopus ad unitatem Donatistas adduxerit, diligentiori Episcopo conversus populus cederet; nisi tamèn fortè fraus intervenisset, quæ sempèr abesse debet præsertim in hujusmodi negotiis Ecclesiarum, ac propterèà Episcoporum quorumdam judicio reservatum erat, ut de fraude cognoscerent dicto can. 15. caus. 16. quæst. 3. intererat autèm plurimum controversiam omnem brevi tempore finiri, ne fortè ea occasione rursùs schismata suborirentur, & graviora Ecclesiæ undequaquè concussæ pericula imminerent; atque ideò non Synodorum erat expectanda sententia, quemadmodùm expectabatur in ceteris causis, sed vel Primas Provinciæ, seu Metropolitanus (idem enim erat apùd Africanos) judices ipse constituebat, vel ipsimet Episcopi contendentes judices ex voluntate eligebant, à quibus omnis provocatio denegabatur dicto can. 19., & 33. caus. 2. q. 6.

Canon 35. caus. 2. quæst. 6. habetur in canone 22. Concilii ejusdem Milevitani, quem idem Gratianus rursùs descripsit in can. 34. caus. 11. quæst. 3. Eadem omninò constituta sunt in Concilio Carthaginensi anni 419. sub Aurelio can. 28. his verbis, quæ habentur tum in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui tum in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ apùd Justellum can. 28. *Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis Episcopi: quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad Primates suarum Provinciarum, aut ad universale Concilium,* (intellige de universali solius Africæ, juxtà vulgatam loquendi for-

Can. 35. caus. 2. q. 6. & can. 34. caus. 11. q. 3.

formulam apùd Africanos Episcopos) *sicut & de Episcopis constitutum est. Ad transmarina autèm qui putaverit appellandum, à nullo intrà Africam ad communionem suscipiatur.* Eadem ipsa repetuntur in cap. 125. Non est omittendum hoc in loco, quomodò in hac appellationum materie sese gesserit Africana Ecclesia, ut, qualis capienda sit hujus canonis interpretatio, percipiatur. Cum frequentissimi Ecclesiastici conventus tùnc temporis fierent in Africa, non tantùm in quibuscumque Provinciis, verùm etiàm ex universa illa natione, facilè videbantur Africanis Episcopis posse, quæcumque emergerent, causæ Ecclesiasticæ in Africa ipsa absolvi, etiàm denegata quacumque appellatione ad Provincias transmarinas. Hinc in suis Conciliis frequentissimè statuerunt causas omnes in Africa terminandas esse: sic in memorato Concilio Milevitano can. 22., seu can. 35. caus. 2. quæst. 6., itèm in Concilio Carthaginensi anni 418., qui relatus est in Codicem canonum Ecclesiæ Africanæ can. 125. in editione Justelli, cujus verba omninò consonant cum verbis Gratiani in dicto can. 35. Cum verò anno 419. novum celebraretur in Africa Concilium, cui præsentes aderant legati Romanæ Ecclesiæ, propositum est à legatis, ut decerneretur, liberam esse debere appellationem ad Romanam Ecclesiam ab Africanis Provinciis, asserentes id omninò jam constitutum fuisse in Nicæno Concilio. Africani Antistites responderunt quidèm, se omnia Nicænæ Synodi constituta servare, attamèn dubitare se, utrùm hæc, quæ de appellationibus proferebantur, fuissent in Nicæno Concilio definita. *Nos servaturos profitemur* (ità ajebat Alypius Episcopus Tagastensis) *quod in Nicæno Concilio constitutum est: adhùc tamèn me movet, quomodò, cum inspiceremus Græca exemplaria hujus Synodi Nicænæ, ista ibi, necio quâ ratione, non invenimus.* Hinc postulatum est, ut legati mitterentur Constantinopolim, Alexandriam, & Antiochiam, undè acta Nicænæ Synodi integra cum canonibus haberi possent, etiàm exorantes Pontificem Maximum Romanum, ut & ipse omnem sollicitudinem in obtinendis Nicænis optimis exemplaribus conferret; interèà verò liceret unicuique Provinciæ morem suum servare; in eadem etiàm fuit sententia Augustinus Hipponensis, qui Concilio subscripsit adpositâ clausulâ: *salvâ diligentiore inquisitione Concilii Nicæni.* In hoc itaquè Concilio, dum penderet controversia de Nicænorum canonum integritate, constituta ea sunt, quæ nupèr referebam de appellationibus ad transmarinas Provincias non iterponendis: imò Africani eo validiùs constitutis suæ Provinciæ legibus postmodùm adhæserunt, quo clariùs ex authenticis exemplaribus agnoverunt, nihil tale in Nicænis canonibus contineri. In errore facti versabantur, qui Nicænos canones proposuerant; etenim Sardicensis Concilii statuta pro Nicænis habuerunt, quod facilè contingere potuit, vel quòd Sardicense Concilium tamquàm Nicæni appendix vulgò haberetur, vel quòd Sardicensis Concilii canones in Codicibus canonum & Conciliorum subjecti Nicænis haberentur. Reverà Romani legati publicè in Concilio Carthaginensi legerunt ad eam rem canonem 7. Concilii Sardicensis, quem Nicæni Concilii canonem esse dixerunt. Itaquè, si Africana Ecclesia Concilii Sardicensis decreta æquè, ac Nicæni Concilii canones recepit, non est dubitandum, quin disciplinam suarum Provinciarum Sardicensibus canonibus accommodaverit, quoties statuta Sardicensia addidicerit; quandoquidèm non alitèr appellationes interdixit ad transmarinas Provincias, quàm salvâ diligentiore inquisitione Concilii Nicæni. Nùm deindè aliud Africanis Episcopis placuerit, nùm hùnc facti errorem agnoverint; nùm etiàm à sua disciplina, quam in memoratis canonibus constituerant, omninò recesserint, prorsùs ignoro. Tantùm dixero, Collectores canonum Africanos Concilii Sardicensis constitutiones etiàm in hac

hac appellationum parte in suos Codices retulisse: quare verosimile admodùm crediderim, etiàm hosce Sardicenses canones fuisse in Africana Ecclesia receptos. Id constat ex Fulgentio Ferrando in can. 59. Breviarii, ibi : *ut adjudicatus Episcopus ad Apostolicam sedem, si voluerit, appellet. Concil. Sardic. tit.* 5. Et Crisconius in Breviario cap. 149. *ut inter discordes Episcopos Comprovinciales Antistites audiant; quòd si damnatus appellaverit Romanum Pontificem, id observandum, quod ipse censuerit. Concil. Sardic. tit.* 3. Itaquè apparet ex his, notos tandèm aliquandò fuisse Africanæ Ecclesiæ Sardicenses canones, qui anteà Nicænorum nomine laudabantur; ità verò receptos, ut Episcoporum quidèm appellationes liqueat omninò admissas fuisse, de aliorum verò inferiorum Clericorum appellationibus liquidò non constet, quandò tamèn de Clericis inferioribus contrà cautum fuerat in dicto can. 35. caus. 2. quæst. 6.; demùm ità receptas Episcoporum adpellationes, ut tota res arbitrio prudentiæque Pontificis Maximi reservaretur, juxtà illa Crisconii verba : *id observandum, quod ipse censuerit.*

Can. 42. caus. 11. q. 1. juncta q. 2. caus. 11.

Jam observaverunt Romani Correctores, can. 42. caus. 11. quæst. 1. non haberi in Concilio Milevitano, sed potiùs in Concilio Toletano, quod tertium dicunt anni 589. in quo hæc leguntur can. 13. *Diuturna indisciplinatio, & licentiæ inolita præsumptio eò usque illicitis ausibus aditum patefecit, ut Clerici Concericos, suo neglecto Pontifice, ad judicia publica pertrahant; proindèque statuimus, hoc de cetero non præsumi; sed siquis hoc facere præsumpserit, & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.* Ex his Gratiani fragmentum emendandum erit. De Toletano illo Concilio nihil hoc loco dixero, cum inferiùs de eodem sermo sit instituendus. Tantùm observabo, Concilium illud maximæ auctoritatis in Hispania fuisse, quod non solùm ejus canones fuerint à pluribus Episcopis editi, sed etiàm fuerint speciali Reccaredi Regis edicto, & subscriptione confirmati. Facile est autèm conjicere, quâ de causa hoc Toletani Concilii fragmentum fuerit nomine Milevitani Concilii à Gratiano laudatum. Etenim in Milevitano Concilio nonnulla similia leguntur in can. 19., ubi Clericis interdicitur, ne, relicto Episcoporum suorum arbitrio, forenses strepitus litium causâ exquirant. Quamobrèm facile fuit, studiosum quemdam ad marginem dicti canonis Toletani apposuisse nomen Concilii Milevitani, ut indicaret in Concilio Milevitano nonnulla similia haberi; Gratianum deindè, aut quemvis alium marginalem adjectionem canoni inscripsisse, quasi canon reverà ad Concilium Milevitanum referendus esset. Idem Gratianus hoc ipso canone dirimit quæstionem 2. ejusdem causæ 11., in qua tamèn sempèr habenda erunt in conspectu verba ipsius canonis, ne fortè Concilio Toletano affingatur, quod à Toletanis Patribus statutum minimè fuerat. Ad hunc canonem respexit Innocentius III. in cap. 12. de foro competenti, quod etiàm nomine Milevitani Concilii commemoravit.

Can. 2. caus. 16. q. 6.

Can. 2. caus. 16. quæst. 6. habetur eisdem omninò verbis in can. 21. Concilii Milevitani, ubi tamèn quamdam codicum varietatem adnotarunt Romani Correctores. Eadem omninò confirmata sunt in Concilio Carthaginensi anni 418., uti patet ex Codice Ecclesiæ Africanæ apùd Justellum, ubi can. 120., eadem leguntur, & in posterioribus verbis : *Si autèm ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices causa finiatur, sive quos eis Primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint*; quæ etiàm verba habentur in can. 120. Concilii Carthaginensis Dionysii Exigui. Atque hæc omnia de judicibus eligendis, aut à Primate petendis in causa Episcoporum, & Diœceseos occupandæ intelligenda sunt juxtà ea, quæ nupèr diximus ad canones 19., & 33. caus. 2. quæst. 6.

Can. 5. caus. 32. quæst. 7. habetur

Can. 5. caus. 32. q. 7. tur in can. 17. Milevitani Concilii; cum quo licèt Gratianus omninò consonet, attamèn ejus postrema verba omisit; etenim in Concilio pòst illa : *ad pœnitentiam redigatur*, ità sequitur: *In qua causa legem Imperialem petendam promulgari.* Quæ sanè clausula maximè opportuna tùnc temporis videbatur, quum Romanæ veterum Imperatorum leges existerent, quibus divortia nonnullis in casibus fieri ità permitteretur, ut liceret dimittentibus, & dimissis nova conjugia contrahere. Idem canon jam pridèm constitutus fuerat in Concilio Carthaginensi sub Aurelio, Honorio 7., & Theodosio 2. Augustis Consulibus, sive anno 407., quemadmodùm constat ex canone 102. Codicis Ecclesiæ Africanæ apùd Justellum, & in can. 102. Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum, ibi: *Placuit, ut secundùm Evangelicam, & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjungatur, sed ità maneant, aut sibimet reconcilientur: quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur, in qua causa legem Imperialem petendam promulgari.*

Ab initio ajebam, in Concilio Milevitano non tàm plura ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia capita definita fuisse, quàm etiàm adversùs Pelagii, & Cœlestii dogmata de vi divinæ gratiæ, & liberi arbitrii. Quæ hùc usquè retuli capita disciplinam Ecclesiasticam spectant : verùm alia sunt apùd Gratianum, quæ doctrinam fidei adversùs Pelagium continent, uti sunt canones 152. 153. 154. 155., & 156. de cons. dist. 4., qui omnes habentur in can. 1. 2. 3. 4., & 5. ejusdem Concilii Milevitani. In inscriptione tamèn canonis 152. apùd Gratianum legendum est : *cui interfuit Augustinus, & Asellus Romanæ Ecclesiæ legatus*, non, uti scripsit Gratianus, *& Anselmus Romanæ Ecclesiæ legatus.* Hi omnes canones recepti primùm fuerunt in universa Africana Ecclesia, confirmatique in Concilio Carthaginensi sub Aurelio anni 418. can. 1., & sequentibus, quemadmodùm constat ex canonibus 108., & sequentibus Codicis canonum Africanæ Ecclesiæ apùd Justellum, & Concilii Carthaginensis apùd Dionysium Exiguum; ubi eadem omninò leguntur. Atque exindè colligitur, errare illos, qui putarunt hosce canones non in Milevitano, sed potiùs in Carthaginensi Concilio, fuisse conditos; etenim in Carthaginensi Concilio potiùs confirmati sunt ex generali Africanorum omnium Episcoporum consensione, quemadmodùm & alii canones quamplures Conciliorum peculiaris alicujus Provinciæ in generalibus Africæ Conciliis confirmari solebant. Doctrina autèm, in eisdem canonibus constituta, generali dein totius Ecclesiæ judicio probata est, cum Pelagiani, & Cœlestini communi Catholicorum omnium suffragio damnati fuerint, receptaque ea omnia, quæ adversùs illos, præsertim S. Augustino Duce, decreta fuerant saluberrimè juxtà Sacræ Scripturæ dogmata, & veterum Patrum traditiones.

Can. 152. 153. 154. 155. 156. de cons. dist. 4.

CA-

CAPUT XVII.

De Conciliis pluribus Toletanis.

Sub uno capite opus est omnia Toletanæ Ecclesiæ Concilia, à Gratiano commemorata, congerere; vel quia rei ordo commodior hac in parte videtur; vel quia apùd Gratianum non omnia Conciliorum Toletanorum capita suis singula Conciliis, & servatâ temporum serie, tribuuntur. Subjicio Canones Gratianeos.

Ex Concilio Toletano I.

Can. 4. *dist.* 34. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
Can. 68. *dist.* 50. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 4. *dist.* 51. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
Can. 7. *dist.* 54. *aliter descriptus apùd Martinum Bracarensem, quàm in Concilio Toletano legatur.*
Can. 26. *caus.* 11. *q.* 3. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 21. *caus.* 24. *q.* 3. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
Can. 27. *caus.* 27. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 10. *caus.* 33. *q.* 2. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 20. *de cons. dist.* 2. *paulò aliter descriptus in vulgatis Concilii exemplaribus.*

Ex Concilio Toletano II.

Can. 5. *dist.* 28. *paulò aliter in integris Concilii exemplaribus legitur.*

Ex Concilio Toletano III.

Can. 11. *dist.* 44. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 14. *dist.* 54. *ad integra Canonum exemplaria exigendus.*
Can. 2. *caus.* 10. *q.* 1. *paulò aliter exhibetur in exemplaribus Concilii.*
Can. 6. *caus.* 10. *q.* 3. *paulò aliter in diversis exemplaribus.*
Can. 63. *caus.* 12. *q.* 2. *ad meliorum Codicum fidem exigendus.*
Can. 69. *caus.* 12. *q.* 2. *jam à Romanis Correctoribus restitutus.*
Can. 73. *caus.* 12. *q.* 2. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 28. *caus.* 13. *q.* 2. *ex Concilii ipsius exemplaribus supplendus.*
Can. 16. *caus.* 32. *q.* 2. *ex Concilii ipsius exemplaribus supplendus.*
Can. 2. *de cons. dist.* 3. *ex Concilii ipsius exemplaribus supplendus.*

Ex Concilio Toletano IV.

Can. 3. *dist.* 25. *ex vulgato Concilii canone supplendus.*
Can. 3. *dist.* 28. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 1. *dist.* 38. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 2. *dist.* 38. *paulò aliter legitur in vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 5. *dist.* 45. *consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 5. *dist.* 51. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 5. *dist.* 54. *consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.*

Can. 7. dist. 77. ex vulgato Concilii canone supplendus.
Can. 30. dist. 81. paulò aliter legitur in vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 8. dist. 87. in nonnullis editis Codicibus emendandus.
Can. 20. dist. 93. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 7. caus. 1. q. 4. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 24. caus. 2. q. 7. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 6. caus. 10. q. 1. jungendus cum canone 60. caus. 16. q. 1.
Can. 11. caus. 10. q. 1. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 1. caus. 12. q. 1. paulispèr dissonat à vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 39. caus. 12. q. 2. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 58. caus. 12. q. 2. ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 61. caus. 12. q. 2. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 65. caus. 12. q. 2. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 66. caus. 12. q. 2. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 60. caus. 16. q. 1. jungendus cum can. 6. caus. 16. q. 1.
Can. 3. caus. 16. q. 3. jungendus cum can. 2. caus. 16. q. 5.
Can. 4. caus. 16. q. 3. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus, si adjiciantur notæ Correctorum Romanorum.
Can. 2. caus. 16. q. 5. jungendus cum can. 3. caus. 16. q. 3.
Can. 30. caus. 16. q. 7. ex vulgatis Concilii exemplaribus supplendus.

Ex eodem Toletano IV.

Can. 31. caus. 17. q. 4. ad meliorum exemplarium integritatem exigendus.
Can. 1. caus. 18. q. 2. ad meliorum exemplarium integritatem exigendus.
Can. 1. caus. 19. q. 1. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 5. caus. 23. q. 8. paulò varius in diversis exemplaribus
Can. 29. caus. 23. q. 8. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 5. caus. 26. q. 5. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 7. caus. 27. q. 1. pertinet potiùs ad Concilium Parisiense 5. anni 615.
Can. 10. caus. 28. q. 1. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 11. caus. 28. q. 1. ex aliis Codicibus explicandus.
Can. 12. caus. 28. q. 1. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 54. de cons. dist. 1. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 85. de cons. dist. 4. ex integris Concilii exemplaribus supplendus.
Can. 94. de cons. dist. 4. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.

Ex Concilio Toletano VI.
- *Can.* 9. *caus.* 3. *q.* 9. *supplendus ex vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 64. *caus.* 12. *q.* 2. *jungendus cum can.* 65. *caus.* 12. *q.* 2.
- *Can.* 72. *caus.* 12. *q.* 2. *paulò aliter legitur in exemplaribus Concilii.*
- *Can.* 2. *caus.* 20. *q.* 3. *hodiè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 19. *caus.* 33. *q.* 2. *paulò aliter legitur in vulgatis Concilii exemplaribus.*

Ex Concilio Toletano VII.
- *Can.* 16. *caus.* 7. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 8. *caus.* 10. *q.* 3. *paulò varius in diversis exemplaribus*

Ex Concilio Toletano VIII.
- *Can.* 1. *dist.* 13
- *Can.* 1. *caus.* 22. *q.* 1.
- *Can.* 1. *caus.* 22. *q.* 4.
- *Can.* 9. *caus.* 22. *q.* 4.
- *Can.* 14. *caus.* 22. *q.* 4.
- *Can.* 15. *caus.* 22. *q.* 4.

simùl jungendi omnes, & commodâ interpretatione ex actis ipsismet Concilii illustrandi.

- *Can.* 7. *caus.* 1. *q.* 1. *paulò aliter legitur in vulgatis exemplaribus Concilii.*

Ex Concilio Toletano IX.
- *Can.* 4. *dist.* 54. *consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 74. *caus.* 12. *q.* 2. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 2. *caus.* 12. *q.* 3. *jungendus est cum can.* 1. *caus.* 12. *q.* 4.
- *Can.* 4. *caus.* 12. *q.* 3. *supplendus ex Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 1. *caus.* 12. *q.* 4. *jungendus est cum can.* 2. *caus.* 12. *q.* 3.
- *Can.* 3. *caus.* 15. *q.* 8. *paulò aliter legitur in exemplaribus Concilii.*
- *Can.* 10. *caus.* 16. *q.* 3. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 31. *caus.* 16. *q.* 7. *supplendus ex integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 32. *caus.* 16. *q.* 7. *supplendus ex integris Concilii exemplaribus.*

Ex Concilio Toletano X.
- *Can.* 6. *dist.* 89. *supplendus ex integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 16. *caus.* 20. *q.* 1. *supplendus ex integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 1. *caus.* 20. *q.* 2. *supplendus ex integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 36. *caus.* 27. *q.* 1. *à Romanis Correctoribus restitutus.*

Ex Concilio Toletano XI.
- *Can.* 13. *dist.* 12. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 6. *dist.* 23. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 101. *caus.* 1. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 3. *caus.* 5. *q.* 4. *varius in diversis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 15. *caus.* 7. *q.* 1. *ferè consonat cum vulgatis omnibus Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 30. *caus.* 23. *q.* 8. *jungendus cum can.* 29. *caus.* 23. *quæst.* 8.
- *Can.* 17. *dist.* 54. *consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 25. *dist.* 63. *supplendus ex vulgatis Concili exemplaribus.*

Ex Concilio Toletano XII.
- *Can.* 35. *caus.* 17. *q.* 4. *supplendus ex vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 21. *caus.* 32. *q.* 5. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 11. *de cons. dist.* 2. *paulò aliter habetur in vulgatis Concilii exemplaribus.*

Ex Concilio Toletano XIII.
- *Can* 13. *caus.* 26. *q.* 5. *partim referendus ad* 17. *Concilium Toletanum.*

Ex Concilio Toletano XVI.
- *Can.* 17. *dist.* 18. *supplendus ex integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 3. *caus.* 10. *q.* 3. *supplendus ex integris Concilii exemplaribus.*

Sequuntur canones, Toletani Concilii nomine laudati.
- *Can.* 14. *dist.* 23. *pertinet potiùs ad Concilium Hispalense II.*
- *Can* 6. *dist.* 54. *potiùs ex Capitularibus Francorum.*
- *Can.* 8. *dist.* 54. *jungendus cum can.* 6. *dist.* 54.
- *Can.* 9. *caus.* 10. *q.* 1. *potiùs ex Concilio Triburiensi sub Rege Arnulpho.*
- *Can.* 24. *caus.* 11. *q.* 1. *Ex Burchardo Vvormatiensi, vel ex Concilio Aquisgranensi.*
- *Can.* 31. *caus.* 12. *q.* 2. *apocriphus, sive à quodam canonum studioso compositus.*
- *Can.* 54. *caus.* 16. *q.* 1. *exhibet potiùs disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ.*
- *Can.* 43. *caus.* 16. *q.* 7. *consonat cum disciplina octavi, aut noni sæculi.*
- *Can.* 34. *caus.* 27. *q.* 2. *pertinet potiùs ad Concilium Troslejanum.*

IN Toletana Urbe, quæ totius Hispaniæ præcipua Metropolis est, multis nominibus præclarissima, quamplures venerabiles Synodos celebratas fuisse, & quidèm recentioribus Collectoribus sacrorum canonum valdè familiares, eruditi omnes passim agnoverunt, proindèque in illis germana ut plurimùm veterum doctrina continetur. Quamquàm tamèn apùd viros eximios, etiàm Hispanos, & Hispanicarum rerum exploratores solertissimos, qualis inter ceteros fuit Garsias Loaisa supervacanea fuerit sollicitudo, & inanis labor in omnibus Toletanis Conciliis exquirendis, ad quæ vulgatos Collectorum omnium canones commodè referrent, nihil minùs dabo operam, ut, quoàd fieri poterit, Gratiani fragmenta suis unaquæque Conciliis tribuantur.

De Canonibus Concilii Toletani I.

Concilium Toletanum I. apùd omnes Collectores dicitur, quod celebratum est anno 400., idemque, uti conjiciunt viri eruditi, non Provinciale fuit solius Toletanæ Diœceseos, sed Nationale totius Hispaniæ, ad quod convenerunt Episcopi numero novemdecim, præsidente Patruino, seu, ut alii vocant, Patrono Emeritensis Ecclesiæ Episcopo, & quidèm Catholici omnes, qui adversùs Priscillianistarum hæreses, quemadmodùm in eodem Concilio dicitur, acerrimè, strenuèque pugnaverant. Generali huic totius Hispaniæ Concilio occasionem dederat lapsus gravissimus Ecclesiasticæ disciplinæ, ferè ad interitum deductæ, quam propterea necesse fuerat reparari, aut etiàm, si fieri posset, omninò restitui. *Quoniàm singuli cœpimus* (ajunt Toletani Patres) *in Ecclesiis nostris facere diversa, & indè tanta scandala sunt, quæ usquè ad schisma perveniunt, si placet, communi Concilio decernamus, quid ab omnibus Episcopis in ordinandis Clericis sit sequendum.* Hanc ad rem viginti capitula constituta sunt, quæ à Collectoribus Conciliorum referuntur.

Ex

Ex his numero decimum septimum
Can. 4. dist. 34. est, quod refertur apùd Gratianum in can. 4. dist. 34., cujus tamèn verba ità potiùs describenda fuerant, quemadmodùm in Codicibus optimis habentur: *Siquis habens uxorem fidelem*, (legunt alii: *Siquis habens uxorem fidelis*), *si concubinam habeat, non communicet. Ceterùm, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur; tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) sit conjunctione contentus: aliàs verò vivens abjiciatur, donèc desinat, & per pœnitentiam revertatur.* Nonnulli recentiores in canonis hujus, & similium interpretatione laborant, quod veteris concubinatus naturam perspectam satis non habeant. Porrò triplex apùd veteres fuit genitalis thalamus, alius cum uxore, alius cum concubina, alius demùm cum uxore simùl ac concubina. Prior dicebatur justus, seu jure probatus, ex quo qui progeniti erant justi liberi, ac legitimi appellabantur. Alter erat à lege permissus, quasi nuptiæ minùs solemnes, & juxtà meras naturæ leges nulla Juris celebritate contractæ, ex quibus propterèa qui nascebantur, naturales liberi vocabantur. Postremus erat omninò lege interdictus, quasi adulterium; undè injustos, illegitimos, & spurios liberos à naturalibus lege Romanà discretos fuisse facilè animadvertunt, quicumque vel solas Romanæ Jurisprudentiæ institutiones apprehenderint. Etenim Romani veteres triplex justum conjugium dixerunt, vel quod per confarreationem solemnibus Juris adhibitis contrahebatur, vel per legitimas stipulationes, sive coemptionem viri & uxoris fiebat, vel demùm per usucapionem, quatenùs leges duodecim Tabularum constituerant, ut, si quis sine solemnitatibus Juris, aut sine stipulatione sociam vitæ sibi adsciverit, eam tamquàm legitimam uxorem haberet, dummodò per annum integrum vitæ communionem servassent; siquidèm, elapso anno, ità uterque simùl congressi eo animo præsumebantur, ut justi vir & uxor esse vellent, in qua sanè voluntate, atque consensu communi omnium suffragio matrimonii, & nuptiarum natura potissimùm sita erat. Itaquè quousquè nondùm præterlapsus fuerat annus, non matrimonium, non uxor, sed concubinatus, & concubina appellabatur: concubinatus, inquam, per quem ad legitimum matrimonium via parabatur; concubina, quæ tandèm uxor justa, & legitima futura fuisset. In hac disciplinæ Juris qualitate, quis concubinatum priorum Ecclesiæ sæculorum improbare poterit, aut etiàm damnare, quousquè nullæ adhùc proditæ leges fuerant, quibus constitueretur, nuptias non nisi solemnitèr contrahi? Improbari potiùs debuerit concubinatus ipsius abusus, quandò scilicèt eo animo concubinam quispiam sibi sociaret, ut ab ea recessurus antè annum esset; neque enim facilè hanc concubinatus speciem à stupro distinguerem, ipsis etiàm Romanis legibus damnato; aliud tamèn de concubinatu ipso sentiendum erit.

Ex canone 2. ejusdem Concilii res- Can. 68. dist. 50.
tituenda sunt verba canonis 68. dist. 50. hoc modo: *Itèm placuit, ut de pœnitente non admittatur* (legunt alii: *ut pœnitentes non admittantur*) *ad Clerum, nisi tantùm si necessitas, aut usus exegerit, inter Ostiarios deputetur* (legunt alii: *& tùnc inter Ostiarios deputentur*), *vel inter Lectores, ità ut Evangelia, & Apostolum non legat. Siquis autèm antè ordinati sunt Diacones, inter Subdiacones habeantur, ità ut manum non imponant, aut sacra non contingant. Pœnitente verò, dicimus de eo,* (legunt alii: *Eum verò pœnitentem dicimus*), *qui, pòst baptismum aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio,* (legunt alii: *sub Concilio*) *divino fuerit reconciliatus altario.* Duo in hoc canone habemus disciplinæ Ecclesiasticæ argumenta. Primum ex eo eruimus, quòd dicatur pœnitentes non posse ad Clerum promoveri, & vix, ubi necessitas postulaverit, inter lectores posse recenseri, ità tamèn, ut Evangelia, & Apostolum non legant. Quip-

pè in Ecclesia triplex erat, & distinguebatur lectio; alia Evangelii, alia Epistolarum Sancti Pauli, alia ceterorum Codicum Ecclesiasticorum sive ad veteris testamenti historiam, sive ad mores informandos, sive ad martyrum acta pertinentium. Prior solis Diaconis reservabatur, altera Subdiaconis; postrema etiàm Lectoribus in minori ordine constitutis concedebatur. Secundum ex eo deducimus, quòd dicatur, pœnitentes Diaconos in Subdiaconorum gradum dejici, ut manus minimè imponant. Hæc porrò manuum impositio, quæ Diaconis in Subdiaconorum gradum dejectis non conceditur, non hujusmodi esse intelligitur, quasi Diaconis manus imponendi, id est, absolvendi pœnitentes facultas competeret. Referenda hæc sunt ad cæremonialem quamdam impositionem manuum, quâ totius Ecclesiæ consensio designabatur. Solebant enim omnes sive Presbyteri, sive Diaconi, dum Episcopus manus pœnitentibus imponebat, absolutionis, reconciliationisque gratiâ, etiàm ipsi manus imponere, quemadmodùm etiàm hodiè consuetudo hujusmodi viget in ordinationibus Presbyterorum, in quibus cum Episcopus ordinat, & manus imponit, ceteri quoquè Sacerdotes, qui adsunt, manus imponere jubentur. Illa itaquè cæremonialis manuum impositio suprà pœnitentes, quemadmodùm insignem ac præcellentem potestatem indicabat, illis Diaconis denegata fuit, qui ob grave aliquod crimen in Subdiaconorum gradum dejecti fuerant.

Can. 4. dist. 51. In can. 4. dist. 51. habetur canon 8. ejusdem Concilii, cujus hæc verba sunt: *siquis pòst baptismum militaverit, & chlamydem sumpserit, aut cingulum, etiamsi graviora non admiserit, si ad Clerum admissus fuit, Diaconi non accipiat dignitatem.* Chlamys genus erat vestis militaris, quam ità describit S. Isidorus Hispalensis lib. 19. Originum cap. 24. *Chlamys est, quæ ex una parte induitur, neque consuitur, sed fibulâ infrænatur.* Cingulum verò erat militaris illa zona, qua Chlamys eadem colligebatur. In hoc canone finis Toletanorum Patrum fuit, eos à Clericis superioris gradus excludere, qui militiæ assueverant. Cum enim sibi proposuissent Toletani Antistites de Sacrorum præsertim ministrorum ordinationibus plura constituere, quorum mores non satis erant exacti ad Ecclesiasticarum legum regulas, illud omne à Clericorum animis arcere voluerunt, quod posset illos ad schismata, aut dissensiones, Ecclesiæ maximè perniciosas, inducere; quod sanè non satis curassent, si eos ad Clericalem militiam facilè promovissent, qui pertractandis armis diutiùs incubuerant; præsertim cum eâ ætate apùd Hispanos milites essent exercitatissimi, occasionem præbentibus Gothis, & Vandalis, quorum anceps fortuna novis in dies certaminibus causam suppeditabat: ideòque quisquis tum armatam militiam professus fuerat, pronum ad bella, & paratum ad omnes contentiones animum vel usu ipso induerat. Quod autèm militibus ad gloriam & laudem esse poterat, Clerico inconveniens erat, præsertim apùd illos Episcopos, qui, uti præfatus sum, subortentia Clericorum schismata extinguere meditabantur.

Can. 7. dist. 54. Non est hoc in loco omittendus canon 7. dist. 54., licèt apùd Gratianum referatur sub nomine Concilii Martini Papæ; ille enim habetur in canone 10. Concilii Toletani I. his verbis: *Clericos, siqui obligati sunt, vel pro æquatione, vel genere alicujus domus, non ordinandos, nisi probatæ vitæ fuerint, & Patronorum consensus accesserit.* Gratianus hoc fragmentum receperat ex Collectione Martini Bracarensis, qui ut plurimùm canones Conciliorum non ad literam, ut ajunt, sed adornatâ paraphrasi descripserat. Porrò Martinus Bracarensis in cap. 46. suæ Collectionis ità Toletanum canonem descripserat: *Siquis obligatus est tributo servili, vel aliquâ conditione, vel patrocinio cujuslibet domus, non est ordinandus Clericus, nisi probatæ vitæ fuerit, & patroni consensus accesserit.*

Ca-

Can. 26. caus. 11. q. 3. Canon 26. caus. 11. q. 3. habetur in canone 15. Concilii Toletani I., ubi Clericis, religiosisque viris interdicitur, ne cum excommunicatis ullâ ratione communicent. Gratiani verba consonant cum Toletano canone, & vix in postrema parte vocula à Gratiani Codice detrahenda erit, cum in Toletani Concilii exemplaribus desideretur; siquidèm pro illis verbis Gratiani, *sive Laico quolibet, sive Clerico*, ità in Concilii Canonibus legitur: *sive Laico, sive Clerico.*

Can. 21. caus. 24. q. 3. Plurimùm à verbis, ac sententia canonis 11. Toletani dissonat Gratianus in can. 21. caus. 24. q. 3., ità enim legendum esset ex melioribus Concilii ejusdem exemplaribus integris: *siquis de potentibus Clericum, aut quemlibet pauperiorem, aut religiosum expoliaverit, & mandaverit ad ipsum Episcopus, ut eum audiat, & si contempserit, invicem mòx scripta percurrant per omnes Provinciæ Episcopos, & quoscumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur, donèc audiatur, ut reddat aliena.*

Can. 27. caus. 27. q. 1. Canon 27. caus. 27. quæst. 1. hodiè pòst Romanam Correctionem consonant omninò cum canone 16. Concilii Toletani I. juxtà omnia edita exemplaria, dummodò pro illis verbis, *castè vixerit* hæc potiùs legantur: *castè vivere cœperit*: Gratianus etiàm scripserat, *habeatur in absentia*, quæ verba Romani Correctores ex recentioribus, ut ipsi ajunt, Conciliorum editionibus emendarunt hoc modo: *habeatur abstenta.* Ceterùm Martinus Bracarensis, qui canones Hispanos in Hispania describebat, scripsit potiùs: *habeatur in absentia*, quemadmodùm liquet ex cap. 31. collectionis ejusdem Martini.

Can. 10. caus. 33. q. 2. De canone 10. caus. 33. quæst. 2. nihil est, quod specialitèr hic dicam. Consonat ille omninò cum can. 7. ejusdem Concilii Toletani.

Can. 20. de cons. dist. 2. Canon 20. de cons. dist. 2. pertinet ad canonem 13. Concilii Toletani I., cujus verba hæc sunt: *De iis, qui intrant in Ecclesiam, & deprehenduntur nunquàm communicare, admoneantur; & si non communicant, ad pœnitentiam accedant: si communicant, non supèr* (id est, *insupèr*, sive *ulteriùs*) *abstineant: si non fecerint, abstineantur*: ex quibus Gratiani fragmentum facilè unusquisque emendabit.

De Canonibus Concilii Toletani II.

Sub Montano Toletano Civitatis Episcopo clarissimo celebrata est octo Episcoporum illius Provinciæ Synodus, quæ vulgò Toletana II. appellatur anno 5. Regis Amalarici, qui incidit in annum 531. Quid verò potissimum cordi fuerit Toletanis Patribus, iidem ipsi initio Concilii demonstrarunt his verbis: *Cum in voluntate Domini apùd Toletanam urbem Sanctorum Episcoporum præsentia convenisset, & de institutis Patrum, Canonumque decretis commemoratio haberetur, id nobis in unum positis placuit, ut, si qua in antiquis canonibus minimè commemorata sunt, salubri tractatu, ac diligenti consideratione instituantur. Si qua verò in anterioribus Conciliis sunt decreta, & sub abusione temporum hactenùs sunt neglecta, redivivæ ordinationis censuram obtineant; quatenùs dum in his, quæ ad occultum fidei pertinent, studium religiosæ observationis impendimus, Dei nostri misericordiam faciliùs impetremus.* Quinque tantummodò canones in hoc Concilio editos habemus, quorum unum dumtaxàt retulit Gratianus in can. 5. dist. 28. Is est canon primus in Concilio, ubi vulgati Codices paulò alitèr habent, quàm legatur apùd Gratianum. En verba ipsa Concilii: *De iis, quos voluntas parentum à primis infantiæ annis clericatus officio mancipavit, statuimus observandum, ut mòx detonsi, vel ministerio electorum* (Gratianus habet: *Lectorum*, quod probare videntur Romani Correctores ajentes, idipsum ferè legi in Epist. Syricii ad Himerium cap. 9. Verba Syricii habentur in can. 3. dist. 77. sed fortè utrobiquè nomen *Lectorum* idem significat, videlicèt selectos viros, quorum custodiæ, ac vigilantiæ pueruli, Ecclesiasticis rebus à Parentibus addicti, committebantur, quemadmodùm sequentia mòx verba Concilii Toletani demonstrant)

Can. 5. dist. 28.

traditi, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à Præposito sibi debeant erudiri. At ubi octavumdecimum ætatis suæ compleverint annum, coràm totius Cleri, plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur; quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuit, & professionem castimoniæ suæ absquè conjugali necessitate spoponderint servaturos; hi, tamquàm appetitores arctissimæ viæ, lenissimo Domini jugo subdantur, ac primo Subdiaconatus ministerium habitu probationis suæ à vigesimo anno suscipiant : quòd si inculpabiliter, ac inoffensè vigesimumquintum annum ætatis suæ peregerint, ad Diaconatus officium (si scienter implere posse ab Episcopo comprobantur) promoveri debent. Cavendum tamèn est his, ne quandò, suæ sponsionis immemores, ad terrenas nuptias, aut ad furtivos concubitus ultrà recurrant. Quod si fortè fecerint, ut sacrilegii rei damnentur, & ab Ecclesia habeantur extranei. His autèm, quibus voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo sententiam auferre non possumus, ità ut cum perfectæ ætatis in conjugio positi, renunciaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad sacratos gradus adspirent: Duo ex hoc canone deduci possunt. Primum, parentibus eam sexto adhùc sæculo potestatem fuisse, ut filiolos suos Ecclesiasticis officiis addicerent. Alterum, eodem tempore filiis eisdem talem potestatem fuisse, ut adolescentiores facti ab Ecclesiasticis officiis propriâ voluntate recederent, votumque paternum penitùs frustrarentur. Est hæc jurisprudentiæ medii temporis disciplina: Etenim olim multo major erat Parentum potestas, ut scilicèt filios quomodocumquè reluctantes in ipsis etiàm Monasteriis Deo perpetuò dicarent; quemadmodùm hodiè penitùs ab hac agendi ratione penitùs recessum est. At sexto circitèr sæculo ità sacri Antistites parentum potestatem moderabantur, ut etiàm non nihil filiorum voluntati concederent; ità etiàm filios sub potestate esse voluerunt, ut plurimum voluntati Parentum tribuerent. Neque ex his fortè quispiam deduceret, non eodem semper Dei spiritu Ecclesiam regi etiàm in hisce Conciliis particularibus, ut vocant, Provinciarum; hæc enim Jurisprudentiæ varietas non ex aliis aliquandò principiis profecta est, quàm ex varietate civilis Juris, cui aliquandò necessarium erat insistere, ut omnia commodè, aptè, appositèque componerentur. Porrò quis ignorat, apùd Romanos veteres, eosque omnes, qui legibus Romanorum vivebant, maximam fuisse in filios potestatem parentum, adeò ut ab ipsis 12. Tabularum legibus parentibus eisdem venumdandi, immò & occidendi impunè filios, concessa facultas amplissima fuerit. Tum verò quis non videat, parentum voto fuisse indulgendum, quotiès illi filios suos etiàm reluctantes in Monasteriis includerent, præsertim cum eâ ratione melior fieri videretur liberorum conditio, quibus satius erat Deo dicatos esse, sacrisve muneribus addictos, quàm tam austeræ parentum disciplinæ subjici, & fortè ad perpetuum servitutis pondus aliquandò venumdari. At posteriore ætate, postquàm mores Romanorum à vetere servitute deflexerunt, cœperunt filii in naturalem libertatem quodammodò proclamare, etiàm in hac parte gliscenti consuetudini locum fecerunt viri Ecclesiastici, æquum agnoscentes, non nisi eos, qui verè consentiunt & volunt, Ecclesiasticis muneribus addici, ne fortè Ecclesiæ detrimenta gravissima immineant. At, quemadmodùm in ceteris rebus nunquàm invicèm inter se extrema junguntur, ità & in hac parte, non statim à severiore illa parentum potestate deventum est ad liberam filiorum voluntatem; sed partim potestati patriæ, partim liberorum voluntati concessum est; quod sanè in dicto canone 5. dist. 28. facilè agnoscimus.

De Canonibus Concilii Toletani III.

Celebratissimum est inter omnia Toletana Concilia, quod vulgò dicitur tertium Toletanum; in illud enim univer-

sæ

ræ Hispaniarum Provinciæ confluxerant, convenerantque Episcopi numero 78., atque inter ipsos quinque Metropolitæ, videlicèt Toletanus, Hispalensis, Narbonensis, Bracarensis, & Emeritensis. Et quamquàm non intervenerit Archiepiscopus Tarraconensis, tamèn interfuerunt plures Episcopi Tarraconensis Provinciæ: undè nonnulli ex eruditis suspicantur, tùnc temporis Tarraconensem Ecclesiam fuisse suo Archiepiscopo viduatam. Quòd si præter Episcoporum numerum observemus & causas, quibus Concilium hoc fuit celebratum, eæ sanè dignissimæ fuerunt generali illius Regni Concilio; nempè agendum erat de Gothis ab hæresi ad unitatem Catholicam adducendis, factâ generali totius fidei christianæ professione, quâ præsertim Arianam hæresim detestarentur, & quatuor priorum Generalium Conciliorum dogmata susciperent. Et quidèm res benè cessit ad fidei utilitatem, & incrementum, sed ibidèm ampliùs progressi sunt Sancti Patres; siquidèm 23. Canonibus confirmatâ fide, ad disciplinam Ecclesiasticam restaurandam animum converterunt; cujus rei gratiâ totidèm 23. canones ediderunt. Hocce Concilium celebratum est anno 589. Summum Ecclesiæ universæ Pontificatum tenente Pelagio II., regnante autèm in Hispania Reccaredo, qui optimus Princeps & Episcopos omnes, ut convenirent, alacriùs, vehementiùsque excitavit, & postquàm convenerunt, munificentissimè fovit, & editis in Concilio canonibus deindè omninò consensit, immò & propriâ manu subscripsit.

In hoc Concilio canone 7. habetur eisdem omninò verbis canon 11. dist. 44., quo talis tradita est Clericis regula, ut exemplo ceteris essent, atque in divinis literis vel inter ipsas epulas erudirentur.

Can. 11. dist. 44.

In canone 14. dist. 54. habetur canon 14. ejusdem Concilii Toletani. Sed Gratianus non integrum fragmentum retulit, quale in Concilio ipso expressum est. Agebatur ibi de publicis muneribus, quæ Judæis ad Christianorum injuriam non concederentur. Id potiùs videbatur Principis auctoritate constituendum. En integra canonis verba: *Suggerente Concilio, id gloriasissimus Dominus noster canonibus inserendum præcipit, ut Judæis non liceat Christianas habere uxores, vel concubinas, neque mancipia Christiana comparare in usus proprios; sed & siqui filii ex tali conjugio* (legunt alii: *consortio*) *nati sunt, assumendos esse ad baptismum. Nulla officia publica* (ab his postremis verbis exorditur Gratianus) *eos opus est agere, per quæ eis occasio tribuatur pœnam christianis inferre. Siqui verò Christiani ab eis judaico ritu sunt maculati, vel etiàm circumcisi, non reddito precio ad libertatem, & religionem redeant Christianam.* Ex his itaquè constat, hunc non propriè canonem Concilii esse, sed legem Regiam Concilii Canonibus insertam, suadentibus autèm Episcopis à Principe constitutam.

Canon 2. caus. 10. quæst. 1. referendus est ad canonem 19. hujus Concilii Toletani, & ad ejus integritatem restituendus. Ità ibidèm legitur: *Multi contrà canonum constituta sic Ecclesias, quas ædificaverint, postulant consecrari, ut dotem, quam ei Ecclesiæ contulerint, censeant ad Episcopi ordinationem non pertinere: Quod factum & in præteritum displicet, & in futuro prohibetur; sed omnia secundùm constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem, & potestatem pertineant.*

Can. 2. caus. 10. q. 1.

In can. 20. ex Toletanis habetur canon 6. caus. 10. quæst. 3., cujus tamèn priora verba ità exprimuntur: *Multorum querela hanc constitutionem exigit. Quia cognovimus, Episcopos per Parochias suas non sacerdotaliter deservire, sed crudeliter desævire &c.* Prætereà pro illis verbis *à Parochiis habere* in nonnullis Concilii exemplaribus legitur *à Parochis habere.* Demùm in postremis verbis illis: *præsumptiones coercere* legunt alii: *præsumptiones avertere*; itèm alii; *præsumptiones directè coercere.* Quod in hoc canone decernitur, ne Episcopi angariis diœcesanos Clericos gravent, pertinet ad quædam vehicula, quæ sibi parari jubebant Episcopi nonnulli, quotiès Diœcesim suam visitarent.

Can. 6. caus. 10. q. 3.

Emen-

Can. 63. caus. 12. q. 2. Emendandus est, & ad meliores Codices exigendus canon 63. caus. 12. quæst. 2.; etenim hæc leguntur in can. 6. Toletano, ex quo ille depromptus fuerat: *De libertis autèm id Dei præcipiunt Sacerdotes, ut, siqui ab Episcopis facti sunt secundùm modum, quo canones antiqui dant licentiam, sint liberi; & tamèn à patrocinio Ecclesiæ tàm ipsi, quàm ab eis progeniti non recedant. Ab aliis quoquè libertati traditi, & Ecclesiis commendati patrocinio Episcopali regantur, à Principe hoc Episcopus postulet.* Gratianus alienam omninò sententiam Patribus Toletanis adfinxit; cum enim Toletani Antistites loquuti fuissent de mancipiis Ecclesiæ libertate non donandis, Gratianus ità canonem interpretatus est, quasi statutum esset quidpiam de mancipiis alienis, qui ab Episcopo Presbyteri, vel Diaconi regularitèr ordinari non debeant.

Can. 69. caus. 12. q. 2. De canone 69. caus. 12. quæst. 2. nihil est, quod specialitèr dicam, postquàm Romanorum Correctorum operâ ad meliorum Codicum fidem exactus est juxtà canonem 21. hujus Concilii Toletani, quemadmodùm manifestè liquet ex eorumdem notis, & observationibus, canoni ipsi jubjectis.

Can. 73. caus. 12. q. 2. Consonat prætereà omninò cum can. 4. Toletano canon 73. caus. 12. quæst. 2.; ut nihil sit in eo, quod peculiari indigeat observatione.

Can. 28. caus. 13. q. 2. Canon 28. caus. 13. quæst. 2. habetur in canone 22. ex Toletanis; ubi tamèn observandum, hunc canonem potissimùm ad corpora defunctorum religiosorum pertinere, non generatim Christianorum omnium; etenim priora verba canonis Gratianus omisit, & sunt ex integris Concilii exemplaribus supplenda hoc modo: *Religiosorum omnium corpora, qui divinâ vocatione ab hac vita recedunt &c.* Non est tamèn dubitandum, quin Toletani Patres exoptaverint, ut, quod de religiosis constituebant, etiàm de ceteris Christianis observaretur.

Can. 16. caus. 32. q. 2. Canon 16. caus. 32. quæst. 2. non integer refertur à Gratiano, qualis legitur in canone 10. Toletano. En verba Concilii: *Pro consultu castitatis, quod maximè hortamento Concilii proficere debet, annuente Domino nostro Gloriosissimo Reccaredo Rege, hoc Sanctum adfirmat Concilium, ut viduæ, quibus placuerit tenere castitatem, nullâ vi ad nuptias iterandas venire cogantur. Quòd si, priusquàm profiteantur, nubere elegerint, illis nubant, quos propriâ voluntate elegerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, ne citrà voluntatem Parentum, vel suam cogantur maritos accipere. Siquis verò propositum castitatis viduæ, vel virginis impedierit, à sancta communione, &. à liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.*

Can. 2. de cons. dist. 3. Juvat prætereà integrum referre canonem 23. ejusdem Concilii, ut exindè supplere possimus, quod deest canoni 2. de cons. dist. 3. *Exterminanda omninò est irreligiosa consuetudo, quam vulgus per sanctorum solemnitates agere consuevit, ut populi, qui debent officia divina attendere, saltationibus, & turpibus invigilent canticis, non solùm sibi nocentes, sed & religiosorum officiis perstrepentes: Hoc etenim, ut ab omni Hispania depellatur, Sacerdotum & Judicum à Concilio sancto curæ commitatur.*

De Canonibus Concilii Toletani IV.

Eximia quoquè sempèr habita fuit auctoritas Concilii Toletani IV. anno 633. celebrati. Sive enim Episcoporum numerum spectemus, duos suprà sexaginta non solùm ex diversis Hispaniæ, sed & Galliæ, præsertim Narbonensis, Provinciis eò confluxisse agnoscemus; sive de Viris omni virtutum laude clarissimis quæramus, inter ceteros cum honore memorandus erit Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus, omni disciplinarum genere ornatissimus; sive etiàm Concilii potestatem intellexerimus, statim sciemus *studio*, ac *diligentia*, quemadmodùm scribitur in præfatione Concilii, Regis Sisenandi fuisse celebratum, ejusdemque Constitutiones à Principe ipso confirmatas; omnibus generatim servendas auctoritate etiàm Regiâ fuisse propositas. Quodnam fuerit Episcoporum, ac Regis consilium in Concilio cele-

lebrando, ipsimet in præfatione Concilii profitentur, ut scilicèt Episcopi, *paternorum Decretorum memores, ad conservanda jura Ecclesiastica studium præberent, & illa corrigerent, quæ, dum per negligentiam in usum venerunt, contrà Ecclesiasticos mores licentiam sibi de usurpatione fecerunt.* Disciplinæ itaquè stabiliendæ causâ constituti sunt canones numero 75., quorum plures apùd Gratianum habemus.

Can. 3. dist. 25. Primus ex his est canon 3. dist. 25., & pertinet ad canonem 40. in Concilio editum, juxtà vulgata ejusdem Concilii exemplaria. Gratianus non integram retulit canonis ipsius sententiam, quam propterèa hoc loco describam. *Orariis duobus nec Episcopo quidem licet, nec Presbytero uti; quantò magis Diacono, qui minister eorum est? unum igitur omnium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat; dextram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium Sacerdotale discurrat. Caveat igitur amodò Levita gemino uti orario, sed uno tantùm, & puro, nec ullis coloribus, aut auro ornato.* Quid apùd veteres Orarium fuerit, jam superiùs attigi, fasciolam scilicèt, quam prædicaturi sive Sacerdotes, sive Diaconi sinistrâ manu gerebant, ut sudore madenti vultui admoverent, vultumque ipsum, & lacrymas aliquandò tempore prædicationis obortas tergerent, undè etiàm *orarium* dictum fuisse quidem putant, quasi oris tergendi causâ paratum. Eodem præterea utebantur Diaconi, ut, quandonàm inter missarum solemnia quædam essent à populo, & Clericis facienda, ab altari significarent. Facilè unusquisque agnoverit, orarii hujus vestigium agnosci in ea sacra fasciola, quam Sacerdotes & ministri hac die sinistro brachio appendunt, & *manipulum* vocant; cujus tamèn usus hodiè alius est, & pertinet tantùm ad mysticas significationes, undè illud etiàm profectum est, quod & variis coloribus pingatur, & auro ornetur, contrà quàm à Toletanis Patribus definitum fuerit.

Canon 3. dist. 28. habetur in can. 27. ex Toletanis; ubi tamèn non omnium est Codicum consonantia in postremis verbis; etenim, ubi Gratianus legit: *professio obligaverit, vitæ sanctæ disciplinam retineant*, habent alii: *professio religat, vitæ sanctæ disciplinam retineant*, & alii: *tali professione obligaverit, sanctam disciplinam retineant.* Can. 3. dist. 28.

Can. 1. dist. 38. legitur in can. 25. Concilii Toletani, ubi pro illis verbis: *admonet Paulus Apostolus, dicens &c.* legunt alii: *admonente Paulo Apostolo, dicente, &c.* & pro illis: *& canones, & omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat*, legunt alii: *& canones meditentur, ut omne opus eorum in prædicatione divina consistat.* Can. 1. dist. 38.

In canone sequenti, videlicèt 26. legitur can. 2. dist. 38., ubi tamèn pro illis verbis: *offendant. Cum verò ad litanias &c.* hæc habentur: *offendant, ità, ut quandò ad litanias &c.* Quisnam sit officialis liber, de quo hoc in loco sermo habetur, luculentèr tradit Garsias Loaisa in notis ad eumdem canonem, ità scribens: *Sacramentorum manuale nùnc appellatur, & in eo etiàm decreta Patrum de Sacramentorum usu, & ritibus contineri adparet ex Concilio Moguntino cap. 22., ubi de libro officiorum fit mentio, & duæ regulæ ex eo de Clericis vagis adducuntur. Concilio Toletano VIII. vocatur supplementum.* Can. 2. dist. 38.

De canone 5. dist. 45. nihil est, quod specialitèr observemus, cum omninò consonet cum canone 57. hujus Toletani Concilii juxtà vulgata ejusdem exemplaria. Can. 5. dist. 45.

Canon 5. dist. 51. habetur quidèm in can. 19. ex Toletanis, ex quo tamèn nonnulla adjicienda sunt, ut integra omninò Concilii sententia percipiatur. En priora ejusdem canonis verba: *Perniciosa consuetudo nequaquàm est reticenda* (legunt alii: *recipienda*), *quæ, majorum statuta præteriens, omnem Ecclesiæ ordinem perturbavit; dum alii per ambitum Sacerdotium appetunt, alii oblatis muneribus Pontificatum assumunt; nonnulli etiàm sceleribus implicati, vel sæculari militiæ dediti* (legunt alii, *vel sæcularibus dediti*) *indigni ad honorem summum, ac sacri ordinis pervenerunt: de quorum scilicèt casu* (legunt alii: *causa*) *atque* Can. 5. dist. 51.

re-

remotione, oportuerat quidèm statuendum; sed ne perturbatio quamplurima Ecclesiæ oriretur, præteritis omissis, deinceps, qui non promoveantur ad Sacerdotium ex regulis canonum necessariò credimus inserendum, id est, qui in aliquo crimine detecti sunt, (legunt alii: *detenti sunt*), *qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam admisisse confessi sunt &c.* Hic exorditur Gratianus, cujus verba consonant cum eodem canone 19. Toletano, dummodò observemus, quod jam adnotarunt Romani Correctores ad illa verba: *aut decisione aliquid*, & illa: *aut fornicarias*, dummodò prætereà in illis verbis: *per gradus Ecclesiasticos non ascenderunt*, observemus in aliquibus Codocibus legi: *per gradus Ecclesiasticos non accesserunt*, & in illis verbis: *in Sacerdotem die Dominicâ consecrabitur, conniventibus &c.* legere alios: *in Sacerdotium die Dominicâ consecrabitur, convenientibus &c.*

Can. 5. dist. 54. De canone 5. dist. 54. nihil est peculiaritèr observandum. Consonat ille omninò cum canone 73. ex Toletanis in vulgatis Concilii exemplaribus.

Canon 7. dist. 77. legitur in can. 20. ex Toletanis, ubi tamèn pro illis Can. 7. dist. 77. verbis, quæ sunt apùd Gratianum: *levitas facimus*, legitur: *levitas fecimus*; itèm pòst illa verba postrema: *Presbyteri ordinentur*, ità sequitur in Concilio ipso: *ità ut secundùm Apostolicum præceptum probentur primùm, & sic ministrent nullum crimen habentes.* Levitarum nomine, quos anno tantùm 25. ordinari hoc canone præcipitur, Diaconi intelliguntur. Sanè vetustissima fuit hæc disciplina sive Græcæ, sive Latinæ Ecclesiæ, ut Diaconi non nisi anno 25. ætatis suæ ordinarentur, quemadmodùm constare potest ex can. 4. Concilii Carthaginensis vulgò III. & aliis benè multis. Jam verò, cum de Hispaniarum Ecclesiis loquamur, laudare sufficiet canonem primum Concilii Toletani secundi, quem jam superiùs retuli ad canonem 5. dist. 28. apùd Gratianum.

Can. 30. dist. 81. Canon 30. dist. 81. habetur in can. 43. ex Toletanis, ubi tamèn pro illis Gratiani verbis: *Ideò, quæ conjuncta talitèr cum Clericis sunt*, legitur: *Ideòque, quæcumque Clericis talitèr adjuncta sunt.*

Canon 8. dist. 87. legitur in can. 72. ex Toletanis: observandum tamèn est in quosdam Gratiani Codices incuriâ Typographorum mendum irrepsisse; ubi enim legendum est: *commendati existunt*, hæc potiùs ediderunt: *condemnati existunt.* Can. 8. dist. 87.

De elatione Diaconorum suprà Presbyteros omnes veteres testantur, præsertim S. Hieronymus in suis operibus frequentissimè. In Ecclesia præsertim Græca id constat ex Græcorum ipsorum Conciliis, quibus opus fuit Diaconorum ambitum coercere, quemadmodùm jam observavimus superiùs suo loco. Occasionem ipsis dederat rerum temporalium Ecclesiasticarum administratio; ipsi enim cum electi essent tamquam Ecclesiastici peculii custodes, perque ipsorum manus singulis Clericis, ipsis etiàm Presbyteris, stipendia distribuerentur, facilè potuerunt suprà ipsosmet Sacerdotes efferri. Quo ambitu cum capti fuissent Diaconi Hispaniarum, necessarium fuit Toletanis Patribus Sacerdotum dignitati consulere, quemadmodùm consuluerunt in can. 39., quem Gratianus retulit in can. 20. dist. 93., ubi observandæ, atque attendendæ sunt Romanorum Correctorum notæ. Garsias Loaisa ad hunc canonem etiàm animadvertit, veteres Ecclesias distributas fuisse in varias stationes, sive choros, singulis Clericorum gradibus, imò & personarum generibus adsignatos, quod luculentissimè demonstrat ex canone 3. Concilii Turonensis secundi. Can. 20. dist. 93.

Canon 7. caus. 1. quæst. 4. legitur eisdem verbis in can. 61. Concilii Toletani, ubi sacri Antistites humaniùs agendum esse voluerunt cum judæorum filiis, recèns ad fidem conversis, ne fortè à suscepta semèl fide recederent. Can. 7. caus. 1. q. 4.

De canone 24. caus. 2. quæst. 7. nihil est, quod specialitèr observemus. Habetur ille in can. 64. ex Toletanis, & quidèm eisdem omninò verbis. Can. 24. caus. 2. q. 7.

Ca-

Can. 6. caus. 10. q. 1. & Can. 60. caus. 16. q. 1.

Canon 6. caus. 10. quæst. 1. jungendus est cum can. 60. caus. 16. q. 1. cum uterque depromptus fuerit ex canone 33. Toletano, quem integrum hoc loco referam, ut faciliùs Concilii sententia percipiatur. Ajunt Toletani Antistites: *Avaritia radix cunctorum malorum, cujus sitis etiàm Sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amore Christi, & martyrum in Parochiis Episcoporum Basilicas construunt, oblationes conscribunt* (legunt alii: *oblationes sanctas tribuunt*), *Sacerdotes hæc auferunt, atque in usus suos convertunt. Indè est, quòd cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Indè labentium Basilicarum ruinæ non reparantur, quia avaritiâ Sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est* (hinc exorditur Gratianus in dicto can. 60. caus. 16. quæst. 1.) *à præsenti Concilio Episcopos ità Diœceses suas regere, ut nihil jure præsumant auferre, sed juxtà priorum auctoritatem Conciliorum tàm de oblationibus, quàm de tributis* (legunt alii, *quàm de decimis tributis*) *ac frugibus tertiam consequantur.* (De hac tertia reddituum Ecclesiasticorum parte, Episcopis adsignata in Ecclesiis Hispaniarum, sermonem habebo inferiùs ad canonem 10. caus. 10. quæst. 1. ubi de Concilio Tarraconensi.) *Quòd si ampliùs quidpiam ab eis præsumptum extiterit, per Concilium restauretur, appellantibus aut ipsis conditoribus, aut certè propinquis eorum, si jam illi à sæculo decesserunt. Noverint autèm conditores Basilicarum* (hic est dictus canon 6. caus. 10. quæst. 1.) *in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere; sed juxtà canonum instituta, sicut Ecclesiam, ità & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere.* Postrema hæc verba videntur referenda etiàm esse ad canonem 19. Concilii Toletani III., uti dicimus ad can. 2. caus. 10. quæst. 1., ad quem sanè respiciunt Toletani Concilii Patres, dum asserunt: *juxtà canonum instituta.*

Can. 11. caus. 10. q. 1.

In can. 11. caus. 10. quæst. 1. habemus canonem 36. Toletanum, ubi pro illis verbis Gratiani, *interpretatione sui indigeat*, legitur: *in reparatione sui indigeat.* Nonnullis etiàm codicibus non omninò consonant illa verba: *Presbyteros probabiles*; etenim in aliquibus Concilii ejusdem exemplaribus legitur: *Presbyteros probabilis vitæ*, quemadmodùm inter recentiores canonum Collectores scripsit Burcardus.

Can. 1. caus. 12. q. 1.

Canon 1. caus. 12. quæst. 1. legitur in canone 24. Toletano, ubi tamèn pro illis verbis, *impuberes, aut adolescentes*, hæc habentur, *puberes, aut adolescentes*, quæ sanè cum sententia Toletanorum Patrum magis consonare videntur: etenim de impuberibus tantùm sermo instituitur inferiùs in vers. *quòd si aliqui ex his pupilli*, quæ verba significant in antecedentibus actum fuisse de iis, qui jam pupillarem ætatem excesserant.

Can. 39. caus. 12. q. 2.

In eodem Concilio Toletano IV. cap. 67. habetur eisdem omninò verbis canon 39. caus. 12. quæst. 2., quem etiàm legimus inter fragmenta Capitularium Francorum Baluzianæ Parisiensis Editionis tom. 2. pag. 366. num. 15. nomine adjecto Toletani Concilii.

Can. 58. caus. 12. q. 2.

Canon 58. caus. 12. quæst. 2. consonat cum canone 68. Toletano, ubi tamèn pro illis verbis Gratiani, *& justa inveniatur definitio commutantis*, legitur: *& justa inveniatur definitio commutationis.* Quod autèm ibidèm constituitur, Ecclesiæ libertum non posse adversùs Ecclesiam, vel accusationem proponere, vel testimonium dicere, id omninò consentaneum est cum generalibus Juris Romani principiis juxtà ea, quæ traduntur in toto titulo Digestorum, de obsequiis Parentibus, & Patrono præstandis.

Can. 61. caus. 12. q. 2.

Consonat prætereà cum principiis Juris Romani, quo liberti ingrati ad pristinum servitutis statum revocantur, canon 71. Concilii Toletani, qui eisdem omninò verbis refertur apùd Gratianum in can. 61. caus. 12. quæst. 2.

Can. 65. & 66. caus. 12. q. 6.

Quemadmodùm can. 61., ita & 65. caus. 12. quæst. 6. pertinent ad tuenda patronalia Ecclesiæ jura ratione libertorum, sive servorum ab ipsa Ecclesia manumissorum. Porrò dictus canon 65. legitur omninò eisdem verbis in can. 70.

Concilii hujus Toletani, quemadmodùm etiàm in can. 37. ejusdem Synodi legitur eisdem verbis canon 66. eadem causâ, & quæstione.

Jungendi simùl sunt canon 2. caus. 16. quæst. 5., & canon 3. caus. 16. quæst. 3., uterque enim depromptus fuit à Gratiano ex canone 35. ejusdem Concilii Toletani; in quo hæc leguntur: *Sicut diœcesim alienam tricennalis possessio tollit, ità Territorii Conventum non adimit: ideòque Basilicæ, quæ novæ conditæ fuerint, ad eum procùl dubio Episcopum pertinebunt, cujus Conventus esse constiterit.* Obscura sanè videntur priora hujus canonis verba, relata in can. 3. caus. 16. quæst. 3., in quibus explicandis Glossographi non parùm torquentur, imò & inscitiam suam candidè confitentur. Auctor glossæ vulgaris ità scribit: *Ego hunc casum sic intelligo: Dicitur enim, quòd, licèt Episcopus præscribat alterius Episcopi Ecclesiam, vel populum per triginta annos, non tamèn adquirit populum, vel jurisdictionem in eo quoàd spiritualia, etsi præscribat terram aliquam. Tu tamèn prudens Lector, si melius intellexeris, me de insufficientia excusabis.* Verùm difficultates omnes evanescunt, quotiescumquè ad optima Concilii Toletani exemplaria confugimus, in quibus hæc potiùs leguntur in prioribus verbis: *Sicùt Diœcesim alienam tricennalis possessio tollit, ità Territorii Conventum non admittit.* Verbum *adimit* pro verbo *admittit* à Gratiano adpositum obscuram omninò, intricatamque sententiam canonis omninò reddiderat; Cur enim Conventus præscribi non potest, si Territorium, & Diœcesis Episcopalis portio subjacet præscriptioni? Canonem autèm ità restitutum facilè & statim interpretor. Statuunt enim Toletani Patres, ut, sicut in diœcesi aliena, ità quoquè in Conventu Territorii, id est, in simplici Parochia, quæ hoc in loco *Conventus* nomine significatur, triginta annis præscriptio omnis concludatur. Neque hic rursùs quispiam novam se movere difficultatem putet, ajendo jam antè Concilium hocce Toletanum constitutum fuisse, ut soli quadragenariæ præscriptioni res omnes Ecclesiasticæ subjacerent nov. 131. cap. 6.; etenim, cum de Hispaniarum disciplina tractatur, frustrà cum illa Justiniani Imperatoris Novellas jungimus; cum Hispani non statim, ac editæ fuerunt, Novellas Justiniani receperint, sed apùd ipsos vigeret adhùc disciplina Theodosiani Codicis, qui unus ex Alarici Regis præcepto in Hispania servabatur. In eo autèm cautum fuerat, ne quælibet actio ultrà annos triginta proferretur, sed omnia triginta annorum præscriptioni esset obnoxia l. un. de actionibus certo tempore finiendis.

Can. 3. caus. 16. q. 3. & Can. 2. caus. 16. q. 5.

Eamdem præscriptionis tricennalis disciplinam iidem Toletani Patres, dummodò tamèn Provinciæ uniuscujusque fines custodirentur, boni publici causâ recipiendam voluerunt in cap. 34., ex quo desumptus est canon 4. caus. 16. quæst. 3., cujus editionem paulò depravatam emendaverunt notis suis Romani Correctores.

Can. 4. caus. 16. q. 3.

Can. 30. caus. 16. quæst. 7. habetur in canone 38. ejusdem Toletani Concilii, in quo tamèn hæc leguntur: *Præbendum est à Sacerdotibus vitæ solatium indigentibus, & maximè his, quibus restituendæ vicissitudo est. Quicumque ergò fidelium de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid devotione propriâ contulerunt, si fortè ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant. Si enim Clericis, vel Monachis, seu peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo religionis intuitu in usum res Ecclesiasticæ largiuntur, quantò magis his consulendum est, quibus retributione justâ debentur?* Hinc, ut patet, originem habuit vulgaris traditio, quâ omnes Interpretes unanimi consensione asserunt, Fundatores Ecclesiarum, & Patronos tale jus in Ecclesiis & beneficiis patronatis habere, ut ex eorum redditibus subveniri ipsis debeat, quotiès indigeant. At si specialitèr hanc Toletanorum Patrum sententiam consideraverimus, nullum sanè favore Fundatorum, aut Patronorum singulare

Can. 30. caus. 16. q. 7.

pri-

privilegium agnoscemus in hac parte, cum ratio à Toletanis eisdem Patribus adducta eò pertineat, ut ex Ecclesiasticis redditibus omnibus succurratur. Privilegium potiùs in eo erit, quod inter indigentes potior habenda sit ratio Fundatorum, aut Patronorum, ut etiàm per Ecclesiam beneficia beneficiis rependantur.

Can. 31. caus. 17. q. 4. In canone 65. Toletani hujus Concilii IV. renovata fuit sanctio Concilii Toletani III., de qua superiùs egimus ad canonem 14. dist. 54., ubi etiàm ad exemplarium fidem, & integritatem Gratiani fragmentum exegimus. Novus Concilii Toletani quarti canon habetur in can. 31. caus. 17. quæst. 4. : sed hic rursùs Gratianus omisit, quod necessariò animadvertendum erat, videlicèt, quod ibi dicitur de Judæis à muneribus publicis quibuscumque arcendis, non tam Synodicâ constitutione, sed ipsius potiùs Sisenandi Regis præcepto decretum esse. Hæc sunt verba ipsius canonis : *Præcipiente Domino, atque Excellentissimo Sisenando Rege, id constituit sanctum Concilium, ut Judæi &c.* Quod autèm subjicitur de pœnis infligendis adversùs illos, qui Judæis publica munera exercere permittunt, confirmatum est etiàm legibus Wisegothorum, in quibus lib. 12. tit. 3. de hac eadem re ità legitur: *Illi tamèn, qui hanc eis* (scilicèt Judæis) *potestatem super Christianos exercere permiserint ; si nobilis, quæ hoc fecerit, persona extiterit, decem libras auri Fisco coactas exolvat ; minimæ tamèn, vilesque personæ quinque libras auri Fisco persolvendas amittant. Quòd si non habuerint, undè componant, centenis decalvati flagellis subjaceant.*

Can. 1. caus. 18. q. 2. Canon 51. Concilii Toletani, ex quo descriptus est apùd Gratianum can. 1. caus. 18. quæst. 2. his verbis legendus est : *Nuntiatum est præsenti Concilio, quòd Monachi Episcopali imperio servili operi mancipentur, & jura monasteriorum contrà constituta canonum illicitâ præsumptione usurpentur, ità ut penè ex cœnobio possessio fiat, atque illustris portio Christi ad ignominiam, servitutemque perveniat. Quapropter monemus eos, qui Ecclesiis præsunt, ut ultrà talia non præsumant, sed hoc tantùm sibi in monasteriis vindicent Sacerdotes, quod præcipiunt canones, id est, Monachos ad conversationem sanctam præmonere, Abbates, aliaque officia instituere, atque extrà regulam facta corrigere. Quòd si aliquid in Monachos canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare quidpiam de Monasterii rebus tentaverint, non deerit ab illis sententia excommunicationis, quì se deincèps nequaquàm sustulerint ab illicitis.* Integrum descripsi hunc canonem, ut exindè adpareat, quantùm à Concilii sententia recesserit Gratianus, quasi vellet significare, jam tùm Monachos fuisse quodammodò ab Episcoporum potestate immunes.

Can. 1. caus. 19. q. 1. In canone 50. Toletano legitur eisdem verbis can. 1. caus. 19. quæst. 1., ad quem tamèn sunt observatione dignæ Romanorum Correctorum adnotationes. Fortè autèm in Hispania laxior tùm erat Clericorum disciplina, quàm esset in Oriente, & in urbe Roma tempore S. Hieronymi, qui vix optimum Monachum ad Clericatus honorem admittendum esse dicebat, nisi dicere quispiam vellet, tum demùm Clericos ex sententia Toletani Concilii ad Monasteria admitti debuisse, quotiès Clerici iidem, alicujus gravioris criminis rei, postulabant, ut sibi dignæ pœnitentiæ locus concederetur. Sanè id maximè congruit Concilio eidem, si inspexerimus canonem 5. caus. 23. quæst. 8. qui depromptus est ex canone 45. ejusdem Concilii Toletani ; ubi tamèn pro illis verbis *pœnitentiæ tradantur*, legendum erit, quotiès aliorum Codicum fidem sequi velimus : *perennitèr tradantur*. Similia quædam leges in can. 5. caus. 26. quæst. 5.

Can. 5. caus. 23. q. 8.

Can. 29. caus. 23. q. 8. De canone 29. caus. 23. quæst. 8. nihil aliud dixero, quàm eumdem ominò consonare cum can. 31. ejusdem Concilii Toletani.

Can. 5. caus. 26. q. 5. Quod jam dudùm Ancyrani Patres in canone 23. constituerant apùd Græcos, confirmarunt in suis Provinciis Toletani Antistites in can. 29., quem Gratianus retulit in can. 5. caus. 26. quæst.

5., cujus verba integra describenda hoc in loco sunt, quòd Codices plures varii habeantur: *Si Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum, Magos, aut Aruspices, aut Ariolos* (legunt alii: *aut Incantatores, aut Ariolos*) *aut certè Augures, vel Sortilegos, vel eos, qui profitentur artem aliquam*, (legunt aliqui: *artem magicam*), *aut aliquos eorum similia exercentes consulere fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus Monasterii pœnam excipiat; ibique* (legunt alii: *ab honore dignitatis suæ suspensus, Monasterium ingressus, ibique*) *perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissum sacrilegii luat.* De hac pœnitentia, quæ peragenda erat à Clericis, in Monasteria dejectis, jam nonnulla nupèr attigeram ad canonem 1. caus. 19. quæst. 1. & ad canonem 5. caus. 23. quæst. 8.

Can. 7. caus. 27. q. 1. Canonem 7. caus. 27. quæst. 1. non inveniri in can. 8. Concilii Toletani IV. jam rectè observaverunt Romani Correctores. Pertinet potiùs ad Concilium Parisiense V. anni 615., de quo suo loco agendum erit; ibi enim can. 13. hæc leguntur: *De viduabus, & puellis, quæ sibi vestes in habitu Religionis in domibus propriis tam à parentibus, quàm per se ipsas mutaverint, & se posteà contrà statuta Patrum, vel præcepta canonum conjugio crediderint copulandas, tamdiù utrique habeantur à communione suspensi, quousquè, quod illicitè perpetraverunt, emendent, aut si emendare neglexerint, à communione Ecclesiastica, vel omnium Christianorum convivio in perpetuum sint sequestrati.* Hæc eadem verba relata sunt in Capitularia Regum Francorum lib. 7. cap. 338. Baluzianæ editionis. Quòd si quæratur, undenàm contingere potuerit, ut fragmentum Concilii Parisiensis Concilio potiùs Toletano à Gratiano tribueretur, ego facilè dixerim Gratianum deceptum fuisse ex Decreto Ivonis, qui in cap. 66. partis 7. idem fragmentum laudat ex can. 57. Concilii Toletani IV. Rursùm autèm Ivonem deceptum fuisse à Burcardo, qui anteà illum canonem retulerat ex Concilio Toletano IV. in lib. 8. tit. 48. At verò Burcardus vel Concilium Toletanum laudavit, quòd sibi proposuisset à laudandis Francorum Capitularibus abstinere; scribebat enim apùd Germanos, Francicis rebus tum maximè infensos, uti sæpiùs jam monui; vel quòd deceptus & ipse Burcardus fuerit ex Codice Reginonis, in quo habetur idem canon in cap. 62. primæ appendicis, cui hæc inscriptio præponitur: *De fœminis, quæ Religionis vestem in domibus propriis mutaverint, si posteà conjugium elegerint, quid agendum sit. Toletanum Concilium IV. cap.* 57. Et statim sequitur caput 62. his verbis: *de viduis & puellis, quæ habitum &c.* quemadmodùm apùd Gratianum. Regino itaquè sequentibus Collectoribus errandi occasionem præbere potuit, & fragmenta Parisiensis Concilii tribuendi Toletano. Sed ego arbitror, Reginonem non eo loco Concilium Toletanum commemorasse, quòd eidem Concilio sequens, quod descripturus erat, fragmentum tribueret, sed potiùs ut significaret nonnulla etiàm de re, quam pertractabat, legi in Concilio Toletano IV. Reverà in eodem Concilio cap. 56., (qui apùd Reginonem esse poterat quinquagesimus septimus, cum variæ editiones hujus Concilii diversam quoquè numerandi habeant rationem) hæc habentur: *Duo sunt genera viduarum, sæculares, & sanctimoniales: sæculares viduæ sunt, quæ adhùc disponentes laicalem habitum non deposuerunt: sanctimoniales sunt, quæ jam mutato habitu sæculari sub religioso cultu in conspectu Sacerdotis, vel Ecclesiæ adparuerint. Hæ si ad nuptias transierunt, juxtà Apostolum non sine damnatione erunt; quia, se primùm Deo voventes, posteà castitatis propositum abjecerunt.*

In canone 63. ejusdem Toletani Concilii habetur eisdem omninò verbis canon 10. caus. 28. quæst. 1., qui etiàm habetur in legibus Wisegothorum lib. 12. tit. 1., undè adparet Judæorum perfidiam utraque, sive Regia, sive Ecclesiastica, potestate fuisse coercitam; atque etiàm eodem spectat cap. 60. Concilii relatum in can. 11. caus. 28. q. 1. Can. 10. caus. 28. q. 1. Can. 11. caus. 28. q. 1.

quo

quo decretum est, ut filii Judæorum fidei Christianæ colendæ causâ à suis Parentibus abstrahantur. Hunc autèm canonem de filiis Judæorum jam baptizatis intelligendum esse nemo ambiget, præsertim si postrema illa verba consideret: *in fide proficiant*: non enim in fide proficere potest, nisi qui jam fidem ipsam suscepit. Atque hanc interpretationem juvant nonnulli Codices, in quibus paulò alitèr verba canonis leguntur; etenim in prioribus verbis ibidèm scribitur ità: *Judæorum filios, vel filias baptizatos, ne parentum &c.*, in quibus Codicibus pro illis Gratiani verbis, *Sub eorum conversatione*, hæc leguntur: *sub eorum cura, & conversatione.* Quæ demùm interpretatio confirmatur ex canone 62. ejusdem Concilii Toletani, qui eisdem omninò verbis relatus est à Gratiano in can. 12. caus. 28. quæst. 1.

Can. 12. caus. 28. q. 1.

Canon 54. de cons. dist. 1. eisdem ferè verbis habetur in can. 13. Toletano: ubi autèm Gratianus scripsit: *Ergò nec ipsi in Ecclesiis canendi sunt, quia in sanctarum Scripturarum libris non inveniuntur. Componuntur Missæ &c.*, vulgata Concilii exemplaria potiùs exhibent hæc: *Ergò nec idem in Ecclesiis canendus est, quia in Scripturarum sanctarum libris non invenitur. Componuntur ergò hymni, sicut componuntur Missæ &c.* Itèm postrema canonis verba in integris Concilii exemplaribus ità leguntur: *qui hymnos rejicere fuerint ausi.* Garsias Loaisa pulcherrimas observationes in hunc canonem edidit, quas in hunc locum referre non pigebit. Ità ille: *Hymnos componere, & canere in Ecclesia antiquis Christianis in more positum fuit, ut testatur Philo Judæus lib. de supplicum virtutibus, Eusebius lib. 2. historiæ cap. 16., Dionysius Areopagita de divinis nominibus cap. 4. Sacratissimum Corpus B. Virginis Mariæ cum hymnis delatum scribit Nicephorus lib. 2. cap. 22. In Concilio Antiocheno antè annos mille, & trecentos damnatus est Paulus Samosatenus, qui psalmos, & hymnos in honorem Christi decantatos explosit, & ejecit. Hoc constat apùd Eusebium lib. 7. cap. 24. Hilarius librum hymnorum composuit, ut auctor est Hieronymus in catalogo. Ambrosius hymnos edidit, ut auctor est Augustinus lib. 1. retractationum cap. 21., & ipse Ambrosius meminit hymnorum suorum in oratione in Auxentium, & S. Bernardus in regula. Extant alii Sanctorum Hymnorum auctores, ut Synesius, Cirenæus, Teophanes, Cosmas Hierosolymitanus, & alii. Theodosius junior, Princeps religiosissimus, cujus Regia non dissimilis erat à Monasterio, primo diluculo hymnos alternis recitabat. Socrates lib. 7. cap. 22., Nicephorus lib. 14. cap. 13., Berno Abbas de officio Missæ cap. 3. scribit Hymnum Angelorum, Gloria in Excelsis Deo, & in Terra pax hominibus, &c. à Telesphoro primùm fuisse auctum, & à Symmaco completum, Ecclesiæque cantandum traditum: Nicephorus lib. 11. cap. 16. rationem, modumque hymnorum canendorum tradit ex Josepho. Dionysius Areopagita lib. de divinis nominibus cap. 4. parte 2. librum Hierothei Sanctissimi Hymnorum divinorum adfert.* Rursùm idem Garsias de versiculo, quod etiàm hodiè decantamus in fine uniuscujusque Psalmi ità scribit: *De versu illo: Gloria Patri &c. suprà diximus. Verùm sunt, qui dicant à Flaviano Antiocheno adjutore Chrisostomo compositum, ut Nicephorus lib. 9. cap. 24., & 18. cap. 51., & aliter à Catholicis Græcis in fine psalmorum decantari, aliter ab Arianis. Sozomenus lib. 3. cap. 20., Theodorus lib. 2. cap. 24., Nicephorus lib. 4. cap. 24., posteà consilio Hieronymi in Ecclesia Latina additum finibus Psalmorum à Damaso ipso, refert in Epist. ad Damasum. Et hic mos Romanus prævaluit in Ecclesia, & ità non gloria, & honor, sed Gloria Patri dicitur.*

Can. 54. de cons. dist. 1.

Canon 85. de cons. dist. 4. legitur in canone 6. Toletano; ubi in primis refertur, qualis in Hispania fuerit disciplinæ varietas, cum alii ter mergerent baptizandos, alii verò unicâ mersione baptismum absolverent, undè facilè occasio schismatis oriebatur, quatenùs singularum disciplinarum sectatores ità suæ adhærebant, ut a[illegible] aliis baptizatos nullo modo reciperent. Deindè producta est in medium, lectaque in Concilio epistola Gregorii Magni ad Leandrum Hispalensem, cujus fragmentum habemus apùd Gratianum in can. 80. de cons. dist.

Can. 85. de cons. dist. 4.

dist. 4., statimque ità definitum est: *quapropter quia de utroque Sacramento, quod fit in Sancto Baptismo* (utrumque Sacramentum dicebatur, & quòd in unica mersione significaretur Dei unitas; & quòd in trina mersione significaretur Trinitas Personarum) *à tanto viro* (scilicèt Gregorio) *reddita est ratio, quòd utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apùd nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum probare assertionem, dum sequuntur & morem.* Erat tùm Hispania expurgata recèns ab hæresi Arianorum, qui ter mergere solebant baptizatos, eâ potissimùm de causâ, ut tres in Patre, Filio, & Spiritu Sancto naturas agnoscerent. Operæ pretium propterea erat apùd Hispanos, ut, posteaquàm constitisset unicâ etiàm mersione collatum baptisma valere, unicâ mersione ministrandum esse constituerent, ut Arianorum hæresis, quoàd fieri posset, radicitùs evelleretur; immò & quæcumque cum Arianis sentiendi occasio tolleretur.

Can. 94. de cons. dist. 4.

Jam superiùs diximus, multa in hoc Concilio constituta fuisse ad coercendam Judæorum perfidiam, quo inter cetera pertinent canones 10. 11., & 12. caus. 28. quæst. 1. His omnibus addi posset canon 94. de cons. dist. 4., qui eisdem omninò verbis legitur in can. 59. ejusdem Concilii.

De Canonibus Concilii Toletani VI.

Concilio Toletano quinto prætermisso, ex quo nullus apùd Gratianum canon relatus est, ad sextum progredior anno 638. celebratum sub Cinthilana Rege, Pontifice autèm Maximo Honorio I. Concilium hoc Nationale fuit omnium Episcoporum Hispaniæ, quibus nonnulli ex Episcopis Gallicanis accesserant: inter omnes autèm primus Concilio subscripsit, etiàm antè Bracarensem, Toletanum, & Hispalensem, Silva Episcopus Narbonensis. Profitentur in canone ultimo iidem Toletani Patres, se *Christianissimi, & Gloriosissimi Cinthilani Principis sui studio advocatos, & instantiâ esse collectos.* Jam tempore hujus Concilii obierat S. Isidorus Hispalensis Antistes, cui successerat Honoratus. Interfuit autèm inter ceteros Braulio Cæsaraugustanus, Vir Isidoro eidem valdè familiaris, & arctissimâ animi adfectione conjunctus, atque apùd Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores memoriæ maximè venerabilis. Episcopi interfuerunt Concilio numero 52., ediderunt-que canones 19.; quorum undecimum retulit Gratianus in can. 9. caus. 3. quæst. 9., cujus verba ità legenda sunt ex vulgatis Concilii exemplaribus: *Dignum est, ut vita innocentium non maculetur pernicie accusantium. Ideò, quisquis à quolibet criminatur, non antè accusatus supplicio dedicetur, quàm accusator præsentetur, atque legum, & canonum sententia exquiratur; ut si indigna ad accusandum persona invenitur, ad ejus accusationem non judicetur, nisi ubi pro capite Regiæ Majestatis causa versatur.*

Can. 9. caus. 3. q. 9.

Canonem 64. caus. 12. quæst. 2., jam rectè monuerunt Romani Correctores, referendum esse ad disciplinam jam anteà constitutam, videlicèt ad canonem Concilii Toletani IV., de quo in canone 65. caus. 12. quæst. 2. Ceterùm idem canon 64. legitur in canone 9. Concilii Toletani VI., ubi tamèn pro illis verbis: *de familiis Ecclesiæ esse*, potiùs legitur: *de familiis Ecclesiæ manumissos.* Reliqua verba omninò consonant.

Can. 64. caus. 12. q. 2.

Canonem 72. caus. 12. quæst. 2. jam emendarunt ex canone 5. Concilii Toletani VI. Romani Correctores, hæc verba adjici debere monentes: *vel aliarum quarumlibet personarum.* Sed præterea animadvertere juvat, postrema canonis verba paulò alitèr haberi in vulgatis Concilii exemplaribus, quàm habeantur apùd Gratianum. Ità enim potiùs legendum esset: *Quod si quis eorum contempserit facere, ipse stipendio suo videbitur privari.* De precariis jam alibi egimus.

Can. 72. caus. 12. q. 2.

Suf-

Sufficiat interèa monere, nihil aliud fuisse precarias concessiones, quàm contractus quosdam, quibus certa prædia, vel jura Ecclesiastica ad tempus alicui concedebantur, Ecclesiarum, vel publicâ utilitate ità exigente, eâ lege, ut finito tempore ad Ecclesiam reverterentur: aut si novæ emergerent causæ, novæ precariæ fierent, renovato contractu, ne fortè diuturnâ rei possessione facilè memoria rei, jurisve Ecclesiastici interiret.

Can. 2. caus. 20. q. 3. Canon 2. caus. 20. quæst. 3. consonat omninò cum canone 6. hujus Concilii Toletani, postquàm Romani Correctores verba illa ad optimorum Codicum fidem exacta restituerunt: *ut nec locutio cum eis ulla sit communis.* Quòd si quæratur, quænam sit illa universalis Synodus, de qua mentio fit in hoc canone, quæque de viduis à proposito continentiæ recedentibus quædam statuta condiderit; dixerim, eam esse Synodum Toletanam IV., universalem totius Hispaniæ, de qua jam superiùs egi, cujusque canonem de viduis continentibus expressum superiùs etiàm descripsi ad canonem 7. caus. 27. quæst. 1.

Can. 19. caus. 33 q. 2. Canon 19. caus. 33. quæst. 2. sententiam canonis 8. Toletani prorsùs exhibet, licèt non eisdem ubiquè verbis expressam; quod ortum est ex varietate plurimorum exemplarium. Singula hoc loco non memoro, cum verba illa, quæ paulò alitèr in diversis codicibus descripta sunt, sententiam canonis nullo modo immutare, aut inflectere valeant. Interèa observari commodè poterunt Romanorum Correctorum notæ, quibus illud unum ego addam, in postremis verbis, quæ apùd Gratianum ità leguntur: *juxtà quod ætatem aptam perspexerit, pœnitentiæ, absolutionis, vel distinctionis tribuat legem*, ità potiùs legi debere ex vulgatis Concilii exemplaribus: *juxtà quod ætatem aptam prospexerit, absolutionis, vel districtionis tribuat legem.*

De Canonibus Concilii Toletani VII.

Nationale etiàm fuit totius Hispaniæ Concilium illud Toletanum, quod septimum dicitur, & fuit celebratum sub Chindasvinto Gothorum, Rege tempore Theodori Pontificis Maximi, anno 646. In illud convenerunt Episcopi numero 30., atque ex ipsis quatuor Metropolitæ, Emeritensis, Hispalensis, Toletanus, & Tarraconensis. Ejusdem Concilii Patres in canone ultimo profitentur, se ob votum memorati Regis convocatos esse, atque in Synodi præfatione testantur, multa tùm emendatione digna fuisse ob temporum difficultates causâ bellorum à Gothis concitatorum inducta, undè plurima incommoda non in Civilem tantùm, sed & in Ecclesiasticam Rempublicam profecta fuerant. Quibus communi consensione, & Regiâ auctoritate interveniente, consultum est, editis canonibus numero sex, quorum duos retulit Gratianus.

Can. 16. caus. 7. q. 1. Et quidèm eum, qui numero secundus est, retulit Gratianus in can. 16. caus. 7. quæst. 1., cujus verba integra hic describere juvabit, cum in nonnullis codicibus aliquarum sit varietas vocum. En verba canonis, qualia in vulgatis Concilii exemplaribus habentur: *Nihil contrà ordinis statutum* (legunt alii: *statum*, alii: *ordinem statutum*) *temeritatis ausu præsumatur; neque illa, quæ summâ veneratione censentur, vel minimo præsumptionis actu solvantur* (legunt alii: *vel minimâ præsumptione tactu solvantur*), *cum ad hoc tantùm fieri quaqua jussa sunt, interrupta noscantur, ne languoris proventu robore salutis natura privetur. Non ergò solùm fragilitati consuletur humanæ, sed etiàm honori Mysteriorum Dei providetur abundè, dum ab offensionis casu procuratur etiàm caveri sollicitè* (legunt alii: *providâ cavetur sollicitudine*). *Censemus igitùr convenire, ut, cum à Sacerdotibus Missarum tempore sacra Mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat cujuslibet eventus, quo cœptum nequeat consecra-*

crationis expleri ministerium, (legunt alii: *mysterium*) *sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii cœpti* (alii legunt: *vel Presbytero, ut alter consecrationem expleat.*) *Non enim aliud ad supplementum sui initiatis ministeriis competit, quàm aut incipientis, aut subsequentis completa benedictio Sacerdotis* (legunt alii: *aut subsequentis benedictione sint completa*), *quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur: Cum enim simus omnes unum in Christo, nihil contrarium diversitas* (legunt alii: *personarum diversitas*) *format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repræsentat. Quod etiàm consultum cuncti Ordinis Clerici indultum* (legunt alii: *individuum*) *esse sibi non ambigant, sed, ut præmissum est, præcedentibus libenter alii pro complemento succedant. Ne tamèn, quod naturæ languoris causa consulitur in præsumptionis perniciem convertatur, nullus pòst cibi, potusque quamlibet minimum sumptum Missas facere* (legunt alii: *pòst cibum, potumve quamlibèt minimum sumptum Missas facere præsumat*), *nullus absquè patenti proventu* (legunt alii: *absquè patentis præventu*) *molestiæ Minister, vel Sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere. Siquis hæc tentare* (legunt alii: *temerare*) *præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.*

Can. 8. caus. 10. q. 3.

Alterum fragmentum ejusdem Concilii Toletani VII. ex cap. 4. depromptum legitur in can. 8. caus. 10. quæst. 3., cujus priora verba ità alii legunt: *Inter cetera deniquè, quæ communi consensu nos conferre communitèr oportuit, querimonias etiàm Parochialium Presbyterorum Galliciæ Provinciæ &c.* Romani Correctores ex eo, quòd nonnulli Episcopi Gallicani solerent Conciliis Toletanis intervenire, præsertim ex Provincia Narbonensi, probandam censent quorumdam MSS. Codicum scriptionem, ità habentium: *Gallicanæ Provinciæ.* Verùm aliis accuratiores videri possent Codices illi, in quibus habetur: *Galliciæ Provinciæ*, vel ex eo potissimùm, quòd in eo Canone Toletani Patres se se referunt ad Statuta Bracarensia; At hæc conveniunt potiùs Galliciæ Provinciæ, cum hæc esset sub Metropoli Bracarensi; vel etiàm ex eo, quòd, licèt in antecedentibus Toletanis Conciliis nonnulli interfuerint Galliarum Antistites, in hoc tamèn Toletano Concilio VII. ne unus quidèm Gallicanus Episcopus subscripsisse fertur; ac propterèa verosimile non videtur, absentibus alterius Regni Episcopis, legem fuisse dictam, eo vel magis, quòd in hoc eodem canone hæ phrases legantur: *ut comperimus*, & *ut evidens inquisitio patefecit.* Quomodò enim compertum esse potuit, quomodò evidens inquisitio fieri, ubi nullus ex Galliis Episcopus ad Concilium accessit? Mihi prætereà emendanda videtur Gratiani editio in illa voce *quinquagenarium*, quemadmodùm etiàm animadverterunt Correctores Romani, ut pro illa legatur, *quinarium*, uti nonnulli ex MSS. Codicibus habent. Neque enim verosimile arbitrari quispiam potest, coercitum fuisse ambitum Episcoporum visitatorum quorumdam in numero comitatus sui, ità ut statueretur quinquagenarium numerum evectionis non esse excedendum, qui sanè numerus etiàm supremus videri posset ambitioni magis magisque promovendæ. Voluit Concilium, Episcopos, quotiès Diœcesim visitant, nulli onerosos existere, ac propterèa nihil amplius, quàm duos solidos exigere posse. Quàm grave autèm onus imponeretur ab Episcopis, si in vicos, ac terrulas quinquaginta secum ad comitatum adscitos adducerent! Hujus depravatæ scripturæ proposito exemplo arbitrantur nonnulli in Concilio Lateranensi, cujus fragmentum refertur in cap. 6. de censibus, & exactionibus, constitutum fuisse, ut nihil amplius permittatur Archiepiscopis singulis, Provinciam visitantibus, quàm quinquaginta, ut ajunt, evectiones habere. Ceterùm Lateranensium Patrum intima sententia ea est, ut quantò minus fieri possit, gravamen subditis ab Episcopis visitantibus inferatur. Demùm observandum est, in postremis illis canonis verbis: *correptioni procùl dubio canonum subjacebit, tamquàm Constitutorum*

rum Synodalium transgessor, & priscorum Patrum edictorum corruptor, alios Codices ità habere : *correptioni procùl dubio canonum subjacebit, quâ Constitutionum Synodalium transgressores priscorum Patrum editis corripiendos oportet.*

De Canonibus Concilii Toletani VIII.

Concilium Toletanum, quod octavum dicitur, non tàm Ecclesiastica Synodus dici potest, quàm generalia totius Hispaniæ Regni comitia, in quæ videlicèt confluxerunt & Viri Ecclesiastici, & Proceres Regni, & de rebus sacris, & civili politia, Rege ipso auctoritatem præbente, pertractaturi. Celebratum illud est anno 653. tempore Martini Pontificis Maximi. Ut autèm celebraretur hæc Synodus, operam dederat Rex Reccesvinthus, ad quam convenerunt ex Episcopis 52.; inter quos Metropolitani quatuor, Emeritensis, Hispalensis, Toletanus, & Bracarensis, præter decem absentium Episcoporum Vicarios; itèm Abbates decem, ac duo in Ecclesiastica dignitate Ecclesiæ Toletanæ constituti. Ex Regni Nobilibus, Ducibus, Comitibus, ac Proceribus sexdecim interfuerunt, qui subscripserunt omnes Concilio. Dum aperiretur Concilium, adfuit præsens ipsemet Rex, qui ibidèm appellatus est *Serenissimus Princeps, piâ Religione plenissimus, & summo laudum titulo gloriosus.* Ipse etiàm primus in comitiis orationem habuit, tomumque in publico consistorio obtulit, in quo continebatur, quidquid ipsemet decerni, ac definiri exoptaret. In primis autèm professionem fidei suæ ad mentem præcedentium generalium Conciliorum expressit; deindè rogavit, ut emendaretur, quod constitutum fuerat in can. 1. Concilii Toletani VII. ubi perpetuâ usquè ad finem vitæ excommunicatione damnabantur, quicumque Clerici consensissent in novi Regis inaugurationem, ad tollendas omnes, quæ tùm apùd Hispanos excitari consueverant, intestinas seditiones; illam enim sanctionem adeò veteres Patres firmaverant, ut in perpetuum valituram fore, etiàm jurisjurandi religione intercedente, professi fuissent, anathema etiàm illi dicentes, qui hæc instituta putasset fore execranda. Videbatur nimis aspera hujusmodi disciplina Regi piissimo, quâ fiebat, ut, qui semèl deliquisset, etiàm pòst pœnitentiam acerbissima anathematis pœnâ usquè ad extremum vitæ teneretur; quamobrèm à novo Concilio postulavit, ut de hac re solertiùs omnes inquirerent, & quotiès id fieri liceret, inductam semèl disciplinam inflecterent; verebatur enim, ne, si solveretur præstiti jurisjurandi religio, quodammodò Episcopi ipsi perjurii rei haberentur; aliàs verò, ne si diutiùs constitutio aspera vigeret, inhumani quoquo modo viderentur. Pòst hæc subdidit Rex, se omninò consentire, ut definiretur in Concilio ipso, quidquid necessariò, vel utilitèr definiendum omnibus videretur, rogans & Episcopos, & consistentes Regni Proceres, ut omnia ad justitiam, ad pietatem, salutaremque discretionem composita decernerentur.

Sic explicatâ Sapientissimi Principis voluntate, ad peragenda, absolvendaque propositarum causarum negotia converterunt animum, quicumque in Concilio considerant, atque universam rem 13. capitibus confecerunt. Gratianus duo tantùm retulit hujus Concilii capita, in quibus propterèa tantummodò immorabimur. Ex secundo capite hujus Concilii descripta sunt hæc fragmenta, videlicèt canon 1. dist. 13., can. 1. caus. 22. quæst. 1., canones 1. 9. 14., & 15. caus. 22. quæst. 4., qui propterèa omnes simùl jungendi erunt ab accurato Interprete, ad habendam integram Toletanæ Synodi sententiam. Prolixa valdè sunt ejus capitis verba, ac pertinent ad illud, quod emendandum ex Concilio Toletano VII. proposuerat Rex Reccesvinthus, quemadmodùm nupèr observabam. Proponebatur temperandum Decretum illud Concilii Toletani VII., quo perpetuæ

Can. 1. dist. 13. Can. 1. caus. 22. q. 1. can. 1. 9. 14. & 15. caus. 22. q. 4.

excommunicationi subditi fuerant Clerici, quicumque in Principem quomodolibet conspirassent. Ut Decretum hujusmodi vires perpetuas haberet, præter alia, quæ adduci poterant, rationum momenta, illud suadebat, quòd immutari nihil poterat, nisi cum injuria Concilii præcedentis; itèm quòd jusjurandum de Decreto non immutando fuerat in Concilio præstitum. Ut verò temperaretur, suadebat humanitas, & pietas Principis, qui de eo remittendo postulaverat. De hac re fuit in hisce comitiis acerrimè disputatum, in diversa distractis considentium animis. Hinc fervidiùs implorari cœpit ab omnibus Sancti Spiritus afflatus; etsi enim agnoscerent, quod in Concilio Toletano VII. statutum fuerat, singularibus temporis illius circumstantiis fuisse accommodatum, verebantur tamèn, ne fortè violati jurisjurandi rei herent. Quamobrèm ità dictitabant Toletani Patres, quasi dubitantes: *Unde jurasse nos per attestationem divini nominis conditio juramenti demonstrat, & ne resolvi queat, sacræ Scripturæ auctoritas instat; scribitur namque in Exodo: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; neque enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà. Itèm in Levitico: Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui. Ego Dominus.* Hæc sunt verba, quæ Gratianus referre voluit in canone 14., & can. 15. principio caus. 22. quæst. 4. qui ex descriptis sunt emendandi. Observandum itaquè est, has non esse sententias Episcoporum asserentium, sed dubitantium proposita, quibus quid sibi agendum in incertis animis foret, meditabantur. Pòst hæc subjiciunt Toletani Patres nonnulla alia Sanctarum Scripturarum testimonia, quibus Episcopi, Prælatique omnes ad humanitatem, benignitatemque in subditos exercendam excitantur. Pòst quæ ità prosequuntur: *Quid ergo? Numquid, aut juramenti justitiam, aut misericordiæ pacem sibi contraire, narrabimus? .... Et quia juramenti custodia ultionem non temperat pavescendam, idcircò impietatis atrocitas mortem pariet execrandam? Absit; etenim si publicis Sacramentorum gestis (quod Deus avertat) à quibuslibet illicita, vel non bona extitisset conditio alligata, quæ aut jugulare animam Patris, aut agere compelleret stuprum sacratissimæ Virginis, numquid non tolerabilius esset stultæ promissionis rejicere vota, quàm per inutilium promissionum custodiam exhorrendam criminum impleri mensuram?* Sunt hæc verba in can. 1. caus. 22. quæst. 4. Hinc ad humanitatem inclinatis Patrum animis, additum est tum demùm jusjurandum esse servandum, quotiès paci, & benevolentiæ prospicit, his verbis: *Etenim omne, quod in pacis fœdere venit, tùnc solidius consistit, cùm juramenti hoc interpositio roborat. Sed & omne, quod animos amicorum conciliat, tùnc fixius durat, cùm eos Sacramenti vincula ligant. Omne etiàm, quod testis adstipulat, tùnc verius consat, cùm id adjectio jurationis adfirmat. Quòd si testis deficiat, innocentis fidem sola jurisjurandi taxatio manifestat.* Hæc legimus apùd Gratianum in can. 1. caus. 22. quæst. 1. His autèm ità disputatis, jam eo adducti videbantur Patres, ut, metu violandi jurisjurandi excusso, præcedentis Concilii sententiam immutarent. Quamobrèm ista subdiderunt: *Hujus sane promissionis incautæ crudam, cruentamque temperare sententiam, illâ quàm maximè compellimur causâ, quâ, hæc duo mala licet sint omninò cautissimè præcavenda, tamen si periculi necessitas ex his unum remeare* (legunt alii: *temperare*, Gratianus: *perpetrare*) *compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare.* (legunt alii: *obligari*). *Quid autèm ex his levius, quidve sit gravius pro rationis* (legunt alii: *puræ rationis*, alii: *pro pietatis*) *acumine investigemus. Etenim dum pejerare compellimur, Creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodò maculamus, & Dei jussa superbè contemnimus, & proximis impiâ crudelitate nocemus, & nos ipsos crudeliori mortis gladio trucidamus, illic enim duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter jugulamur. Restat ergò, ut eo nostra pergat sententia, quo misericordiæ patuerit via &c.* Habentur hæc in can. 1. dist. 13., quam sententiam de re-

relaxando jurejurando ut confirment Toletani Patres, plura adducunt Sanctarum Scripturarum exempla, inter quæ ità ajunt: *Etenim incommutabilis, idemque existens Dei Summi natura præcellens sua sæpè in sacris literis legitur mutasse promissa, & pro misericordia temperasse sententiam: Undè quamlibet sit impassibilis, atque immutabilis, idemtidèm Deitate firmissimâ* (legunt alii: *idemquidèm, ejusdemque Deitatis licèt sint dicta firmissima*) *crebrò tamèn ejus & juramenta leguntur, & pœnitentia, quæ sacris extant mysteriis adoperata*). *Jurare namquè &c.* Hæc cum sequentibus leguntur eisdem omninò verbis in can. 9. caus. 22. quæst. 4.

Can. 7. caus. 1. q. 3. In canone 3. ejusdem Concilii Toletani legimus canonem 7. caus. 1. q. 3., quem jam dudùm Romani Correctores perperàm S. Ambrosio tributum fuisse observarunt. Juvabit hic integra verba describere, qualia habentur in ipsomet Concilio, cum Gratianus non satis illa ex fide retulerit. *Quod sine magno labore dicendum non est, reperiuntur quamplurimi negotio muneris perituri mercari velle gratiam Spiritus sancti, dum vile præmium donant, ut pontificalis ordinis sublime culmen accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniàm donum Dei existimasti per pecuniam possideri. Proindè, quia & usitatum est tale malum, & majorum frequentèr extat mucrone succisum, nos quoquè huic vulneri cancroso ignitum, quod superest, adhùc injicimus ferrum, decernentes omnimodò, ut quicumque deincèps pro percipienda Sacerdotii dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore se noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à perceptione Christi Corporis, & Sanguinis alienum, ex quo illum constat hoc execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quòd si aliquis extiterit, qui accuset, ille, qui hunc ordinem munerum fuerat acceptione lucratus, & susceptí ordinis gradu privetur, & in Monasterio sub perenni pœnitentia religetur. Illi verò, qui pro hac causa munerum acceptores extiterint, si Clerici fuerint, honoris amissione mulctentur; si verò laici, anathemate perpetuo condemnentur.*

De Canonibus Concilii Toletani IX.

Pòst elapsos duos annos à Concilio Toletano VIII., scilicèt anno 655. sub eodem Reccesvintho Rege rursùm celebrata est alia Synodus, quam Toletanam IX. appellant; sed est illa Provincialis, id est, ex Episcopis solius Toletanæ Provinciæ sub Eugenio Metropolita congregatis, numero quindecim, unà cum sex Abbatibus, aliisque Viris; tàm Ecclesiasticis, quàm Laicis illustribus. In ea autèm editi fuerunt canones 17. ad disciplinam ecclesiasticam confirmandam.

Inter hos cap. 11. legitur canon 4. dist. 54. eisdem omninò verbis. Can. 4. dist. 54.

In cap. 5. habetur can. 74. caus. 12. quæst. 2., in quo describendo Amanuenses non omnes consonarunt. Vulgata exemplaria ità exhibent: *Bonæ rei dare consultum* (scripserunt alii: *consilium*), *& præsentis habetur vitæ subsidium, & æternæ remunerationis expectare cernitur præmium. Quisquis itaquè Episcoporum in Parochia sua Monasterium construere fortè voluerit, & hoc ex rebus Ecclesiæ, cui præsidet, ditare decreverit* (scripserunt alii: *ditaverit*) *non amplius ibidèm, quàm quinquagesimam* (scripserunt alii: *quadragesimam*) *partem dare debebit: ut, hac temperamenti æquitate servatâ, &, cui tribuit, competens subsidium conferat, &, cui tollit, damna gravia non infligat. Ad Ecclesiam verò, quæ monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis magnificare voluerit sepulturis, non amplius, quàm centesimam partem census Ecclesiæ, cui præsidet, ibidèm conferre licebit, eâ tamèn cautelâ servatâ, ut unam tantummodò, quæ placuerit, ex his duabus remunerationem assumat.* (alii ità scripserunt: *Ecclesia verò, quæ monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis munificare voluerit supulturis, non amplius, quàm centesimam partem census Ecclesiæ, cui præsidet, ibidèm conferre licebit, eâ tamèn cautelâ servatâ, ut tantummodò, quæ placuerit, ex his duabus remunerandam assumat.*) Can. 74. caus. 12. q. 2.

Jungendi simùl sunt can. 2. caus. 12.

Can. 2. caus. 12. q. 3. & Can. 1. caus. 12. q. 4.

quæst. 3., & canon 1. caus. 12. quæst. 4., cum deprompti sint ex capite 4. ejusdem Concilii Toletani. Priora canonis 4. Toletani verba habentur in dicto can. 1. caus. 12. quæst. 4., ubi jam animadverterunt Romani Correctores, ad illa verba, *compensatione tam juris &c.* paulò alitèr haberi in Concilio ipso, cum vetustis exemplaribus collato; itèm ego observo, pro illis verbis Gratiani, *quæ suscepit extraneum*, in aliis codicibus legi: *quæ suscepit externum.* Pòst verba illa postrema: *conquisitio pertinebit*, ità sequitur in Concilio ipso: *Si autèm quælibet pars majori cumulo sui juris excreverit, majorem etiàm portionem in divisione percipiet: quicumque verò de prædictis Sacerdotibus, vel Ministris &c.* Hic sequuntur verba dicti canonis 2. caus. 12. q. 3., cujus postrema verba ità leguntur in Concilio: *Ecclesia hoc sibi, cui præfuit, vel Minister extitit, in perpetuo vindicabit.* Quod hoc canone definitur, apùd Ecclesiam remanere bona Clericorum, quotiescumquè nihil ordinatum à Clericis, dum viverent, fuerit, duplici ratione factum videtur; vel quia decebat à Clericis bona ecclesiastica, sive intuitu Ecclesiæ quæsita, dividi à familiaribus, & privatis, quotiès ipsi Clerici voluissent pòst mortem suam singula singulis addici; vel quia verosimile esse potuit, Clericos, qui alitèr de bonis suis non disposuerant, Ecclesiam hæredem instituere voluisse. Si enim Martyrum bona, qui nullis superstitibus cognatis decessissent, ex piorum Principum constitutionibus olim ad Ecclesiam devolvebantur, eâ ratione, ut refert Eusebius in lib. 2. de vita Constantini cap. 36., quòd *defunctis utiquè molestum non erit, si, cujus gratiâ nullum non discrimen subierunt, eam ipsis hæredem habere contingat*, pari ratione decebat Ecclesiam iis aliquandò succedere Clericis, qui pro illa, dum viverent, universos labores suos, & maximam operam contulerunt.

Can. 4. caus. 12. q. 3.

Canon 4. caus. 12. quæst. 3. habetur in cap. 6. hujus Concilii Toletani, cujus hæc verba sunt: *Cum præteritis Sanctionibus notissimum habeatur, quæ de rebus Parochialium Ecclesiarum pars Episcopo conferatur, opportunè duximus decernendum, ut, si Episcopus tertiam, quam de rebus eisdem sanctione paternâ sibi debitam novit, aut ipsi Ecclesiæ, cujus res esse patescit, aut alteri Ecclesiæ, cui elegerit, conferre decreverit, & licitum maneat* (legunt alii: *& licita maneant*), *& irrevocabile robur ejus sententia ferat.* De tertia parte, quæ Episcopis Hispaniarum debebatur, nonnulla inferiùs dicam ad canonem 10. caus. 10. quæst. 1., ubi de Concilio Tarraconensi. Ceterùm ad hanc rem juvat observare, per priora Ecclesiæ sæcula institutis primùm Parochiis oblationes parochiales non Parochorum constitutorum lucro cessisse, sed ad Episcopos devolvi consuevisse, qui de sustentandis Clericis omnibus Diœcesanis curam omnem, ac sollicitudinem gerebant; cum enim Cathedrales Ecclesiæ valdè inopes essent, necessarium erat etiàm de inferiorum Ecclesiarum redditibus eisdem occurri. Adauctis verò posteriore tempore redditibus, cœperunt Episcopi à parochialibus obventionibus penitùs abstinere. Quod primùm, arbitror, apùd Græcos obtinuisse tempore Gennadii Patriarchæ, de quo ità scribit Theodorus Lector in lib. 1. Histor. Ecclesias. *Designavit Gennadius Marcianum Oeconomum, qui mòx atque Oeconomus factus esset, quæ in unaquaque Ecclesia offerebantur, ab ejus loci Clericis accipi decrevit; ad id enim usquè tempus cuncta accipiebat Ecclesia magna.* Ecclesiæ dein occidentales in Africa idipsum posteà receperunt, apùd quas etiàm præceptum fuit Episcopis, ne Parochiarum oblationes in suam potestatem redigerent. Ferrandus Diaconus in suo Breviario can. 38. ex Concilio Hipponiregiensi ità tradit: *Ut Episcopus Matricis non usurpet, quidquid fuerit donatum Ecclesiis, quæ in Diœcesi constitutæ sunt.* Hinc generalis propemodùm reddita fuit hæc omnium Ecclesiarum disciplina, alicubi maturiùs, alicubi citiùs, pro modo facultatum uniuscujusque Ecclesiæ Cathedralis; non enim priùs Episcopi hæc jura

Pa-

Parochiarum abdicarunt, quàm haberent, quod sibi, Clericis, Ecclesiisque suis omninò sufficeret. Alicubi autèm non integrè, & generalitèr omnibus Parochiarum juribus renunciarunt, sed tantùm quartam, vel tertiam reddituum partem, aut oblationum sibi reservarunt, vel quòd illa adhùc indigere viderentur, vel quòd optarent, ut sui juris antiqui quoddam adhùc vestigium remaneret.

Can. 3. caus. 15. q. 8. Can. 3. caus. 15. quæst. 8. legitur in can. 10. Concilii hujus Toletani, ubi tamèn pro illis verbis: *Proles autèm, alienâ pollutione nata, non solùm hæreditatem nunquàm accipiet* &c. ità legitur in vulgatis Concilii exemplaribus: *Proles autem, tali nata pollutione, non solùm parentum hæreditatem nusquàm accipiat* &c.

Can. 10. caus. 16. q. 3. Canon 10. caus. 16. quæst. 3. legitur eisdem omninò verbis in can. 8. hujus Concilii in vulgatis exemplaribus, ubi statuitur præscriptionem rerum Ecclesiasticarum, non ab actu Clerici alienantis, sed potiùs ab ejus morte initium habere. Quid verò dicendum sit de tricenaria præscriptione in Hispania, etiàm postquàm Justinianus Imperator solam quadragenariam in Ecclesiasticis rebus admiserit, jam superiùs attigimus ad canonem 3. caus. 16. quæst 3., & canonem 2. caus. 16. quæst. 5.

Can. 31. caus. 16. q. 7. Canon 31. caus. 16. quæst. 7. pertinet ad canonem 1. hujus Concilii Toletani, ex quo priora verba hùc sunt referenda, cum apùd Gratianum desiderentur. Ità ibidèm scribitur: *Omnis itaquè rei Ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ità damnum ritè præparat fraudatori. Et ideò nullus Sacerdotum, vel Ministrorum ex rebus Ecclesiæ, quæ in quibuscumque locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel juri suo, aut Cathedræ propriæ unitati connectat.* (alii legunt: *Civitatis connectat.*) *Devotio enim uniuscujusque sicut gratantèr votum contulit Deo, ità definivit, quo plenitudo votorum conservaretur in loco, in quo velùt si collata tenentur*, (legunt alii: *locata tenentur*) *manet gratia offerentis, ità, si frustrantur, imminet pernicies defraudantis. Verùm, ut rei hujus potior soliditas habeatur, condignis filiis, vel nepotibus, honestioribusque propinquis ejus*, &c. quæ apùd Gratianum sequuntur.

Sequuntur pòst hæc Toletani Patres in can. 2. *Cum sæpè sit solitum etiàm illa, quæ non debentur, prece supplicationis, & vi quodammodò extorqueri doloris, quanto magis sine obstaculo concedi debent exquisita simùl & ordine juris, & dolore compassionis? Quia ergò fieri plerumquè cognoscitur, ut Ecclesiæ Parochiales, vel sacra Monasteria ità quorumdam Episcoporum vel insolentiâ, vel incuriâ, horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, quàm in construendo gaudii extiterat labor; ideò piâ compassione decernimus, ut, quamdiù earum Fundatores Ecclesiarum* &c. Quæ sequuntur refert Gratianus in can. 32. caus. 16. quæst. 7. cui omninò jungendæ sunt Romanorum Correctorum observationes, ut quænam sit aliorum codicum diversitas agnoscatur. Sed præterea hoc in loco est adamussim observandum, eo tempore apùd Hispanos nondùm receptas fuisse Justiniani Imperatoris leges, apùd quos Theodosiani potiùs Codicis usus erat; ac propterea nondùm apùd eosdem induci potuisse disciplinam de jure patronatus in hæredem transferendo, quæ jam apùd Justinianum fuerat definita in l. 46. cod. de Episc. & Cleric. juncta Novella 57. cap. 2., & Novel. 123. cap. 18., Quamobrèm videmus, in memorato Toletani Concilii loco constitui, Fundatorem, quousquè in vita ipse superstes fuerit, tantummodò curam Ecclesiarum, quas erexerat habuisse, & Clericos ad illas præsentare potuisse; eoque defuncto, liberam Ecclesiam remansisse, quin jus patronatus fundatoris hæredibus concederetur.

Can. 32. caus. 16. q. 7.

De Canonibus Concilii Toletani X.

Pòst elapsum annum à Concilio IX. aliud in Toletana Urbe celebratum Concilium est anno 656., quod decimum appellant, & quidèm etiàm Regis ejusdem

dem Reccesvinthi auctoritate, qui ad promovendas Ecclesiarum utilitates sollicitudinem maximam impenderat. Ex subscriptionibus Episcoporum, qui viginti numero fuerunt, præter quinque Vicarios Episcoporum absentium, videtur hoc Concilium fuisse Nationale totius Hispaniæ, præsertim cum noscamus tres in eo adfuisse Metropolitas, Eugenium Toletanum, Fugitivum Hispalensem, & Fructuosum Bracarensem. Canones ibidèm editi sunt numero septem, quorum tertium retulit Gratianus in can. 6. dist. 89., licèt multo alitèr, quàm in vulgatis Concilii exemplaribus habeatur. Itaquè his verbis legendus est canon: *Reverentiæ totius auditum, quia res adiit dura, non frustrà cogimur hac duriori extirpare censurâ. Agnovimus enim, quosdam Pontifices præcepti Principis Apostolorum, qui ait: Pascite, qui in vobis est, gregem, non coactè, sed spontaneè, nec dominantes in Clero, sed forma facti gregis; ità esse immemores, ut quibusdam Monasteriis, Parochialibusque Ecclesiis, aut suæ consanguinitatis personas, aut sui favoris participes iniquum sæpè statuant in Prælatum, ità illis providentes commoda inhonesta, ut eisdem deferantur, aut quæ proprio Episcopo dare justus ordo poposcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia potuerit. Proindè decenter omnibus placet, & in præsenti tale rescindere factum, & non esse de cetero faciendum. Nàm quisquis Pontificum deinceps aut sanguini propinquis, aut favore sibi personis quibuscumque devinctis talia commodare lucra tentaverit ausu nefandæ præsumptionis, & quod visum fuerit devocetur in irritum, & qui ordinarit, annuæ excommunicationis ferat excidium.* Ex his explicandus erit, ac supplendus Gratianus; etenim si & præfationem canonis, ceteraque omnia verba consideraverimus, statim agnoscemus, non ideò editam fuisse eam sanctionem, quòd perpetua esset, ac generalis, sed potiùs ut gravi abusui, qui in Hispaniis ea in re obtinuerat, consuleretur; quamobrèm ipsimet Toletani Patres hanc eamdem, quam constituebant, jurisprudentiam minimè dubitarunt adpellare nomine *censuræ durioris.*

Can. 6. dist. 89.

In canone 4. Concilii Toletani, qui immediatè sequitur, legimus canonem 16. caus. 20. quæst. 1., cujus definiendi occasio hæc fuit: *Inveniuntur* (ità ajebant Toletani Episcopi) *nonnullæ viduæ diversis excusationibus se adeò contegentes, ut blandiantur sibi, non se Patrum plenâ religionis alligatas institutione teneri. Undè antiquis inconcussè permanentibus regulis, hoc adjicitur novæ oraculo sanctionis, ut vidua, quæ sanctæ religionis obtinere propositum voluerit &c.* Hic subsequuntur verba Gratiani usquè ad finem, ibi: *& non suspecta,* pòst quæ hæc subjiciuntur: *quæ careat & varietatibus colorum, & diversitatibus partium, adeò ut absquè ulla suspicione transgressionis maneat usui tantùm apta sanctæ religionis, & usui sexus competens ad testimonium probitatis. Ut autèm deinceps nihil devocetur in dubium, pallio purpurei, vel nigri coloris caput contegat ab initio susceptæ religionis, ut, dum illic intulerit signum probabilis sanctitatis, ubi nullius falli poterit visio intuentis, nusquàm attententur ausus detestandæ præsumptionis.*

Can. 16. caus. 20. q. 1.

Canon 1. caus. 20. quæst. 2. pertinet ad canonem 6. ejusdem Toletani Concilii, cujus priora verba hæc sunt, quæ apùd Gratianum desiderantur: *Cum hùc usquè dissolutæ operationis effectus interdùm nutare fecit honestæ conversationis edictum, dum inconditè resolvi putatur, quod indissolubile sanctionis auctoritate tenetur; ideò, quidquid obvium ex incerto occurrit, evidenter abjici debet, ut de cetero nihil supersit, quod in dubium nutetur. Ideòque, si in qualibet minori ætate vel religionis tonsuram, vel religioni debitam vestem, in utroque sexu filiis aut unus, aut ambo parentes dederint, certe aut nolentibus, aut nescientibus se susceptam, &c.* quæ apùd Gratianum subsequuntur, iis adnotatis, quæ jam Romani Correctores rectè observaverunt ad vocem illam, *quartumdecimum.*

Can. 1. caus. 20. q. 2.

De canone 36. caus. 27. quæst. 1. nihil est, quod ulteriùs adjiciam, postquàm Romani Correctores illum rede-gerunt ad fidem optimorum exemplarium, & ad integritatem canonis 5. Toletani.

Can. 36. caus. 27. q. 1.

De

De Canonibus Concilii Toletani XI.

Anno Domini 675. aliud celebratum est Concilium Toletanum, quod undecimum vulgò adpellatur, & quidèm totius Toletanæ Provinciæ, intervenientibus Episcopis novemdecim, & septem Abbatibus, sub Quirico Metropolita Toletano, Synodalem autèm congressum postulante Vuambaro Rege, quem *Excellentissimum*, & *Religiosum Principem* Episcopi hujus Concilii nominarunt. Jam octodecim anni effluxerant, ex quo Episcopi in unum convenire non poterant ob temporum difficultates; quamobrèm jam diù Ecclesiastica disciplina corruisse quodammodò videbatur, cui propterèa consulendum erat, quemadmodùm consultum fuit sexdecim Canonibus editis. Ex his tertius habetur in can. 13. dist. 12. cujus verba omnino consonant cum vulgatis Concilii exemplaribus. Non est tamèn contemnenda, quæ ibidèm subjicitur, Romanorum Correctorum observatio.

Can. 13. dist. 12.

Canon 10. ejusdem Concilii legitur in canone 6. dist. 23., ubi quædam Codicum varietas adparet; etenim ubi Gratianus habet: *probat disciplina*, legunt alii: *provehit disciplina*; ubi Gratianus scribit: *generali sponsione*, scripserunt alii: *generali innexione*; ubi Gratianus: *est ascensurus*, alii: *est accessurus*: ubi Gratianus habet: *placiti sui adnotatione*, legunt alii: *placiti sui innodatione*; alii etiàm: *placita sibi annotatione*; demùm ubi Gratianus legebat: *placitis talium inferenda*, legunt alii: *placitis talium inserenda*.

Can. 6. dist. 23.

In canone 8. hujus Concilii legitur canon 101. caus. 1. quæst. 1., ad quem Romani Correctores jam diù adnotarunt, quænam sit in Codicibus aliis varietas scriptionis, licèt ubiquè eadem sempèr maneat Toletanorum Patrum immutata sententia. Unum ego addo, quod Romani iidem Correctores omiserunt, videlicèt postrema illius canonis verba in quibusdam codicibus ità haberi: *Et competenti verbere, & debitâ excommunicatione plectendus est.* Porrò verberum pœnam in Ecclesia vetere consuevisse Clericis minoribus infligi ex pluribus antiquissimis monumentis, præsertim ex S. Augustino, non ignoramus, adinstar pœnæ illius, cui subjacere solent ex Præceptorum sententia discipuli in hodiernis scholis.

Can. 101. caus. 1. q. 1.

Canon 3. caus. 5. quæst. 4. habetur in canone 1. ejusdem Concilii; sed quoniàm non eadem leguntur in omnibus exemplaribus, operæ prætium erit illum ità describere: *in loco benedictionis* (intelligitur hic locus Concilii, quemadmodum commodè eruitur ex contextu totius canonis) *considentes Domini Sacerdotes nullis debent* (legunt alii: *nullus debet*) *aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbari; nullis etiàm* (legunt alii: *perturbare; nullus etiàm*) *vanis fabulis, vel risibus agi, & quod deterius est, obstinatis disceptationibus* (legunt alii: *concertationibus*) *tumultuosas voces effundere. Si quis enim, ut Apostolus ait, putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio: cultum enim suum justitia perdit, quandò silentia judicii obstrepentium turba confundit, dicente Propheta: erit cultus justitiæ silentium. Debet ergò, quidquid aut consultationibus considentium agitur, aut ab accusantium parte proponitur, sic mitissimâ verborum relatione proferri, ut nec contentiosis vocibus sensus audientium turbent, nec judicii vigorem de tumultu enervent.* (Legunt alii: *Debet ergò, quidquid aut contendentium collationibus agitur, aut accusantium parte proponitur, sic mitissimâ verborum relatione proferri, ut nec contentiosis vocibus audientium turbet, nec judicantium vigorem de tumultu enervent*). *Quicumque ergò in conventu Concilii hæc, quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contrà hæc interdicta aut tumultu, aut contumeliis, vel risibus Concilium conturbaverit, juxtà divinæ legis edictum, quo præcipitur: Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, & cum omni dedecore de consenssione abstractus* (legunt alii: *cum omni confusionis dedecore abstractus*) *à communi cœtu secedat,*

Can. 3. caus. 5. q. 4.

dat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat.

Can. 15. caus. 7. q. 1. In canone 15. caus. 7. q. 1. habetur canon 14. hujus Concilii, ubi tamèn pro illis verbis, *verendum nobis est, & cavendum*, legunt alii: *curandum nobis est, & cavendum.* Quæ ex Gratiani commentariis huic fragmento adjecta fuerant, Romani Correctores jam diù observaverunt, illaque hodiè apùd Typographos jure optimo diversis characteribus imprimuntur. Consonat autèm cum sententia hujus canonis canon 16. eadem causa, & quæstione, quem jam superiùs exhibuimus suo loco.

Can. 30. caus. 23. q. 8. Canon 30. caus. 23. quæst. 8. consonat omninò cum can. 6. hujus Concilii Toletani. Erat tùm in more positum apùd Hispanos, ut Episcopi peterent à Principe, ut sibi delegarentur criminales causæ, præsertim quæ ad crimen læsæ Majestatis pertinerent. Princeps verò id facilè indulgebat, probatam habens Episcoporum æquitatem, atque optimum arbitrium existimans. Sed jam in aliis Conciliis Toletanis visa fuerant Episcopis non satis convenientia hujusmodi judicia, propterèaque pluriès cautum est, ne Episcopi ampliùs se in his causis Judices constitui curarent. Facit etiàm ad hanc rem canon 30. Concilii Toletani IV., de quo jam superiùs egi ad canonem 29. caus. 23. quæst. 8.

De Canonibus Concilii Toletani XII.

Ad exemplum Concilii Toletani VIII. sub Rege Reccesvintho celebrati, quemadmodùm superiùs intelleximus, habitum fuit Concilium Toletanum, quod vulgò duodecimum dicunt, anno 681.: Istud enim non tam fuit Synodus Virorum Ecclesiasticorum, sed & generalia exhibuit totius Regni Hispaniarum comitia, auctoritate Regis Ervigii inita, ad quæ & Rex ipse advenit, ut Constitutionibus ibidèm edendis auctoritatem suam, potestatemque tribueret. Illud inter cetera piissimus Princeps obtestatus Episcopos est, & Regni Proceres, quos adesse jusserat, ut, si quid emendandum, corrigendumque ipsis videretur, aut innovandum, sine ullo discrimine prorsùs corrigerent, aut etiàm innovarent: præsertim verò illud eximiorum virorum fidei commendavit, quô fieret, ut nulla ampliùs Judaici populi vestigia in Hispaniis superessent. Quamobrèm libellum quemdam Rex ipse Concilio toti exhibuit, ut quidquid ipse expostularet, palàm universi perciperent. Interfuerunt comitiis solemnibus Metropolitani quatuor, Toletanus, Hispalensis, Bracarensis, & Emeritensis; cum illis quoquè Episcopi 31., Abbates quatuor, Vicarii Episcoporum absentium tres; viri autèm Illustres, ac Proceres Regni quindecim; qui omnes, tribus suprà decem Canonibus editis, arbitrati sunt se satis Hispaniarum Ecclesiis, illarumque rebus consuluisse.

Æquissimæ Principis piissimi voluntati morem gessere, quicumque convenerant; quod inter cetera liquet ex can. 17. dist. 54., qui eisdem verbis omninò legitur in canone 9. illius Synodi. Plura autèm ac plura ibidèm continentur, quæ in odium Judæorum constituta fuerunt. Can. 17. dist. 54.

Canon 25. dist. 63. referendus est ad canonem 6. ejusdem Concili, Toletani, cujus verba integra describenda sunt, cum nonnulla apùd Gratianum desiderentur. *Illud quoquè collationi mutuæ decernendum nobis occurrit, quod in quibusdam Civitatibus, decedentibus Episcopis propriis, dum differtur diù ordinatio successoris, non minima creatur & officiorum divinorum offensio, & Ecclesiasticarum rerum noscitur perditio. Nàm dum longè, latèque diffuso commeantium* (legunt alii: *commeatus*) *impeditur celeritas nunciorum, quô aut non queat Regis auditibus decedentis Præsulis &c.* Quæ sequuntur apùd Gratianum consonant cum exemplaribus vulgatis Concilii, dummodò animadvertamus, in istis legi *injuriosa necessitas*, ubi Gratianus Can. 25. dist. 63.

scrip-

scripserat : *innumerosa necessitas*. Præterea verba illa *atque Galliciæ* delenda omninò esse videntur à Codicibus Gratiani, utpotè quæ in accuratioribus MSS. desiderentur. Tanto autèm minus, uti aliquibus visum fuit, legendum esset : *atque Galliæ*; jam diù enim ad Hispanorum Concilia Nationalia convenire destiterant Galliæ Gothicæ Episcopi, qui anteà quidèm Gothis Hispanis subjecti fuerant, ideòque ad Hispanorum Concilia aliquandò convenerant; at posteà, Gothorum Principum jugo à Francis excusso, non ampliùs cum Hispanis Nationalia Concilia celebrarunt. Pòst verba postrema Gratianei fragmenti *visurus accedat*, statim hæc subsequuntur in integris Concilii Codicibus : *Qualitèr ejus auctoritate, vel disciplinâ instructus condignè susceptæ sedis gubernacula teneat. Quòd si per desidiam, aut neglectum quilibet constituti temporis metas excesserit, quibus Metropolitani sui nequeat obtutibus præsentari, excommunicatum se per omnia noverit, excepto si Regiâ jussione impeditum se esse probaverit. Hanc quoquè definitionis formulam, sicut de Episcopis, ità de ceteris Ecclesiarum Rectoribus placuit observandam.* Ex his adparet, antiquissimam fuisse in Hispania disciplinam, ut Episcopi, ceterique Ecclesiarum Rectores à Rege eligerentur; quamobrèm etiàm Braulio Cæsaraugustanus in Epistola ad Isidorum Hispalensem ità apertè scribebat : *Ut, quia Eusebius noster Metropolitanus decessit, habeas misericordiæ curam, & hoc Filiolo tuo nostro Domino suggeras, ut illum illi loco præficiat, cujus doctrinæ sanctitas ceteris sit vitæ forma* : quibus ità respondit Isidorus : *De constituendo autèm Episcopo Tarraconensi, non eam, quam petisti, sensi sententiam Regis; sed tamèn & ipse adhùc, ubi certiùs convertat animum, illi manet incertum.*

Can. 35. caus. 17. q. 4.

Canon 35. caus. 17. quæst. 4. pertinet ad canonem 10. ejusdem Concilii. Satius tamèn fuisset, si Gratianus integrum canonem retulisset, qualis habetur in ipsismet Concilii exemplaribus; etenim priora hæc verba Gratianus omisit : *Pro his, qui quolibet metu, vel terrore Ecclesiam appetunt, consentiente paritèr, & jubente gloriosissimo Domino nostro Ervigio Rege, hoc sanctum Concilium definivit, ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes indè abstrahere &c.*

Can. 21. caus. 32. q. 5.

Canon 21. caus. 32. quæst. 5. eisdem omninò verbis legitur in canone 8. Toletano; ubi tamèn observatione dignum agnosco, quod hæc Constitutio ad solos Nobiles pertineat; enim verò, quæ pœna transgressoribus legis ibidèm præscribitur, solos Nobiles afficere potest, scilicèt Palatinæ dignitatis, sive officii amissio, itèm denegatio testimonii generosæ dignitatis. Quæ ut clariùs intelligantur, prænotare juvet, dignitates, & officia Palatina in Hispania Nobilibus concedi consuevisse, quibus expletis emeriti consequebantur honorifica, ut vocabant, generosæ dignitatis testimonia, quibus scilicèt probata videretur eorum virtus, ex quo liberè ad maximos Regni honores, ac dignitates adspirarent. Fortè itaquè Toletani Patres Nobilium tantummodò personas decreto suo comprehensas voluerunt, vel quòd apùd viros tantùm illustres genere hic dimittendarum uxorum abusus irrepserat; vel quòd prudentissimè se agere duxerint Toletani Patres, quotiès in communi delicto alloquerentur tantùm viros illustres, & à vitio averterent, futurum sperantes, ut illorum aversorum exemplo etiàm ceteri in conjugii unitate consisterent.

Can. 11. de cons. dist. 2.

In canone 5. ejusdem Concilii Toletani habetur can. 11. de consecr. dist. 2. quoniàm verò vulgata Concilii exemplaria paulò alitèr canonem ipsum exhibent, quàm à Gratiano scriptus fuerit, juvabit ità ex ipsis fragmentum adferre. *Relatum nobis est, quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videantur Deo offerre; sed, in uno die si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus à communicando suspendunt, & in sola tantùm extremi sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt, quasi*

non sit totiès reus illius veri, & singularis sacrificii, quotiès participator Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi esse destiterit. Nàm ecce Apostolus dicit : nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Si ergò qui edunt hostias, participes sunt Altaris, certum est, quòd hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt dominici Sacramenti. Quicumque ergò Sacerdotum deinceps divino altario Sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit, ab ipsa, quâ se indecenter privavit, gratiâ communionis anno uno repulsum se noverit. Nàm quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur? Ergò hoc modis omnibus est tenendum, ut, quotiescumquè sacrificans Corpus, & Sanguinem Jesu Christi Domini nostri in Altario immolat, totiès perceptioni Corporis, & Sanguinis Christi se participem præbeat. Ex hoc canone liquet, olim morem fuisse Sacerdotibus, ut uno, eodemque die Missas, ut ajunt, plures celebrarent; qui usus etiàm usquè ad sæcula 11. vel 12. perseveravit; hac enim demùm ætate caveri cæpit, ut duæ tantummodò, vel tres celebrarentur; Hinc Concilio Salegunstadiensi, undecimo sæculo celebrato, can. 5. ità definitum fuisse scimus : *Ut unusquisque Presbyter in die non amplius, quàm tres Missas, celebrare præsumat.* Quod verò in more etiàm fuerit apùd quosdam Sacerdotes, ut, quotiès plures Missas una eademque die celebrarent, in extrema tantùm Eucharistiam ipsi sumerent, id manifestè liquet ex S. Cypriano Epist. 65. ad Cæcilium. Verùm posterior hæc consuetudo visa fuit improbanda, tamquàm divinæ institutioni repugnans; ex divina quippè traditione profectum est, ut Sacerdotes ipsi in Missarum celebratione communicent, quod & in hoc canone Toletani Patres indictâ transgressoribus pœnâ jure optimo constituerunt.

De Canonibus Concilii Toletani XIII.

Ad instar, & formam Concilii Toletani XII., de quo nupèr egimus, celebratum etiàm est anno 683. Concilium Toletanum, quod decimum tertium vocant, sub eodem Ervigio Rege. Convenerunt ad istud ex Hispania universa Episcopi octo, & quadraginta, ex quibus Metropolitani quatuor, Toletanus, Hispalensis, Emeritensis, & Bracarensis, itèm septem suprà viginti Vicarii Episcoporum absentium, Abbates octo, & Regni Proceres sex suprà viginti; qui omnes viri illustres unà cum ipsomet Principe ad Synodum convenientes non tàm de reformatione disciplinæ Ecclesiasticæ pertractarunt, quàm de optimo illius Imperii regimine; Rex enim ipse ibidèm proposuerat, se nihil velle sine communi omnium consilio facere, quod ad Regni sui incolumitatem pertinere videretur. Confecta res est communi omnium consensione, atque tribus suprà decem capitibus editis, sive Ecclesiasticis, sive Civilibus negotiis opportunè consultum est. Ex his autèm capitibus unum tantummodò retulit Gratianus in can. 13. caus. 26. quæst. 5. non tamèn omninò integrum; cujus propterèa verba hoc in loco describam. Ità legitur in canone 7. Concilii. *Væ his, qui faciunt opus Domini fraudulenter, & desidiosè, propheticus sermo annunciat. Et si illi væ incurrunt, qui negligenter opus Domini faciunt, quod supplicium merebuntur, qui divinæ servitutis cultum malitiâ intercedente ab Altaribus Christi subducunt? Illos dicimus, qui obstinatæ mentis dolositate confusi* (legunt alii : *confisi*) *cum aliqua eos molestia fraternorum jurgiorum pugerit, insanâ illicò temeritate abrepti altaria nudantes sacratis vestibus exuunt, luminaria subtrahunt, ac divinorum sacrificiorum cultum malitiâ intercedente subducunt. Et, quòd in hominibus se vindicare non possunt, injuriam Deo, quod pejus est, inferunt. Undè, si hujusmodi pro fraterno odio homicidæ reatu adstringitur, pro contemptu divino quid pœnæ merebitur? etenim juxtà quod divinus sermo increpat : Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : siquis autèm peccaverit in Deum, quis pro eo rogaturus est? Facilè ergò talium Sacerdotum excessibus illa Domini sententia coaptabitur, quâ malitia percutitur Sacerdotum : Dixit enim : Honorificantes*

Can. 13. caus. 26. q. 5.

ses me honorificabo; qui autèm contemnunt me, erunt ignobiles. Quicumque ergò Sacerdotum (hic exorditur Gratianus), *vel ministrorum deincèps, causâ cujuslibet doloris, vel amaritudinis permotus, aut Altare divinum, vel vestibus sacratis excuere præsumpserit, aut qualibet aliâ lugubri veste accingi; seu etiàm si consueta luminariorum sacrorum obsequia de Templo Dei subtraxerit, vel extingui præceperit, aut quodcumque lugubritatis* (hæc Gratianus omisit) *in Templo Dei induxerit, atque, quod pejus est, occasionem nutrierit, undè de Templis Domini aut officia consueta desint, aut oblatio singularis Sacrificii videatur in aliquo defraudari; si eum anteà veræ pœnitudinis* (rursùm hic prosequitur Gratianus) *coràm Metropolitano satisfactio non purgaverit, ignobilitati perpetuæ mancipatus juxtà superiorem sententiam Domini, & loci sui dignitate se noverit, & hoc honore privari. Illis procùl dubio personis ab hac ultionis sententiâ separatis, quæ aut contaminationem sacrorum Ordinum, vel subversionem sanctæ fidei metuentes, aut hostilitatem, vel obsidionem præferentes, seu etiàm divinorum judiciorum sententiam metuentes, tale fecisse contigerit, in quorum facto plus humilitas, quâ Deus placetur, quàm interni laboris dolositas declaratur.* Quæ sequuntur apùd Gratianum in §. *plerique etiàm* pertinent potiùs ad Concilium decimum septimum Toletanum, quemadmodùm jam eruditi omnes observaverunt. Fuit istud Concilium celebratum anno 694. à plerisque Hispaniarum, & Galliarum Episcopis sub Flavio Egicane Rege, qui & ipse Synodo interfuit, & ad reformandam Ecclesiasticam disciplinam plurimum egit. In canone 5. ejus Concilii ità legitur: *Dum Spiritus Sanctus per eos Sanctorum suorum humano generi statuit omnibus modis mendacium præcavere, dicente Salomone: Noli narrare mendacium adversùs fratrem tuum, neque amico similiter facias; & iterùm: Os, quod mentitur, occidit animam; plerique Sacerdotum, qui prædicatores veritatis existere debuerunt, & ex quorum ore universitas plebium legem veritatis debet exquirere, secundum Salomonem, qui dicit: labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt de ore ejus, quia Angelus Domini est, ità præpediente delicto, atque sauciati inimicitiæ dolo non solùm hominibus fallaciter loqui minimè pertimescunt, sed & in Sanctis Basilicis suprà Altare Domini coràm Deo idem nequaquàm perpetrare horrescunt. Nàm Missam pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis student celebrare hominibus, non ob aliud, nisi ut is, pro quo idipsum offertur Sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis interventu mortis ac perditionis incurrat periculum; & quod cunctis datum est in salutis remedium, illi hoc perverso instinctu quibusdam esse expetunt in interitum. Ob indè nostræ elegit humanitatis conventus, ut, siquis Sacerdotum deincèps talia perpetrasse fuerit detectus, à proprio deponatur gradu, & tàm ipse Sacerdos, quàm etiàm ille, qui ad talia peragenda incitasse perpenditur, exilii perpetui ergastulo relegati, excepto in supremo vitæ curriculo, cunctis vitæ suæ diebus sacræ Communionis ei denegetur perceptio, quam Deo se crediderunt fraudolento delibasse studio.* Quibus verbis dictus canon 13. apùd Gratianum videtur ad integritatem exemplarium exactus, & penitùs restitutus.

De Canonibus Concilii Toletani XVI.

Anno 693. regnante in Hispaniis Flavio Egicane celebratum est aliud Nationale Concilium, quod Toletanum decimum sextum dicitur, eò convenientibus Episcopis octo, & quinquaginta, inter quos aderant Metropolitani quinque, Toletanus, Hispalensis, Emeritensis, Tarraconensis, & Bracarensis, præter tres Vicarios Episcoporum absentium, quinque etiàm Abbates; nec destierunt ad instar præcedentium Conciliorum eò convenire Viri Illustres, & Proceres Regni, ex quibus sexdecim ipsi Concilio subscripserunt. Iterfuit etiàm Rex ipse Egica, cujus consilio, & suasione editi fuerunt canones numero tresdecim, ex quibus duos habemus apùd Gratianum. Qui numero septimus est in Concilio,

is refertur in can. 17. dist. 18., cujus verba ità legenda erunt: *Grandis populo datur emendationis correctio, si gesta Synodalia, dum quandoquè peraguntur, relatione Pontificum in suis Parochiis publicantur; & ideò plenâ decernimus unanimitate connexi, ut, dum in qualibet Provincia Concilium agitatur*, (legunt alii: *agitur*), *unusquisque Episcoporum admonitionibus suis infrà sex mensium spatium omnes Abbates, Presbyteros, Diaconos, atque Clericos, seu etiàm omnem Conventum Civitatis ipsius, ubi præesse dignoscitur, nec non & cunctam diœcesis suæ plebem aggregare nequaquàm moretur, quatenùs coràm eis omnia publicè reserata, de his, quæ eodem anno in Concilio acta, vel definita extiterint, plenissimè notiores efficiantur. Profectò etenim pravorum severitas extirpatur, dum canonica instituta ad agnitionem eorum observanda modis omnibus deducuntur: ità scilicèt, ut, quæ sunt, aut in præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, nullus ea reverberare præsumat, nullus non implere contendat. Quòd si quispiam ea aut parvipendenda crediderit, aut contemnenda delegerit, aut contrà hæc inobedientiâ tumidus, susurratione plenus, invidiâ incensus, & laceratione perfunctus, necnon potiùs earumdem definitionum* (legunt alii: *institutionum*) *extiterit fautor benevolus, sententiâ excommunicationis duorum mensium curriculo persistet usquequaquè mulctatus.* Ex his verbis facilè supplere unusquisque poterit Gratiani fragmentum, à Collectore ipso mutilatum.

Can. 17. dist. 18.

Alter canon à Gratiano laudatur in can. 3. caus. 10. quæst. 3., quem licèt Romani Correctores ex optimis exemplaribus emendare cœperunt ex can. 5. Concilii, nondùm tamèn omninò integer est, cum ibidèm priora hæc verba desiderentur: *Quamquàm in præteritis Sanctorum Patrum de diversis causis sententiæ enitescant, sed & nùnc, quæ tempori, ordinique congruant, ordinato jure instituenda sunt. Nàm, sicut antiquitas de causis ingruentibus edicta multimoda edidit; ità nùnc nostri temporis ætas de his, quæ occurrunt, ut faciat, convenit. Quapropter in medio cœtus nostri deducta est quorumdam consuetudo inordinata Sacerdotum, qui Parochias suas ultrà modum diversis exactionibus, vel angariis comprimunt, vel quòd quamplures Ecclesiæ destitutæ persistunt. Idcircò unio nostræ adunationis decrevit, atque instituit, ut &c.* Quæ sequuntur apùd Gratianum cum ipsis editis Concilii exemplaribus omninò concordant. De tertia autèm oblationum parte Parochialium Ecclesiarum, quæ contrà morem Romanæ Ecclesiæ in Hispaniis Episcopo exsolvebatur, nonnulla dicam, ubi agendum erit de Tarraconensi Concilio ad canonem 10. caus. 10. quæst. 1. Hoc loco observatione dignum arbitror, quod dicitur, Ecclesiam illam esse alteri Ecclesiæ ob inopiam reddituum uniendam, quæ decem mancipia non possidet. Ego arbitror, mancipiorum nomine intelligi mancipiorum pretium, ut scilicèt ea Ecclesia tamquàm inops haberetur, quæ tantùm in bonis non possideret, quod ad decem mancipia emenda sufficeret. Erat enim eâ ætate frequentissimus mancipiorum usus; sic in lib. 3. legum Longobardarum tit. 1. cap. 46. præscriptum legimus, ut unicuique Ecclesiæ duo mancipia adsignarentur, ut mirum propterea esse non debeat, redditus Ecclesiasticos ad mancipiorum numeros, & notas redigi potuisse. At si curiosiùs quispiam quæreret de pretio mancipiorum, ut exindè deduceret, quandonàm apùd veteres inops Ecclesia existimaretur, ità ut esset alteri Ecclesiæ unienda; in primis dixero, varium illud esse potuisse, sicùt in ceteris venalibus rebus, pro temporum præsertim, & mancipiorum ipsorum qualitate; alitèr enim novitius, alitèr veteranus, alitèr artifex vendebatur apùd veteres, quemadmodùm constat ex toto titulo Pandectarum de ædilitio edicto. Ceterùm, cum in hac re spectanda sit generalis, & communis existimatio, hæc olim fuisse videtur aureorum viginti, quemadmodùm patet ex l. 31. ff. de minoribus, & ex l. 1. Cod. de communi servo manumisso. Posteriore ætate, ubi ad alia monetarum genera deventum est, duodecim solidis æstimari cœperunt, uti testatur Gre-

Can. 3. caus. 10. q. 3.

go-

gorius Turonensis lib. 3. cap. 15., & habetur in Concilio Matisconensi I. anni 581. can. 16., quem retulit Gratianus in can. 18. dist. 54. Quamobrèm cum hæc duodecim solidorum existimatio Concilii Toletani XVI. temporibus convenire possit, facilè concludet unusquisque dotem Parochiali Ecclesiæ competentem temporibus Concilii Toletani ejusdem fuisse solidorum centum, & viginti. Quâ verò ratione solidos illius ætatis ad nostrorum temporum pecunias reducere possimus, meum non est hoc loco solertèr inquirere; præsertim cum, qui rei nummariæ veteri student, non in una sint, eademque sententia.

De ceteris Canonibus, Concilii Toletani nomine laudatis.

Quædam adhùc supersunt apùd Gratianum capita, quæ nomine Concilii Toletani relata scimus. Ex his est canon 14. dist. 23. qui in nullo ex Conciliis Toletanis legitur, sed potiùs in Hispalensi II., de quo suo loco agendum erit. Fortè autèm quispiam, qui Gratiano auctor extitit, ex Concilio Toletano laudaverat, quia deprompserit ex aliquo Codice Hispano, in quo una cum Toletanis Hispalenses canones haberentur. Porrò in dicto Concilio Hispalensi II. hæc legimus canone 5. *Quinto judicio ad cognitionem nostram Aniani Egabrensis Diaconi relatu deductum est*, (legunt alii: *ad cognitionem nostri examinis Agabrensis Diaconi relatu pervenit*) *de quibusdam ipsius Ecclesiæ Clericis, quorum dum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, Episcopus eorum oculorum dolore detentus fertur manum suam super eos tantùm posuisse, & Presbyter quidam illis contrà Ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse. Qui licèt propter tantam præsumptionis audaciam poterat accusatus judicio præsenti damnari, si adhùc in corpore positus non fuisset mortis vacatione præventus; sed quia jam ille examini divino relictus humano judicio accusari non potest, hi qui supersunt, & ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiæ potiùs eulogium* (alii legunt: *eloquium*) *perceperunt, ne sibi licentiam talis ultrà usurpatio faciat, decrevimus, ut à gradu Sacerdotalis, vel Levitici ordinis, quem perversè adepti sunt, depositi æquo judicio abjiciantur. Tales enim merito judicandi sunt removendi, quia pravè inventi sunt constituti.* Ex his restituendum erit Gratiani fragmentum, quod Gratianus ipse valdè perstrinxerat, licèt eâdem retentâ sententiâ.

Can. 14. dist. 23.

Can. 6., & 8. dist. 54. jungendi simùl sunt, utpotè qui pertineant ambo ad Capitularia Regum Francorum, & quidèm ad unum, eumdemque locum referendi; ità ut verba canonis 8. immediatè subsequantur pòst verba canonis 6. In editione Parisiensi Capitularium anni 1677. lib. 1. cap. 82. sic juncta leguntur, necnon in Capitulari Ludovici Pii anni 876. cap. 6., ubi tamèn pro illis Gratiani verbis: *ad gradus Ecclesiasticos promoventur*, ità legitur: *ad gradus Ecclesiasticos indiscretè promovebantur*; pro illis Gratiani verbis, *aut per literas*, ibi legitur, *aut latitans*; demùm, ubi Gratianus legit: *ignotum sit*, habetur in Capitularibus *ignoraverit*. Quomodò verò factum fuerit, ut hi canones potiùs ex Toletano Concilio laudarentur, facilè unusquisque conjicere poterit, qui Collectores Gratiano antiquiores evolverit. Ivo Carnotensis in parte 6. Decreti cap. 38., & 132. eadem fragmenta Toletano Concilio inscripsit, deceptus tamèn ex Burchardo, qui in lib. 2. cap. 23., & 30. eadem retulerat ex Concilio paritèr Toletano. Sed & Burchardus erravit ex negligentia quadam, dum uteretur de more suo Collectione Reginonis Prumiensis. Regino enim in lib. 1. cap. 394. retulerat canonem 73. Concilii Toletani IV. hac inscriptione canoni adjectâ *ex Concilio Toletano*. Deindè gradum faciens ad caput 395. fragmentum retulit Concilii Parisiensis hac inscriptione: *Item ex Capitularibus tit.* 84. Deindè in cap. 396. retulit eadem, quæ apùd Gratianum habentur in dicto can. 6. dist. 54. hac inscriptione adjectâ: *ex eodem cap.* 82., pòst quæ subjecit

Can. 6. & 8. dist. 54.

cit in cap. 397. verba canonis 8. dist. 54. nullo adjecto nomine auctoris. Intenderat in hæc capita Burchardus, qui descripturus caput 396., & 397. Reginonis, agnoverat ea laudari hoc nomine *ex eodem cap.* 82., & putavit hæc referri potiùs ad inscriptionem cap. 394., ubi scriptum erat: *ex Concilio Toletano*, quàm ad inscriptionem capitis 395., ubi scriptum erat: *Item ex Capitularibus tit.* 84., neque enim sibi facilè persuadere posset invicèm hasce inscriptiones consonare: *ex Capitularibus*, & *ex eodem*, cum potiùs scribendum videretur: *ex eisdem.* Hùc etiàm accedit, quod, uti sæpiùs attigi, Burchardus ægrè referre solebat Capitularia Regum Francorum, cum scriberet apùd Germanos, quibus eo tempore Francorum res invisæ erant quàm maximè. Itaquè Burchardi erratum & Ivoni, & auctori Palearum apùd Gratianum errandi fuit occasio, imò etiàm Collectori Decretalium; etenim idem caput quasi ex Concilio Toletano legitur apùd Gregorium IX. in cap. 2. de servis non ordinandis.

Can. 9. caus. 10. quæst. 1. in nullo ex Conciliis Toletanis habetur. Unus Concilio Toletanò adtribuit Gratianus, cujus sanè auctoritas tanta esse non debet, ut ei morem omninò gerere debeamus. Romani Correctores elaborarunt in inquirenda hujus fragmenti origine, atque observarunt penès Ivonem laudari *ex Concilio, apùd Triburias habito, præsente Arnulpho Rege cap.* 26., & penès Burchardum *ex Concilio, apùd Triburias habito tempore Arnulphi Regis cap.* 26. Hic ego consistendum arbitror & reverà existimo, hunc canonem ad hoc Concilium Triburiense referendum esse, non quidèm ob auctoritatem Ivonis, & Burchardi, qui in pluribus lapsi fuisse deprehenduntur, sed proptèr auctoritatem Reginonis Prumiensis, qui in lib. 1. suæ collectionis cap. 12. hæc habet: *ex Concilio, apùd Triburias habito temporibus Arnulphi Regis tit.* 26. *Delata est coràm Sanctâ Synodo querimonia plebium, eo quòd sint quidam Episcopi nolentes ad prædicandum, vel confirmandum suas per annum parœchias circuire, qui tamèn exigunt, ut mansiones*, (quas hodiè *procurationes* vocant, sive jura hospitii), *quibus in profectione uti debuerant, alio pretio redimant, qui parare debent. Quæ duplex infamia, & negligentia, & avaritia Sanctæ Synodo horrori fuit magno; & statuerunt, ne quid penitùs ultrà exerceat id cupiditatis ingenium, & ut sollicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.* Quæ Reginonis verba cum omninò consonent cum Gratianeo canone, vix dubitandum est, quin reverà hunc eumdem canonem Concilio Triburiensi non asseramus. Etenim vivebat Regino tempore Arnulphi Regis, in eisdem Germaniæ Provinciis tùm, cùm Concilium idem Triburiense celebratum est, ac propterea non est ei deneganda fides, cum aliàs probatissimus ipse sit, ac præsertim in rebus sui temporis referendis facilè labi non potuit, nedùm alios decipere, à quibus statim de mendacio redargui potuisset. Fateor, in vulgatis Concilii Triburiensis Codicibus illum canonem non haberi: nihil refert tamèn; etenim magis movere debet Reginonis auctoritas, qui Concilii Triburiensis Patribus, & Arnulpho Regi contemporaneus fuit, quam recèns editi, aut alii quicumque Concilii Codices, præsertim quòd Codices Concilii Triburiensis non satis integri servari potuerunt ob temporum injurias; fuit enim tùm in Germania celebratum, quùm illæ Provinciæ diuturnis, & miserabilibus bellis vexarentur; quod & suo loco observabimus. Fortè etiàm suspicari quispiam posset, canonem illum aut omissum in Codicibus Concilii describendis, aut abrasum in descriptis operâ Episcoporum quorumdam, ne posteritati innotesceret tam pudenda aliquorum Antistitum avaritia, aut ne iidemmet Antistites hoc canone premerentur, liberèque à subditis *mansionum*, à quibus abstinebant, pretium exigerent. Quidquid tamèn in hac re evenerit, illud certum est, Episcopos sæculo octavo & nono fuisse valdè desides in visitationi-

Can. 9. caus. 10. q. 1.

nibus Diœceseon suarum, parùmque sollicitos, ut curæ animàrum sibi commissarum invigilarent, quemadmodùm liquet ex Conciliis illius ætatis, quibus illi ad visitandas Diœceses excitabantur. Sic constitutum legimus in Concilio Cloveshoviæ anni 747. can. 3., quem etiàm refert S. Bonifacius Moguntinus in sua Epistola ad Cuthbertum Archiepiscopum Cantii his verbis: *Statuimus, ut singulis annis unusquisque Episcopus Parochiam suam sollicitè circumeat, populum confirmare, & plebes docere, & investigare, & prohibere paganas observationes &c.* qui canon renovatus etiàm fuit in Capitulari Caroli Magni anni 769. cap. 7. Ad hanc eamdem rem plurimùm etiàm facere potest Concilium Valentinum, quod tertium appellant anni 855., in quo hæc verba habentur canone 22. *Ut de servitio Presbyterorum ergà Episcopos suos consuetudo, ut nobis videtur, valdè reprehensibilis amputetur, ut scilicèt, quotiès Episcopus statuto tempore visitationem, & prædicationem per eosdem Sacerdotes, & populos non exercet, nequaquàm ab eis pro solito servitio pecunias exigat.* Quod ipsum etiàm constitutum est in Capitulari Tolosano Caroli Calvi anni 844., in quo capite 6. hæc habentur: *Quòd & si circumitionem in salutem, & necessitatem populi quacumque de causa dimiserint, à Presbyteris nec hanc dispensam, neque pretium illius exigant, neque aliis aut suis domesticis, aus amicis exigendam concedant.* Hæc de Episcopis constituta, qui visitare negligunt Diœceses, & nihilominùs procurationes exigunt, quispiam fortè studiosus observaverat, qui nomen Concilii Tolosani fragmento memorato apùd Burchardum adjecerat, ut indicaret similia quædam in eodem Concilio legi; at Gratianus dein per oscitantiam pro Concilio Tolosano Concilium Toletanum legit, & dein fragmentum ipsum Toletano Concilio adtribuit.

Can. 24. caus. 11. q. 1. Canon 24. caus. 11. quæst. 1. falsò laudatur nomine Concilii Toletani, quemadmodùm rectè observaverunt Romani Correctores, unà adnotantes eamdem ibi contineri sententiam, quæ habetur in canone præcedenti Concilii Chalcedonensis. Dicam nùnc ego primùm, ad quemnam locum referendus sit idem canon: deindè, quomodò Concilio Toletano tributus fuerit. Burchardus Vvormaciensis in libro 10. suæ Collectionis in fine plura de Clericis maledicis, detractoribus, ac conjurantibus tradiderat, referens ad eam rem nonnullos Conciliorum canones à cap. 51. usquè ad caput 68., quod est penultimum ejusdem libri, idemque est cum Canone Chalcedonensi, relato in can. 23. caus. 11. quæst. 1., pòst quæ omnia ità Burchardus idem concludit: *Igitùr, si Clerici, aut Monachi inventi fuerint conjurati, aut per conjurationem calumniam machinantes Episcopis, vel Clericis, proprium amittant gradum.* Quibus verbis concluditur idem liber decimus Burchardi. Incidit in hanc sententiam, ac veluti conclusionem totius libri à Burchardo subjectam Ivo Carnotensis, & pòst Ivonem Gratianus, qui crediderunt ea verba pertinere ad canonem cujuspiam Concilii; fortè autèm, cum uterentur aliquibus Codicibus, qui ad marginem adscriptum haberent nomen Concilii Toletani, non dubitarunt sententiam eamdem nomine Concilii Toletani describere. Ad marginem verò potuit ab aliquo studioso adjici Concilii Toletani nomen, ut indicaretur etiàm in Concilio Toletano nonnulla constituta fuisse de Clericis conspirantibus, & seditiones excitantibus, quod referri potuisset ad canonem 75. Concilii Toletani IV., & canonem 2. Concilii Toletani X. Quòd si quispiam fragmenti illius non Burchardum auctorem esse crediderit, sed potiùs Concilium aliquod, cujus nomen reticuerit Burchardus idem, ego facilè adsenserim, cum eadem verba etiàm legantur in Concilio Aquisgranensi anni 789. can. 29. ibi: *Conjurationis, vel conspirationis crimen etiàm apùd extrinsecas leges penitùs amputatur: multò magis in Ecclesia Dei hoc ne fiat oportet prohiberi. Igitùr Clerici, aut Monachi, si inven-*

venti fuerint conjurati, aut per conjurationem calumniam machinantes Episcopis, vel Clericis, proprium amittant gradum. Aliàs autèm certò scimus, Burchardum abstinere consuevisse à commemorandis Francorum Conciliis, ne rem ingratam faceret Germanis, apùd quos scribebat, quique tùnc temporis Francos, & res omnes Francorum acri odio persequebantur.

Illud certissimum est, canonem 31. caus. 12. q. 2. nullâ ratione adscribi posse alicui ex Conciliis Toletanis, non solùm ex eo, quòd in nullo ex editis Toletanis Conciliis reperiatur, verùm potissimùm ex eo, quòd disciplina, ibidèm tradita, prorsùs aliena sit à disciplina Ecclesiæ Toletanæ. Quod enim illic statuitur de reditibus Ecclesiasticis in quatuor partes distribuendis, in Romana quidèm Ecclesia olim obtinuisse videtur; at verò apùd Hispanos tres tantummodò Ecclesiasticarum rerum, atque obventionum solebant fieri portiones, uti adparet ex Concilio Toletano IV. cap. 33., Concilio Toletano IX. cap. 6., & Concilio Toletano XVI. capit. 5., atque etiàm observabimus ad canonem 7. Concilii Tarraconensis in can. 10. caus. 10. quæst. 1. Romani Correctores adfirmant, in Collectione canonum incerti auctoris, quæ adservatur in Bibliotheca Vaticana, adtribui eum canonem Sylvestro Papæ; unà observantes, similia quidèm legi in canone 4. Synodi Romanæ, vulgò tributæ Sylvestro Pontifici, sed paulò alitèr partes esse adsignatas ibidèm, quàm in fragmento Gratiani adsignentur. Verba Romanæ Synodi hæc sunt: *Commoneo autèm vestrum consortes monimentum, de redditibus Ecclesiæ quatuor partes fiant, & quod primam partem exigat Ecclesia, unam partem Pontifici cum fratribus relevandis, dimidiam Ecclesiam, dimidiam Presbyteris, & Diaconibus cum omni Clero, & peregrinis.* Alia Concilii ejusdem exemplaria ità exhibent paulò emendatius: *Commoneo autèm vestrum consortes munimen, & de redditibus Ecclesiæ quatuor partes fieri, & quarta pars exigatur ab Ecclesia, unam partem Pontifici, fratribus dimidiam ad Ecclesias relevandas, dimidiam Presbyteris, & Diaconibus cum omni Clero, & peregrinis.* Hoc sanè Concilium Sylvestro Romano Pontifici perperàm fuisse adscriptum, alibi ostendimus; propterèà, nullam canoni ità descripto auctoritatem inesse: imò, siquis ejusdem formulam, seu loquendi phrasim consideraverit, statim in eo agnoscet imperiti alicujus tyronis opus, qui exercitationis causà aliquid ad mentem veterum canonum componere voluerit, ceteroquin latinæ linguæ multùm ignarus. Atque in hoc fragmentum Romanæ Synodo adtributum intendere animum potuit quisquis alius canonum studiosus, qui propterèà voluit paulò elegantiùs præsumptam Concilii sententiam exprimere, undè fragmentum illud elucubravit, quod à Gratiano refertur in dicto canone 31., quod tamèn inscripsit nomine Concilii Toletani, non quod reverà Toletani Concilii esset, sed ut indicaret, de hac reddituum Ecclesiasticorum distributione agi in Concilio Toletano; quod referri commodè poterat ad Concilium Toletanum IX., in quo nonnulla ad hanc rem pertinentia constituta leguntur. Fortè etiàm quispiam dicere posset, ideò tributum hujusmodi fragmentum Concilio Toletano fuisse, quia præfatio Gratianei canonis 31. ibi: *Sancimus, omnibus Episcopis curam laicorum instare, ut siquos in fide Christi invenerint, nimio affectu diligant*, videtur desumpta ex sententia Concilii Toletani 17., ubi can. 8. hæc leguntur: *Sicùt fidelium probitas magno debet donationis præmio munerari, ità infidelium prævitas fortissimo congruit judicantium mucrone percelli. Æquum etenim est, ut & domestici fidei copiosiùs sublimentur, & adversarii ejus duriùs condemnentur: quatenùs & illi magis, magisque domino suffragante proficiant, & isti Deo obtinente deficiant.*

Can. 31. caus. 12. q. 2.

Canonem 54. caus. 16. quæst. 1. in Conciliis Toletanis non invenerunt Romani Correctores: ad alios autèm Collectores animum intendentes obser-

Can. 54. caus. 16. q. 1.

va-

varunt, apùd Burchardum, & Ivonem laudari nomine Concilii Aquisgranensis; sed quotquot Concilia Aquisgranensia hucusquè edita sciverim, pervolutis, neque in his omnibus inveni. Nihilo tamèn minùs non dubitaverim asserere, hoc caput pertinere ad disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ, & in ipsa qualicumque in Concilio fuisse constitutum. Etenim in hoc Gratiani fragmento duæ sententiæ proferuntur. Primò dicitur, plures baptismales Ecclesias esse non posse in una terminatione, sed unam tantùm cum subditis capellis. Secundò consilium præbetur, quomodò definienda res sit, ubi de Parochialium Ecclesiarum finibus agatur. Utrumque autèm video apùd Gallicanos sæculo septimo, octavo, & nono pertractatum, ac constitutum. Quod attinet in primis ad unitatem baptismalium Ecclesiarum, illarum scilicèt, in quibus baptisma solemnitèr conferretur, ac publicè, habemus Concilium Vernense anni 755., in quo ità legitur can. 7. *Ut publicum baptisterium in nulla Parochia esse debeat, nisi ubi Episcopus constituerit, cujus Parochia est, nisi tantùm, si necessitas venerit, pro infirmitate, aut pro aliqua necessitate &c.* Habemus etiàm Concilium Meldense anni 845., cujus canon 48. ità scribitur: *Ut nemo Presbyterorum baptizare præsumat, nisi in vicis, & Ecclesiis baptismalibus, atque temporibus constitutis, nisi causâ ægritudinis, vel certæ necessitatis, sicut sacra canonum docet auctoritas, & vici auctoritatem & privilegia debita, & antiqua retineant.* Posteriore autèm tempore de Ecclesiis baptismalibus, capellisque subditis, eisdemque non dividendis, mentionem fecit Hincmarus Rhemensis, ad Laudunensem Clerum, & populum ità scribens de Episcopo: *Principales verò Ecclesias aliis Ecclesiis loco capellarum non subjiciat, quia secundùm sacros canones non licet Episcopis Parochiam antiquitùs constitutam inconsulte confundere, atque dividere.* Ex quibus patet, juxtà disciplinam Gallicanæ Ecclesiæ olim quidem fuisse Ecclesias baptismales, sive Parochiales quamplurimas, deindè verò unicam tantùm fuisse constitutam, ceteras verò illi subjectas, & Capellarùm nomine appellatas. Quod verò spectat ad terminos Ecclesiarum in canone Gratiani hæc leguntur: *Et si contentio fuerit de terminatione duarum Matricum, plebes utrarumque discernent; & si non convenerint, Dei judicio discernatur* (legit Burchardus: *lis Dei judicio discernatur.*) Porrò hæc integra sententia, legitur in Capitularibus Regis Dagoberti anni 630. tit. 11. de terminis ruptis num. 5. ibi: *Quotiès de commarchanis* (id est, de finibus) *contentio nascitur, ubi evidentia signa non adparent in arboribus, aut in montibus, nec in fluminibus; & iste dicit: hùc usque antecessores mei tenuerunt, & in alodem mihi reliquerunt; & ostendit secundùm proprium arbitrium locum; alter verò nihilominùs in istius partem ingreditur, alium ostendit locum secundùm prioris verba suum, & suorum antecessorum semper finisse usquè in præsens asserit. Etsi alia probatio nusquàm inveniri dignoscitur, nec utriusque invasionem compensare voluerint, tùnc spondeant invicem Vvehadinc quod dicimus, & in campiones non sortiantur, sed cui Deus fortiorem dederit, & victoriam, ad ipsius partem designata pars, ut quærit, pertineat.* His itaquè dirimenda proponitur incertorum finium controversia, ut primò convenientes ii, de quorum possessione disputatur, compensando, ac transigendo componant; deindè, quotiès nulla potest transactio iniri, aut compositio, non jam per campiones, quemadmodùm in pluribus aliis causis tùnc agebatur, id est, per duella, & pugnas, disputatio omnis concludatur, sed Deo causa committatur, quod tùnc *Vvehadinc* appellabant, id est, sacram sponsionem, quæ, ut arbitror, ad sortes referebatur. Hæc verò multùm, & omninò conveniunt cum memorato Gratiani fragmento, ubi statuitur, in contentione finium Parochialium dirimenda primùm plebem utramque debere discernere, deindè verò, si non discernatur, divino judicio committi. Itaquè ego jure meritò concludendum arbitror, aut Gratianeum canonem referendum esse ad quoddam

Gallicanum Concilium sæculi septimi, aut octavi, aut etiàm noni, fortè etiàm ad quoddam Concilium Aquisgranense, quemadmodùm legimus apùd Ivonem, & Burchardum, quod ad nostra usquè tempora non pervenerit; aut Burchardum, qui primus ex Collectoribus hoc fragmentum retulit, voluisse paucis perstringere, quod in finium Ecclesiasticorum materie juxtà Gallicanam disciplinam obtineret, illudque ità perstrictum nomine Concilii Aquisgranensis palàm exhibuisse, ea fortè de causa, quòd nosset in Concilio Aquisgranensi anni 789. nonnulla de custodiendis Parochiarum finibus fuisse statuta, præsertim verò in canone 33., ubi hæc leguntur: *Ut nullus alienos fines usurpet, vel terminos Patrum transcendat.*

Non omnes Gratiani Codices eum-
Can. 43. caus. 16. q. 7. dem auctorem laudant canonis 43. caus. 16. quæst. 7., in aliquibus enim ille tribuitur Concilio Toletano, in aliquibus autèm Concilio Moguntino. Si præcedentis temporis Collectores adeamus, Ivonem, & Burchardum, atque illorum fidem sequamur, imò ex ipsis dubiam Gratiani editionem emendemus, potiùs laudabimus canonem ex Concilio Moguntino cap. 18., quemadmodùm illi laudarunt his verbis: *Abbas potest pro humiliatione, & cum permissione Episcopi locum suum relinquere: tamèn fratres eligant sibi Abbatem de ipsis, si habeant; sin autèm, de extraneis. Nec Episcopus debet Abbatem violenter retinere in loco suo. Congregatio debet eligere sibi Abbatem pòst mortem Abbatis sui, vel, eo vivente, si ipse discesserit, vel peccaverit; ipse enim non potest aliquem ordinare de suis propinquis, vel amicis sine voluntate fratrum.* Gratianus hoc fragmentum, sic relatum ab Ivone & Burchardo, in duas partes divisit, quarum unam retulit in dicto can. 43. caus. 16. quæst. 7. alteram & quidèm nomine Concilii Moguntini in can. 8. caus. 18. quæst. 2. Ego hæc fragmenta reperio in Pœnitentiali Theodori Cantuariensis, quale edidit Petitus Parisiis anno 1677.; etenim ibi cap. 6. pag. mihi 6. leguntur eadem omninò verba, quæ nupèr descripsi. At, siquis fortè petierit, quomodò, & quodnam Concilium Moguntinum ab omnibus recentioribus canonum Collectoribus in inscriptione hujus canonis laudari potuerit; dixero, tum Burchardum, tum Ivonem eodem in loco laudavisse nonnulla alia capita, quæ nomine ejusdem Moguntini Concilii inscripserunt; hæc verò alia capita legi singula in Concilio Moguntino anni 813. sub Carolo Magno, & in Concilio Cabilonensi II. ejusdem anni, etiàm sub Carolo Magno; ac propterea non aliud Moguntini Concilii nomine hoc loco laudatum intelligi, quàm nupèr memorata Concilia Moguntinum, aut Cabilonense. Nemini autèm mirum videatur, Moguntini Concilii nomine decreta Cabilonensia inscribi; etenim quinque Concilia, sub Carolo Magno habita anno 813., Moguntinum, Arelatense, Rhemense, Turonense, & Cabilonense, promiscuè usurpantur, quemadmodùm suo loco dicemus. Itaquè in hisce Conciliis plura de Monachis, & Monachorum disciplina pertractata sunt; & quamquàm in eisdem non legamus verba, quæ habentur in dicto canone 43., plura tamèn describuntur, cum eodem canone plurimùm convenientia. Burchardus igitùr primùm, deindè Ivo arbitrati sunt se posse colligere paucis, & perstringere, quæ in eisdem Conciliis constituta fuerant, & sic sub nomine Concilii Moguntini palàm facere. Videsis ea, quæ inferiùs dicam ad canonem 8. caus. 18. quæst. 2. Fortè etiàm contingere potuit, ut Burchardus habuerit præ manibus constitutionem quamdam de Abbatum electione, editam à Ludovico Pio, qui eamdem memorat in suo Capitulari anni 816. num. 5. his verbis: *Monachorum siquidèm causam qualiter Deo opitulante ex parte disposuerimus, & quomodò ex se ipsis sibi eligendi Abbates licentiam dederimus, & qualiter Deo opitulante quieti vivere, propositumque suum indefessè custodire valerent, ordinaverimus, in alia schedula di-*

diligentèr adnotari fecimus, & ut apùd successores nostros ratum foret, & inviolabiliter conservaretur, confirmavimus. Ex quibus certò liquet, circà annum 816. à Ludovico Pio quamdam schedulam fuisse conscriptam, in qua regula Monachis præfigeretur, juxtà quàm ipsi Abbatem suum eligerent. Atque in eadem, quæ ad nostra tempora, quoàd sciverim, non pervenit, fortè etiàm legi poterat, quod de modo electionis Abbatis dicitur in dicto canone 43., quem Burchardus, & ex eo Ivo, & Gratianus nomine Concilii Moguntini posteà laudaverint ex eo, quòd subjecta fuerit ad calcem Moguntini Concilii, triennio anteà celebrati.

Sic inspectâ hujus 43. Canonis origine, nonnulla subjicienda sunt ad ejusdem definitionem, ac sententiam explicandam pertinentia. Cum enim eos auctores habere videatur, qui Conciliorum statuta pro voluntate perstrinxerint, atque in aliam verborum formam redacta studiosis legenda proposuerint, illud deliberandum arbitror, utrùm, quæ in eodem canone 43. legimus, cum septimi, aut octavi sæculi disciplina conveniant. Plura sanè in hoc canone comprehenduntur. Primò dicitur, pòst mortem Abbatis electionem ad Monasterium pertinere. Id sexcenta docent Juris Ecclesiastici cãpita, quorum nonnulla retulit Gratianus in caus. 18. quæst. 2. Secundò definitur, alterum eligendum Abbatem esse, quotiès prior discesserit, aut aliquandò peccaverit. Hæc sanè, quemadmodùm de ea discessione intelligenda sunt, quâ ampliùs Abbas non speratur rediturus, ità de eo delicto, cui pœna depositionis immineat. Sanè auctor est S. Isidorus, quotiès Abbas à Monasterio discedit, curam Monasterii esse debere penès eum, qui secundus in ordine succedit: Ait enim in cap. 23. regulæ Monachorum: *Siquando Abbas, vel Præpositus alicubi proficiscuntur, ille ferat fratrum sollicitudinem, qui est Præpositus secundus in ordine.* Demùm dicitur, Abbatem non posse sibi successorem designare, præsertim de propinquis, vel amicis, sine consilio, & voluntate fratrum. Cum his autèm consonare videtur canon 12. Concilii Cabilonensis sub Clodoveo Rege circà annum 650. ibi: *Ut duo Abbates in uno Monasterio esse non debeant, ne sub obtentu potestatis simultas inter Monachos, & scandala generentur. Verumtamèn, si quilibet Abbas sibi elegerit successorem, ipse, qui eligitur, de facultatibus ipsius Monasterii ad regendum nullam habeat potestatem.* Non omittam etiàm animadvertere, plura, ad hanc eamdem rem pertinentia, legi in canone 3. Concilii Troslejani anni circitèr 909., cujus verba, & sententia valdè prolixa sunt, & ex variis Conciliorum aliorum canonibus juxtà morem illorum temporum elucubrata, atque composita; ex quo fortè evenire etiàm potuit, ut dictus canon 43. Gratianeus Toletani Concilii nomen præseferret, cum tamèn legendum esset nomen Concilii Troslejani, quod sanè potuit in aliud Toletani Concilii nomen facilè inflecti à minùs accurato Amanuensi.

Reverà id evenisse, arbitror, in canone 34. caus. 27. quæst. 2. Refertur ille apùd Gratianum nomine Concilii Toletani, quod referendum potiùs erat ex Concilio Troslejano anni 909., cum in canone 8. ejusdem Concilii hæc legantur: *De desponsatis puellis, & ab aliis raptis, ità in Concilio Ancyrano cap. 10. legitur: Desponsatas puellas, & pòst ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis illata constiterit. Proindè statutum est à sacro Conventu, ut raptor publicâ pœnitentiâ mulctetur; raptæ verò, si sponsus eam recipere noluerit, & ipsa ejusdem criminis consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur. Quòd si & illa consensit, simili sententiæ subjaceat: quòd si pòst hæc ei se jungere præsumpserit, utrique anathematizentur.* Siquis hæc contulerit cum dicto canone 34. apùd Gratianum, minimè dubitabit, quin ipse ad nupèr descriptum Troslejanum canonem sit referendus. Quod autèm dicitur statutum fuisse *à sacro conventu*, minimè refertur

Can. 34. caus. 27. q. 2.

ad Troslejanum ipsum Concilium, sed potiùs ad Conventum, celebratum sub Ludovico Pio, anni 816.; etenim in Capitulari ipsius ejusdem anni eadem fermè leguntur canone 24., quæ deindè translata sunt in libros Capitularium Francorum lib. 1. cap. 99. in editione Parisiensi Baluziana, necnon in Collectionem legum Longobardarum lib. 1. tit. 31. cap. 12., ubi tamèn eadem leguntur sub nomine Caroli Imperatoris.

CAPUT XVIII.

De Concilio Ephesino.

Duos nomine Symboli, in Concilio Ephesino editi, laudavit canones Gratianus; sunt autèm.

Can. 80. *de cons. dist.* 2. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 39. *de cons. dist.* 5. *paulò varius in diversis exemplaribus.*

CUM Nestorius, ex Monacho, & Presbytero Antiocheno Patriarcha Constantinopolitanus, à veterum Patrum, & divinarum Scripturarum traditione deflecteret in explicanda conjunctione divinæ, & humanæ naturæ in unam, eamdemque Christi personam, ejusque hæresis paulatim universam ferè orientalem Ecclesiam turbaret, celebratum fuit Concilium generale Ephesinum anno 431. Theodosio juniore imperante, & Cœlestino Pontifice Maximo, cujus nomine toti Synodo præfuit S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Tota res in definiendis fidei dogmatibus, ad divinam præsertim Christi Personam pertinentibus, versata est, præter nonnulla quædam, quæ Nestorium ipsum, aut ejus asseclas peculiaritèr affecerunt. Non immoror diutiùs in re vulgatissima. Tantùm observabo, adesse octo Ephesini Concilii canones in Græcis Codicibus, qui tamèn apùd Latinos Collectores referri non consueverunt, ne apùd ipsum quidèm Dionysium Exiguum, cujus tamèn voluntas erat, ut Græcos canones Latinis palàm faceret. Etenim canones isti octo spectabant tantùm Nestorium ipsum, & nonnullos ejus fautores, qui propterèà ad exemplum trahi non facilè poterant, & exiguæ utilitatis esse Viris Ecclesiasticis videbantur, præsertim Latinis, qui nihil commune cum Nestorii perfidiâ habuerunt. Potiùs apùd Latinos & recipi ob auctoritatem Concilii, & referri in Codices ob fidei formulas debuit Epistola quædam synodica, nomine Cyrilli Alexandrini, & totius Ephesini Concilii ad Nestorium scripta, in qua præhabitâ oratione duodecim anathematismi continebantur, quibus, quomodò unusquisque Christi fidem profiteretur, clarè tradebatur. Incipit hæc: *Cum Salvator noster &c.*, atque hanc solam ex universis Concilii Ephesini actibus retulit in suum Codicem Dionysius Exiguus. Apùd Labbeum in Veneta postrema editione tria adferuntur hujus Epistolæ latina exemplaria. Primum latinum & græcum in fine tomi 3., ubi universa Synodus, & ejus acta recensentur collata cum antiquissimo Codice Concilii Ephesini Petri Seguerii Galliæ Cancellarii, ubi hæc, de qua agimus, Epistola habetur cap. 26., & in undecim capitula distributa. Alterum exemplar latinum, quod à Labbeo antiquum dicitur, habetur initio tomi 4., ubi Epistola eadem habetur cap. 8. Postremum in eodem tomo 4. exemplar est Concilii Ephesini, & specialitèr illius Epistolæ ex in-

interpretatione, ut fertur, Marii Mercatoris.

Itaquè ad hanc unam Epistolam duo memorata Gratiani capita reducuntur; etenim in hac Cyrilli Epistola legitur, sive quod habemus in can. 80. de cons. dist. 2., sive quod habemus in can. 39. de consecr. dist. 5. Ad explicanda fidei nostræ dogmata omnia pertinent : & quoniàm variorum Codicum diversa est Græci canonis interpretatio, illud curabo, ut, quod in unoquoque ex memoratis exemplaribus legitur, cum Gratiani canonibus conferam. Ut exordiar à canone 80. de cons. dist. 2., quem anteà in nimias propè angustias conclusum Correctores Romani, quemadmodùm ajunt ipsi, restituerunt, legitur in cap. 7. Codicis Labbeani, cum Segueriano collati, his verbis : *Quin illud quoquè non possum hoc loco non adjicere, nempè Unigeniti Filii Dei, hoc est, Jesu Christi mortem, & ex mortuis resurrectionem annunciantes, ejusdemque in Cœlum assumptionem confitentes, incruentum in Ecclesia Sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, & sanctificari, utpotè participes sacræ Carnis, & pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris effectos : Neque enim illam, ut carnem commune suscepimus. Absit hoc : neque rursùm tamquàm viri cujuspiam sanctificati, aut dignitatis unitate Verbo consociati, aut divinam inhabitationem sortiti, sed tanquàm verè vivificam, ipsiusque Verbi propriam.* Aliud exemplar, quod appellatur à Labbeo antiquæ editionis, ità exhibet : *Necessariò verò & illud adjiciemus : Annunciantes enim secundùm carnem mortem Unigeniti Filii Dei, id est, Jesu Christi, & ex mortuis resurrectionem, & ad Cœlos Ascensionem confitentes sine Sanguine* (legunt alii : *confitentes mundum*) *in Ecclesiis celebramus Sacrificium. Accedimus etiàm ità ad mysticas benedictiones, & sanctificamur participes effecti sanctæ Carnis, & pretiosi Sanguinis* (legunt alii : *tàm sanctæ Carnis, quàm pretiosi Sanguinis*) *omnium nostrum Salvatoris Christi; & non ut carnem communem accipimus* (legunt alii : *accipientes*) *abest; neque quidèm ut Viri sanctificati, & conjuncti Verbo secundùm unitionem dignitatis; vel etiàm quasi inhabitationem divinam habentis, sed ut vivificatoriam verè, & propriam ipsius Verbi.* Exemplaria duo, sive illud, quod interpretationi Marii Mercatoris tribuitur, sive illud, quod Dionysii Exigui est apùd Justellum, omninò consonant cum canone Gratiani, postquàm hodiè is Romanorum Correctorum diligentiâ fuit, ac studio restitutus.

Can. 80. de cons. dist. 2.

Non absimilem exemplarium varietatem agnoscimus in can. 39. de cons. dist. 5. Ità habet exemplar Græco-latinum Labbeanum, cum Segueriano collatum, in cap. 10. *Cetèrùm, cum de Spiritu Sancto ait: ille me clarificabit, nisi errare velimus, Christum Dei Filium, veluti gloriæ, quæ aliundè proficiscitur, indigum, à Spiritu Sancto glorificatum nequaquàm dicemus : siquidèm Spiritus illius neque illo melior, neque illo rursùm sublimior est. Verùm, quod ad divinitatis suæ significationem suo subindè Spiritu in insignium operum perpetratione uteretur, ob id se ab illo glorificari profitebatur : perindè ac siquis nostrum de sua fortitudine, aut cujusvis rei scientia dicat : mea me virtus, aut scientia glorificabit. Nàm, etsi Spiritus in propria persona subsistat, eatenùsque in se ipso consideretur, quatenùs Spiritus, & non Filius, non est tamèn ab eo alienus; quandoquidèm Spiritus veritatis nominatur; Christus autèm veritas est, & proindè quoquè ab illo, atque à Deo Patre procedit. Cum enim Domino nostro ad Cœlum assumpto Spiritus Sanctus stupenda prodigia per Sanctorum Apostolorum manus ederet, illum glorificavit. Creditum est enim (quòd Deus secundùm naturam esset) ipsum per Spiritum suum denuò operatum; propterea quoquè ajebat : quoniàm de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Alterum exemplar, quod à Labbeo antiquæ editionis dicitur, his verbis exprimitur : *Cum autèm dicit de Spiritu : ille me glorificavit, intelligentes rectè, non ut gloriæ indigentem alterius, dicimus unum Christum, & Filium à Spiritu Sancto gloriam accipere, quia nec potior eo est, & supèr eum ejus Spiritus est.* (legunt alii : *nec suprà eum Spiritus ipsius.*) *Quoniàm autèm ad demonstrationem suæ divinitatis utebatur suo Spiritu ad magnas operationes, glorificari se ab eo dicebat, veluti si quispiam dicat*

Can. 39. de cons. dist. 5.

cat eorum, qui secundùm nos sunt, de insita sibi fortitudine forsitàn, vel disciplina, vel de quolibet: quia glorificabunt me. (legunt alii: *veluti si quidam homo dicat de insita sibi fortitudine forsàn, vel disciplina qualibet, quia glorificabunt me.*) *Quamvis enim est in subsistentia Spiritus speciali (nàm & intelligitur per se secundùm quod Spiritus est, & non Filius), sed tamèn non est alienus ab eo. Spiritus enim veritatis nominatur, & est Christus veritas, & profluit ab eo, sicut denique & ex Deo Patre. Operatus est enim Spiritus & per manum Sanctorum Apostolorum mirabilia pòst ascensum Domini Nostri Jesu Christi ad Cœlos glorificavit eum, creditus est enim, quia Deus secundùm naturam est, iterùm ipse operans per suum Spiritum; propter hoc & dicebat: De meo accipiet, & nuntiabit vobis.* Alia exemplaria, sive quod Mario Mercatori à Labbeo tribuitur, sive quod habemus in Codice Dionysii Exigui, consonant cum editione Gratiani pòst Romanam Correctionem, dummodò tamèn pro illis verbis Gratiani, *De Spiritu dicit Dominus in Evangelio: ille me clarificabit*, legerimus: *De Spiritu quoquè cum dicit: ille me clarificabit*; itèm pro illis, *in sua sit substantia &c.* legerimus: *in sua sit subsistentia Spiritus, & ejus intelligatur in persona proprietas*; demùm pro illis: *Dominum glorificavit Jesum Christum, postquàm ascendit in Cœlum, nàm creditus est Christus natura Deus existere &c.*, legerimus: *Dominum glorificat Jesum Christum, postquàm ascendit in Cœlum; nàm creditus est Christus natura Deus Existens &c.*

CAPUT XIX.

De Concilio Arausicano.

Concilii Arausicani nomine sequentes Canones apùd Gratianum referuntur.

- *Can.* 3. *dist.* 64. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 6. *dist.* 87. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 7. *caus.* 26. *q.* 6. *ex pluribus Concilii Arausicani canonibus compositus.*
- *Can.* 35. *caus.* 27. *q.* 1. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 125. *de cons. dist.* 4. *multò varius in diversis exemplaribus.*

Addendi sunt:
- *Can.* 107. *caus.* 11. *q.* 3.
- *Can.* 108. *caus.* 11. *q.* 3.

Auctorem potiùs habent Reginonem Prumiensem.

DUo apùd veteres celebria referuntur Arausicana Concilia, ità dicta ab Arausica Civitate in Gallia Narbonensi, non procùl ab Avenione sita; alterum anni 441., alterum anni 529. De hoc posteriore non est, cur verba faciamus. Actum in eo est de gratia, & libero arbitrio in causis Pelagianorum, nec ex ipso ullum depromptum est fragmentum apùd Gratianum. Agam tantummodò de eo, quod habitum est anno 441., ad quod, Præsidente Hilario Arelatensi, convenerunt Episcopi septemdecim; & triginta capitibus editis Ecclesiasticam disciplinam, quæ in Galliæ Provinciis lapsa quodammodò videbatur, restituerunt, in ea potissimùm parte, quæ ad Sacramenta pertinebat, sive Sacramentorum administrationem. Cum autèm in canone 21. hæc sint priora verba: *In Provinciis nostris &c.* facilè deducitur hoc Concilium non esse Provinciale, sive ex unius tantùm Provinciæ Episcopis celebratum,

sed

sed Nationale totius Galliæ ; quemadmodùm etiàm deducitur non generale esse totius Ecclesiæ, quod tamèn nonnulli asserere non dubitaverunt, quin tamèn id aliquo rationis momento demonstraverint.

Can. 3. dist. 64. Sententiam dicti canonis 21. retulit Gratianus in can. 3. dist. 64., cujus verba ità sunt ex integris Concilii exemplaribus emendanda : *In nostris Provinciis placuit de præsumptoribus, ut, sicubi contigerit duos Episcopos Episcopum invitum facere, auctoribus damnatis, unius eorum Ecclesiæ ipse, qui vim passus est, substituatur, si tamèn vita respondet, & alter in alterius dejecti loco nihilominùs ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipse damnabitur : quo cautiùs ea, quæ sunt antiquitùs constituta, serventur.* Sententia Arausicanorum Patrum hæc erat, ut nemo ordinaretur Episcopus, nisi à tribus simùl convenientibus Episcopis, quod sanè antiquissimæ, atque Apostolicæ disciplinæ conforme est, & in universa Ecclesia servatum. Adversùs eos autèm, qui, non servato numero ordinantium, Episcopum ordinassent, pœna dejectionis ab Episcopatu indicta est, concesso dejecti unius Episcopatu illi, qui consecratus fuisset invitus ; omnibus verò ab Episcopatu remotis, si quis consentiens fuisset à duobus tantùm Episcopis consecratus. Jam consecrationes hujusmodi biennio anteà fuerant in Galliis improbatæ, videlicèt in Concilio Regiensi, sive Rejensi anni 439. in Provincia Narbonensi ; ibi enim can. 1. vetitum fuerat, ne à duobus tantùm Episcopis ordinarentur Episcopi, indictâ pœnâ ordinantibus, ut ad Concilia ampliùs cum ceteris convenire non possent, & ab ordinationibus celebrandis in posterum abstinerent. At satis hæc non fuerant ad coercendum quorumdam Episcoporum ausum, qui nihilominùs contrà sacros canones hujusmodi ordinationes faciebant ; propterea erant iidem in Concilio Arausicano pœnis gravioribus coercendi.

Can. 6. dist. 87. In canone 6. dist. 87. Gratianus junxit canones 5., 6. & 7. Concilii ejusdem Arausicani, in quibus animadvertendum est, pro illis Gratiani verbis, *revocare tentaverit*, legi in vulgatis Conciliorum exemplaribus : *imprimere tentaverit*. Pertinent autèm ii canones ad servos in Sacrosanctis Ecclesiis manumissos, quos veram libertatem nancisci debere statutum erat jam ex Imperatorum constitutionibus ad instar manumissionum, quæ olim fieri solebant censu. Etenim olim, Censore lustrante singulis quinquenniis urbem, satis erat servis, si dominorum voluntate adscriberentur in civium numero à Censore, ut libertatem acciperent ; at verò, cum censorium munus exoleverit, inductus fuit novus modus manumittendi in Sacrosanctis Ecclesiis, ut coràm Episcopo & Clericis libertas servo data valeret. Quæ sanè ne revocaretur, curandum potissimùm à Clericis, & Episcopis fuerat, utpotè qui & testimonium manumissioni præbuerant, & auctoritatem, ne fides publicè in Ecclesia data violaretur in deducus earumdem Ecclesiarum.

Can. 7. caus. 26. q. 6. Canon 7. caus. 26. quæst. 6. plures complectitur Arausicanos canones, videlicèt tertium, quartum, duodecimum, & decimumtertium, quos omnes ideò fortè conjunxit Gratianus, quia ad unam eamdemque rem pertinere videntur. Juvabit tamèn singula suis capitibus accommodare, & ità memorata Concilii capita distinguere. In canone 3. Arausicano ità legitur : *Qui recedunt de corpore* (eos intellige, qui infirmi sunt, & proximè recessuri videntur), *pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi secundùm definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quòd si supervixerint, stent in ordine pœnitentum, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant.* Quod hoc in loco dicitur, pœnitentiam viatici nomine à Patribus fuisse appellatam, refertur ad canonem 13. Concilii Nicæni, ubi similia quædam

cons-

constituta leguntur; quò etiàm pertinet, quod ait Innocentius Epist. 2. ad Exuperium cap. 2. ibi: *Communionem dari abeuntibus placuit, quasi viaticum profecturis.* In canone 4. Arausicano ità legimus: *Pœnitentiam desiderantibus Clericis non negandam.* Quæ sanè Constitutio intelligenda est de pœnitentia, ex voluntate, & humilitate suscepta, & ob leviora delicta; etenim in gravissimis criminibus Clericus in pœnitentium gradus dejectus rursùm in gradum suum restitui minimè poterat: hinc tradit Siricius Papa in Epist. ad Himerium cap. 14. *Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum.* Hanc eamdem rem maximè declarant Toletani XIII. Concilii Patres can. 10. ità decernentes anno 683. *Sancta synodus definivit, ut, quicumque Pontificum, vel Sacerdotum deinceps per manuum impositionem pœnitentiæ donum exceperint, nec se mortalium criminum professione notaverint, tenorem retentandi regiminis non amittant, sed per Metropolitanum reconciliatione pœnitentium more susceptâ, solita compleant ordinis sui officia, vel cetera mysteriorum sibi credita Sacramenta.* Sequitur Gratianus subdens verba Arausicani canonis 12., quæ hæc sunt. *Subitò obmutescens, prout status ejus est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Demùm adfert canonem 13. Arausicanum, ubi ità habetur: *Amentibus, quæcumque pietatis sunt, conferenda.*

Can. 35. caus. 27. q. 1.

Quæ leguntur in can. 35. caus. 27. quæst. 1. minimè consonant cum integris Concilii Arausicani exemplaribus, ex quibus idem canon emendandus erit. Porrò ità habetur in can. 27. Arausicano: *Viduitatis servandæ professionem, coràm Episcopo in Secretario habitam, imposita ab Episcopo* (ità veteres Codices habent: notat autèm Sirmondus, in paucis quibusdam recentioribus Codicibus legi: *imposita à Presbytero) veste viduali indicandam* (fortè *judicandam*, sive, ut aliis legere placet: *vindicandam*). *Raptorem verò talium, vel ipsam talis professionis desertricem merito esse damnandam.* Referuntur hæc ad vetustissimam illam disciplinam, juxtà quam viduæ capiti imposito sacro velamine Deo dedicabantur, ut quasi Sanctimoniales divino cultui addicerentur, atque etiàm ità, ut à proposito ampliùs resilire non possent, eoque minùs ad secundas nuptias adspirare, indictis non solùm adversùs ipsas, sed etiàm adversùs earumdem raptores, aut violatores gravissimis pœnis, quemadmodùm decretum scimus in l. 54. Cod. de Episcopis, & Clericis, & l. un. Cod. de raptu virginum, seu viduarum. Porrò hujusmodi viduæ solemni, ut ajunt, castitatis voto adstringebantur, quarum professio & consecratio hoc modo fiebat ex Ordine Romano. Procedebat in Episcopi conspectum vidua Clericis adstantibus in Secretario, sive Diaconico Ecclesiæ; ibidèmque professionem castitatis perpetuæ libello descriptam Episcopo exhibebat, quâ per Episcopum acceptâ, induebatur velamine, sive pallio, suo ordini congruente. Hic ritus etiàm exhibetur in Concilio Toletano X. anni 656. can. 4., quem refert Gratianus in can. 16. caus. 20. quæst. 1.

Can. 125. de cons. dist. 4.

In canone 125. de consecr. dist. 4. habetur canon primus, sive, ut in aliis editionibus, secundus Arausicani hujus Concilii, cujus tamèn verba non eadem in omnibus Concilii exemplaribus habentur, quemadmodùm ex sequentibus liquere facilè poterit. Ità habet Gratianus: *Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquàm debet progredi.* (legunt alii: *Nullum ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate unquàm debere progredi*) *quia inter nos placuit semèl in baptismate chrismari;* (legunt alii: *semèl chrismari*, omissis illis verbis: *in baptismate*). *De eo autem, qui in baptismate quacumque necessitate faciente chrismatus non fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur;* (legunt alii: *non commonebitur.*) *Nàm inter nos chrismatis ipsius non nisi una benedictio est,* (legunt alii: *nàm inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi una benedictio est,*) *non præjudicantes cuiquam hoc dicimus, sed ut necessaria habeatur chrismatio.* (legunt alii

alii : *non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*, alii legunt : *non ut præjudicans quicquam dico, sed ut non necessaria habeatur rechrismatio*, alii tandèm ità legunt : *sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita.*)

Sic observatâ plurium exemplarium varietate, explicanda erit Arausicanorum Patrum sententia, quam vulgò Interpretes, & Glossographi ità confuderunt, ut, quæ mens illis fuerit, ne levitèr quidèm attigerint. Itaquè operæ pretium erit in primis animadvertere, non generatim apùd veteres obtinuisse, ut in administrando Confirmationis Sacramento sacri Chrismatis inunctio fieret ; quod enim sensibile signum in eodem Sacramento habebatur, potissimùm in manuum impositione consistebat ex Apostolica traditione. Chrismatis quidèm usus in Ecclesia est antiquissimus, utpotè cujus mentionem etiàm fecit Dionysius Areopagita in libris Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 2. parte 2., & cap. 4. parte 3., non tamèn ubiquè receptus fuit in Sacramento Confirmationis, licèt apùd omnes ferè Ecclesias viguerit inter cæremonias Sacramenti Baptismatis, quemadmodùm & hodiè observatur. Igitùr in Ecclesia Gallicana Chrismatis unctio fiebat quidèm in Sacramento Baptismi, non autèm in Sacramento Confirmationis tempore Concilii Arausicani I., quemadmodùm deduci potest ex Hilario Arelatensi, qui & eidem Synodo præfuit ; quippè is in homilia de Pentecoste ità scribit : *Quæ nùnc in confirmandis Neophitis manus impositio tribuit singulis, hoc tùm Spiritus Sancti descensio in credentium populo donavit universis.*

Ex his facilis omninò redditur Arausicani canonis interpretatio. Ibi proponitur initio, ministros omnes, qui baptizandi officium suscepere, sine chrismate progredi non debere. Agitur sanè hoc in loco, non de Episcopis, qui tùnc temporis erant ordinarii baptismatis collatores, sed de inferioribus, sive Sacerdotibus, sive Diaconis ; neque enim Episcopi *ministrorum* nomine in sacris canonibus appellari unquàm consueverunt ; aut de Episcopis dici potuit, eos *progredi debuisse*, quæ verba de eo ministro intelligi tantummodò possunt, qui extrà ordinem est baptizaturus, & ad absentes, aut etiàm in periculis constitutos mittitur. Hi itaquè ministri jubentur, ne sine chrismate ad conferendum Sacramentum baptismatis progrederentur, sed sempèr cæremonialem baptismi chrismationem peragerent. Sequuntur Arausicani Patres : *quia inter nos placuit semèl chrismari*, vel : *semèl in baptismate chrismari.* Mens illorum erat, baptizatos omninò chrismandos esse ab iis, qui baptisma conferebant, quia receptum erat in Gallia in Sacramento Confirmationis nullam chrismatis inunctionem fieri ; proptereàque futurum erat, ut, qui in baptismate chrismate non inungeretur, nuspiàm ampliùs inungendus fuisset. Subdit Concilium Arausicanum, si quandò contigerit ex necessitate chrismationem fuisse in baptismate omissam, monendum esse Sacerdotem in Sacramento Confirmationis. Clara esset sententia, nisi alia Concilii exemplaria difficultatem parerent, quibus dicitur, Sacerdotem non esse admonendum. Sed nihilominùs, quæcumque editio prævaleat, apparet ex his Chrismationem habitam fuisse, tamquàm meram baptismatis cæremoniam, neque tanquàm necessariam in Sacramento Confirmationis. Etenim, si legamus Sacerdotes monendos non esse, talem affingemus sententiam Patribus Arausicanis, ut asserant curandum nullo modo esse de Chrismatione, quotiescumquè omissa fuerit ex necessitate, quòd sine ipsa, & Sacramentum Baptismatis integrè susceptum sit, & Sacramentum Confirmationis integrè suscipi possit. Si verò legamus Sacerdotes monendos esse, id videmus factum ex humanitate, tùm demùm scilicèt, quandò non ex incuria baptizantis omissa Chrismatio fuerit, sed potiùs ex necessitate. At, quæ humanitatis intuitu fiunt, ad solemnitates quidèm, & cæremonias pertinent Sacramentales, non

ad ipsam Sacramenti substantiam. Ego arbitror, recipiendam esse potiùs eam editionem, quâ dicitur non esse ampliùs monendos Sacerdotes; cum hæc lectio consonet posterioribus illis verbis Patrum Arausicanorum: *Nàm inter nos Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est*; quasi dixerint, ritum Gallicanæ Ecclesiæ talem esse, ut in administrando Confirmationis Sacramento nulla fieret chrismatio. Profitentur demùm Arausicani Episcopi, se ità statuere, *non præjudicantes cuiquam*; quibus verbis spectarunt diversas aliarum Ecclesiarum consuetudines, juxtà quas pluribus in Provinciis duplex chrismatio fiebat, alia in Sacramento baptismatis, alia in Sacramento Confirmationis. Quamobrèm exindè adparet, quanta fuerit Hilarii Arelatensis, aliorumque cum eo convenientium Episcoporum moderatio, qui voluerunt quidèm receptum suarum Provinciarum ritum, de non repetenda baptismatis chrismatione, confirmare, ità tamèn, ut aliarum Ecclesiarum cæremonias minimè contemnerent, aut minùs probarent, apùd quas diversa consuetudo invaluerat; rati enim erant, Ecclesiæ ex disciplinæ varietate non nihil venustatis accedere. Atque his, arbitror, me consequutum fuisse intimam Arausicanorum Patrum sententiam, quam hùc usquè, quoàd noverim, nemo ex Glossographis attigit, ut superiùs ajebam.

Can. 107. & 108. caus. 11. q. 3.

Duo adhùc supersunt Gratiani fragmenta, quæ nomine Arausicani Concilii referuntur, videlicèt canones 107., & 108. caus. 11. quæst. 3., qui tamèn nullo modo ad Arausicanum Concilium pertinent, licèt ex eo laudentur apùd Ivonem, & Burchardum. In Labbeana Collectione Venetæ editionis utrumque fragmentum descriptum est ad calcem Arausicani Concilii, eaque Collector testatur partim desumpsisse ex Gratiano, partim ex alio codice librorum 16. capite 7. libri 11., ubi fusè describitur modus absolvendi excommunicatum, adjectis pluribus orationibus, ad absolutionem ipsam spectantibus. Me tamèn juvat altiùs repetere originem horum canonum. Itaquè arbitror, illorum auctorem fuisse Reginonem Prumiensem, cujus primùm tempore, sæculo scilicèt nono, quædam variarum rerum Ecclesiasticarum generales formulæ induci, ac componi cœperunt: Etenim antè Reginonem nullibi leguntur generalitèr & communitèr præstitutæ formulæ excommunicationum, aut absolutionum, ne quidèm apùd Marculfum, qui, eruditorum sententiâ, paulò antè Reginonem suas formulas edidit. At Regino, postquàm jussu Rathbodi Trevirensis Episcopi ad usum Diæcesis Trevirensis adornavit certam canonum Collectionem, in qua præcipua, & temporibus accommoda disciplinæ Ecclesiasticæ capita continerentur, propè finem libri 2., nimirùm pòst caput 407. cum de excommunicatis nonnulla loquutus fuisset, varias voluit adjicere excommunicationum formulas, alias aliis terribiliores, alias aliis breviores, aut minùs terrificas, quæ ad usum Trevirensis Diæcesis pro data occasione adhiberentur. Valdè enim conveniens videbatur, ut certæ censurarum sive infligendarum, sive remittendarum formulæ publicè proponerentur, quæ usu omnium reciperentur, quemadmodùm similes posteà ab aliis Ecclesiis compositæ fuerunt, atque in Ritualibus, sive Manualibus descriptæ. Itaquè in cap. 409. lib. 2. Collectionis incipit prior excommunicationis formula ab eodem Reginone composita, pòst quam hæc verba sequuntur: *Debent autèm duodecim Sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis, vel excommunicationis projicere debent in terram, & pedibus conculcare. Pòst hæc Episcopus plebi ipsam excommunicationem communibus verbis debet explanare, ut omnes intelligant, quàm terribilitèr damnatus sit, & ut noverit, quod ab illa hora in reliquum, non pro Christiano, sed pro Pagano habendus sit...Deindè Epistolæ Presbyteris per paræciam mittantur, continentes modum excommunicationis.* Hæc sanè illa ea-

eadem sunt, quæ Gratianus retulit in can. 106. caus. 11. q. 3., quæ etiàm retulit Ivo, & Burchardus ex Concilio Rothomagensi, quia non satis attenderant Reginonis Collectionem; cum enim in postremo Reginonis capite, antequàm describantur formulæ excommunicationis, mentio fiat Concilii Rothomagensis, crediderunt Burchardus, & Ivo, sequentes etiàm formulas Rothomagensi Concilio tribuendas esse. Ceterùm hujus ritus germanus auctor erat ipse Regino, qui deindè & alias subdidit excommunicationum formulas, inter quas cap. 413. una habetur, quæ hunc habet titulum: *Excommunicatio Brevis*, atque his verbis exprimitur: *Canonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores illos auctoritate Dei, & judicio Sancti Spiritus à gremio sanctæ Matris Ecclesiæ, & consortio totius Christianitatis eliminamus, quousquè resipiscant, & Ecclesiæ Dei satisfaciant.* Quis non videat, hanc formulam eamdem esse, quam descripsit Gratianus in dicto canone 107. caus. 11. quæst. 3.? Pòst hæc subsequitur Regino in capite 414. hoc titulo: *Qualiter Episcopus reconciliet, vel recipiat excommunicatum.* Et in capite: *Cum aliquis excommunicatus, vel anathematizatus pœnitentia ductus veniam postulat, & emendationem promittit, Episcopus, qui eum excommunicavit antè januas Ecclesiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc indè circumstare debent, ubi etiàm adesse debent illi, quibus injuria, vel damnum illatum est, & ibi secundùm leges Divinas, & Humanas oportet damnum commissum emendari, aut si jam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deindè interroget Episcopus, si pœnitentiam juxtà quod canones præcipiunt pro perpetratis sceleribus suscipere velit; et si ille terræ prostratus veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, de futuris cautelam spondet: tùnc Episcopus apprehensâ manu ejus dexterâ, eum in Ecclesiam introducat, & communionem, & societatem Christianam reddat. Pòst hæc secundùm modum culpæ pœnitentiam ei injungat, & literas per Paræciam dirigat, ut omnes noverint eum societate Christianâ receptum.* Hic est canon Gratianeus 108. caus. 11. quæst. 3. cui certa oratio ex Ritualibus illis ætatis adjecta fuit, quæ solebat ab Episcopo recitari tempore absolutionis, cum aliis benè multis, quæ referuntur apùd Labbeum loco, suprà memorato. Non omittam etiàm illud hoc loco admonere, quasdam hujusmodi excommunicationum formulas, atque inter ceteras illam, quæ à Gratiano describitur in dicto Canone 107., editas fuisse in editione Capitularium Regum Francorum Baluziana Tomo 2. pag. mihi 663. & sequentibus, quas ipsemet Baluzius testatur se ex antiquissimis Ecclesiarum MSS. Codicibus excerpsisse. Intereà illud mihi sufficiat, demonstrasse eorum canonum auctorem, quos Gratianus ex editione Burchardi, & Ivonis deceptus falsò ex Arausicano Concilio laudaverat. Quòd si fortè quispiam petat, quarè apùd recentiores istos Collectores fragmenta hujusmodi fuerint Concilio Arausicano tributa; ego sanè non aliam rationem illis fuisse crediderim, quàm quòd fortè hujusmodi formulas in eo codice descriptas invenerint, in quo præcipuè Arausicani canones descripti fuerant, ac proindè arbitrati fuerint easdem ad Arausicanum Concilium etiàm pertinere.

CAPUT XX.

De Concilio Vasensi.

Nomine Vasensis Concilii tria hæc apùd Gratianum capita describuntur.

Can. 2. *caus.* 6. *q.* 2. *redigendus ad exemplaria Concilii Vasensis anni* 442.
Can. 10. *caus.* 13. *q.* 2. *consonat cum exemplaribus Concilii Vasensis anni* 442.
Can. 15. *caus.* 13. *q.* 2. *pertinet potiùs ad Concilium Nannetense.*

VAsione, sive Vasatis Civitate Galliæ Narbonensis, quam hodiè Basas vocant, nonnulla celebrata fuisse Concilia, testatissimum est apùd Conciliorum Collectores, qui illorum acta, & canones referunt. Non una tamèn omnium est de Vasensium Conciliorum numero opinio; duo enim alii, alii tria recensent, quorum deindè canones ità confundunt, ut, qui primo in Concilio editi feruntur, legantur etiàm in tertio, & secundo. Itaquè, qui tria recensent, scribunt, primum celebratum fuisse circa annum 350., secundum anno 442., tertium anno 463., vel, uti aliis placet, 529. Primo autèm Concilio anni circitèr 350. tria tantummodò capita tribuunt, quorum primum legitur in capite 4. Concilii Vasensis II., & caput secundum, ac tertium leguntur in canone 3., & 4. Concilii Vassensis III. Sed hæc, ut videtur, opinio Vasensia magis confundit, ac perturbat Concilia, quàm distinguat. Propterea melius sentire videntur, qui duo tantummodò Vasensia Concilia numerant, aliud anni 442., aliud 463., vel 529. illo omisso, quod anno circitèr 350. tribuitur. Neque verò satis difficile est rationibus illorum satisfacere, qui contrà arbitrantur. Difficultas enim, quæ subesse potest iis, qui Concilium Vasense anni circitèr 350. omittunt, oritur ex eo, quod in Concilio Arelatensi II. can. 47. mentio fiat Concilii Vasensis, ac propterea tale Vasense Concilium affingendum videatur, quòd Concilium secundum Arelatense præcesserit. Verùm hæc difficultas nullius momenti est apùd Sirmondum, & eos, qui Sirmondi Epocham Conciliorum sequuntur; Vir enim eruditus observavit, Concilium Arelatense II. celebratum fuisse pòst annum 442., ac fortè etiàm anno 452., iccircò canonem 47. Concilii ejusdem Arelatensis commodè referri posse ad Concilium Vasense an. 442., nec esse ea de causa antiquius aliud Concilium Vasense fingendum. Præterquamquòd addi potest, canones Concilii Arelatensis II. vulgatos non omnes Arelatensis ejusdem Concilii fuisse, sed tantùm viginti quinque priores, quemadmodùm constare potest ex veteribus MSS. Codicibus, à Labbeo, & eodem Sirmondo observatis; illos autèm canones, qui pòst vigesimum quintum Concilio subjecti sunt, pertinere ad aliud posterius Concilium; Quamobrèm, cum mentio Vasensis Concilii tantummodò habeatur in canone 47. ex iis, qui Arelatensi Concilio tribuuntur, necesse nullatenùs est, ut tale Vasense Concilium fingatur, quod Concilium ipsum Arelatense præcesserit.

Ità præfatus de Conciliis Vasensibus, quorum canones vulgò proferuntur, arripio Gratiani fragmenta, & in primis canonem 2. caus. 6. quæst. 2., qui in Codicibus Gratiani dicitur depromptus ex can. 8. Concilii Vasensis I. Legitur autèm in can. 8. Concilii Vasensis, quod diximus celebratum anno 442. sive illud primum appelletur, sive secundum. Nùm hoc Concilium Nationale totius Galliæ fuerit, an verò Provinciale, vel tantummodò Diœcesanum, satis non constat, cum in editis Concili exemplaribus nomina, & subscriptiones Episcoporum desiderentur. Can. 2. caus. 6. q. 2.

Si

Si tamèn conjecturis dandus est locus, facilè suspicari possumus, idem Concilium fuisse Nationale totius Galliæ. Etenim decernitur in canone 1. de Episcopis Provinciarum omnium Galliæ, eorumque causis discutiendis, quod sanè nisi à Concilio totius Nationis generaliter decerni non poterat. Prætereà in canone 6. ità legitur: *Placuit prætereà accusandi licentiam etiàm in nostri ordinis, si qua existit, levitate comprimere, ut se Episcopus* &c., quæ sanè verba significant, quamplures Episcopos ad illud Concilium convenisse, quod & clariùs probatur ex Concilio Vvormaciensi anni 868. can. 60., ubi scribitur decem, & octo Episcopos Vasensi huic Concilio interfuisse. Quamobrèm gravis erit, & venerabilis hujus Concilii auctoritas, tamquàm illius, quod totius Nationis fuerit, aut saltèm plurium Galliæ Provinciarum. Ut autèm luculentiùs explicemus sententiam dicti canonis 2. caus. 6. quæst. 2., operæ pretium erit duo ejusdem Concilii capita describere, scilicèt canonem 7., & 8., quorum unus ex alio pendere videtur. In canone 7. hæc habentur: *Placuit prætereà accusandi licentiam etiàm in nostri ordinis, siqua existit, levitate comprimere, ut se Episcopus siquem judicat abstinendum, & pro humiliatione, & correptione fratris assurgit, exorari à ceteris acquiescat, fratri, de quo agitur, correptione, & comminatione adhibitâ. Sin autem de crimine aliquem putet esse damnandum, accusatoris vice discutiendum sciat. Fas est enim, ut, quæ uni probantur, probentur omnibus*; & in can. 8., undè excerptus est Gratiani canon: *Quòd si se tantùm Episcopus alieni sceleris conscium novit, quamdiù probare non potest, nihil proferat; sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret. Quòd si correptus pertinacior fuerit, & se communioni publicæ ingesserit, etiamsi Episcopus in redarguendo illo, quem reum judicat, probationibus deficiat, indemnatus licèt, ab iis, qui nihil sciunt, secedere ad tempus pro persona majoris auctoritatis jubeatur, illo, quamdiù probari nihil potest, in communione omnium, præterquàm ejus, qui eum reum judicat, permanente.* Ex his emendanda erunt Gratiani verba, quæ non satis cum canone ipso Concilii consonant. Notat ad hunc canonem Gabriel Albaspinæus, in Galliis majorem reverentiam Episcopis fuisse delatam, quàm delata fuerit in Africa, cum legeret alitèr constitutum fuisse in canone 5. Concilii Carthaginensis, quod septimum appellant, sub Aurelio anno 419., ibi: *Itèm placuit, ut, si quandò Episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille negat, non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur: Et si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, quamdiù excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest.* Sed veniâ dixerim Viri eruditi, hæc duo Gallicanæ, & Africanæ Ecclesiarum capita diversa mihi videntur potiùs, quàm contraria. Etenim in canone Vasensi tribuitur aliqua fides Episcopo asserenti, licèt in probatione deficienti, quotiès tamèn Episcopus alitèr, quàm per voluntariam Rei ipsius confessionem reum judicaverit; at in canone Carthaginensi non nihil detrahitur Episcopali judicio, quotiès Episcopus idem, qui aliàs nullis probationibus reum criminis convincere posset, ex sola humilis, ac pœnitentis Rei confessione reum ipsum publicè damnari postulat, quemadmodùm ex ipsismet canonis verbis clarissimè liquet. Quod itaquè in Vasensi Concilio Episcopali auctoritati honor debitus exigere videbatur, non idem ipsum servandum erat in Carthaginensi Concilio, quotiès Episcopi cujuspiam imprudentia esset improbanda. Hæc sanè utriusque canonis interpretatio mihi vel eo magis adridet, quòd asperum sempèr visum fuit, talem de Conciliis licèt peculiarium Ecclesiarum ferre sententiam, ut unius canones canonibus alterius adversarii videantur, ubi præsertim commodè fieri potest, & servatâ utro-

utrobique Sanctorum Patrum mente, ac voluntate, quæ ut plurimùm ex canonum verbis adparet.

Can. 10. Can. 13. q. 2. Canon 10. caus. 13. quæst. 2. legitur non solùm in exemplaribus ejusdem Concilii Vasensis anni 442. canone 4., verùm etiàm in canone 1. illius Vasensis Concilii, quod nonnulli celebratum asserunt anno 350., sed exindè novum argumentum habemus, ut concludamus Concilium illud anno 350. adtributum fictitium esse, & apocryphum Gallicanæ Ecclesiæ monumentum, ac propterea canonem 10. Gratianeum pertinere tantummodò ad Concilium Vasense anni 442. Reverà in fine hujus canonis ità habetur: *Undè & quidam Patrum hoc scriptis suis inseruit, congruente sententiâ, quâ ait: amico quidpiam rapere furtum est; Ecclesiam verò fraudare sacrilegium.* Nomine *cujusdam Patrum*, hic sanè nemo alius intelligi potest, quàm S. Hieronymus, qui eam sententiam descripsit in Epist. 2. ad Nepotianum, cujus fragmentum habemus apùd Gratianum in can. 71. caus. 12. quæst. 2. At verò Hieronymus anno 350. adolescens adhùc erat viginti circitèr annorum, nec tùm aut Epistolam ad Nepotianum scripserat, nec poterat *cujusdam Patrum* nomine significari; proindèque nupèr descripta verba ad nullum Concilium Vasense, aut quodvis aliud anno 350. celebratum referri possunt, utiquè tamèn ad Concilium Vasense anni 442. Illud prætereà ad hunc canonem est observandum, verba Gratiani consonare cum verbis Concilii Vasensis anni 442. juxtà edita exemplaria: dummodò tamèn principio ità legerimus: *Qui oblationes defunctorum Fidelium detinent, & Ecclesiis &c.* Hæc autèm est Constitutio illa Vasensis Concilii, quam superiùs diximus confirmatam in eo canone 47., qui tributus est Concilio Arelatensi II. anni circitèr 452. juxtà animadversiones Sirmondi, ubi sic legitur: *Secundùm constitutionem Synodi Vasensis, quicumque oblationem fidelium suppresserit, aut negaverit, ab Ecclesia, cui fraudem fecerit, deponatur.*

Can. 15. caus. 13. q. 2. Canonem 15. caus. 13. quæst. 2. jam observarunt Correctores Romani haberi in Concilio Nannetensi can. 6., sed Varensis, aut Vasensis Concilii nomen eidem adjectum non immutarunt, adjectâ ratione, quòd fortè in quodam Vasensi Concilio inveniri aliquandò possit. Prudens sanè observatio, quæ paulò frequentiùs in Gratianeis inscriptionibus eruditorum judicio erat facienda. Ceterùm hac in re ego arbitror, Concilii Varensis, seu Vasensis nomen ex errore fuisse adpositum in codicibus Gratiani, cum legendum potiùs esset Nannetense Concilium. Etenim etiàm in recentioribus Burchardi Codicibus hic canon hodiè refertur nomine Concilii *Hāneten*, in quàm fortassè depravatam scriptionem incidentes posteriores Collectores facilè potuerunt de *Varensi*, aut *Vasensi* Concilio intelligere, quæ Nannetensi Concilio tribuenda erant. Hinc in vulgatis Codicibus Ivonis laudatur idem canon ex utroque Concilio tùm Vasensi, tùm Nannetensi; Nannetensis enim Concilii nomen habetur in inscriptione canonis, & Vasensis ad marginem, fortè ex eo, quòd Ivo, aut quisquis alius decreti Collector Burchardi scriptionem non satis intellexisset. Hæc itaquè animadvertens Gratianus in decreto Ivonis marginalem potiùs notam sequutus est, & Vasense, non Nannetense Concilium scripsit. Suo loco, ubi scilicèt agemus de Concilio Nannetensi, canonem hunc 15. caus. 13. quæst. 2. cum optimis Concilii ejusdem exemplaribus conferemus. Illud intereà observavero, hunc eumdem canonem legi apùd Reginonem in lib. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 125. nomine Concilii Nannetensis, ubi tamèn in §. *Prohibendum* paulò alitèr legitur, quàm apùd Gratianum, ibi: *Prohibendum etiàm secundùm majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenùs sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut exedra Ecclesiæ. Infrà Ecclesiam verò, aut propè Altare, ubi Corpus Domini, & sanguis conficitur, nullatenùs habeant licentiam sepeliendi.* Ex verbis

bis hujùsce canonis tria designantur loca, in quibus olim fidelium cadavera tumulari licebat, atrium videlicèt, porticus, & exedra, licèt tamèn nonnulli pro illis verbis: *aut exedra Ecclesiæ*, in Concilii Nannetensis exemplaribus legendum velint: *aut extrà Ecclesiam.* Non est cur recedamus à vulgata lectione, in qua exedræ mentio fit. Etenim Atrii nomine venit spatium illud vacuum, quod remansit ex area, sive solo, in quo fuerat ædificata Ecclesia, atque hac significatione atrium Ecclesiam totam circumambit: quamquàm apùd nonnullos auctores Ecclesiasticos atrium potius sonet eam areæ partem, quæ proxima januis est, sive antè vestibulum, uti in lib. 4. Capitularium cap. 13., libro 1. legum Longobardarum tit. 9., & apùd Anastasium Bibliothecarium in vita Sergii II., & in vita Doni Papæ, ibi: *Hic atrium B. Petri Apostoli superius, quod est antè Ecclesiam in quadriporticum magnis marmoribus stravit.* Porticum appellamus locum deambulationi aptum, veluti claustrum Ecclesiæ, seu Monasterii, quæ claustra hodiè aliquibus in locis sita sunt ad latus Ecclesiarum, olim verò media constituebantur inter Ecclesiam, & vestibulum, vel etiàm ad utrumque latus Templi, quemadmodùm de Templo Tyrio testatur Eusebius lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. Hinc etiàm Beda lib. 2. cap. 3. Historiæ Anglorum mentionem facit porticus Aquilonaris. Tandèm exedra dicitur locus intrà Ecclesiam constitutus circùm muros adinstar menianorum, sive projectorum, aut etiàm concava quædam loca sublimia ità constructa, ut quis in illis etiàm sedens posset sacris adesse; neque enim in ipsa Ecclesia apùd veteres cuiquam licebat sedere, sed sedendi locus tantùm in menianis, vel projectis esse poterat. Itaquè tria hæc loca sepulturis fidelium accommodata esse poterant, dummodò tamèn unusquisque abstineret à sepulturis intrà Ecclesiam faciendis. At, posteaquàm non solùm in menianis, & projectis, sed etiàm in inferiore Ecclesiæ parte, sive Ecclesia ipsa sedere fidelibus licuit, inductum quoquè est, ut, quemadmodùm olim in exedris, ità deincèps etiàm in Ecclesia ipsa fidelium cadavera tumularentur, dummodò tamèn sepultura non fieret in locis Altari proximis, quemadmodùm etiàm hodiernis consuetudinibus, & canonibus receptum est, ac probatum.

CAPUT XXI.

De Concilio Hibernensi.

Unicum est nomine Concilii Hibernensis fragmentum apùd Gratianum.

(*Can. 5. dist. 82. ab imperito quodam, & obscuro Auctore compositus.*

CONciliorum Hibernensium nomen vix in Ecclesiasticis monumentis legitur. Apùd Labbeum tom. 4. Venetæ Editionis pag. 453., & seq. referuntur quidèm duo hujus nominis Concilia ad annum 450. (quod in causa fuit, cur de Hibernensi Concilio, quod Gratianus laudat, hoc in capite verba facerem): verùm nihil omninò in eisdem continetur, ad quod referri possit Gratianeus canon 5. dist. 82: nisi fortè respicere velimus canonem 28. Concilii prioris, ubi agitur de Clerico excommunicato ad pœnitentiam revocando his verbis: *Si quis Clericorum excommunionis fuerit, solus (non in eadem domo cum fratribus) orationem faciet, nec offerre, nec consecrare licet, donèc se faciat emendatum,*

qui

qui, si sic non fecerit, dupliciter vindicetur. Verùm hæc adhùc procùl omninò distant à Gratianeo fragmento; neque alibi, licèt solertissimè quæsierim, apùd Collectores Conciliorum, non solùm in Hibernensibus, sed neque in aliis Conciliis simile quidpiam reperire potui; quamobrèm facilè locum dedi jam pridèm conceptæ suspicioni, quâ adducebar, ut putarem caput istud ab imperito quodam, & obscuri nominis Auctore confectum esse, atque indè nomine Concilii alicujus falsò suppositum. Romani Correctores fatentur, in vetustis Gratiani exemplaribus laudatum fuisse canonem nomine Concilii Gangrensis; quia verò in Concilio Gangrensi minimè legebatur, à se emendatam fuisse Gratiani scriptionem, & loco Concilii Gangrensis suppositum fuisse Concilium Hibernense. Nùm omnes hujusmodi emendationem probaverint, prorsùs ignoro: Etenim si nomen Concilii Gangrensis immutandus erat, quòd canon in Gangrensi Concilio non haberetur; quibusdam etiàm videri facilè poterit, nec fuisse quidèm supponendum nomen Concilii Hibernensis, cum in omnibus editis hùc usquè Hibernensibus Conciliis desideretur. Sed habent Romani Correctores, quod adferant ad ostendendam emendationis necessitatem, aut convenientiam. Ajunt enim illi, apùd Polycarpum, & in alio libro pervetusto, in quo multi sunt canones pœnitentiales, idem fragmentum referri *ex Theodoro Archiepiscopo Hibernensi.* Hæc quidèm ratio meo judicio valeret magis, quotiès aut Polycarpus, aut Auctor illius libri pervetusti magis integræ, ac spectatæ fidei essent, quàm fuerit Gratianus. Sed vereor, ne fortè eâdem ratione, ceteris paribus, emendandus esset ex Gratiani codice codex Polycarpi, quâ emendatus fuit codex Gratiani ex codice Polycarpi. Deindè verò, si apùd alios Collectores legitur: *ex Theodoro Archiepiscopo Hibernensi*; apùd Gratianum verò: *ex Concilio Gangrensi*; nemo videt, cur, si Gratiani Codex ex aliorum collectionibus sit emendandus, ità legatur: *ex Concilio Hibernensi*, & non potiùs, *ex Theodoro Archiepiscopo Hibernensi.* Itaquè etiàm pòst Romanam Correctionem canon Gratianeus adhùc in ancipiti hæret, nec adparet, ad quemnam locum, & ad quem Auctorem ille sit referendus; nec enim, si de vetustissimo codice pœnitentiali agimus, quem Correctores Romani commemorant, ille adeò vetustus erit, ut non ex Polycarpo describi potuerit; aut si de Polycarpo loquamur, cum initio duodecimi sæculi, & eodem obscurissimo tempore, quo Gratianus Collectionem suam adornaverit, vir non satis excultus, cujus etiàm collectio parùm apùd unumquemque valuit, tanta non erit ipsius auctoritas, ut in hac re eidem potiùs morem gerere debeamus. Itaquè illud verosimilius erit, si concludemus hujus fragmenti inconcinni, atque incompositi Auctorem esse obscurum quemdam hominem, & quidèm sæculi 10., aut 11., qui novam quamdam disciplinam inducere voluerit, & nomine alicujus Concilii veteris ad conciliandam suæ sententiæ auctoritatem evulgare. Atque id ego facilè demonstrabo. Statuitur in eo capite, Sacerdotes in fornicationis crimina lapsos olim quidèm deponendos fuisse juxtà canones Apostolorum; hodiè verò, exactis legitimæ pœnitentiæ per constituta tempora gradibus, in pristinum gradum restitui auctoritate Sylvestri, Clementis, & Callixti Pontificum Maximorum. Tria ibidèm menda manifestissima, ex quibus & ausus inferendus, aut imperitia supina redarguitur Auctoris. Primò enim non aliud ad rem suam adducit, quàm apocrypha monumenta, Apostolorum canones, à quibus tamèn recedendum esse existimat, acta S. Sylvestri, Epistolas Clementis, & Callixti, quæ omnia ab eruditis, tamquàm veteribus illis Patribus falsò tributa, rejiciuntur, quibus tamèn Auctor ejusdem Canonis prorsùs adhærendum existimat. Secundò eadem supposititia monumenta-

ta, quæ ad rem suam commemorat, ità flectit, & detorquet, ut aliam prorsùs eisdem sententiam affingat. Tertiò demùm ex omnibus ità concludit, ut diuturnæ disciplinæ ecclesiasticæ, usquè ad sæculum duodecimum productæ, penitùs adversetur. Sigillatim hæc omnia sunt observanda.

Et quidèm in primis res per se jam liquet, ubi de canonibus Apostolorum, de actibus S. Sylvestri, itèm de Epistolis Callixti, & Clementis agatur; hæc enim tamquàm supposititia decreta ad assequendam primorum Ecclesiæ temporum doctrinam parùm, aut nihil omninò conducunt, ne dixerim à veterum ipsorum disciplina plurimùm recedunt. Propterea jam redarguendus est ejusdem capitis conditor, qui aliud nesciverit in illud referre, quàm quod ex Mercatoris officina, aut aliis similibus deprompserit.

Alterum autèm me magis movet, quòd videlicèt ea fermè omnia, quæ imperitus hujusmodi Auctor ad rei suæ probationem adduxit, licèt supposititia, eam sententiam minimè exhibeant, quam ceteroquin ipse ex illis expressit. De sententia canonum Apostolicorum nihil dixero; etenim Auctor profitetur, se à disciplina in illis constituta recedere, sed adhærere potiùs Sylvestro, Callixto, & Clementi, Pontificibus Maximis. Bone Deus! Quis capere poterit hujusmodi emblemata? quasi jam prioribus sæculis adversatus fuerit Apostolicæ disciplinæ non solùm Sylvester, qui quarto sæculo floruit, aut Callixtus, qui secundo, verùm etiàm ipsemet Clemens, Apostolicus Vir, & Apostolorum Discipulus, per quem ipsimet canones apostolici evulgati fuisse feruntur. Sed accedamus propiùs ad eas, quæ in eo capite describuntur, sententias. Ait Auctor canonis in principio: Si Presbyter fornicatus fuerit, eum juxtà canones apostolicos deponi debere. Id verum est, referturque ad canonem 25. ex apostolicis, qui juxtà Dionysium Exiguum hæc habet: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur, non tamèn communione privetur; dicit enim scriptura: non vindicabit Dominus bis in idipsum.* Et quidèm hæc disciplina in Ecclesia perduravit duodecim ferè integris sæculis, ut inferiùs demonstrabo. Sed prosequitur Auctor canonis, inquiens, aliud docuisse Sanctum Sylvestrum, aliud Clementem, aliud Callixtum, sancientes, ut, si pœnitentiam per decem annos Presbyter egisset, illâ completâ in suo gradu, & ordine perseveret. Ubi Sanctus Sylvester laudatur, referuntur hæc ad canonem 19. Concilii Romani II., quod à Sylvestro celebratum dicunt anno 324. Ità ibidèm legitur: *Nemo enim Presbyter à die onus Presbyterii sumat conjugium, ut, etsi neglecto egerit, decem annis eum privari honore. Quòd si quis contrà hunc Chirographum præsentem, ac pulicè egerit dictum, condemnetur in perpetuum.* Nihil hic dixero de auctoritate hujus Synodi, de qua suo loco jam egimus. Illud liquet statim, sententiam hanc non ad fornicationes, sed ad conjugia pertinere, quæ si Sacerdotes inivissent, multò mitiore pœna afficiebantur, quàm si fornicati fuissent. Atque hoc lucem accipit à Concilio Neocæsareensi, in quo ità legitur can. 1. *Presbyter si uxorem duxerit, ordine suo moveatur; si autèm fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitùs extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur.* Quæ verba, collata cum memorato capite Synodi Romanæ, quæ Sylvestro tribuitur, clarè significant, restitui pòst decennium Sacerdotes illos in gradum suum, qui matrimonia contraxerint, non verò qui in fornicationem inciderint, quemadmodùm exponit Auctor dicti Gratianei canonis quinti. Quòd si fortè Auctor ejusdem canonis, ubi Sylvestrum laudavit, laudare voluit Nicæni Concilii decreta sub S. Sylvestro edita, specialitèr verò canonem 12., ubi dicitur lapsos pòst decennii pœnitentiam reparari, rursùs agnosco ad aliam omninò, & diversam speciem respexisse: Etenim lapsorum no-

mine non veniunt in Nicæno Concilio Sacerdotes incontinentes, sed illi, qui pòst susceptum Baptisma apùd Ethnicos, à quibus nupèr abierant, rursùs defecerant, aut apùd alios Christianæ Fidei adversarios. At verò alia de laicis erat, alia de Clericis pœnitentibus disciplina: illi enim faciliùs recipiebantur in fidelium numerum, dummodò veræ pœnitentiæ signa ostendissent; at Clericis eumdem honorem reddere non facilè consueverunt veteres Patres pòst gravissima crimina, eâ præsertim, quibus indicta erat publica pœnitentia. Simili modo Clementis Pontificis Epistola (quæ tamèn falsò Clementi adtribuitur) in alium omninò sensum detorta fuit. Est Epistola secunda, in qua hæc leguntur: *Ad Dominica autèm Mysteria tales eligantur, qui antè ordinationem conjuges suas non noverint*, (alii legunt: *conjuges suas noverint*). *Quòd si pòst ordinationem Ministro Altaris contigerit proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec Sacrificii portitor fiat....ostia forinsecùs claudat, minora gerat officia &c.* Hæc porrò omnia non de Sacerdotibus, sed de Diaconis, qui Ministrorum nomine designantur, concepta sunt; deindè non de fornicatione ibidèm agitur, sed de usu conjugii, cui ratione Clericorum majorum levior, quàm fornicationi imposita fuit apùd veteres Ecclesiæ Patres, & imponi debuit pœnitentia. Fortè magis rei propositæ conveniret Callixti Papæ Epistola, si verè Callixti esset, quam etiàm idem canonis Auctor explicat. Est Epistola 2. ad omnes Galliarum Episcopos, in cujus capite ultimo hæc habentur: *Errant, qui putant Domini Sacerdotes pòst lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse, &c.* Verùm, si totius Epistolæ sententia perpendatur, constabit, non quæri eo in loco, nùm Sacerdotes pòst lapsum restitui peractâ pœnitentiâ solerent, sed potiùs nùm restitui possent per claves Ecclesiæ. Agebatur itaquè de Ecclesiastica auctoritate, non de disciplina: Ità enim ibidèm subditur: *Et ipsi, qui hoc putant, contrà Ecclesiæ claves disputant.* Aliud porrò est dicere, Ecclesiam non consuevisse Sacerdotes lapsos restituere in gradum; aliud non potuisse restituere. Prætereà in hac eadem Epistola non de Sacerdotibus incontinentiæ deditis specialitèr agitur, sed de lapsis, quorum nomine apùd veteres illi intelligebantur passim, qui metu persecutionum fidei renunciaverant, cum quibus humaniùs aliquandiù actum fuisse veterum monumenta testantur. Ceterùm cum incontinentibus Clericis severior sempèr, & asperior fuit hac in parte canonum disciplina; verebantur enim veteres Patres, ne Clericus semèl incontinens etiàm pòst pœnitentiam se pristinis sceleribus rursùm macularet.

Jam verò postremo loco demonstrandum est, à primis Ecclesiæ sæculis obtinuisse usquè ad duodecimum, ut Clerici semèl in incontinentiam lapsi minimè amplius pòst depositionem restituerentur in Clerum. Hùc sanè loci possent illa omnia referri, quæ probant Clericos semèl pœnitentiæ addictos, sive in pœnitentium ordinem detrusos, non potuisse ampliùs ad Clericorum officia adspirare, ne Sacerdotium minùs honorabile ceteris haberetur; indecorum enim videbatur ministrare illos, quos populus gravissimis sceleribus aliquandò fuisse inquinatos agnosceret. Hæc sanè facilè unusquisquè invenire poterit apùd eruditos illos, qui de hac re fusiùs disputarunt, atque aliis in locis commodiùs adferam. Tantùm hic nonnulla tradam, quæ specialitèr de Clericis incontinentibus expressa sunt. Et primo quidèm priorum sæculorum disciplinam clarè ostendit canon ille Concilii Neocæsareensis, quem superiùs laudavi, ac descripsi; ibi enim, postquàm discrimen agnitum est inter Clericos conjugia appetentes, & Clericos fornicantes, illis quidèm indicta pœna est decem annorum, ut scilicèt per decem annos à sacris Altaribus abstinerent; isti verò perpetuò ab ecclesiasticis officiis exclusi sunt. Facit præter-

verèà ad hanc eamdem rem memoratus vigesimus quintus canon ex Apostolicis, qui, licèt verè Apostolis non sit tribuendus, non est tamèn dubitandum, quin contineat ecclesiasticam priorum temporum disciplinam. Hùc adferri etiàm possent canon 1. cum sequentibus quamplurimis dist. 80. apùd Gratianum, ex quibus sex priorum Ecclesiæ sæculorum consuetudo ecclesiastica dignoscatur. Nono etiàm Ecclesiæ sæculo idipsum viguisse, patet ex Decreto Nicolai Papæ, qui in titulo de Presbyteris hæc habet: *Sacerdotes si in fornicationis ceciderint laqueum, & criminis manifestus, sive ostensus sit actus, Sacerdotii honorem habere non possunt secundùm canonicæ institutionis auctoritatem.* Concilium Moguntinum anni 888. can. 19. de eisdem Sacerdotibus incontinentibus statuit, *ut ab Ecclesiastico removeantur Officio;* sæculo autèm 11. habemus clarissimam Concilii Turonensis anni 1060. definitionem, quæ legitur in canone 6. de Presbyteris incontinentibus, *ut, nullam restitutionis in pristino gradu veniam sibi reservasse, cognoscant.* Quæ cum ità sint, perspicua res erit canonem 5. dist. 82. imperiti cujuspiam Auctoris esse, qui voluerit nomine cujusdami Concilii temerario ausu evulgare, quod non solùm ex apocryphis documentis describebat, verùm etiàm, quòd adversùs monumentorum, quæ adferebat, fidem ipsemet adversùs receptam Ecclesiæ disciplinam novum inducere molièbatur, studio fortè privatæ cujuspiam causæ, id est, ut sive suis, in quæ inciderat, sive alienis delictis patrocinium impenderet.

CAPUT XXII.

De Concilio Chalcedonensi.

Ex Concilio Chalcedonensi plures Canones à Gratiano laudantur, quos ego in triplicem ordinem dividam; alii enim sunt ex Actionibus Synodicis deprompti; alii ex Canonibus, ad disciplinam ecclesiasticam stabiliendam, vel confirmandam ibidèm constitutis; alii demùm nomine quidèm Chalcedonensis Concilii à Gratiano inscribuntur, sed reverà in Chalcedonensi eadem Synodo non habentur.

Ex Actionibus Synodicis.
- *Can.* 2. *dist.* 96. *convenit omninò cum sententia Marciani.*
- *Can.* 3. *dist.* 96. *supplendus ex integra Concilii sententia.*

- *Can.* 6. *dist.* 18. *consonat etiàm cum canone* 5. *Concilii Nicæni* I.
- *Can.* 15. *dist.* 32. *consonat cum canone* 10. *Laodiceno, & 27. ex Apostolicis.*
- *Can.* 1. *dist.* 70. *consonat cum can.* 15. *Concilii Nicæni.*
- *Can.* 4. *dist.* 71. *verè tribuendus Chalcedonensi Concilio.*
- *Can.* 7. *dist.* 71. *consonat cum antiquissima disciplina.*
- *Can.* 2. *dist.* 75. *consonat cum antiquissima disciplina.*
- *Can.* 26. *dist.* 86. *tribui jure potest Concilio Chalcedonensi.*
- *Can.* 4. *dist.* 89. *conferendus cum can.* 21. *caus.* 16. *q.* 7.
- *Can.* 1. *dist.* 101. *ex Historia Concilii explicandus.*
- *Can.* 8. *caus.* 1. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 49. *caus.* 2. *q.* 7. *consonat cum veterum Conciliorum canonibus.*

Ex Canonibus, in actione 15. constitutis.

Incertæ ferè omnes auctoritatis.

Can. 26. *caus.* 7. *q.* 1. *consonat cum canonibus Concilii Antiocheni.*

Can. 21. *caus.* 11. *q.* 1. *ab Anatolio compositus ex industria.*

Can. 23. *caus.* 11. *q.* 1. *idem est cum can.* 21. *caus.* 11. *q.* 1.

Can. 46. *caus.* 11. *q.* 1. *ab Anatolio ipso ex industria compositus.*

Can. 43. *caus.* 12. *q.* 2. *referendus ad veterum canonum doctrinam.*

Can. 12. *caus.* 16. *q.* 1. *verè Chalcedonensi Concilio tribuendus.*

Can. 17. *caus.* 16. *q.* 1. *Chalcedonensium Patrum menti conformis.*

Can. 1. *caus.* 16. *q.* 3. *ab Anatolio, & Eustatio ex industria compositus.*

Can. 21. *caus.* 16. *q.* 7. *idem est cum can.* 4. *dist.* 89.

Can. 10. *caus.* 18. *q.* 2. *referendus ad can.* 12. *caus.* 16. *q.* 1.

Can. 4. *caus.* 19. *q.* 3. *videtur consonare cum canonibus Concilii Antioch.*

Can. 3. *caus.* 20. *q.* 3. *maximè consonat cum veterum diciplina.*

Can. 2. *caus.* 21. *q.* 1. } *ex eodem canone* 10. *deprompti*
Can. 3. *caus.* 21. *q.* 2. } *sunt.*

Can. 1. *caus.* 21. *q.* 3. *idem est cum can.* 26. *dist.* 86.

Can. 14. *caus.* 25. *q.* 1. *consonat cum vulgatis canonum exemplaribus.*

Ex fragmentis, falsò Concilio Chalcedonensi adscriptis.

Can. 12. *caus.* 27. *q.* 1. *falsò adscriptus Triburiensi Concilio.*

Can. 22. *caus.* 27. *q.* 1. *idem est cum can.* 12. *caus.* 27. *q.* 1.

Can. 23. *caus.* 27. *q.* 1. *fortè recentioribus Constitutionibus accommodatus.*

Can. 1. *caus.* 36. *q.* 2. *consonat cum interpretatione Dionysii Exigui.*

Can. 2. *caus.* 30. *q.* 4. *spectat potiùs ad aliquod Concilium Gallicanum, vel ad aliquod Pœnitentiale* 8., *aut* 9. *sæculi.*

TAnta non est apùd omnes canonum Chalcedonensium auctoritas, ut sine discrimine vim Ecclesiasticæ legis generalis obtinuerint. Etsi enim ipsum Chalcedonense Concilium Œcumenicum sit, imò inter ea Concilia recenseatur, quorum talis habebatur apùd veteres Patres ratio, ut sanctis ipsis quatuor Evangeliis compararetur; non tamèn omnia, quæ in eodem Concilio aut gesta, aut statuta sunt, generalitèr in Ecclesia recepta fuerunt, sed quædam aut non admissa, aut reprobata, vel etiàm aliquandò retractata; proindèque hodiè, ubi de canonibus Chalcedonensibus vulgatis agatur, non alitèr illi tamquàm generales Ecclesiæ leges agnoscendi erunt, nisi cum ex aliis subsequentibus Conciliis, vel alio quocumque Ecclesiæ suffragio probati fuerint, ac confirmati. Hæc ut clarè, perspicuèque percipiantur, expendenda erat brevis quidèm, sed accurata Chalcedonensis Concilii ratio.

Pòst damnatam in Concilio Ephesino Nestorii hæresim, & postquàm definitum est, in Christo Domino unam tantùm esse personam, eamque divinam, nova, & ex adverso antiquæ hæresi opposita emersit, hæresis, Auctore Euthyche, seu, ut alii vocant, Euthychete, Archimandrita, qui non alitèr percipere potuit in Christo unam esse personam, nisi & unicam naturam in eodem fuisse assereret. Et quidèm hæc opinio Viri, apùd Orientales spectatissimi

mi, quamplures occupaverat, ut res indigere videretur Concilio Generali, in quo fidei dogma declararetur. Urgebat etiàm Dioscori Alexandrini Patriarchæ imprudentia, ne audaciam dixerim, qui, ut erat improbus, & scelestissimus, indignus propterea, qui Sancto Cyrillo successisset in Episcopatu, facilè se Euthychi junxit, indicto Concilio, ubi omnia per vim, & metum, accito etiàm militum exercitu, peracta sunt, ejectis Sedis Apostolicæ Legatis, pluribus Episcopis interfectis, Euthychis hæresim, quasi veram fidem, recepit, eosque omnes anathemate perculit, qui alitèr sensissent, quàm sentiret Euthyches. Agnovit, plurimum interesse ecclesiasticæ rei, si generale Concilium convocaretur, Imperator Marcianus, cui & piissima ejus uxor Pulcheria morem gerebat, imò etiàm vires hortando addebat; qui proindè ad Sanctum Leonem Pontificem Maximum misit Epistolas, postulans, ut ejus auctoritate Synodus Episcoporum indiceretur. Non moratus est Pontifex Maximus Leo, communique omnium consensione celebrata Synodus est anno 451., primùm in Nicæa Bythiniæ, deindè verò ob quasdam subortas difficultates, & quidèm re integrâ, translata est, consentientibus universis, in Urbem Chalcedonem. Videlicèt, cum Imperator optaret adesse Concilio, ipse verò ob temporum quædam adjuncta procùl ab Urbe Constantinopolitana abire non posset, is selectus fuit Concilii locus, qui non longè ab eadem Urbe Constantinopoli situs esset. Convenerant illùc sexcenti, & triginta Episcopi, præsidentibus tamquàm Legatis Magni Leonis Paschasino, & Lucentio Episcopis, & Bonifacio Presbytero. Sessiones ibidèm tresdecim habitæ, quæ aliàs in actiones sexdecim sunt distributæ. In prima earum pertractata est Dioscori causa, & quædam interea adversùs Euthychem agi cœperunt. In secunda quæsitum est de veterum Patrum fide, tum ex Decretis Conciliorum jam anteà celebratorum, cum apùd Sanctos Antistites, qui eo usquè floruerant, ut dignosceretur, an reverà ab illis Euthychis opinio dissonaret. In tertia rursùm discussa est Dioscori causa, cumque Dioscorus idem citatus comparere detrectaret, tamquàm contumax, imò & tamquàm hæreticus damnatus est, depositus, atque anathemate perculsus. In actione 4. actum est de pluribus Episcopis, Juvenale Hierosolymitano, Talassio Cæsareensi, Eusebio Ancyræ, Eustathio Beryti, & Basilio Seleuciæ, qui scelestam cum Dioscoro jam dudùm factionem iniverant; & quoniàm rectam fidei professionem ipsi in Concilio fecerant, parati ad Dioscorum damnandum, & Synodalibus definitionibus acquiescendum, ex benignitate absoluti fuerunt. In sessione 5. auditæ sunt, ac refutatæ hæreticorum argumentationes, quibus Euthychis opinionem defendere conabantur; atque etiàm audita est controversia inter Photium Tyri, & Eusthathium Beryti Episcopos de jure metropoleos primæ Phœniciæ. In sessione 6., quæ etiàm quinta actio nuncupatur, edita est nova fidei formula, quæ ad damnandas Euthychis hæreses exprimebatur, rejectis veteribus formulis, tamquàm iis, quæ satis per se non sufficere iis temporibus videbantur. In sessione septima, quæ sexta actio vulgò dicitur, confirmata est ea fidei formula, quæ in præcedente sessione fuerat edita, illique, indictis etiàm Imperiali auctoritate pœnis, damnati sunt, qui eamdem fidei professionem non reciperent. Deindè postulante Imperatore tria ibidèm sunt communi Episcoporum consensione constituta, in primis de Monachorum disciplina, deindè de Clericorum institutionibus, postremò de augendo honore Chalcedonensis Civitatis, ut scilicèt, citrà præjudicium Nicomediæ, Metropolis dignitatem haberet.

His absolutum videbatur Chalcedonense Concilium, completa siquidèm erat tum Euthychis, tum Dioscori cau-

causa, ob quam celebratum Concilium videbatur. Hinc sub finem dictæ sessionis septimæ, quæ in latinis exemplaribus sexta Concilii actio dicitur, clamarunt Episcopi: *Dimitte nos, pie Imperator, dimitte nos.* Verùm visum est Imperatori, dissoluto, completoque in fidei causis Concilio, quasdam adhùc Episcoporum quorumdam causas dirimendas proponere; hinc ab Episcopis postulavit, ut *sustinerent adhùc tres, aut quatuor dies, &, nullus, antequàm perfecti termini ex omnibus proferrentur, à sancto Concilio discederet.* Morem gesserunt Episcopi, qui proindè in sess. 8., quæ complectitur actionem 7. 8., & 9. latinæ editionis diremerunt varias Episcoporum controversias; & primò de Jure Metropolitico inter Antiochenum, & Hierosolymitanum Patriarcham, itèm de Theodoreto Episcopo Cyrensi, & Iba Episcopo Edesseno, de quibus indè acerrimè disputatum fuit in Concilio Constantinopolitano II., seu Generali V. sub nomine trium Capitulorum. In sequentibus sessionibus 9., 10., & 11., quæ constituunt in latinis editionibus actiones 10., 11., 12., & 13. actum rursùs est de Iba Edesseno, de Domno Antiocheno, aliisque Episcopis non paucis. Deventum tandèm est ad sessionem 12., quæ postrema esse debebat, atque in ea actum est de Sabiniano Episcopo, quem Dioscorus ab Episcopatu deposuerat, suffecto in ejus locum Athanasio; quibus peractis, dissoluta sunt, Imperatore consentiente, sacra comitia, Legatis Pontificiis, necnon Judicibus abeuntibus. Hic tamèn observanda est Anatolii Constantinopolitani Episcopi fraus. Postquàm enim Pontificii Legati abscessissent, ipse detinuit nonnullos ex orientalibus Episcopis, quibus eadem die triginta canones à se editos probandos, confirmandosque proposuit, inter quos numero 28. illum recensuit, quo statuebatur, ut Constantinopolitana Ecclesia secundum locum inter Patriarchales obtineret, quod jam irrito conatu plures ejus Antecessores in Conciliis moliti fuerant, ut obtinerent. Hinc in ista sessione duæ continentur actiones, quæ vulgò dicuntur decimaquarta, & decimaquinta; prior præsentibus Pontificiis Legatis habita est; altera continet Anatolii gesta pòst eorumdem Legatorum recessum. Visa fuit nimis audax Anatolii ambitio Legatis eisdem Apostolicis, ubi rei gestæ conscii facti fuerunt; qui statim sequenti die in novam sessionem (quæ sessio decimatertia, & actio decimasexta appellatur) convenerunt simùl cum reliquis Episcopis adversùs Anatolium proponentes querelam, irritam tamèn; siquidèm pòst acrem & diutinam concertationem, cui præsertim causam dederat dictus canon 28., itum est ab Episcopis orientalibus in sententiam Anatolii reclamantibus Pontificiis eisdem Legatis, ac contestationem suam in contrarium Synodalibus actis adjici jubentibus: pòst quæ, absoluto Concilio, omnes discesserunt.

Hinc motæ controversiæ plures, quæ ad ipsos Pontifices Maximos deductæ in causa fuerunt, ut illi ea tantummodò hujus Concilii acta probaverint, quæ ad fidem Catholicam adversùs hæreses definiendam pertinerent; cetera verò despexerint, quasi nulla Ecclesiarum utilitate exigente, & præter Pontificis Maximi mandatum peracta. Reverà ab initio, ubi convocatum Concilium fuit, unica tantùm proposita fuerat dirimenda fidei causa, atque hinc, ut nupèr ajebam, factum est, ut pòst actionem sextam Episcopi dimitti se postulaverint, quasi absolutâ fidei causâ, ac proindè etiàm perfecto Concilio. Hinc prætereà factum est, ut deincèps acta hujus Concilii Chalcedonensis, in ea parte, quæ actionem sextam subsequitur, retractata fuerint, atque etiàm revocata in Concilio Constantinopolitano II., seu generali quinto, quæ sub nomine trium Capitulorum veniebant. Prætereà Episcopi quamplures acta hujus Concilii ad Ecclesias suas de more deferentes non nisi sex actiones tulerunt, exemplo Talasii Metropolitæ Cæsareæ Cappadocum,

cum, qui rediens Chalcedone ad Ecclesiam suam non tulit, nisi actiones sex, quemadmodùm testatus deindè fuit ejusdem successor Alypius. Deindè Pontifices Maximi in suis Constitutionibus alia ex Chalcedonensi Concilio probare noluerunt, quàm quæ edita fuerant in sex prioribus actionibus, sive quæ ad fidei definitiones spectabant; quemadmodùm patet ex Epist. 61. Leonis Magni ad Synodum Chalcedonensem scripta, itèm ex Epist. 55. ad Pulcheriam Augustam; & Pelagius Papa in Epis. 3. ad Episcopos Istriæ ità scribit: *Vigilanti ergò cura respicite, quæ in sexta illius actione sanctæ fidei professio consummatur; mòxque in septima ad institutionem jam fidelium regula canonum figitur: ulterioribus verò actionibus nihil de causa fidei, sed sola negotia privata versantur.*

Ex his facilè adparet, quæ debeat esse de actibus Chalcedonensis Concilii sententia. Etenim, quotiescumquè agatur aut de Divinæ Incarnationis mysterio, cujus fides in eodem Concilio explicata est, aut de causis cum eadem fide connexis, qualis erat causa Euthychis, & Dioscori, nullum dubium erit, Synodica hujus Concilii acta vim generalis legis Ecclesiasticæ obtinere. Fuerant hæc capita Pontificiâ auctoritate præeunte discussa, eàdem interveniente definita, eàdem demùm ratihabente confirmata. Ast, ubi sextam ejusdem Concilii actionem excedimus, similis sanè non erit ceterorum statutorum auctoritas. Pertinent potiùs hæc ad privatorum causas, quæ ab initio convocationis Concilii Pontifici Maximo propositæ non fuerant; quæ deindè apùd omnes probari non potuerunt, immò etiàm in subsequente Generali Concilio Constantinopolitano retractari debuerunt. Quod etiàm magis magisque dicendum est de triginta illis canonibus solius Anatolii Constantinopolitani, furtivâ quadam obreptione constitutis pòst recessum Legatorum Pontificiorum, quibus posteà & Legati ipsi Pontificii, & iidem Pontifices Maximi restiterunt, præsertim si mentio sit de canone 28., ex quo luculentiùs Constantinopolitani Episcopi ambitus adparebat. Scilicèt canones isti nec in ipso Concilio editi sunt, nec Ecclesiasticâ posmodùm auctoritate firmati. Immò suspicantur eruditi, illos editos omnes fuisse ab Anatolio solo, privatim fortè consciis tantummodò uno, aut altero ex ejus fautoribus, & deindè propositos integros ceteris Episcopis pòst discessum Legatorum, ut ab omnibus, quos dissoluto Concilio facilè allicere poterat, probarentur. Quis enim sibi facilè persuadere potest, uno eodemque die celebratam fuisse actionem 14., in qua, pòst discussiones aliquas causarum, dissolutum Concilium est; deindè verò adhùc tantum temporis remansisse, ut Episcopi in Conventu remanentes novam actionem haberent, ibidèmque triginta canones novo studio, & novis rerum discussionibus elucubrarent, quod sanè non modicum tempus exigebat, nec poterat unius, aut alterius horæ spatio perfici? Quamobrèm admodùm verosimile est, Anatolium ipsum fuisse canonum illorum Auctorem, qui per dolum & fraudem dein eos Episcopis, abituris, & rerum pertractatarum gravitate fessis, probandos obtulerit. Quæ si vera sunt, quemadmodùm arbitror, nulla propemodùm esse debebit canonum istorum auctoritas, qui à doloso Episcopo clanculùm, & furtim prodierunt, itèm clàm fuerunt à seditiosis ut plurimùm Episcopis confirmati, & quorum aliquibus Legati Pontificii posteà restiterunt, imò etiàm ex quibus pax Ecclesiastica disrupta est, atque orta fuit occasio, undè hoc Concilium Chalcedonense integrè non probaretur Pontificum Maximorum auctoritate. Nihilo tamèn minùs ego non iverim inficias, quosdam ex dictis canonibus vim maximam obtinuisse apùd viros Ecclesiasticos; quod quidèm non statim ab initio contigit, sed tùm demùm cum in aliis Conciliis confirmati fuerunt, aut etiàm in publicas canonum collectiones relati; aut apparuit, in illis aliorum veterum canonum disciplinam,

in

in aliis etiàm Conciliis stabilitam, contineri. Plures ex Collectoribus, præsertim latinis, omiserunt tres canones posteriores, ex eo quòd dicti canonis 28. sententia latinis omnibus displicuerit, numerantibus tantummodò canones 27. Chalcedonenses. Prætereà observandum est, in hisce canonibus aliqua contineri, quæ ad præcedentes ejusdem Concilii actiones pertinent, quod fortè ex industria Anatolius fecit, ut faciliùs Episcoporum apùd se remanentium suffragia captaret. Atque in istis, ubi prioribus Synodicis actionibus conformes sunt, major sanè prudentiorum judicio agnoscetur auctoritas.

Hæc omnia necessariò observanda erant, antequàm deveniretur ad explicanda singula Gratiani fragmenta ex Chalcedonensi Concilio laudata; ne fortè capitibus omninò confusis eadem omnibus inesse vis, & potestas videretur. Exordior itaquè ab iis, quæ non ab Anatolio dissidente edita sunt, sed pertinent ad Synodicas actiones.

De Canonibus, depromptis ex actionibus Synodi Chalcedonensis.

Can. 2. dist. 96. Hujusmodi est in primis canon 2. dist. 96., qui legitur in actione 6. principio suntque verba, quibus Marcianus Imperator alloquutus est Episcopos omnes, eos monens, ut sine ulla formidine fidei dogmata definirent. Cum enim in Ephesino Conciliabulo, quod paulò anteà Dioscorus convocaverat, intervenissent quamplures militares viri, quorum impetu, & vi, procurante ipso Dioscoro, universi Episcopi aut in fugam acti sunt, aut ad iniqua subscribenda capitula compulsi, aut etiàm ferro cæsi, ne Chalcedonenses Patres similia quædam perhorrescerent, optimum duxit, & maximè opportunum Marcianus, qui ad Concilium venerat, blandis verbis eosdem admonere, & de fidei suæ integritate, bonoque animo ergà stabilienda dogmata religionis reddere certiores. Ejus igitur hæc verba fuerunt: *Remotis itaque studiis, ablatis patrociniis, cessante avaritiâ, cunctis veritas innotescat. Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam exemplo religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse voluimus, ne vel ulteriùs populi pravis suasionibus separentur.* Paulò alitèr hæc leguntur apùd Gratianum in dicto canone 2., verborum varietate proficiscente potiùs ex diversitate interpretum Græcæ eloquutionis, quàm ex diversitate sententiarum.

In eadem actione 6. propè finem legitur canon 3. dist. 96., ubi scilicèt, iis omnibus peractis, quæ ad definitionem fidei spectabant, Marcianus optavit, ut non statim dissolverentur sacra comitia, sed ut quædam adhùc disciplinæ Ecclesiasticæ capita decernerentur. His autèm verbis inter cetera Patres Concilii alloquutus est Imperator: *Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reverentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes, à vobis hæc regulariter potiùs formari per Synodum, quàm nostra lege sanciri.* Obscura sanè quodammodò videretur concisi hujus Gratianei fragmenti interpretatio, nisi sub oculis subjicerentur, quæ nomine quorumdam capitulorum Marcianus intellexerit, quæ potiùs per Synodum formarentur, quàm sancirentur Imperiali lege. Porrò sunt hæc tria: primum, ut nemo ædificare posset Monasterium, nisi ex Episcopi voluntate; aut nemo ædificaret Ecclesiam in alieno solo, nisi domino ejusdem soli consentiente. Alterum est, ne Clerici rebus sæcularibus incumbant, præsertim verò ne fiant prædiorum conductores, aut domuum Laicorum dispensatores. Postremum est, ne Clerici ab Ecclesia, cui addicti semèl sunt, ad alia loca divertant, neve Episcopi divertentes alienos Clericos in propria Diœcesi suscipiant. Hæc autèm Capitula omnia universa Synodus confirmavit, quemadmodùm ex integra actione Concilii constare potest. Et quidèm, re ità clarè, perspicuèque explicatâ, jam liquet exindè, quo spectet memorata Marciani sententia in dicto canone 2. dist. 96.

Can. 3. dist. 96.

De

De Capitibus, depromptis ex iis canonibus, qui editi sunt in actione 15.

Multò plura capita Gratianus descripsit ex iis canonibus, quos privato studio ob dolum & fraudem furtim probandos nonnullis Episcopis proposuit Anatolius Constantinopolitanus, quemadmodùm superiùs diximus, quorum propterea qualis esse auctoritas debeat generatim observavimus. Ex his est canon 6. dist. 18., cujus tamèn sententia venerabilis esse debet ex eo, quòd in illo renovata fuerit vetus illa Nicæni Concilii sanctio, quâ statutum erat, ut Concilia quotannis duo celebrarentur in singulis Provinciis. Plures sunt ejus canonis interpretationes, quæ tamèn omnes unam exhibent, eamdemque sententiam. Unam hic tantummodò referam antiquissimam, quæ est Dionysii Exigui, his verbis expressam: *Pervenit ad aures nostras, quòd in Provinciis statuta Episcoporum Concilia minimè celebrentur, & ex hoc plurima negligantur Ecclesiasticarum causarum, quæ correctione indigeant. Decrevit itaquè Sancta Synodus, secundùm canones Patrum bis in anno Episcopos in idipsum in unaquaque Provincia convenire, quo Metropolitanus Antistes probaverit, & corrigere singula, siqua fortassis emerserint. Quicumque verò non advenerint Episcopi, resident autèm in suis civitatibus, & hoc, dum in sua incolumitate consistunt, omnique inexcusabili, & necessariâ occupatione probantur liberi, fraterno corripiantur affectu.*

Can. 6. dist. 18.

Canon 15. dist. 32. legitur in canone 14. ex Chalcedonensibus, & quidèm juxtà interpretationem Dionysii Exigui. Gratianus tantùm ibidèm retulit primam ejusdem canonis partem, in qua definitur, Cantores & Psalmistas, ubi uxores ducere ipsis permittitur, à conjugiis alterius sectæ mulierum abstinere debere. Consonat id cum Laodiceno can. 10., cujus hæc verba sunt: *Quòd non oportet indifferenter apùd Ecclesiasticos fœdere nuptiarum hæreticis suos filios, filiasque conjungere*; ex quibus patet, & hunc Anatolii canonem veteri disciplinæ Ecclesiasticæ esse conformem. Fortè difficultatem movere apùd quospiam poterunt ea verba canonis Chalcedonensis: *In quibusdam Provinciis*; quasi deduci exindè possit, olim apùd Græcos diversam viguisse disciplinam, ut in quibusdam Provinciis liceret Lectoribus, & Psalmistis conjugia contrahere, quod in aliis Provinciis non liceret. Sanè in canonibus, qui vulgò Apostolici nuncupantur, canone 27. generatim permissa conjugia videntur Lectoribus, & Cantoribus, nec in tota antiquitate monumentum adparet, ex quo deducatur, in quibusdam Provinciis eadem fuisse interdicta. Balsamon, expendens verba canonis Chalcedonensis, ità scribit: *In nonnullis quidèm, ut est verosimile, Provinciis Lectoribus, & Cantoribus permittebatur matrimonia contrahere; in nonnullis autèm id eis præter rationem prohibebatur.* At, veniâ Balsamonis, non est hoc interpretem agere, sed potiùs Ecclesiasticarum quarumdam Provinciarum usum, quem ipse supponebat, omninò carpere, & in illum veluti rationi contrarium declamare. Ego arbitror, vetustâ ætate generatim obtinuisse in omnibus Provinciis, ut Lectores, & Psalmistæ possent matrimonia contrahere; at auctorem canonis Chalcedonensis asseruisse, id *in quibusdam Provinciis* vigere, non ut significaret contrariam aliarum Provinciarum consuetudinem; sed potiùs ut doceret, id in quibusdam Provinciis permissum esse lege peculiari, & expressâ, indicans eâ ratione laudatum canonem Concilii Laodiceni, aut canonem 27. ex Apostolicis, qui omnes canones non in generalibus, sed in Provincialibus Conciliis editi fuerant.

Can. 15. dist. 32.

Canon 1. dist. 70. pertinet ad canonem 6. ex Chalcedonensibus, quem Dionysius Exiguus ità interpretatus est. *Nullum absolutè ordinari debere Presbyterum, aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Ecclesiastico, nisi specialiter Ecclesiæ Civitatis, aut possessionis, aut Martyrii, aut Monasterii,*

Can. 1. dist. 70.

qui ordinandus est, pronuncietur. Qui verò absolutè ordinantur, decrevit Sancta Synodus, irritam haberi hujuscemodi manus impositionem, & nusquàm posse ministrare ad ordinantis injuriam. Consonant hæc omninò cum vetere disciplina, juxtà quam generatim nemo ex Clericis extrà Ecclesiam suam vagari poterat, cui ab initio adscribendus erat, quemadmodùm deducitur ex can. 15. Concilii Nicæni, eodem ferè modo, quo etiàm hodiè nemo Episcopus ordinatur, nisi qui certæ Episcopali Ecclesiæ præsidere debeat. Hic quidèm mos posterioribus Ecclesiæ sæculis paulò exolevit, sed, quoàd fieri potuit, renovatus est per Concilium Tridentinum ses. 23. cap. 16. de reformat. Porrò, si respiciamus ad verba memorati canonis Chalcedonensis, agnoscemus, quadruplicem olim fuisse Ecclesiam, cui Clericus adscribi potuisset; & primò erat Ecclesia *Civitatis*, ea scilicèt, quam hodiè Cathedralem Ecclesiam appellamus: secundò Ecclesia *possessionis*, seu, quemadmodùm alii ex Græco textu interpretantur, *Ecclesia pagi*, quæ Ecclesia eadem est cum Ecclesia Parochiali uniuscujusque locî, extrà urbem siti, quemadmodùm perspicuè liquet ex can. 1. caus. 16. quæst. 3., ubi rusticæ Parochiæ, & possessiones promiscuè sumuntur. Ex quibus adparet, toto cœlo aberravisse à germana sententia canonis Glossographum, qui ad vocem illam *possessionis* ità animadvertit: *id est, si ordinatur ad titulum Patrimonii*: quasi Chalcedonensis Concilii tempore invecta jam fuisset Clericalium Patrimoniorum disciplina, quorum originem vix à sæculo 11. repetendam esse vel hospites in sacra jurisprudentia noverunt. (Ità solet usuvenire ut plurimùm canonum interpretibus illis, qui veteres canones non juxtà veterum mores explicant, sed studeant potiùs suis temporibus accommodare, cum non aliud sciant, quàm quod ipsi in sua Provincia fieri suismet oculis viderint.) Tertia erat Ecclesia *Martyrii*; scilicèt pius quidam locus, & Religiosus extrà Ecclesiam Cathedralem, vel Parochialem, in quo anteà erant tumulata cadavera Martyrum, quique ex fidelium cultu in ædem sacram fuerat dedicatus. Quarta erat Ecclesia *Monasteriis*; cum enim tùm Monachorum nemo sacris ordinibus initiatus esset, ne aut divinis misteriis carerent, aut cogerentur à solitudine Monasteriorum exire sacrorum causâ, cautum erat, ut locus sacer, sive sacrificio destinatus, in Monasterio ipso constitueretur, cui addiceretur Clericus, qui sacra faceret. Ad ejusdem canonis interpretationem disputari solet à nostris, nùm ordinatio, facta sine titulo, seu contrà hujus canonis formam, ità irrita prorsùs habenda sit, ut nullum omninò effectum habeat, an verò tantùm, ut ajunt, illicita habeatur? Sanè clarissima sunt, & maximè perspicua canonis verba, quibus *irrita* ordinatio declaratur; sed, qui de rebus sacris ità disserere consueverunt, quasi de rebus physicis, & ex principiis unius philosophiæ, quam Aristotelicam appellarunt, sacramenta statim validè collata agnoverunt, ac materia cum forma conjunctà est, paulò alitèr ratiocinantur. Verùm, cum hac Theologorum turba non consentiunt viri eruditissimi, qui noverunt non tàm ex verborum prolatione, & rei sensibilis usu, verùm etiàm ex vi Ecclesiasticarum Constitutionum validam Sacramentorum collationem dependere, quemadmodùm rectè observat, & tradit Morinus in tractatu de SS. Ordinat. exercitat. 5. cap. 2.

Ex iis canonibus, qui jure tribui possunt Concilio Chalcedonensi, est canon 4. dist. 71.; est enim postremus ex illis tribus, qui à Marciano Imperatore ad finem actionis 6. propositi sunt universæ Synodi Patribus, ut probarentur, & quidèm hisce verbis expressus: *Clericos in Ecclesia constitutos non licere alterius Civitatis Ecclesiæ deputari, sed permanere illic, in qua ministrare ab initio deputati sunt, extrà illos scilicet, qui, amissis propriis Provinciis ex necessitate in alienam Ecclesiam transierunt. Siqui verò pòst hanc definitionem Clericum alteri Episcopo competen-* Can. 4. dist. 71.

tem

tem susceperit, placuit extrà communionem fieri, & eum, qui susceptus est, & qui suscepit, donèc Clericus, qui abscessit, ad propriam revertatur Ecclesiam. Anatolius, ut fortè rem gratam faceret Imperatori, qui hunc canonem anteâ proposuerat, hunc ipsum canonem inter suos inseruit numero 22., eisdem omninò verbis, quæ habentur in Græcis exemplaribus. Dionysius Exiguus hoc modò est interpretatus. *Clericos, in Ecclesia ministrantes, sicut jam constituimus, in alterius Civitatis Ecclesia statutos fieri non oportet: sed contentos esse, in quibus ab initio ministrare meruerunt: exceptis illis, qui proprias ammittentes Provincias ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt. Siquis autèm Episcopus pòst hanc definitionem susceperit Clericum, ad alium Episcopum pertinentem, placuit & susceptum, & suscipientem communione privari, donèc is, qui migraverat, Clericus ad propriam fuerit regressus Ecclesiam.* Hæc omnia vetustissimæ disciplinæ consona sunt, quemadmodùm deduci facilè potest ex canone 15. Concilii Nicæni.

Et quidèm rursùs eadem disciplina continetur in can. 7. dist. 71., cujus sententia habetur in can. 13. Chalcedonensi his verbis apùd Dionysium Exiguum: *Peregrinos Clericos, & Lectores in alia Civitate præter commendatitias literas sui Episcopi nusquàm penitùs ministrare debere.* Sunt, qui pro ea voce *Peregrinos*, pro qua Gratianus legit *extraneos*, putant legendum esse *ignotos*, ut sententia sit, tùm demùm sine commendatitiis literis Clericos Peregrinos non esse recipiendos, quum prorsùs ignoti fuerint. Renovata videtur hæc sanctio in Concilio Tridentino ses. 23. cap. 16. de reformat.

Can. 7. dist. 71.

Canon 2. dist. 75., cujus postrema verba Gratianus non integra retulit, ità legitur in canone 25. Chalcedonensi juxtà interpretationem Dionysii Exigui. *Quoniàm quidam Metropolitanorum, quantùm comperimus, negligunt commissos sibi greges, & ordinationes Episcoporum facere differunt, placuit Synodo intrà tres menses ordinationes Episcoporum celebrari, nisi fortè necessitas inexcusabilis præparet tempus dilationis extendi; quòd si hoc minimè fecerit, correptioni Ecclesiasticæ subjacebit: verumtamèn redditus Ecclesiæ Viduatæ penès OEconomum ejusdem Ecclesiæ integri reserventur.* Duo itaquè in hoc canone statuuntur. Primum est, ut ne ultrà trimestre tempus novi Episcopi electio differretur, quod sanè veteribus canonibus maximè consonum est, & hodiè etiàm probatum ex Concilio Tridentino ses. 23. cap. 2. de reformat.; hoc tamèn intercedente discrimine, quòd olim electio, confirmatio, & consecratio Episcoporum uno, eodemque tempore fieret, proindèque non ultrà tres menses Cathedrales Ecclesiæ vacarent; hodiè verò diutiùs differatur Episcopalis Cathedræ occupatio ob sejunctam electionem à confirmatione, & sejunctam confirmationem à consecratione. Alterum est, ut vacanti Ecclesiæ Œconomus constituatur, qui redditus omnes collectos futuro successori reservet. Id menti, ac sententiæ Concilii Chalcedonensis omninò consonum videbatur; etenim in actione 3. cum damnatus esset Dioscorus, & à sua Patriarchali Alexandriæ sede depositus, cautum est, ut vacantis Ecclesiæ redditus successori reservarentur.

Can. 2. dist. 75.

Duobus in locis descripsit Gratianus canonem tertium Chalcedonensem, videlicèt in can. 26. dist. 86., & in can. 1. caus. 21. quæst. 3., in quo postremo inscripsit nomen Nicasii, vel Nicolai Episcopi Culusitani in Concilio Carthaginensi I. Non moror diutiùs in investiganda origine Gratianei hujus erràti, dum canonis ipsius germanum Auctorem agnovimus. Describam potiùs verba canonis, prout existunt apùd Dionysium Exiguum ibi: *Pervenit ad Sanctam Synodum, quòd quidam, qui in Clero videntur allecti, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant; Dei quidèm ministerium parvi pendentes, sæcularium verò discurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum sollicitudines adsumentes: decrevit itaquè sanctum hoc, magnumque Concilium,*

Can. 26. dist. 86. & Can. 1. caus. 21. q. 3.

lium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum, vel Monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, præter pupillorum, si fortè imponant, inexcusabilem curam, aut Civitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum, & viduarum, earumque, quæ sine ulla provisione sunt, personarum, quæ maximè Ecclesiastico indigent adjutorio, propter timorem Domini causa deposcat. Siquis autèm transgredi de cetero statuta tentaverit, hujusmodi Ecclesiasticis increpationibus subjacebit. Antiquissima hæc est, & quidèm saluberrima Constitutio, quâ cavetur, ne Clerici à negotiis Ecclesiasticis abstrahantur, quod & in pluribus aliis Conciliis vetustissimis decretum est. Imò & si à Chalcedonensi ipso Concilio recedere non velimus, hoc ipsum caput est unum ex tribus, ab Imperatore propositis in eodem Concilio sub finem actionis 6., cujus verba hæc sunt: *Quoniàm verò aliqui Clericorum, & Monachorum pecuniæ amore languentes curis mundanarum rerum semetipsos subjiciunt, aut possessionum conductores, aut procuratores constituti, aut in domibus sæcularium observantes tamquàm dispensatores effecti, placuit huic sancto, & Magno Concilio nullum Clericum conducere possessiones, aut procurationem suscipere, nisi fortè ei à proprio Episcopo jubeatur Ecclesiasticarum possessionum habere sollicitudinem. Siquis autèm pòst hanc definitionem aut ipse conducere præsumpserit, aut per alium quemlibet hanc curam suscipere, Ecclesiasticæ pœnæ subdatur: Quòd si in contentione perstiterit, dignitate privetur.* Hæc itaquè cum non Anatolii tantùm sint, aut ei adhærentium Episcoporum auctoritate firmata, sed potiùs ab omnibus Chalcedonensibus Patribus, rogante Marciano, constituta, tanquàm venerabilia Generalis Concilii decreta eadem recipiemus.

Can. 4. dist. 89. & C. 21. caus. 16. q. 7.

Rursùm duobus in locis Gratianus descripsit canonem 26. Chalcedonensem, videlicèt in can. 4. dist. 89., & in can. 21. caus. 16. quæst. 7., & quidèm duos interpretes sequutus est. Ego sanè anteferendam sempèr arbitror, velùt antiquissimam, Dionysii Exigui interpretationem, quæ exhibetur in dicto canone 21. caus. 16. quæst. 7. Sunt, qui putant, hoc in canone Chalcedonensi primùm fuisse constitutos Œconomos, quorum industriâ, & sollicitudine uteretur Episcopus in redditibus Ecclesiasticis dispensandis ergà Clericos, vel egenos. Verùm, si verba ipsa canonis consideraverimus, agnoscemus statim jam tùm Œconomorum officia agnita fuisse, cum auctor canonis conqueratur, quosdam Episcopos Œconomorum operâ uti nolle, quod sanè supponit jam Œconomorum munera in usu extitisse. Ego sanè arbitror, nullum definiri tempus posse, quo primùm ejusmodi Œconomi instituti fuerint; nisi fortè generatim quis dicendum existimet, occasionem dedisse illis constituendis uberiores fidelium largitates, postquàm Imperator Constantinus Ecclesia facultatem concessit bona immobilia possidendi. Cum enim antiquis canonibus Ecclesiastici peculii administratio ad Episcopum pertineret, difficillimum posteà visum fuit Episcopis singulos, ubi maximè adaucti fuerunt, Ecclesiæ redditus administrare.

Can. 1. dist. 101.

Et minùs integer à Gratiano relatus est canon 1. dist. 101., & valdè difficilem habere videtur interpretationem apùd eos, qui ex historia, sive ex personarum, & temporum adjunctis fragmenta veterum non explicant. Ego in primis integrum canonem ad Dionysii Exigui optima exemplaria reducam. Legitur ille in canone 12. Chalcedonensi his verbis: *Pervenit ad nos, quòd quidam præter Ecclesiastica statuta facientes, convolarunt ad potestates, & per pragmaticam formam in duo unam Provinciam diviserunt: ità ut ex hoc facto duo Metropolitani esse videantur in una Provincia. Statuit ergò Sancta Synodus, de reliquo nihil ab Episcopis tale tentari; alioquì, qui hoc adnisus fuerit, amissione gradus proprii subjacebit. Quæcumque verò Civitates literis Imperialibus Metropolitani nominis honore subnixæ sunt, honore tantummodò perfruantur, & qui Ecclesiam ejus gubernat Episcopus, salvis scilicèt veræ Metropolis privilegiis suis.* Hujus autèm rei difinien-

dæ

dæ occasio fuit acerrima controversia, quæ intercessit inter Photium Tyri..., & Eusthatium Beryti Episcopos, in actione 4. Concilii Chalcedonensis, acri utriusque partis studio discussa. Erat olim Tyrus Phœniciæ Metropolis, cui inter ceteras urbes subjecta erat Berytus; proindè tanquàm suo Metropolitæ Photio subjectus erat Eusthatius, qui, cum ægrè ferret se sub illo Metropolita consistere, curavit sese ab eodem eximi hac ratione: Usus erat apùd veteres, ut in Ecclesiasticis dignitatibus distribuendis, sive in divisione Ecclesiasticarum Provinciarum, constituendoque Metropolitico jure, idem ordo servaretur, qui etiàm servabatur in divisione Provinciarum, ab Imperatoribus facta, quemadmodùm facilè constare potest ex canone 11. Concilii Antiocheni; quemadmodùm etiàm perspicuè constat ex canone 17. Chalcedonensi, ibi: *Siqua verò Civitas potestate Imperiali novata est, aut si protinùs innovetur, civiles dispositiones, & publicas Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordines subsequantur.* Itaquè Eusthatius precibus ab Imperatore Theodosio impetraverat, ut Phœniciæ Provincia divideretur in duas, ut reservatâ unâ parte Episcopo Tyri, pars altera sibi adjudicaretur, ut & ipse pari Metropolitæ jure, & honore frueretur. Annuerat Theodosius, quod tamèn non æquo animo Photius tulit, qui posteà ad Marcianum Imperatorem scribens postulavit hanc divisionem Provinciæ revocari, utpotè quæ dolo & fraude Eusthatii facta fuisset. Marcianus prudentissimus æquè, ac piissimus Princeps causam hanc ad Concilium potiùs dirimendam detulit, volens, ut ea non juxtà pragmaticas, sive Principales Provinciarum divisiones, sed potiùs juxtà sacros canones definiretur, uti refertur in actione 4. Concilii Chalcedonensis. Recitatus fuit in Concilio canon quartus Nicænus, cujus vi adversùs Euthatium pronunciatum est, restitutaque omnia jura Photii Tyrensis, ità ut Eusthatius nihil amplius juris haberet, quàm ceteris Phœniciæ suffraganeis competeret. En brevi perstrictam dicti canonis Chalcedonensis causam, & originem, ex qua nùnc facilè dignoscitur ejusdem sententia. Obviam ibidèm itum est quorumdam Antistitum ambitioni, qui, suo Metropolitæ morem gerere, aut obedire detrectantes, per dolum à Principe obtinuerant divisionem Provinciæ; quamobrèm prohibitum est, nequis ulteriùs simile quidpiam moliretur, pœnâ depositionis indictâ. Hucusquè itaquè dictus canon duodecimus à mente Chalcedonensium Patrum minimè distat, sed potiùs cum eadem consonat. Quid verò dicendum est de postremis canonis verbis, in quibus ea clausula legitur, ut quæ Metropoles anteà eo modo constitutæ fuissent, adhùc tamèn honorem Metropoleos haberent, salvis juribus veræ Metropoleos, id est, ut dispensatione quadam earum Episcopi adhùc Metropolitarum nomine appellarentur? Ego arbitror, clausulam hanc fuisse de industria ab Anatolio adjectam, ut faveret Eusthatio (cui sententia Concilii Chalcedonensis nimis displicuerat) ad eum finem, ut eumdem Eusthatium in defendendis Constantinopolitanæ Sedis privilegiis assertorem haberet, eo vel magis quòd ipse Anatolius, quemadmodùm historici referunt, curaverat apùd Imperatorem, ut Eusthatius Metropolitæ sui potestatem evaderet; ideòque non est verosimile, Anatolium, dissoluto Chalcedonensi Concilio, in canones referre voluisse Chalcedonensis Concilii sententiam, actione 4. pronunciatam, quin adjecta clausula attemperaret, quâ adhùc honorem quemdam Eusthatio concedi debere testaretur. Perspicua est hæc Anatolii adjectio; nàm in actione 4. Concilii Chalcedonensis, in qua causa Eusthatii plenè discussa est, atque absoluta, nihil hujusmodi legitur, nihil honoris singularis Eusthatio reservatum, nihil peculiaritèr constitutum de retinendo Metropolitæ nomine, aut similibus.

Canon 8. caus. 1. quæst. 1. legitur in canone 2. ex Chalcedonensibus, quem Can. 8. caus. 1. q. 1.

quem confirmavit, aut probavit Alexander secundus in can. 9. caus. 1. quæst. 3. Interpretatio Dionysii Exigui his verbis exprimitur: *Siquis Episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, aut quemlibet ex his, qui connumerantur in Clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel quemlibet, qui subjectus est regulæ, pro suo turpissimi lucri commodo, is, cui hoc attentanti probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit. Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat: sed sit alienus à dignitate, vel sollicitudine, quam pecuniis quæsivit. Siquis verò mediator tam turpibus, & nefandis datis, vel acceptis extiterit; siquidèm Clericus fuerit, proprio gradu decidat; si verò Laicus, aut Monachus, anathematizetur.* Itaquè mentio *Mansionarii*, quæ apùd Gratianum habetur, apùd veteres Interpretes desideratur. In Græco canone fit mentio de *Paramonario*, qui fortè in editione Gratiani Mansionarius dicitur. Porrò Paramonarius apùd Græcos ille vocabatur, qui constitutus erat Monasterii œconomus, & bonorum Monasticorum curam gerebat, quemadmodùm tradunt Balsamon, & Zonaras. Prætereà de Chorepiscopis nulla fit apùd veteres Interpretes, & Collectores mentio, quemadmodùm fit apùd Gratianum.

Can. 49. caus. 2. q. 7. Canon 49. caus. 2. quæst. 7., qui est vigesimus primus inter Chalcedonenses, ità describitur apùd Dionysium Exiguum: *Clericos, aut Laicos, accusantes Episcopos, aut Clericos passim, & sine probatione, ad accusationem recipi non debere, nisi priùs eorum discutiatur existimationis opinio.* Consonant hæc cum canone 96. Concilii Carthaginensis IV. ibi: *Quærendum in judicio, cujus sit conversationis, & fidei is, qui accusat, & is, qui accusatur.* Similia prætereà jam constituta fuerant in Concilio Constantinopolitano I. caput 6.

Can. 26. caus. 7. q. 1. In canone 26. caus. 7. quæst. 1. legitur canon quintus ex Chalcedonensibus, quem ità latinè interpretatus est Dionysius: *De his, qui transmigrant de Civitate in Civitatem, Episcopis, aut Clericis, placuit, ut canones, qui de hac re à Sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.* Nihil sanè in hoc canone novi statuendum voluit Anatolius, sed tantummodò veteres canones confirmandos, videlicèt canonem 13. Concilii Antiocheni, in quo decretum fuerat, ut irrita haberentur illorum Episcoporum gesta, qui à sua Ecclesia in aliam transmigrassent.

Can. 21. & 23. caus. 11. q. 1. In can. 21. caus. 11. q. 1. habemus canonem 18. ex Chalcedonensibus, quem Dionysius fuit interpretatus his verbis: *Conjurationis, vel conspirationis crimen & ab exteris legibus est omninò prohibitum: multò magis, hoc in Dei Ecclesia ne fiat, admonere conveniet. Siqui ergò Clerici, aut Monachi reperti fuerint conjurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis, aut Clericis, gradu proprio penitùs abjiciantur.* Hæc porrò eadem retulit Gratianus rursùm in can. 23. eadem causâ, & quæstione, fortè quòd alterius interpretationem ad eumdem canonem adjicere voluerit. Quod autèm pertinet ad sententiam hujus canonis, vehementèr suspicor, eum ab Anatolio ex industria conscriptum fuisse, aut ab ejus sociis qui dolebant, & conquerebantur, sibi ceteros Episcopos in Concilio adversari: propterèa hoc edito canone ità ceteros adversantes Episcopos reprehendere voluerunt, quasi iidem conspiratione, vel conjuratione factâ Anatolio obstitissent.

Can. 46. caus. 11. q. 1. Meretur accuratiorem observationem canon 46. caus. 11. quæst. 1., qui idem est cum canone 9. ex Chalcedonensibus, ex eo quòd ab hæreticis ille proferri passim soleat, quasi optimum, & maximum argumentum ad evertendum Romanæ sedis in universa Ecclesia Primatum. Dabo itaquè integram canonis editionem, atque unà canonis ejusdem sententiam explicabo. Ità interpretatur Dionysius Exiguus: *Siquis Cleri-*

ricus adversùs Clericum habet negotium, non deserat Episcopum proprium, & ad sæcularia percurrat judicia, sed priùs actio ventiletur apùd Episcopum proprium, vel certè consilio ejusdem Episcopi, apùd quos utræque partes voluerint, judicium continebunt. Paulò alitèr legunt alii: *Siquis Clericus habet cum Clerico litem, aut negotium, proprium Episcopum ne relinquat, & ad sæcularia judicia ne excurrat; sed causam priùs apùd proprium Episcopum agat, vel de Episcopi sententia apùd eos, quos utraque pars elegerit, judicium agitetur.* Clariùs Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi Arabica: *Si contentio inter Sacerdotes acciderit, aut ipsi in aliqua re sibi invicem adversarii fuerint, Episcopos suos non relinquant, & opem à Principe, aut Judicibus implorent, sed Episcopum de rebus suis certiorem faciant, & arbitros inter se constituant jussu Episcopi, deindè acquiescant in eo, quòd ipse de illis statuerit.* Prioribus hisce canonis verbis constitutum est, quod in pluribus aliis Conciliis, præsertim Africanis jam decretum fuerat, videlicèt ne Clerici se se mutuis litibus, & contentionibus vexarent; sed, si fortè quædam contentionis occasio suboriretur, potiùs sine forensi strepitu ad Episcopum confugerent, qui aut per se, aut per electos optimos viros de causa, vel negotio prudens arbitrium ferret. Prosequitur Dionysius Exiguus: *Siquis autèm præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subjacebit.* Interpretatur Josephus in sua Paraphrasi: *gradu suo decidat.* Hic pœna indicitur Clericis, qui forenses potiùs strepitus, & litium jurgia adamassent, quàm prudentia Episcoporum arbitria. Pergit Dionysius: *Quòd si Clericus habet causam adversùs Episcopum proprium, vel adversùs alterum, apùd Synodum Provinciæ judicetur.* Alii legunt: *contrà Episcopum suum, vel contrà Episcopum alium, querela ista ad Synodum Episcoporum apùd Metropolitanum istius loci congregatam referatur.* Hæc sanè erat disciplina vetus, ut in Conciliis Provincialibus omnes Episcoporum causæ dirimerentur. Subdit postremò Dionysius: *Quòd si adversùs ejusdem Provinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ Urbis Constantinopolitanæ, & apùd ipsum judicetur*: legunt alii: *Si autèm cum ipsius Provinciæ Metropolitano Episcopus, vel Clericus controversiam habeat, Diœcesis Exarchum adeat, vel Imperialis urbis Constantinopolis thronum, & apùd eum litiget.* Josephus Ægyptius ità interpretatur in sua Paraphrasi Arabica: *Verùm, si querela contrà Metropolitanum fuerit, ab eo ad Exarchum, cui subest, veniat, & ad Patriarcham in Imperiali Civitate Constantinopoli, & ei querelam suam declaret, & jus suum accipiat.* In hac postrema canonis parte acerrimè disputant tum hæretici, tum Catholici Interpretes, alii vim facientes verbis canonis, & aliò protrahentes, quàm quò voluerit Anatolius, qui canonem ipsum composuit, alii canonis ejusdem auctoritatem immodicè, & plusquàm decet, jactantes. Procaces hæretici ex hoc canone arbitrantur, agnitum non fuisse in Concilio Chalcedonensi Romanæ Sedis Primatum, cum in eo Episcoporum causas deduci potiùs ad Constantinopolitanum, quàm ad Romanum Antistitem præcipiatur. Quidam ex Theologis nostris, inter quos est bonus ille Turrianus, qui facilè veteribus Scripturis, sive authenticæ fuerint, sive apocryphæ, morem gerunt, & potiùs insudant in extorquendis sententiis fragmentorum, quàm in investiganda illorum auctoritate, ut difficultati ex hoc canone propositæ satisfacerent, dixerunt, nomine *Primatis Diœceseos* intelligi debere Romanum Pontificem, quasi nomen *Primatis* totius Ecclesiæ Principem, nomenque *Diœceseos* universam Ecclesiam significet. Qui inter hujusmodi Theologos, & audentes hæreticos medius sederit facilè judicabit, istos quidèm adversùs veritatem, illos autèm pro veritate, sed minùs recto disputandi genere, contendere. Meliùs pro germana Ecclesiæ Hierarchia contendet, qui agnoscet, undenàm canonis hujus, qui Chalcedonensis non rectè appellatur, repetenda sit origo; eâ enim ratione nihil amplius hæreticis

su-

superest, quod objiciant, imò & ipsi, si quoquo veritatis studio ducuntur, ab hujusmodi argumentationibus facilè abstinebunt. Jam superiùs observavimus, canones hujusmodi editos fuisse ab Anatolio Patriarcha Constantinopolitano, viro maximè studioso, qui dissoluto prorsùs Concilio, contradicentibus Legatis Pontificis Maximi, (qui sanè primas habuerunt in Concilio sedes, & quorum maxima fuit ob Romanæ Sedis dignitatem auctoritas), honorem suum penès quosdam Episcopos augere studuit, suique Episcopatus sedem prætèr morem evehere. Neque enim hæreticis ipsis ignotus est Patriarcharum Constantinopolitanorum ambitus, qui nullum non lapidem moverunt, ut, quemadmodùm in Occidente veteris Romæ Episcopus ceteris præerat, ità in Orientali Ecclesia novæ, ut dicebant, Romæ Episcopus ceteris præsideret. Quid itaquè mirum esse potuit, si Anatolius, qui tanta ausus est, hunc canonem ediderit, in quo postularet, Episcoporum omnium Orientalium causas ad sedem suam dirimendas, judicandasque referri? At hujusmodi monumenta ea esse non debent, quæ nobis hæretici ad evertendum Romanæ sedis Primatum objiciant, nisi à nobis hoc audire velint, ipsos ad suas firmandas hæreses nihil aliud adferre posse, quàm quod ex callidis quorumdam schismaticorum machinationibus, & temerariis ausibus, aut clandestinis comitiis, atque improbatis arripere potuerunt. At si adhùc quispiam Anatolii conatibus morem gerere vellet, quin tamèn Pontificis Maximi dignitati, atque auctoritati deroget, quemadmodùm nec Anatolius ipse, ut arbitror, licèt ad schismata pronus, derogare Primatui Maximo Romani Pontificis voluit; facilè asserere posset, Anatolium optasse quidèm, ut causæ Episcoporum Orientalium ad Primates Diœceseon deferrentur, vel ad Patriarcham Constantinopolitanum, non quòd ipse neminem in Ecclesia sibi superiorem agnosceret, sed quòd arbitraretur, omisso Primate Diœceseos, potuisse statim Episcopos conveniri in urbe Constantinopolitana, ex eo quòd in Constantinopolitano Episcopo generalis quædam Primatis dignitas eniteret in toto Oriente, ut ipse in Episcopatu suo ceterorum Primatum inferiorum officia gerere jure posset.

Can. 43. caus. 12. quæst. 2. legitur in canone 22. ex Chalcedonensibus his verbis apùd Dionysium Exiguum: *Non licere Clericis pòst obitum sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoquè canonibus est constitutum. Quòd si hoc facere tentaverint, graduum suorum periculo subjacebunt.* Facilis est, ac plana canonis hujus sententia, cui tamèn difficultatem quamdam ingerit Paraphrasis Arabica Josephi Ægyptii, qui hunc canonem ità exhibuit: *Non licet Sacerdotibus Episcopi sui divitias usurpare, quas pòst se reliquit, cum mortem obiit Dei Opt. Max. jussu, qui vitam, & mortem infert, ipse autèm vivus est, qui non moritur; neque res ejus usurpabunt, nisi eas, de quibus Patres loquuti sunt, & mandatum ediderunt. Et siquis eorum istud fecerit, gradu ejiciatur.* Quid porrò sunt hæc, quæ veteres Patres usurpari permiserant? Generalia sunt paraphrasis verba, tum canonis Chalcedonensis, in utroque enim loco ad veteres Patres, & priscos canones referuntur. Prisci itaquè canones, & veterum Patrum sententiæ sunt investigandæ, ut germanam Chalcedonensis canonis habeamus interpretationem. Ego arbitror, hùc pertinere canonem 40., aliàs 39. ex Apostolicis, qui, licèt verè Apostolorum non sit, continet tamèn Græcorum veterum Conciliorum doctrinam; itèm hùc pertinere canonem 24. Concilii Antiocheni, in quibus constitutum est, manifestas esse debere, dum quis Episcopus ordinatur, & res Ecclesiæ, & res ejus familiares, ut eædem res Ecclesiasticæ à familiaribus secerni facilè possent, atque Episcopo moriente res tantummodò familiares ad hæredes testamento scriptos pervenirent, at res Ecclesiasticæ penès Ecclesias remanerent à successore adminis-

Can. 43. caus. 12. q. 2.

nistrandæ. Ex quibus facilis redditur Chalcedonensis canonis interpretatio, quo prohibentur Clerici, ne res Episcoporum surripi sinant, nisi eas, quas Sancti Patres usurpari permiserunt. Hoc autèm nomine veniunt eæ res, quæ ab initio tamquàm familiares agnitæ sunt, & à rebus Ecclesiasticis discretæ, quæ poterant ab hæredibus, aut legitimis, aut testamentariis, communi jure occupari, aut detineri.

Can. 12. caus. 16. quæst. 1. non solùm habetur inter canones 30. Chalcedonenses, ab Anatolio editos numero 4., verùm etiàm est ex illis tribus, qui in fine actionis 6. Concilii Chalcedonensis propositi sunt à Marciano Imperatore, ac communi totius Concilii suffragio firmati; quippè in primo canone ex eisdem tribus ità legitur: *Eos, qui verè, & sincerè solitariam arripiunt vitam, debito honore dignos judicamus. Quoniàm verò quidam sub prætextu solitariæ vitæ & Ecclesias, & communes perturbant causas, placuit nullum quidèm ædificare Monasterium prætèr voluntatem domini possessionis. Eos verò Monachos, qui per singulas Civitates sunt, atque Provincias, subjici Episcopo, & quietem amplecti, & intendere solùm jejunio, & orationi, & neque Ecclesiasticis, neque publicis importunos rebus existere, nisi fortè jubeatur eis propter necessariam causam ab Episcopo Civitatis. Sed neque potestatem habere Monachos suscipiendi in Monasteriis suis servos, aut inscriptitios prætèr voluntatem dominorum.* Hanc igitùr integram Concilii Chalcedonensis sententiam, licèt verbis aliquibus paulò immutatis, retulit inter canones 30. numero 4. Anatolius, cujus verba ex interpretatione Mercatoris, mutilata tamèn, retulit Gratianus in dicto canone 12., quem propterèà supplere juvabit ex integra Dionysii Exigui editione. Ità interpretatus est Dionysius: *Qui verè, & sincerè singularem sectantur vitam, competentèr honorentur. Quoniàm verò quidam utentes habitu Monachi, Ecclesiastica negotia, civiliaque conturbant, circumeuntes indifferenter urbes, necnon & Monasteria sibi instruere tentantes; placuit, nullum quidèm usquàm ædificare, aut constituere Monasterium, vel orationis domum prætèr conscientiam Civitatis Episcopi. Monachos verò per unamquamque Civitatem, aut regionem subjectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodò jejunio, & orationi, in locis, quibus renunciaverunt sæculo, permanentes. Nec Ecclesiasticis verò, nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria Monasteria deserentes, nisi fortè his præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo Civitatis. Nullum verò recipere in Monasteriis servum obtentu Monachi, prætèr sui Domini conscientiam. Transgredientem verò hanc definitionem nostram excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphæmetur. Verumtamèn Episcopum convenit Civitatis competentem Monasteriorum providentiam gerere.* Huic Constitutioni saluberrimæ occasionem dederant ignoti quidam homines, & vagi, monachali habitu induti, qui Monasticam vitam adfectantes circumibant Urbes, eâ specie, ut nova Monasteria construerent, Monachos facerent, atque ità sæpè sæpiùs Civitates, aliaque loca turbabant, quemadmodùm clariùs explicat Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi Arabica; optimè propterèà caveri decebat, ne aliqua ampliùs sine voluntate, & consensu Episcopi Monasteria erigerentur; itèm ut Monachi ab Episcopi potiùs potestate, atque jurisdictione penderent. Eumdem canonem Gratianus etiàm retulit in can. 10. caus. 18. quæst. 2. usquè ad §. *Clerici in ptochiis*; cujus tamèn canonis verba, cum non integra ibidèm describantur, ex iis, quæ diximus, suppleri omninò debent. Quæ sequuntur in §. *Clerici in ptochiis*, usquè ad illa verba: *communione priventur*, pertinet potiùs ad canonem 8. ex Chalcedonensibus, quem Gratianus ex alterius cujuspiam interpretatione alitèr descriptum statim subjecit in §. *Clerici, qui pauperum.* En interpretationem Dionysii Exigui ad eumdem canonem 8. Chalcedonensem. *Clerici, qui præficiuntur ptochiis, vel qui ordinantur in Monasteriis, & Basilicis martyrum, sub Episcoporum, qui in unaquaque Civitate sunt, secundum Sanctorum*

Can. 12. caus. 16. q. 1. & can. 10. caus. 18. q. 2.

Patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui verò audent evertere hujusceniodi formam quocunque modo, nec proprio subjiciuntur Episcopo, si quidem Clerici sunt, canonum correptionibus subjacebunt; si verò Laici, vel Monachi fuerint, communione priventur. Quæ sanè Constitutio non recens fuit ab Anatolio edita; sed jam veteribus canonibus probata erat, quemadmodùm diximus ad canonem 4., & 7. dist. 71.

Can. 17. caus. 16. q. 1. Canonem 17. caus. 16. quæst. 1. jam ex Græcis exemplaribus optimè restituerunt Correctores Romani; est enim is canon 23. ex Chalcedonensibus, adversùs nonnullos vagantes Monachos constitutus. Atque ex isto canone jam colligi potest, peculiare fuisse munus Defensorum Ecclesiasticorum, ut vagantes Monachos Episcopali, quâ fungebantur, auctoritate, ab urbibus pellerent, & in sua Monasteria revocarent. Quod maximè etiàm convenit cum canone 12. caus. 16. quæst. 1., quem superiùs expendimus; ac propterea, licèt hic canon 17. verè Anatolium auctorem habeat, videtur tamèn Chalcedonensium Patrum menti conformis, qualem exhibuimus in dicto canone 12.

Canon 1. caus. 16. quæst. 3. laudatur apùd Gratianum nomine Concilii Can. 1. caus. 16. q. 3. Chalcedonensis, Gelasii Papæ, & Concilii Toletani. Intèr canones Chalcedonenses legitur num. 17., ubi tamèn Dionysius Exiguus ità interpretatus est: *Singularum Ecclesiarum rusticas Parochias, vel possessiones manere inconcussas illis Episcopis, qui eas retinere noscuntur, & maximè, si, per trecennium eas absquè vi obtinentes, sub dispensatione rexerunt; quòd si intrà tricennium facta fuerit de his, vel fiat altercatio, licere eis, qui se læsos adserunt, apùd Sanctam Synodum Provinciæ de his movere certamen. Quod siquis à Metropolitano læditur, apùd Primatem Diœceseos, aut apùd Constantinopolitanam sedem judicetur, sicùt superiùs dictum est. Siqua verò Civitas potestate Imperiali novata est, aut si protinùs innovetur, civiles dispositiones, & publicas, Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordines subsequantur.*

Tria quodammodò in hoc canone decreta junguntur. Primum de tricennali possessione in rebus Ecclesiasticis recipienda, quod sanè veteribus canonum constitutionibus consonat, præsertim Toletano Concilio in can. 2. caus. 16. quæst. 5., & Gelasio Pontifici in can. 2. caus. 16. quæst. 3., quorum nomina Gratianus propterea laudavit in inscriptione hujus canonis 1. caus. 16. quæst. 3. Alterum decretum est de appellatione ad Primatem Diœceseos, aut Patriarcham Constantinopolitanum. Verùm hic rursùm animadvertenda erunt, quæ superiùs fusiore oratione tradidi ad canonem 46. caus. 11. quæst. 1., quem sanè Anatolii ambitio ediderat, & ad quem Anatolius sese refert in verbis illis: *sicut superiùs dictum est.* Quamobrèm unusquisque facilè agnoverit, qualis sit hujusce canonis auctoritas in hac parte. Tertium decretum pertinet ad divisionem Ecclesiasticarum Parochiarum (id est, Diœceseon; etenim apùd Græcos idem erat Parochia, quod Diœcesis), quæ juxtà divisionem civilium Provinciarum facienda sit; atque hac in parte rursùm agnoscere juvat nova molimina Eusthatii Episcopi Berytensis, in Concilio damnati, quemadmodùm adnotabam ad canonem 1. dist. 101., cum enim Eusthatius à Tyrio Metropolita sese eximere volens curasset, ut Imperiali auctoritate à Tyro sua Provincia divideretur, ideò & hoc statuendum ab Anatolio curavit, ut unusquisque divisiones Parochiarum Ecclesiasticarum à divisione Provinciarum civilium dimetiretur. Juvabit conferre hunc canonem 17. Chalcedonensem cum canone 12., quem retuli superiùs ad dictum canonem 1., dist. 101.; etenim in can. 17. definitur, Provinciarum Ecclesiasticarum divisionem sequi debere distributionem Provinciarum civilem; at in canone 12. prohibetur, ne Episcopi ambitus causâ curent Provincias ab Imperatore dividi, ne, superbiâ potiùs elati, quàm ex utilitate Ecclesiastica, novas Metropoles possidere desiderent. Itaquè in can. 17. for-

forma divisionis Provincialis Ecclesiasticæ traditur: in canone 12. Episcoporum ambitus reprehenditur, ac damnatur. Sed quid ampliùs immorer in hac explicanda Chalcedonensis canonis parte, in qua agnoscuntur schismaticorum Episcoporum animi, & industria, videlicèt Anatolii, & Eusthatii, quorum prior optabat Primatum totius Orientis, alter honorem Metropoliticum in præjudicium aliorum Orientis ejusdem Episcoporum?

Can. 4. caus. 19. q. 3. Canon 4. caus. 19. quæst. 3. est vigesimusquartus inter Chalcedonenses, & quidèm juxtà interpretationem Dionysii Exigui, dummodò pro illis verbis Gratiani: *Qui verò permiserint hoc fieri, subjaceant his condemnationibus, quæ per canones constitutæ sunt*, ità legamus: *qui verò hoc fieri permiserint, canonum sententiis subjacebunt.* Balsamon hunc canonem interpretatus quærit, quænam eæ pœnæ sint, quæ per canones infliguntur; ac respondet, esse pœnam excommunicationis in Laicis, & pœnam depositionis in Clericis. Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi ità exponit: *Quicunque Monasterium aliquod sibi domicilium constituerit, aut illud cognoverit, & non mutaverit, anathematizatus sit, & maledictus.* Fortè hoc in loco ratio habita est canonis 24. Concilii Antiocheni, in quo constitutum est, ut res Ecclesiasticæ ab Episcopis integræ servarentur, adjectâ hac pœnâ: *ne pòst obitum maledictionibus ingraventur.*

Can. 3. caus. 20. q. 3. Adinstar illarum rerum, quæ, semèl in Ecclesiis, aut Monasteriis Deo consecratæ, alienari ampliùs nequeunt, ità etiàm personæ, quæ semèl in Monasteriis, aut Ecclesiis se Deo voverunt, nequeunt ex sententia sacrorum canonum ad sæcularem vitam redire, quemadmodùm dicitur in canone 7. Chalcedonensi, quem retulit Gratianus in can. 3. caus. 20. quæst. 3., qui apùd Dionysium Exiguum ità legitur: *Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam experiverunt, statuimus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minùs redeant ad hoc, quod propter Deum primitùs elegerunt, anathematizari.* Exhibent sanè hæc veterem disciplinam, juxtà quam Clerici, semèl Ecclesiis addicti, licèt in minoribus ordinibus constituti, resilire ampliùs non poterant; quam consuetudinem perdurasse usquè ad sæculum Ecclesiæ 13. eruditè demonstrat Thomassinus de disciplina Ecclesiastica parte 4. lib. 2. cap. 5., quam ad rem videri etiàm potest novella Justiniani 123. cap. 15., & Epist. 17. S. Ambrosii. Alii sunt nostrorum temporum mores, juxtà quos quotidiè observamus Clericos in minoribus ordinibus constitutos ab officiis Ecclesiasticis omninò ex propria voluntate recedere. Concilium tamèn Tridentinum, quoàd fieri per tempora potuit, veterum doctrinam renovare studens, illud maximè Episcopis commendavit, ut, quotiès Clericos ordinaturi sunt, tales eligant, quos spes affulgeat fore Ecclesiasticis muneribus perpetuò adhæsuros.

Ex eodem canone 10. Chalcedonensi referuntur duo canones apùd Gratianum, videlicèt canon 2. caus. 21. quæst. 1. & canon 3. caus. 21. quæst. 2., quorum verba ità emendanda sunt, jungendaque ex interpretatione Dionysii Exigui: *Non licere Clericum in duarum Civitatum conscribi simùl Ecclesiis, & in qua initio ordinatus est, & ad quam confugit quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autèm facientes revocari debere ad suam Ecclesiam, in qua primitùs ordinati sunt, & ibi tantummodò ministrare. Si verò jam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel Martyriorum, quæ sub ea sunt, aut Ptochiorum, aut Xenodòchiorum rebus in nullo communicet. Eos verò, qui ausi fuerint pòst definitionem magnæ, & universalis hujus Synodi,* (sunt hæc Anatolii verba callidè apposita, ut hoc modo canonibus suis auctoritatem conciliaret) *quicquam ex his, quæ sunt prohibita, perpetrare, decrevit Sancta Synodus à proprio hujusmodi gradu recedere.* Sunt, qui difficilem agnoscunt canonis hujus sententiam in eo, quod initio dicatur, Clericos ad aliam Ecclesiam

Can. 2. caus. 21. q. 1. & can. 3. caus. 21. q. 2.

siam divertentes revocandos esse, ut ministrent in ea Ecclesia, in qua primùm ordinati fuerunt; deindè verò in fine ejusdem canonis definiatur, eos à gradu suo dejiciendos, ac deponendos esse. Græci Interpretes putant se satisfecisse, ajendo Clericos ab una ad aliam Ecclesiam transmigrantes deponendos quidèm esse, non tamèn in utraque Ecclesia, sed tantùm in posteriore, ad quam diverterant. Verùm hæc, ut mihi videtur, pœna non est divertentium Clericorum, sed Constitutio ipsa, quâ cavetur Clericos hujusmodi reverti debere ad Ecclesiam, à qua recesserunt. Prætereà multo alitèr, quàm Græci Interpretes asserere velint, statutum agnosco in canone 15. ex Apostolicis, qui, licèt verè non sit Apostolorum, veterum tamèn Sanctorum Ecclesiæ Patrum continet disciplinam; etenim de Clerico de una in aliam Ecclesiam transeunte ità ibidèm decernitur: *Hunc ulteriùs ministrare non patimur... Verumtamèn tamquàm Laicus ibi communicet.* Ego sanè, ut candidè loquar, non probaverim conatus illius, qui vellet canonis hujus sententiam conciliare: Cujus enim interest, hosce canones, ab Anatolio schismatico viro conditos, ab Ecclesia ab initio improbatos, & non nisi à seditiosis hominibus receptos, ità apparere prudentèr, sapientèrque conditos, ut omnia in ipsis rectè consonare, & congruere videantur? Digerat qui velit, & abundat inani otio, hujusmodi capita.

In canone 14. caus. 25. quæst. 1. habemus canonem 1. ex Chalcedonensibus, cujus hæc verba sunt apùd Dionysium Exiguum: *Regulas, à Sanctis Patribus in unaquaque Synodo usquè nùnc prolatas, teneri statuimus.* Ex his vulgò creditum est, in Concilio Chalcedonensi confirmatos fuisse canones non solùm in tribus antecedentibus Conciliis generalibus constitutos, verùm etiàm definitos in aliis Conciliis Provincialibus, videlicèt Ancyrano, Neocæsareensi, Gangrensi, Antiocheno, & Laodiceno. Verùm hæc optimè quidèm assererentur, si dictus canon primus non Anatolii esset, aliorumque Episcoporum schismati Anatolii adhærentium, sed reverà à Concilio Chalcedonensi fuisset editus. Non iverim tamèn inficias eorumdem Conciliorum maximam sempèr fuisse apùd omnes, præsertim veteres, auctoritatem.

Canonem 16. ex Chalcedonensibus duobus in locis descripsit Gratianus, diversas sequutus interpretationes, videlicèt in can. 12. & 22. caus. 27. quæst. 1., in dicto tamèn canone 12. laudavit ex Concilio Triburiensi, falsò tamèn, quemadmodùm jam diù observarunt Romani Correctores. Quod ibi decretum esse videtur, Monachos, vel Virgines Deo dicatas non posse nuptias contrahere, pòst contractas tamèn posse in ipsis consistere ex venia Episcopali, consonat cum nonnullorum opinione, qui cum Basilio Pontio de matrimonio lib. 7. cap. 17. arbitrantur, nullum canonem declarasse irritum matrimonium, contractum à Monacho, vel Sanctimoniali, etiàm pòst votum Religionis emissum, antè canonem 7. Concilii Romani sub Innocentio II. anni 1139., quem Gratianus retulit in can. 40. caus. 27. quæst. 1. Interpretatio Dionysii Exigui ad dictum canonem 16. ex Chalcedonensibus hæc est: *Virginem, quæ se Deo Domino consecravit, similitèr & Monachum, non licere nuptialia jura contrahere: quòd si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autèm decrevimus, ut habeat auctoritatem ejusdem loci Episcopus, misericordiam, humanitatemque largiri.*

In canone 23. caus. 27. quæst. 1. legitur canon 15. ex Chalcedonensibus, his verbis expositus à Dionysio Exiguo: *Diaconissam non ordinandam antè annum quadragesimum, & hanc cum summo libramine. Si verò suscipiens manus impositionem, & aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi cum eo, qui eidem copulatur.* Ceteræ latinæ interpretationes omninò conveniunt. Diaconissæ apùd veteres ut plu-

ri-

rimum Viduæ, aut Virgines erant, quarum munus erat præstò esse mulieribus in Ecclesiasticis ministeriis, quemadmodùm viris adsistebant Diaconi. Hinc Diaconissæ Cathecumenas fœminas privatim instruebant, necessaria indigentibus fœminis ministrabant, fortè etiàm fœminis baptizandis aderant, vel dum immergerentur in fontem, vel dum è fonte baptizatæ reciperentur. Veteres autèm primùm constituerunt, munus hoc Diaconissarum non nisi quinquagenariis fœminis demandandum esse l. 9. Cod. de Episcopis, & Clericis, novella 6. cap. 6.; deindè tamèn visa fuit sufficiens ætas annorum 40. ex Concilio Agathensi can. 19., & novella Justiniani 123. cap. 13., per quam abrogata fuit dicta novella 6. Quæ si vera sunt, ego facilè in suspicionem adducor, ut credam olim in hoc canone Chalcedonensi expressum fuisse annum 50., sed posteà ab Interpretibus, aut Collectoribus loco anni 50. suffectum fuisse quadragesimum, ut canonem hunc Chalcedonensem novæ disciplinæ accommodarent. Et reverà hanc suspicionem magis urget, quod ad eumdem canonem ait Joseph Ægyptius in sua Paraphrasi his verbis: *Mulier Ecclesiæ ministra ne constituatur, priusquàm anni quadraginta ei elapsi fuerint: neque etiàm constituatur, nisi pòst multum, & accuratum scrutinium, quòd menstrua ei cessarunt, & quòd ipsa concupiscentiâ non laborat.*

Can. 1. caus. 36. q. 2. Demùm in can. 1. caus. 36. quæst. 2. legitur canon 27. Chalcedonensis, & quidèm ex interpretatione Dionysii Exigui eisdem omninò verbis.

De Fragmentis, falsò per Gratianum adscriptis Concilio Chalcedonensi.

Can. 2. caus. 30. q. 4. Unum adhùc fragmentum superest, quod apùd Gratianum nomine Concilii Chalcedonensis refertur in can. 2. caus. 30. quæst. 4., falsò tamèn; nihil enim simile aut legi potest, aut pertractatum est in Chalcedonensi Concilio. Adnotarunt jam Romani Correctores, illum canonem haberi in quodam Pœnitentiali incerti auctoris. Illud sanè est Pœnitentiale Romanum, quod edidit Antonius Augustinus, de quo suo loco mihi agendum erit; in eo autèm Pœnitentiali idem fragmentum habetur tit 8. cap. 15., & quidèm nomine Concilii Chalcedonensis inscriptum, quamquàm Antonius Augustinus ad marginem ibi adnotaverit: *Non extat.* Ego autèm arbitror, sive Gratianum, sive auctorem ejusdem Pœnitentialis deprompsisse canonem ex Concilio aliquo Gallicano sæculi circitèr 7., aut 8.; etenim eâ ætate frequentissimæ erant in Galliis incestæ pollutiones, præsertim ob commixtionem barbararum gentium, quæ tùnc illas Provincias occupaverant, ut proindè opus fuerit tùm, pluribus canonibus ad hanc rem editis gliscenti malo gravissimo remedium adferre, quemadmodùm constat tum ex Concilio Agathensi can. 61., tum Epaonensi can. 30., Aurelianensi III. can. 10., Arvernensi can. 2., Aurelianensi IV. can. 27. & Turonico II. sub Chariberto Rege cap. 22., ut omittam quamplura Regum Francorum Capitularia. Plurimùm autèm cum Gratianeo Canone convenire videntur canones 53. 55., & 56. Concilii Moguntini anni 813., siquidèm in can. 53. ità legitur: *Ut Episcopi incestuosos pariter investigare studeant, omninò præcipimus. Et si pœnitere noluerint de Ecclesia expellantur, donèc ad pœnitentiam revertantur.* In canone 55. *Nullus igitur proprium filium, vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium, aut filiam ad confirmationem duxerit.* Et in can. 56. *Siquis uxorem viduam duxerit, & posteà cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, aut siqua duobus fratribus nupserit, seu cum patre, & filio, tales copulationes anathematizari, & disjungi præcipimus, nec umquàm ampliùs conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri.* Horum canonum sententiam ex Concilio Moguntino laudat etiàm Rhabanus in Epist.

Epist. ad Heribaldum, quæ est instar Pœnitentialis : sed verba canonis latiùs expendens pœnam incestuosis subjecit, ut scilicèt, postquàm per annum ab Ecclesiæ ingressu abstinuerint, per annos octo inter pœnitentes Deo, & Ecclesiæ satisfaciant. Ex hac Rhabani sententia, junctis Moguntinis canonibus, compositus videtur Gratianeus canon, sive fragmentum illud Pœnitentialis Romani apùd Antonium Augustinum. Atque exindè etiàm non est difficile percipere, quomodò in eumdem canonem Chalcedonensis Concilii inscriptio irrepserit; puto enim, potiùs olim adscriptum fuisse nomen Concilii Cabilonensis, quod solebat pro Moguntino sæpissimè accipi, quemadmodùm suo loco dicemus; at ex nomine Cabilonensis Concilii facilè scribi potuisse nomen Concilii Chalcedonensis ex quadam literarum, & vocis similitudine, unusquisque commodè dignoscit.

CAPUT XXIII.

De Concilio Agathensi.

En Canones Concilii Agathensis apùd Gratianum.

Can. 13. *dist.* 18. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 22. *dist.* 23. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 30. *dist.* 23. *referendus potiùs ad Concilium Laodicenum.*
Can. 19. *dist.* 34. *consonat cum vulgatis exemplaribus Concilii pòst Romanam emendationem.*
Can. 9. *dist.* 35. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 7. *dist.* 50. *ad canones Epaonensis Concilii exigendus.*
Can. 21. *dist.* 50. *consonat cum vulgatis Concilii Agathensis exemplaribus.*
Can. 63. *dist.* 50. *consonat cum vulgatis Concilii Agathensis exemplaribus.*
Can. 64. *dist.* 50. *potiùs Reginoni Prumiensi adscribendus.*
Can. 5. *dist.* 74. *ex vulgatis Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 6. *dist.* 77. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 25. *dist.* 86. *potiùs depromptus ex Novellis Justiniani.*
Can. 7. *dist.* 87. *consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 9. *dist.* 90. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 10. *caus.* 1. *q.* 2. *parùm, aut nihil accommodatus proposito Gratiani.*
Can. 12. *caus.* 2. *q.* 5. *tribui nullo modo potest Agathensi Concilio.*
Can. 8. *caus.* 5. *q.* 6. *jungendus can.* 17., *&* 47. *caus.* 11. *q.* 1.
Can. 29. *caus.* 7. *q.* 1. *pertinet potiùs ad Concilium Arvernense anni* 535.
Can. 1. *caus.* 10. *q.* 2. *jungendus can.* 3. *caus.* 10. *q.* 2. *vers.* quod si necessitas.
Can. 17. *caus.* 11. *q.* 1. *emendandus ex optimis Concilii exemplaribus.*
Can. 47. *caus.* 11. *q.* 1. *idem est cum can.* 17. *caus.* 11. *q.* 1., *& eodem modo emendandus.*
Can. 8. *caus.* 11. *q.* 3. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 19. *caus.* 12. *q.* 1. *consonat cum canonibus Conciliorum sexti sæculi.*
Can. 32. *caus.* 12. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
Can. 33. *caus.* 12. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 34. *caus.* 12. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*

Can.

Can. 35. *caus.* 12. *q.* 2. *consonat cum sententia Concilii Agathensis, & jungendus cum can.* 56. *caus.* 12. *q.* 2.
Can. 36. *caus.* 12. *q.* 2. *est potiùs Concilii Epaonensis anni* 517.
Can. 53. *caus.* 12. *q.* 2. *emendandus ex vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 54. *caus.* 12. *q.* 2. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 56. *caus.* 12. *q.* 2. *jungendus cum can.* 35. *caus.* 12. *q.* 2.
Can. 57. *caus.* 12. *q.* 2. *jungendus cum can.* 1., *&* 3. §. *ult. caus.* 10. *q.* 2.
Can. 3. *caus.* 12. *q.* 3. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 3. *caus.* 12. *q.* 4. *est potiùs Concilii Epaonensis anni* 517.
Can. 5. *caus.* 12. *q.* 5. *est potiùs Concilii Epaonensis anni* 517.
Can. 11. *caus.* 13. *q.* 2. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 4. *caus.* 14. *q.* 3. *potiùs ex Capitularibus Caroli Magni.*
Can. 2. *caus.* 14. *q.* 4. *potiùs ex Concilio Arelatensi I.*
Can. 33. *caus.* 16. *q.* 1. *jungendus cum can.* 12. *caus.* 18. *q.* 2., *& can.* 3. *caus.* 20. *q.* 4.
Can. 11. *caus.* 16. *q.* 3. *pertinet potiùs ad Concilium Epaonense, ex quo emendandus.*
Can. 40. *caus.* 17. *q.* 4. *potiùs est Concilii Epaonensis anni* 517.
Can. 12. *caus.* 18. *q.* 2. *jungendus cum can.* 33. *caus.* 16. *q.* 1., *& can.* 3. *caus.* 20. *q.* 4.
Can. 13. *caus.* 18. *q.* 2. *potiùs est Concilii Epaonensis anni* 517.
Can. 23. *caus.* 18. *q.* 2. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 3. *caus.* 20. *q.* 4. *jungendus cum can.* 33. *caus.* 16. *q.* 1., *& can.* 12. *caus.* 18. *q.* 2.
Can. 4. *caus.* 21. *q.* 1. *est potiùs Concilii Epaonensis anni* 517.
Can. 1. *caus.* 21. *q.* 5. *ex optimis Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 6. *caus.* 26. *q.* 5. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 3. *caus.* 26. *q.* 6. *ex integris Concilii canonibus emendandus.*
Can. 14. *caus.* 28. *q.* 1. *consonat etiàm cum Concilio Meldensi anni* 845.
Can. 16. *caus.* 28. *q.* 1. *potiùs ex Concilio Laodiceno, ex quo erit emendandus.*
Can. 8. *caus.* 35. *q.* 2. *jam à Romanis Correctoribus restitutus auctoribus suis.*
Can. 32. *de cons. dist.* 1. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 35. *de cons. dist.* 1. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 64. *de cons. dist.* 1. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 19. *de cons. dist.* 2. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 9. *de cons. dist.* 3. *ex melioribus Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 56. *de cons. dist.* 4. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 93. *de cons. dist.* 4. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 13. *de cons. dist.* 5. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*

CUm universa propemodùm Europa circà finem quinti sæculi Gothorum, & Vandalorum incursibus vastaretur, non tantùm benè constitutæ Romani Imperii leges, verùm etiàm Ecclesiastici canones in desuetudinem quodammodò abiisse videbantur. Etenim Gothi, Gothisque adhærentes populi consuetudinibus potiùs pro libito invectis, quàm scriptis legibus, vivere adamabant. Primus fuit Euricus Theodorici Filius, qui ubi plurimas Hispaniarum, & Galliarum Provincias occupavit, legum scriptarum formulas induci passus est, quemadmodùm testatur S. Isidorus Hispalensis in chronico Gothorum his verbis ad æram 504. *Sub hoc Rege* (scilicèt Eurico) *Gothi legum instituta scriptis habere cœperunt, nàm anteà tantùm moribus, & consuetudine tenebantur.*

Ita-

Itaquè, constitutis legibus ad rectum civile regimen pertinentibus, sacri quoquè Antistites facile, sibi paratam esse occasionem agnoverunt, ut & ipsi ad renovandam Ecclesiasticam disciplinam penè lapsam legibus scriptis animum, mentemque converterent; præsertim quòd tùnc novis institutionibus opus esse videbatur, cum nonnulli ex Gothis recèns fidem amplexati fuissent. Quamobrèm sub Rege Alarico, memorati Eurici filio, anno 506., solemne in Galliis celebratum fuit Concilium in Agathensi Civitate, Cæsario Arelatensi Episcopo ceteros Episcopos Galliarum convocante, & quidèm consentiente Alarico, qui & omnem auctoritatem suam interpositurum ad munimen, & tutelam sacrorum canonum spopondit, uti constat ex præfatione, quæ Concilio huic adjecta in exemplaribus Conciliorum legitur. Præfuit toti Concilio Cæsarius idem Arelatensis; accesserant autèm Episcopi numero quatuor suprà triginta, qui omnes vel per se, vel per Vicarios suos Concilio subscripserunt. Numerus canonum, in hoc Concilio editorum, in vulgatis exemplaribus extenditur usquè ad septuaginta: sed reverà non amplius, quàm 47. canones in hoc Concilio constitutos fuisse, eruditissimi viri ex optimis codicibus testantur, inter quos est Labbeus, & antè Labbeum Surius, & Sirmondus, observantes, in veteribus MSS. Codicibus tantùm haberi 47., ceteros verò adjectos fuisse recentiore manu ex Conciliis posterioribus Gallicanis, præsertim verò ex Concilio Epaonensi. Quòd si de hujus Concilii auctoritate quæratur, fatentur eruditi omnes, magno in honore illius canones sempèr habitos fuisse. Et reverà talem existimationem merentur, qualem habere debent Concilia Nationalia; agitur enim de Nationali Concilio totius Galliæ, cujus convocare Episcopos ad Archiepiscopum Arelatensem jure adquisito pertinebat juxtà canonem 18. Concilii Arelatensis II. anni 452.

In canone 35. hujus Agathensis Concilii legitur eisdem omninò verbis canon 13. dist. 18. ubi sanè eadem definita agnoscimus, quæ jam in vetustissimis Conciliis edita fuerant: addiderunt autèm Agathenses Patres peculiare quidpiam ad exhibendam Regi Alarico honorificentiam, qui, licèt Arianis aliquandiù favisset, videbatur tamèn plurimum præstiturus ad incolumitatem, utilitatemque Ecclesiarum. Can. 13. dist. 18.

Canon 22. dist. 23., qui eisdem verbis legitur in canone 20. Agathensi, maximè decebat illa tempora; cum enim Gothi Galliæ Provincias occupantes efferos, bellicosque mores induissent, quos non solùm ardens animus, sed & militaris quædam externa habitus forma exhibebat, facile fuerat, etiàm Clericos ceterorum exempla sequutos novo cultu vestium, novoque habitu corporis ornatos prodiisse, quorum propterea immoderatum usum opus erat edito canone cohibere. Can. 22. dist. 23.

Canon 30. dist. 23. licèt referatur inter Agathenses canones numero 66., ex illis tamèn est, qui, ut superiùs observabam, pòst Agathenses canones recentiore manu adjecti sunt: notandum tamèn, pro illa voce Gratianea *sacrarium* legi in vulgatis Concilii exemplaribus *Secretarium*. Non est tamèn diutiùs elaborandum, ut investigemus, cuinam potiùs Concilio idem canon tribuendus sit. In aperto enim est eisdem ferè verbis expressus Laodiceni Concilii canon 21. relatus apùd Gratianum in hac eadem distinctione can. 26., quem suo loco expendebam. Can. 30. dist. 23.

De canone 19. dist. 34. nihil est dignum singulari observatione; postquàm præsertim Romani Correctores ex canone 39. Agathensi, undè depromptus est, expunxerunt particulam *modò*. Can. 19. dist. 34.

In canone 41. Agathensi, qui refertur in can. 9. dist. 35. certis pœnis affliguntur Clerici vino dediti, qui vel ab Ecclesiæ communione arcentur spatio 30. dierum, *vel corporali subduntur supplicio*, Can. 9. dist. 35.

cio, id est, indicto jejunio, & sobrietate : quâ sanè pœnâ nulla convenientior esse poterat. Hinc apùd Ivonem Carnotensem parte 13. cap. 77. refertur quoddam dictum Fructuosi Episcopi, ità expressum : *Siquis Ecclesiasticâ præditus ordinatione, aut Monachus repertus fuerit ebriosus, in pane, & aqua tribus mensibus pœniteat.*

Can. 7. dist. 50. Canon 7. dist. 50. est ex numero illorum canonum, quos diximus recentioris Collectoris manu Agathensi Concilio adjectos fuisse : est enim ille inter Agathenses canones numero quinquagesimus. Reverà in Gallicanis Provinciis anno 506. nondùm receptum erat, ut Viri Ecclesiastici crimina capitalia admittentes in Monasterium perpetuæ pœnitentiæ causâ detruderentur: illud potiùs obtinebat, ut deponerentur, atque ab Ecclesiastica communione removerentur. Id decretum adparet in Concilio Aurelianensi anni 511. can. 9. ibi : *Si Diaconus, aut Presbyter crimen capitale commiserit, simùl & officio, & communione pellatur.* Illud primùm obtinuit pòst Concilium Epaonense anni 517., etenim in eo ità statutum est can. 22. *Si Presbyter, aut Diaconus crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus in Monasterium retrudatur, ibi tantummodò, quandiù vixerit, communione sumenda.* Facilè itaquè ex his percipimus, dictum canonem septimum Gratianeum ex Epaonensi Concilio fuisse depromptum primùm, & canonibus Agathensibus posteà adjectum, undè Agathensis Concilii nomine à posterioribus Collectoribus commemorari cœperit. Quicumque verò primus canonem Agathensi Concilio adtribuit, non modicum verba ejusdem canonis immutavit. Fecit enim in primis mentionem de Episcopo, de quo tamèn ne verbum quidèm occurrit apùd Epaonenses Patres, arbitratus fortè, quod de Presbyteris dicitur ad pœnitentiam redigendis, idipsum & de Episcopis dicendum esse, quasi communis esse debeat delinquentium Presbyterorum, atque Episcoporum pœnitentia. Secundò addidit : *Laicam tantummodò communionem accipiat* : Laicæ autèm communionis mentio non fit in Epaonensi decreto, ubi simplicitèr de communione fit sermo. Fortè ego putaverim, vocem illam *Laicæ* adjectam fuisse, postquàm Monachi Ecclesiasticis ordinibus insigniri cœperunt; cum enim olim tamquàm Laici omninò haberentur Monachi, idem erat aliquem cum Monachis communem vitam habere, ac Laicâ tantummodò communione frui. At, posteaquàm Monachi Sacerdotio fungi cœperunt, necessarium fuit clariùs exprimere *Laicam* communionem, ut designaretur eos, qui pœnitentiæ causâ in Monasterium detrudebantur, non communem cum Monachis habuisse Ecclesiasticam communionem, sed tantummodò qualem Laici habere solent. Demùm, qui canonem Epaonensem canonibus Agathensibus adjecit non generatim tantummodò conceptum voluit Epaonense decretum de Clericis capitale crimen admittentibus, sed ad species recensendas manum admovens scripsit : *Aut chartam falsaverit, aut falsum testimonium dixerit*, quæ sanè loquendi formulæ in Epaonensi canone desiderantur. Fortè autèm, qui hæc adjecit, voluit his jungere canonem 13. etiàm Epaonensem, qui his verbis exprimitur : *Siquis Clericus in falso testimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis habeatur.*

Canon 21. dist. 50. verè pertinet ad Concilium Agathense, in cujus canone 2. eadem omninò verba leguntur. Can. 21. dist. 50.

Pertinet prætereà ad idem Concilium canone 15. canon 63. dist. 50., ex quo sanè constat, qualis fuerit veteris pœnitentiæ asperitas, in eo præsertim, quod dicitur, juvenes non facilè ad pœnitentiam, & reconciliationem Ecclesiæ admittendos, *propter ætatis fragilitatem.* Nomine autèm *viatici* in hoc canone non intelligitur Eucharistia, quemadmodùm quibusdam placet interpretari, sed potiùs Pœnitentiæ Sacramentum, quod eâ appellatione solebat apùd veteres significari, quemadmodùm Can. 63. dist. 50.

jam ostendimus ad canonem 13. Concilii Nicæni, & probari etiàm potest ex Concilio Gerundensi anni 517. in can. 42. dist. 50. Quanquàm verò Gratianeus canon vulgatis Concilii exemplaribus omninò consonet, non omittam tamèn admonere, eumdem referri apùd Reginonem in lib. 1. de Ecclesiast. discipl. cap. 290. sed dumtaxàt usquè ad illa verba; *aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur*, cetera verò illic desiderari.

Ad rem nupèr laudabam Reginonem; ex cujus etiàm collectione restituendus erit ad sua loca canon 64. dist. 50. qui apùd Gratianum, & nonnullos alios Collectores falsò adscribitur Concilio Agathensi. Regino, ut ajebam, in lib. 1. de Eccles. discipl. cap. 290. recitaverat canonem 15. Agathensem, qui idem est cum can. 63. dist. 50. Pòst eum ità statim subdidit in cap. 291. *undè suprà*, quam notam imperitus, aut negligens exscriptor referendam existimavit ad Concilium Agathense, cujus erat caput superius, cum tamèn esset familiare Reginoni, apponere verba illa *undè suprà*, non ut significaret eumdem sequentis capitis esse auctorem, qui est præcedentis, sed ut significaret se eamdem materiam prosequi, quam ab initio tractare cœperat. Pòst hæc itaquè Regino in cap. 291. refert illa, quæ habentur apùd Gratianum in dicto can. 64., quæ propterèà non verba Concilii Agathensis sunt, sed potiùs Reginonis ejusdem, qui in suis libris non sempèr Collectorem egit, sed aliquandò sententias suas sententiis canonum interseruit; quique hoc in loco sui temporis, & suæ Provinciæ disciplinam referebat, accurata dignam observatione apùd eos, qui de satisfactione pœnitentium velint rectè sentire, & quemadmodùm vetustis Ecclesiæ sæculis receptum erat. Sed quoniàm Reginonis exemplaria in aliquibus verbis non nihil dissonant ab exemplaribus Gratiani, non inutile erit hoc in loco Reginonis ejusdem verba describere. *In capite quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam susciCan. 64. dist. 50.*

piunt, aut susceperunt pœnitentiam, antè fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo Civitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, reos se esse ipso habitu, & vultu proclamantes, ubi adesse deben Decani, id est, Archipresbyteri Parochiarum, cum testibus, id est, Presbyteris pœnitentium, qui eorum conversationem diligentèr inspicere debent; & secundùm modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungat. Pòst hæc in Ecclesiam eos introducat, & cum omni Clero septèm pœnitentiæ psalmos in terram prostratus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tùm consurgens ab oratione, juxtà id, quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam supèr eos spargat, cinerem priùs mittat, dein cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, ac crebris suspiriis eis denuntiet, quòd, sicùt Adam projectus est de Paradiso, ità & ipsi ab Ecclesia ob peccata ejiciantur. Pòst hæc jubeat ministros, ut eos extrà januas Ecclesiæ expellant. Clerus verò prosequatur eos cum responsorio: in sudore vultus tui vesceris pane tuo &c., ut, videntes sanctam Ecclesiam ob facinora sua tremefactam, & commotam, non parvipendant pœnitentiam. In sacra autèm Domini cœna rursùs Ecclesiæ liminibus se præsentent.

In Concilio Agathensi canone 23. legitur canon 5. dist. 74., cujus tamèn verba in vulgatis Concilii exemplaribus ità habentur: *Episcopus etiàm, quorum vita non reprehenditur, posteriorem priori nullum præponat, nisi fortasè elatus superbiâ, quod pro necessitate Ecclesiæ Episcopus jusserit, implere contemnat. Sanè, si officium Archidiaconus* (legunt alii: *Archidiaconatus*) *propter simpliciorem naturam implere, aut expedire nequiverit, ille loci sui nomen teneat, & ordinationi Ecclesiæ, quem elegerit Episcopus, præponatur.* Can. 5. dist. 74.

In canone 6. dist. 77. juncti sunt canones 16., & 17. ex Agathensibus; à prioribus enim verbis usquè ad illa: *Conversi fuerint, ordinentur*, habetur canon 16., & 17. à §. *Presbyterum* usquè in finem, dummodò tamèn advertamus, illa *& Diaconos antè viginti quinque* fuisse à Gratiano adjecta, & in ipsis Concilii exemplaribus desiderari; neque enim opus erat, ut in canone 17. repe- Can. 6. dist. 77.

peteretur, quod in canone præcedente jam expressis verbis constitutum fuerat.

Can. 25. dist. 86. Canonem 25. dist. 86. non esse Concilii Agathensis jam observarunt Romani Correctores, cum inter canones ejusdem Concilii non legatur. Burchardus autèm & Ivo illum adscribunt Bonifacio Papæ. Sed, quicumque Bonifacii decreta collegerunt, hujus canonis minimè meminerunt. Potiùs exquirendus erit inter Novellas Justiniani; etenim in Novella 123. cap. 11. eadem ferè verba leguntur, ibi: *Sed neque propriis manibus liceat Episcopum aliquem percutere; hoc enim extraneum Sacerdoti est*: quæ verba primus in suo Nomocanone retulit adinstar fragmenti cujuspiam Joannes Antiochenus tit. 15. Posteriores verò Collectores, qui non Nomocanones, sed potiùs collectiones canonum adornare volebant, Justiniani Imperatoris leges quotiès laudaverunt, Justiniani ipsius nomen reticuerunt, atque ejus vice inscripserunt nomen Bonifacii Papæ, quemadmodùm frequentèr contigisse observabimus, ubi agendum erit de Bonifacio Pontifice, eâ fortè adducti ratione, quòd Bonifacius II. esset Justiniano contemporaneus circà annum 530. Sententia hujus canonis videtur consonare cum dictis Apostoli Pauli, qui inter ceteras Episcoporum dotes illam recenset, ut non sit percussor. Ceterùm vetus erat disciplina Ecclesiarum, ut Episcopis competeret quædam potestas in Clericos, qualis est Patris in filios, aut Præceptoris in discipulos, ut, si quandò Clerici peccarent, salutari pœnâ eos corriperent, aliquandò etiàm pœna flagelli, de qua Sanctus Augustinus in Epist. 133. ad Marcellinum ità scribit: *Quandò tantorum scelerum confessionem....virgarum verberibus eruisti, qui modus coercitionis, & à magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpè etiàm in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* Eodem fermè modo solebant Abbates Monachos sibi subditos corrigere, uti legitur in regula S. Benedicti, & in eodem Concilio Agathensi can. 38., sive can. 3. caus. 20. quæst. 4. Cum autèm hac potestate Episcopi abuterentur, modum pœnæ excedentes, opus fuit lege latâ eorumdem severitatem cohiberi, cum præsertim S. Paulus admoneat Episcopum non debere esse percussorem, quod & constitutum scimus in can. 27. vulgò Apostolorum, & apùd Gregorium Magnum in can. 1. dist. 45., quibus consonare posset canon octavus Concilii Ilerdensis anni 524. relatus in can. 19. caus. 17. quæst. 4., ex quibus eruitur Justiniani tempore opus fuisse, ut admonerentur Episcopi, ne Clericorum potiùs percussores, quàm Pastores, & Patres viderentur.

Postquàm manumissio censu facta exolevit, & in ejus locum suffecta est manumissio in Sacrosanctis Ecclesiis, quemadmodùm jam superiùs me dixisse memini, quicumque in Ecclesia manumittebantur, sub Ecclesiæ quodammodò patrocinio esse videbantur ob privilegium Constantini Imperatoris, de quo in l. 1. & 2. cod. de his, qui in Eccles. manumit. Jure propterèà Patres Agathenses in can. 29. pro manumissorum libertate constituerunt, ne servi semèl in Sacrosanctis Ecclesiis manumissi læderentur. Is est canon 7. dist. 87. Can. 7. dist. 87.

De canone 9. dist. 90. nihil est, quod specialitèr observemus: habetur autèm eisdem verbis in canone 31. Agathensi, dummodò pro illa voce, *obstinatione*, legamus *intentione*. Can. 9. dist. 90.

Nescio, quâ ratione in canonem 10. caus. 1. quæst. 2. Gratianus retulerit canonem 36. Concilii Agathensis, cum hic Gratiani proposito convenire non possit. Demonstrare volebat Gratianus nihil pecuniæ recipi posse ab eo, qui ingressurus esset Monasterium, veluti pretium admissionis. At in hoc eodem canone Agathensi nihil aliud legitur, quàm stipendia Ecclesiastica esse inter Clericos administrantes legitimè distribuenda. Duo prætereà sunt ad hanc rem observanda. Primum est, pro vocibus illis, *per ordinationem*, in vulgatis Concilii exemplaribus legi: *vel ordina-* Can. 10. caus. 1. q. 2.

dinationem. Alterum, nomen *canonis* ibidèm significare Catalogum, sive matriculam Ecclesiæ, in qua Clerici omnes descripti erant; mos enim fuerat, ut stipendia singulis Clericis adsignarentur juxtà modum, quo eorumdem Clericorum Ordines, & rationes in eadem matricula designabantur.

Can. 12. caus. 2. q. 5. Canon 12. caus. 2. quæst. 5. nec habetur inter canones Concilii Agathensis, nec Concilii Agathensis ætati tribui ullo modo potest, si ad meliores canonum Codices Gratianei canonis Constitutio non exigatur. Sanè in Galliis usquè ad Caroli Magni ætatem nihil definitum fuit de Presbyteris accusatis, quorum objecta crimina ab accusatore probari non poterant. Perspicuum est ad hanc rem caput 33. lib. 5. Capitularium Francorum, ubi traditur, quemadmodùm Carolus idem Imperator habitis publicis Episcoporum comitiis deliberaverit, nec non Leonis Papæ consilium exoptaverit, ibi: *Et hoc vobiscum magno studio pertractandum est, quid de illis Presbyteris criminosis, undè approbatio non est, & sempèr negant, faciendum sit. Nàm hoc sæpissimè à nobis, & à Progenitoribus nostris, atque Antecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenùs definitum. Undè ad consultandum Patrem nostrum Leonem Papam Sacerdotes nostros mittimus, & quidquid ab eo, vel à suis perceperimus, vobis unà cum illis, quos mittimus, renunciare non tardabimus. Vos interdùm vicissim tractate attentiùs, quid ex his vobiscum constituamus unà cum prædicti Sancti Patris institutionibus, ut murmur cesset populi.* Deindè in cap. sequenti refertur constitutio Caroli Imperatoris pòst susceptum Leonis Papæ consilium, in qua pòst aliqua præmissa ità legitur: *Statutum est namquè ratione, & necessitate, & auctoritate prædictâ consultu omnium, ut, quotiescumquè cuiquam Sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, ut recipi debeat (quia quales ad accusationem Sacerdotum admitti debeant, in canonibus plenitèr expressum est), si autèm, ut dictum est, ille accusator, qui canonicè est recipiendus, eum cum legitimo numero verorum, & bonorum testium adprobare in conspectu Episcoporum poterit, tùnc canonicè dijudicetur; & si culpabilis inventus fuerit, canonicè damnetur. Si verò cum supradicto prætextu adprobare ipse accusator minimè poterit, & hoc canonicè definiatur. Ipse ergò Sacerdos, si suspiciosus, aut incredibilis suo Episcopo, aut reliquis suis Consacerdotibus sive bonis, & justis de suo populo, vel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus, aut quinque, vel septem testibus bonis ei vicinis Sacerdotibus exemplo Leonis Papæ, vel eo amplius, si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi id esse prospexerit, & cum aliis bonis, & justis hominibus se sacramento coràm populo supèr quatuor Evangelia dato purgatum Ecclesiæ reddat.* Hæc sanè liquidò demonstrant, usquè ad tempora Caroli Magni in Galliis nihil adhùc constitutum fuisse de Presbyterorum purgatione, quemadmodùm priora laudati capitis verba palàm faciunt, quæ sanè vera esse non possent, quotiès jam salubris quædam constitutio ad eamdem rem prodiisset ex Concilio Agathensi, sexto sæculo celebrato. Prætereà, siquis animadverterit causam, ex qua dubitaretur apùd Gallos, quomodò purganda essent Sacerdotum crimina, de quibus pòst accusationem apertè non constaret, facilè hoc idem caput agnoscet editum pòst tempora Concilii Agathensis. Reverà primùm invaluit ex consuetudinibus Longobardorum, ut quotiès quispiam accusaretur, nec de objecto crimine clarè, perspicuèque liqueret, purgaretur reus, *cum scutis, & fustibus in campo decertando*, sicuti legimus in lib. 2. legum Longobard. tit. 51. §. 11., quasi privato bello indicto inter accusatorem, & reum, ex quibus ille vincebat in causa, quem victorem belli fortuna fecisset. Atque hic mos sæculo 8. & sequentibus ordinarius esse cœpit in Provinciis Europeis, rejectâ quacumque Juris disciplinâ, eâque prorsùs oblivione deletâ. Hæc verò non videbantur decere Clericos, & maximè Sacerdotes, ut, quotiès

ipsi

ipsi accusarentur, sui purgandi causâ arma susciperent, & singulari conflictui se, causamque suam committerent. Hinc dubitatio omnis emersit, quæ proposita in Conciliis fuit apùd Carolum Magnum, in qua, uti diximus, è re visum fuit Leonem Pontificem Maximum consulere. Si igitùr hæc occasio nondùm suborta fuerat initio sexti sæculi, sive tempore Concilii Agathensis, quâ ratione diceret quispiam dictum canonem 12. caus. 2. quæst. 5. Concilio Agathensi esse adscribendum? Ut autèm investigemus, quisnam fuerit hujus canonis auctor, duo in medium proferam, quæ suspicatus sum in hac re. Primum est de fide Burchardi, qui primus in lib. 2. cap. 181. hoc fragmentum retulit, & quidèm Agathensi Concilio inscriptum, quem deindè sequuti sunt Ivo, & Gratianus. Neque enim in rebus Francicis, uti pluriès jam animadvertimus, præsertim Caroli Magni, referendis, fidem servavit Burchardus, quemadmodùm fidelem Collectorem decebat, sed sæpè alios pro aliis auctores obtrudens, illud præ ceteris cavebat, ne Capitularia Caroli Magni laudaret, in gratiam Germanorum, quibus illa erant invisa, & apùd quos ipse degebat. Viderat autèm ipse nupèr descriptum caput Capitularis Caroli Magni, in quo agitur de purgatione Sacerdotum, quæ coràm testibus ejusdem Ordinis sociis facienda præscribitur, vel tribus, vel quinque, vel septem; vel etiàm pluribus, si Episcopo videatur. Ipse verò voluit tutius definire, fortè respiciens ad praxim suorum temporum, vel Diæceseos, sexque numero socios scribens visus sibi est rem meliùs, & accuratiùs expressisse: sed nolens laudare Capitularia Francorum, Gallicanam Constitutionem sic expositam Gallicano vetusto Concilio, id est, Agathensi, adscripsit; atque id eo vel fidentiùs ausus est Burchardus, quòd videretur eadem disciplina obtinere apùd Saxones populos sibi finitimos; etenim inter leges Ecclesiasticas Canuti Saxoniæ Regis, quæ apùd Labbeum referuntur ad annum 1032. ità legitur num. 5. *Siquis itaquè Sacerdotem ad certam aliquam religionis normam viventem in crimen vocarit, atque is nullius sibi sceleris concius fuerit, Missam, si modò id facere non vereatur, celebrato, & Eucharistiæ perceptione unius calumniam omnem solus contundito. Sin trium fuerit accusatio percepta, si modò ausus fuerit, Eucharistiæ, atque adjunctis sibi aliis ejusdem ordinis duobus, omnem cogitati sceleris suspicionem diluito. Diaconum ad certam religionis formulam viventem siquis singulari calumniâ criminis reum fecerit, assumptis ordinis ejusdem duobus aliis Diaconus se crimine liberato. Criminatio sin fuerit tripla, admotis ordinis ejusdem viris senis, se culpâ exolvito.* Itaquè verosimile videri potest, tum ex laudato Caroli Magni Capitulari, tum ex hac Saxonum disciplina Burchardum fragmentum illud composuisse, quod apùd Gratianum habetur in dicto can. 12., cui ut quamdam ex vetustate sacra auctoritatem conciliaret, nomen Concilii Agathensis inscripserit. Alterum, quod in hac re suspicatus sum, illud est, apùd Burchardum, aut quemvis alium antiquiorem Collectorem hoc idem fragmentum relatum fuisse nomine Concilii Carthaginensis, quod deindè ex Amanuensium imperitia laudari cæperit nomine Concilii Agathensis; atque eodem nomine, qui primus hoc edidit, voluisse paulispèr aliis verbis expendere, quæ habentur in Concilio Carthaginensi Dionysii Exigui, seu in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ can. 20., ibi: *Si autem Presbyteri, vel Diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis cum proprio Episcopo legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint: id est, unà secum in Presbyteri nomine sex, in Diaconi tres, ipsorum caussam discutiant, eàdem dierum, & dilationum, & à communione remotionum, & discussione personarum inter accusatores, & eos, qui accusantur, formâ servatâ. Reliquorum autem Clericorum causas etiàm solus Episcopus loci agnoscat, & finiat.* Quicumquè priora hujus canonis verba cum Gratianeo fragmento, de quo agi-

mus

mus, contulerit, facilè agnoscet, utrumque inter se plurimùm consonare, & ad idem Concilium utrumque pertinere, licèt dictus canon 12. caus. 2. quæst. 5. à quopiam Collectore paulò alitèr descriptus fuerit, fortè ex Græco textu, in quem Carthaginenses Canones, uti suo loco diximus, fuere translati.

Ad eumdem canonem 32. Concilii Agathensis referendi sunt canon 8. caus. 5. quæst. 6., & canones 17., & 47. caus. 11. quæst. 1. En verba Agathensium Patrum integra, & qualia habentur in optimis vulgatissimis exemplaribus: *Clericus ne quemquam præsumat* (multò alitèr Gratianus: *Clericum, nullus præsumat*) *apùd sæcularem judicem Episcopo non permittente pulsare; sed, si pulsatus fuerit, respondeat, non proponat*, (multò etiàm alitèr Gratianus hæc exposuit, imò & contrariam in sententiam detorsit his verbis: *Non respondeat, vel proponat*), *nec audeat criminale negotium in judicio sæculari proponere. Siquis verò sæcularium per calumniam Ecclesiam, aut Clericum fatigare tentaverit, & victus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus, & à Catholicorum communione, nisi dignè pœnituerit, arceatur.* Adparet ex his, quantùm distet Gratianus à sententia Concilii Agathensis; quod enim Agathenses Patres prohibuerant Clericis, ne alios in judiciis sæcularibus convenirent, jurgiorum forensium à Clericis eisdem evitandorum causâ, id Gratianus de Laicis dictum voluit, ne Clericos ad judicia publica convenirent. Porrò qualis in hac re fuerit disciplina Ecclesiastica sexto sæculo, sive tempore Agathensis Concilii, docebunt apertissimè Novellæ Justiniani Imperatoris, præsertim 79., 83., & 123. cap. 21., atque, ut ne à disciplina Gallicanæ Ecclesiæ, quæ tùnc temporis obtinebat, recedam, docebit perspicuè Concilium Epaonense anni 517, in quo canone 11. hæc leguntur Agathensi canoni multùm conformia: *Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire, vel interpellare publicum non præsumant, sed, si pulsati fuerint, sequi ad sæculare judicium non morentur.*

Canon 29. caus. 7. quæst. 1. legitur in canone 64.: ex iis propterea est, qui Concilio quidèm Agathensi tribuuntur, ejusdem tamèn auctoritate editus minimè fuit, sed potiùs posterioris Gallicanæ Ecclesiæ Concilii. Itaquè non est dubitandum, canonem hunc pertinere potiùs ad Concilium Arvernense anni 535., in quo can. 15. hæc leguntur: *Siquis ex Presbyteris, aut Diaconis, qui neque in Civitate, neque in Parochiis Canonicus esse dignoscitur, sed in Villulis habitans, in Oratoriis Officio sancto deserviens celebrat divina Mysteria, festivitates præcipuas, Domini Natale, Pascha, Pentecosten, & siquæ principales sunt reliquæ solemnitates, nullatenùs alibi, nisi cum Episcopo suo, in Civitate teneat. Quicumque etiàm sunt Cives natu majores pari modo in Urbibus ad Pontifices suos in prædictis festivitatibus veniant. Quod siqui improbâ temeritate contempserint, iisdem festivitatibus, quibus in Civitate adesse despiciunt, communione pellantur.* Facit ad hanc eamdem rem canon 3. Concilii Aurelianensis IV. anni 541. ità conceptus: *Quisquis de prioribus Civibus Pascha extrà civitatem tenere voluerit, sciat sibi à cuncta Synodo esse prohibitum, sed principales festivitates sub præsentia Episcopi teneant, ubi sanctum decet esse conventum. Tamèn, si aliquis certâ necessitate constringatur, ut hoc implere non possit, ab Episcopo postulet commeatum. Quòd si hoc postulare despexerit, in eodem loco, id est, in festivitate præsenti, ubi tenere voluerit, suspendatur.* Itaquè, licèt dictus canon 29. caus. 7. quæst. 1. verè non sit Concilii Agathensis, non est tamèn dubitandum, contineri in illo Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam, qualis sexto sæculo obtinebat; imò & nonnulla similia videntur in eodem Agathensi Concilio reverà constituta, quemadmodùm apparere potest ex canone 35. de cons. dist. 1., de quo inferiùs agemus.

Potiùs Concilii Agathensis est canon 1. caus. 10. quæst. 2., cujus verba leguntur in canone 7. ejusdem Synodi, pòst quæ statim in integris illius exemplaribus illa sequuntur, quæ retulit Gratianus in can. 3. eadem causâ, & quæs-

quæstione, vers. *Quod si necessitas* &c.

Can. 8. caus. 11. q. 3. In canone 3. Agathensi habetur canon 8. caus. 11. quæst. 3., qui tamèn ità erit ex optimis editis Codicibus Concilii emendandus : *Episcopi, si, Sacerdotali moderatione postpositâ, innocentes, aut ministros causis culpabiles excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam festinantes* (Gratianus scripserat *ad gratiam baptismatis*; sed, veniâ dixerim Gratiani, qui excommunicati fuerant, ad gratiam baptismatis festinare non poterant, cum nemo excommunicetur, nisi baptizatus; sed potiùs ad gratiam reconciliationis, de qua canon hic intelligendus omninò est) *fortassè recipere noluerint, à vicinis Episcopis cujuslibet Provinciæ literis moneantur* (scripserat Gratianus : *Ejusdem Provinciæ*. Non erat tamèn etiàm negligenda sollicitudo aliorum Episcoporum, qui vicini sunt, licèt non in eadem Provincia, si fratrem suum Coepiscopum imprudentèr Ecclesiam administrantem monerent, aut etiàm redarguerent), *& si parere noluerint, communio illis usquè ad tempus Synodi à reliquis Episcopis non negetur* (Gratianus scripserat : *denegetur*. Sed melior est vulgata editio Concilii ; etenim verba illa *non negetur* referuntur ad illos, qui vel sine causa levissima fuerant excommunicati, quemadmodùm sequentia canonis verba manifestè demonstrant) *ne fortè ad excommunicatoris peccatum excommunicati longo tempore morte præveniantur*. Quæ verba hunc sensum exprimunt : non est neganda intereà communio Ecclesiastica illis, qui sine causa excommunicati fuisse probantur, ne fortè, si intereà morerentur, ex iniquitate excommunicatoris extrà communionem Ecclesiasticam dejecti decederent.

Can. 19. Caus. 12. q. 1. Canon 19. caus. 12. quæst. 1. est canon 48. inter Agathenses, sive primus ex illis, qui Agathensi Concilio posteriore manu adjecti sunt. Qui hunc canonem huic Concilio adjecit, illum fortè composuit vel ex canone 33. ejusdem Concilii, qui refertur apùd Gratianum in can. 34. caus. 12. quæst. 2., vel ex can. 17. Concilii Epaonensis anni 517., ubi hæc leguntur : *Si Episcopus condito testamento aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi vel tantùm de juris proprii facultate suppleverit.*

In causa 12. quæst. 2. plures leguntur Agathensis Concilii canones; & quidèm canone 32. legitur Agathensis canon 22., cujus priora verba apùd Gratianum desiderantur; etenim in Concilio hæc habentur : *& licèt superfluum sit de re certa, & antiquis Canonibus prohibita iteratò aliquid definire ; attamèn quò faciliùs cupiditas, aut improbitas reprimatur, id statuimus, quod omnes canones jubent.* Cetera apùd Gratianum habentur, & omninò consonant. Item in can. 33. legitur Agathensis canon 26., ex quo posteriora. Gratiani verba hoc modo sunt emendanda : *Hi etiàm, qui in damno Ecclesiæ instrumenta Ecclesiæ impiè sollicitatis traditoribus susceperint, pari sententiâ feriantur.* Præterea in can. 34. legitur Agathensis canon 33., cujus tamèn priora verba paulò alitèr descripta sunt, quàm sit apùd Gratianum, ibi: *Episcopus, qui filios, aut nepotes non habens alium, quàm Ecclesiam, relinquit hæredem, siquid de Ecclesia* (legunt alii: *Siquid de Ecclesiæ rebus*) *non in Ecclesiæ causa, aut necessitate præsumpsit, quod distraxit* &c.

Can. 32. caus. 12. q. 2. Can. 33. caus. 12. q. 2. Can. 34. caus. 12. q. 2.

Quæ verò Gratianus retulit in canonem 35., & 56. ejusdem causæ, & quæstionis jungenda simùl sunt, utpotè deprompta ex eodem canone 49. ex illis, qui Agathensi Concilio adjecti fuerunt. Etenim pòst illa verba canonis 35. *visi sunt præsumpsisse*, hæc statim sequuntur : *Sanè, siquis pro qualibet conditione de rebus Ecclesiæ aliquid alienare præsumpserit, si de suo proprio tantum Ecclesiæ contulerit, quantum visus est abstulisse, tùm demùm illud stare licebit*, quæ habentur in dicto canone 56. ; ac pòst ea rursùs immediatè sequitur versiculus *libertos tamèn*, quem legimus in dicto can. 35. Arbitror autèm, hunc canonem, quoniàm inter 47. verè Agathenses non reperitur, ideò huic eidem Concilio adjectum fuisse, quòd similia quædam constituta fuerint in can. 22. Agathen-

Can. 35. & 56. caus. 12. q. 2.

si,

si, qui idem est cum can. 32. caus. 12. quæst. 2.

Can. 36. caus. 12. q. 2. Prætereà inter canones, pòst Agathense Concilium adjectos, num. 53. legitur can. 36. caus. 12. quæst. 2., in integris tamèn Concilii exemplaribus pro illis Gratiani verbis, *juris possessione*, ità legitur : *juris proprietate.* Quidquid tamèn legatur in exemplaribus Concilii Agathensis, cum iste canon falsò inter canones ejusdem Concilii recenseatur, ex aliis Canonibus & Gratiani editio emendanda est, & fragmenti ejusdem sententia explicanda. Itaquè istud fragmentum potiùs tribuendum est Concilio Epaonensi, ex quo plura, uti superiùs diximus, adscripta sunt Concilio eidem Agathensi. Itaquè in Concilio Epaonensi cap. 7. hæc habentur. *Quidquid Parochiarum Presbyteri de Ecclesiastici juris possessione distraxerint, inane habeatur, & vacuum, in venditorem comparantis actione vertenda*, vel sicuti alii Codices exhibent : *in venditorem, vel hæredes suos actione vertenda*; ex quibus apparet, eam fuisse mentem Epaonensium Episcoporum, ut declararent reverti debere ad Ecclesiam bona Ecclesiastica vendita, nullâ datâ emptori actione vindicatoriâ adversùs Ecclesiam, sed tantùm actione personali evictionis causâ adversùs venditorem, qui tamèn venditor omni actione in pœnam admissi delicti penitùs destituatur.

Can. 53. & 54. caus. 12. q. 2. Alienationes Ecclesiæ utiles permittit ab Episcopo fieri posse Concilium Agathense in canone 45. & 46., ex quibus deprompti sunt canones 53. & 54. caus. 12. quæst. 2. Sed edita Concilii Agathensis exemplaria paulò alitèr habent, quàm legatur apùd Gratianum in dicto can. 53., videlicèt verba illa Gratiani : *Longè positas, & parvas*, omissâ copulativâ particulâ, ità leguntur in Concilio ipso : *Longè positas parvas.* Prætereà pro illis vocibus Gratiani, *sine consilio fratrum*, legitur in exemplaribus Concilii : *sine concilio fratrum* ; quæ sanè si potiùs legenda sunt, interpretatio ejusdem canonis paulò alia esse debebit, quàm quæ vulgò à Pragmaticis adferri soleat. Etenim vulgò traditur ab omnibus sacrorum canonum studiosis, Episcoporum in rebus levissimi negotii, etiàm immobilibus Ecclesiasticis distrahendis, non teneri petere consilium Capituli sui, ex auctoritate hujus Agathensis canonis. At verò Gratiani editione ad fidem integrorum Concilii exemplarium exacta, alia videtur exhiberi Concilii sententia, ut scilicèt Episcopus, ubi agatur de alienatione rerum Ecclesiasticarum minùs utilium, & levioris momenti, non teneatur expectare tempus Concilii Provincialis, quod apùd veteres appellabatur *Concilium fratrum*, quodque bis singulis annis celebrari solebat, quotiès commodè potuisset ; sed possit etiàm extrà illud tempus ad alienationem devenire. Quæ sanè sententia non probat, in hujusmodi alienationibus remissas esse solemnitates Juris, illam inter ceteras, quâ Capituli Cathedralis Ecclesiæ consilium expostuletur.

Verba canonis 57. caus. 12. quæst. 2. habentur in Concilio Agathensi can. 7., ac propterèà jungenda sunt cum relatis canonibus 1., & 3. §. ult. caus. 10. quæst. 2., omnes enim leguntur in dicto canone 7. Agathensi, ubi primò leguntur verba dicti canonis 1., pòst quæ immediatè subduntur verba dicti canonis 3. §. *Quòd si necessitas* ; & quidèm usquè ad verba illa *non valebit.* Deindè sequuntur verba hujus canonis 57., & quidèm integra, pòst quæ demùm nectitur §. *Minùs* in dicto canone 3. Can. 57. caus. 12. q. 2.

Canon 3. caus. 12. quæst. 3. legitur in canone Agathensi 6., ex quo particula *dumtaxàt* addenda erit ; ubi enim Gratianus habet : *ab extraneis aliquid*, vulgata Concilii exemplaria ità exhibent *ab extraneis dumtaxàt aliquid.* Hæc autèm est Patrum Agathensium sententia, ut, si quis Episcopus aliquid ex aliorum liberalitate receperit, *sive cum Ecclesiæ, sive sequestratim*, id est, sive receperit ipse solus, sive cum Clericis simùl, tùm res donatæ non ipsius Episcopi, sed Ecclesiæ lucro cedant, atque Can. 3. caus. 12. q. 3.

in-

inter Ecclesiasticas facultates enumerentur ; quod ità demùm verum esse ajunt Agathenses Episcopi, quotiès extraneus donator fuerit; nàm, ubi donatores fuerint Episcopi consanguinei, aut familiares, ex præsumpta donantium voluntate, donatæ res in ejùsdem Episcopi solius commodum cedent.

Can. 3. caus. 12. q. 4. Canon 3. caus. 12. quæst. 4. ex illis est, qui falsò Agathensi Concilio adscripti sunt; est enim intèr Agathenses num. 54., depromptus tamèn fuit ex Concilio Epaonensi anni 517. can. 8., ubi sanè observandum est, quod eruditi omnes animadverterunt, olim Parochias aliquandò Diœcesis nomine fuisse appellatas. Sed & eidem Epaonensi Concilio can. 17. tribuendus est canon Can. 5. caus. 12. q. 5. 5. caus. 12. quæst. 5., qui inter Agathenses adjectos legitur canone 51. Ceterùm Gratiani verba cum eodem Epaonensi canone omninò consonant.

Can. 11. caus. 13. q. 2. Canon 11. caus. 13. quæst. 2., qui legitur in Concilio Agathensi can. 4., & 5. perspicuè indicat, quale eo tempore judicium fuerit sacrorum Antistitum de oblationibus Ecclesiasticis, quæ tamquàm patrimonia pauperum habebantur, ut propterea, qui eas retinuissent, tamquàm *pauperum necatores* existimarentur.

Can. 4. caus. 14. q. 3. Falsò Concilio Agathensi inscriptus est canon 4. caus. 14. quæst. 3., neque enim in ullis Agathensibus canonibus, ne in adjectis quidèm, reperitur. Potiùs habetur in cap. 12. Capitularis 5. Caroli Magni, quod factum est ad Niumaczxd, (adjectum est legibus Longobardicis) anno 806., & refertur in lib. 1. Capitularium cap. 119. Regino hoc idem fragmentum retulerat in lib. 1. cap. 284., nullo tamèn adscripto nomine Auctoris. Primus Burchardus in sua collectione Agathensi Concilio adscripsit, quem deindè sequuti sunt Ivo, & Gratianus. At sæpissimè animadvertimus, Burchardum frequentissimè abstinuisse à laudandis Capitularibus Regum Francorum, quorum si fragmenta descripturus esset, alii potiùs Auctori adscribebat; propterea non dubitavit hoc fragmentum, de quo agimus, Capitularium Concilio Agathensi tribuere.

Can. 2. caus. 14. q. 4. Sunt quidam Gratianei Codices, in quibus cum hac inscriptione laudatur canon 2. caus. 14. quæst. 4.: *Ex Concilio Agathensi I., quod confirmavit Papa Sylvester.* Falsa codicis editio est in hac parte, & pro Concilio Agathensi legendum potiùs Arelatense, de quo suo loco sermonem instituimus. Nemo enim statim non videt, Concilium Agathense sexto sæculo celebratum, confirmari non potuisse à Papa Sylvestro, qui vixerat initio quarti sæculi.

Can. 33. caus. 16. q. 1. Can. 12. caus. 18. q. 2. & Can. 3. caus. 20. q. 4. In canone 27. Concilii Agathensis tria Gratiani fragmenta leguntur, quæ propterea simùl jungenda erunt: Primus est canon 12. caus. 18. quæst. 2. ità expressum: *Monasterium novum* (verba illa priora *de Monachis* Gratianus fortè accepit ex aliqua collectione canonum, in qua significabatur per eam inscriptionem materies, quæ tractaretur), *nisi Episcopo aut permittente, aut probante nullus incipere, aut fundare præsumat.* Pòst hæc verba sequuntur statim, quæ Gratianus habet in can. 33. caus. 16. quæst. 1. ibi: *Monachi etiàm vagantes ad officium Clericatus, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in Civitatibus, nec in Parochiis ordinentur.* Deindè subjungitur canon 3. caus. 20. q. 4. his verbis: *Monachum, nisi Abbatis sui aut permissu, aut voluntate, ad alterum Monasterium commigrantem, nullus Abbas suscipere, aut retinere præsumat; sed ubicumquè fuerit, Abbati suo auctoritate canonum revocetur. Si necesse fuerit* (hæc à Gratiano omittuntur in dicto canone 3., sed leguntur in dicto canone 33.) *Clericum de Monachis ordinari, cum consensu, & voluntate Abbatis præsumat Episcopus.* His continentur trium fragmentorum sententiæ apùd Gratianum. Quædam tamèn adhùc observanda supersunt in dicto canone 3. caus. 20. quæst. 4., cujus priora tantummodò verba hùc usquè retuleram. Itaquè ea, quæ sequuntur in §. *Itèm Clericis* usquè in finem leguntur in can. 38. ejusdem Concilii Agathensis, cujus lec-

lectionis varietatem jam observarunt Romani Correctores.

Can. 11. caus. 16. q. 3. Canon 11. caus. 16. quæst. 3. consonat pòst Romanam Correctionem cum canone 59. ex Agathensibus adjectis. Quoniam verò hic canon reverà Concilii Agathensis non est, operæ pretium erit, eumdem suis Auctoribus tribuere. Referendus est autèm ad Concilium Epaonense anni 517., ex quo, uti jam diximus, nonnulla sunt in Agathense Concilium derivata. Itaquè in canone 18. Epaonensi hæc leguntur: *Clerici quod, etiàm sine precatoriis, quilibet diuturnitate temporis de Ecclesiæ remuneratione possederint cum auctoritate Domni gloriosissimi Principis nostri, in jus proprietarium præscriptione temporis non vocetur, dummodò pateat Ecclesiæ rem fuisse, ne videantur etiàm Episcopi administrationis prolixæ, aut precatorias, cum ordinati sunt, facere debuisse, aut diù tentas Ecclesiæ facultates proprietati suæ posse transcribere.* Hæc sanè verba aliam videntur sententiam exprimere ab ea, quam Gratianus exhibuit; quæ ut plana reddatur, animadvertendum erit fuisse eâ ætate, in Gallicanis præsertim Provinciis, moribus receptum contractum quemdam, qui appellabatur *precaria*, Romanis Legislatoribus, aut Jurisconsultis prorsùs ignotum. Ad hunc contractum spectat Titulus Decretalium de precariis, quem Interpretes vulgò adserunt foro nostrorum temporum prorsùs inutilem esse, cum hodiè contractus hujusmodi ampliùs celebrari non soleat. Itaquè Precaria dicebatur, cum quis sive Clericus, sive Laicus res Ecclesiasticas quasdam, vel mobiles, vel immobiles, ab Episcopo ad certum tempus obtinebat, puta ad quinquennium, aut etiàm diuturnius; duplici tamèn onere adposito, primo, ut annuum censum Ecclesiæ persolveret; secundo, ut tempore elapso ad Ecclesiam res precariis concessa liberè reverteretur. Solebant autèm precariæ nomine adsignari bona Ecclesiastica, vel militibus, quotiès publica necessitas expostularet, vel illis, qui de Ecclesia essent optimè meriti, & sæpè in eisdem precariis concedendis Principis auctoritas intercedebat. His præmissis, facilè percipimus, qualis fuerit sententia Epaonensium Episcoporum in dicto canone 11. caus. 16. q. 3. Etenim, quum communis Ecclesiarum usus esset, ut Clerici certas, sive annuas, sive menstruas, pensiones acciperent ab Episcopis, penes quos erat rerum omnium Ecclesiasticarum administratio, contingebat aliquandò, ut Episcopus in pensionum vicem concederet alicui Clerico certa Ecclesiastica prædia, aut bona adinstar fermè precariarum, nullâ tamèn supèr id editâ scripturâ, sive, ut vocant, instrumento; videbatur enim Episcopo sufficere sola Clerici beneficiarii fides, juxtà quam non licebat Clericis bona illa tamquàm propria possidere. At, quum deindè abusus Clericorum glisceret, qui bona illa veluti propria se tenere, & administrare pro libito posse crederent, imò etiàm aliquandò alienarent, editus canon est in Epaonensi memorato Concilio, quo statutum est, ut Clerici nullo umquàm tempore possent eadem bona tamquàm propria vindicare, ne exindè videretur Episcopus *facere debuisse precatorias*, id est, ne diceretur Episcopum dubitare potiùs debuisse de eorumdem Clericorum fide, dum illos ordinaret, ac meliùs debuisse consulere Ecclesiasticæ utilitati, adsignando eadem bona Clericis per contractum precatoriæ, seu precariæ, interveniente scripturâ, sive, ut ajunt, publico instrumento; aut etiàm ne diceretur Episcopum voluisse transferre in Clericos dominia rerum Ecclesiasticarum, quod sanè non poterat.

Can. 40. caus. 17. q. 4. Canon 40. caus. 17. quæst. 4. ex illis est, qui Concilio Agathensi adjecti sunt canones; est enim numero 56., qui omninò cum verbis Gratiani consonat. Germani autèm Auctores ejusdem canonis sunt Epaonenses Patres in Concilio anni 517. canone 8., cujus verba etiàm Gratianeæ editioni omninò respondent. Ex his, quæ hoc in fragmento descriptâ sunt, satis juvat animadvertere causam, quare olim non poterant

rant mancipia, Ecclesiis, aut Monasteriis concessa, manumitti. Manumissionem quidèm suadere videbatur causa pietatis, exigens captivos omnes in naturalem libertatem vindicari; quare & ob hujusmodi manumissiones scimus aliquandò à Sanctis Patribus ipsamet Ecclesiastica, & Dominica vasa fuisse alienata. Verùm, ubi ageretur de servis, qui Ecclesiæ, vel Monasteriis necessarii, aut utiles videbantur, vetita omninò erat Præpositis manumissio, ne ejusdem manumissionis causa Ecclesiarum, aut Monasteriorum servitia ob exiguum Clericorum, aut Monachorum numerum negligerentur, aut etiàm omitterentur.

Ex Concilio etiàm Epaonensi can. 10. depromptus est canon 13. caus. 18. quæst. 2., licèt laudetur ex can. 58. Concilii Agathensis; is enim propriè Agathensis Concilii non est, sed inter eos, quos ex posterioribus Conciliis adjectos fuisse superiùs diximus. Ceterùm Gratiani verba omninò consonant, sive eum canone Epaonensi, sive cum adjecto canone Agathensi.

Can. 13. caus. 18. q. 2.

Canon 23. caus. 18. quæst. 2. legitur eisdem omninò verbis in Concilio Agathensi can. 28.

Can. 23. caus. 18. q. 2.

Canon 4. caus. 21. quæst. 1. refertur quidèm inter adjectos canones Concilii Agathensis num. 57., at inscribendus potiùs erit Concilio Epaonensi anni 517.; etenim in canone 9. ejusdem Concilii legitur eisdem omninò verbis.

Can. 4. caus. 21. q. 1.

Canon 1. caus. 21. quæst. 5. habetur in can. 8. Concilii Agathensis, ubi tamèn nonnulli codices omittunt vocem illam *judicem*, quemadmodùm rectè observaverunt Romani Correctores ex vetustioribus Conciliorum editionibus, & Codicibus Vaticanis, & Capitularibus Francorum, quorum omnium codicum fidem si sequi debeamus, longè diversa mihi videtur esse sententia Agathensis Concilii ab ea, quam Gratianus expressit; etenim tùm constitutum apparebit, Clericos, qui propter Ecclesiasticas causas damnati in Conciliis fuerint canonicis pœnis, non posse, ut canonicas easdem pœnas evadant, officia ecclesiastica deserere, & abjecto clericali instituto ad sæcularia officia confugere: quòd si nihilominùs confugere ausi fuerint, & laicâ communione ab aliquo Episcopo donati extiterint, eosdem simùl cum illis, qui solatium defensionis eis impenderint, anathemate damnari: quam interpretationem, atque emendationem suadere videntur priora illa verba: *Si relicto officio suo propter districtionem.* Id sanè evenire poterat, quotiès Sacerdos de crimine damnatus in Diaconi gradum, aut Diaconus in Subdiaconi officia dejiciebatur; quotiès enim damnatus Presbyter, vel Diaconus optasset potiùs Laicorum communionem, quàm minoris Clericatus officiis deservire, tùm, quod districtionem ecclesiasticam contemneret, excommunicationis pœnâ plectebatur.

Canon 6. caus. 26. quæst. 5. legitur eisdem verbis in can. 42. Concilii Agathensis. Quid nomine *sortium Sanctorum* intelligatur, commodiùs alio in loco explicabo.

Can. 6. caus. 26. q. 5.

Perperàm non solùm descriptus est, verùm etiàm in diversam sententiam extortus canon 3. caus. 26. quæst. 6., quasi Concilium Agathense decreverit Diaconos ministrare non posse, quod præcipuum esse Diaconorum munus passim sacri canones definiverunt, aut Presbyterum consecrare non posse, vel pœnitentes reconciliare. Opus erit, ut integrum canonem hùc adferamus, quò & ipsamet canonis verba, & ejusdem canonis sententia referatur. Ità Agathenses Patres in can. 43. *De pœnitentibus id placuit observare, quod Sancti Patres nostri Synodali sententia censuerunt, ut nullus de his Clericus ordinetur; & qui jam sunt per ignorantiam ordinati, ut sicut bigami, aut interruptarum mariti locum teneant, ministrare Diaconus, aut consecrare Altare* (in aliquibus MSS., uti Harduinus observat apùd Labbeum, legitur *Altari*) *hujusmodi Presbyter non præsumat.* Deindè statim prosequuntur in can. 44. *Benedictionem super*

Can. 3. caus. 26. q. 6.

plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere penitùs non licebit. Sententia itaquè Agathensis Concilii nùnc apertissima est, ea videlicèt, ut nemo ex pœnitentibus debeat sacri ordinis gradus ascendere, sive Diaconatum, sive Presbyteratum; quòd si ascenderit, neque Diaconus Diaconi officia obeat, uti est ministrare, neque Presbyteri officia, uti est plebi, aut pœnitentibus benedicere, vel consecrare in altari, id est, hostias Deo sacras offerre. At Gratianus sententiam hanc omninò corrupit, & generatim scripsit, Diaconis omnibus non licere ministrare, neque Presbyteris benedicere, vel *consecrare*, ut ipse ait, *Altare*; quæ sanè verba emendanda sunt, & legendum ex aliis Codicibus MSS. *Altari*, quemadmodùm ex contextu integro deducitur.

Can. 14. caus. 28. q. 1. Canon 14. caus. 28. quæst. 1. refertur eisdem verbis in can. 40. Concilii Agathensis; prætereà in Concilio Meldensi anni 845. cap. 73. cum hac præfatione: *Sanctus Cæsarius Ecclesiæ Arelatensis cum aliis triginta quinque Episcopis: omnes, inquiunt, deinceps Clerici, sive Laici &c.*, quibus verbis indicant Meldenses Patres, se renovare, quæ jam pridèm fuerant in Agathensi Concilio constituta.

Can. 16. caus. 28. q. 1. Canon 16. caus. 28. quæst. 1. licèt in numero Agathensium canonum recenseatur, ex illis tamèn est, qui Agathensi Concilio recentiore manu adjecti sunt; est enim numero 67.: est autèm potiùs depromptus ex canone 31. Concilii Laodiceni. Animadvertendum est, pro illis verbis Gratiani *cum hominibus hæreticis* legi in vulgatis exemplaribus Concilii Agathensis *cum omnibus hæreticis*, quæ sanè verba consonant cum Græco textu Laodiceni canonis, quem ità interpretatus est Dionysius Exiguus: *cum hæreticis universis.* Plurimum autèm interesse videtur inter verba Gratiani, & verba, vulgò Agathensi Concilio tributa, seu verba Concilii Laodiceni; nàm, si cum *hominibus hæreticis* prohibetur, ne conjugia ineantur, videtur generale interdictum, ut à conjugiis cujuscumque hæretici abstineatur. Quotiès verò dicatur: Non oportet *cum omnibus hæreticis*, seu *cum hæreticis universis miscere connubia*, reprobatum tantummodò illud videtur, quandò quis in conjugiis contrahendis nullum discrimen habet, etiàm cum hæreticis, quorum societas, aut familiaritas inferre possit grave apostasiæ periculum. Ceterùm nemo diffitetur, cavenda, proùt fieri potest, esse hujusmodi conjugia, cum hæreticorum consortia plurimùm Catholicis nocere possint, præsertim fœminis, quorum sexus utpotè infirmior facilè vincitur: quare Laodiceni Patres, licèt statuerint fœminas non cum omni hæreticorum genere nuptias contrahere, minimè tamèn prohibuere Catholicis, ne fœminas ab hæreticis progenitas uxores accipiant. Memores esse debemus illorum, quæ scripserat S. Cyprianus Epist. 8. ad Plebem de quinque schismaticis. *Procùl ab hujusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum velùt cancrum, & pestem fugiendo vitate.*

Can. 8. caus. 35. q. 2. Canon 8. caus. 35. quæst. 2. legitur inter canones Agathenses num. 61., ac proindè non Agathensis propriè dicendus est, sed Agathensibus canonibus juxtà ea, quæ superiùs diximus, adjectus. Jam satis à Romanis Correctoribus restitutus videtur suis Auctoribus, quemadmodùm ex eorumdem notis adparet. Tantùm dixero, hunc canonem pertinere ad Concilium Epaonense anni 517. cap. 30.: ubi tamèn pro illis verbis: *Si quis frater germanam uxorem acceperit*, alii Codices habent: *Si quis frater germanam uxoris suæ accipiat.* Jacobus autèm Sirmondus adnotavit, in hisce verbis legendum esse, quemadmodùm legitur apùd Gratianum, quòd præ manibus haberet vetus MS. Rhemense, quod in eisdem verbis editioni Gratianeæ consonabat.

Can. 32. de cons. dist. 1. De canone 32. de cons. dist. 1. nihil est, quod specialitèr observemus. Consonat ille omninò cum canone 14. Agathensi.

Consonat propemodùm cum canone

ne 21. Agathensi canon 35. de cons. dist. 1. Dixi propemodùm; etenim pro illis verbis Gratiani *Missas audiat*, in exemplaribus Concilii legitur: *Missas teneat*; ubi Gratianus habet: *in Parochiis audiant*, legitur in Concilio: *in Parochiis teneant*. Demùm postrema verba in Agathensi Concilio hoc modo leguntur: *Missas facere, aut tenere voluerint, communione priventur*. Similis etiàm loquendi formula legitur in canone 47. Agathensi ibi: *Missas die Dominico à Sæcularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus, ità ut antè benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur*. Retulit hæc Gratianus in canonem 64. de cons. dist. 1., cujus tamèn sanctionis causas si investigare velimus, eas facilè conjiciemus ex historia Cæsarii Arelatensis apùd Surium die 27. Augusti; ubi scribitur Cæsarium quodam die, dum esset ad Altare, animadvertisse quosdam pòst lectum Evangelium ab Ecclesia egredi, quòd Sancti Viri conciones audire detrectarent. Eos autèm publicè objurgavit Sanctus Antistes, imò etiàm sæpissimè lectis Evangeliis ostia Ecclesiæ claudi jussit. Hinc idem Cæsarius in homilia 12. ità populum hortatus est: *Rogo vos, fratres charissimi, & paternâ pietate commoneo, ut, quoties aut die Dominico, aut aliis majoribus festivitatibus Missæ fiunt, nullus de Ecclesia discedat, donèc Divina Mysteria expleantur*. Non est inutilis hæc observatio; exindè enim facilè dignoscimus, quisnam fuerit Ecclesiæ Spiritus, ubi illa ab antiquissima ætate præcepit, ut integræ Missæ præsentes adessent Fideles die Dominico; nomine enim integræ Missæ illa intelligebatur, quæ à Parocho, vel ab Episcopo celebraretur, & in qua divinæ prædicationes ad populi eruditionem haberentur, ut hodiè lugere propemodùm debeamus, quum conspiciamus vel leve remanere veteris hujus disciplinæ vestigium; vix enim plures dimidiam horæ partem sacris diebus in divina contemplatione versantur, & dummodò privatæ, ut ajunt, Missæ interfuerint, se integrè suo muneri satisfecisse arbitrantur. Utinàm omnes intenderent illud, quod inter ceteros veteres Patres S. Augustinus ajebat in serm. 351. de tempore, ibi: *Observemus ergò diem Dominicum fratres, & sanctificemus illum à vespera diei Sabbati usquè ad vesperam Dominicæ diei, sequestrati à rurali opere, & ab omni negotio soli divino cultui vacemus, &c.*

Primis Ecclesiæ sæculis frequentissimè Fideles ad sacrum Altare divinam Eucharistiam suscepturos accessisse, nemo ignorat; sed, frigescente dein charitate, opus fuit ecclesiastico præcepto, quo ad tantum Sacramentum suscipiendum Fideles adigerentur. Sexto sæculo primùm constitutum fuit, ut singulis annis ter singuli Eucharistiam suscipere tenerentur, quemadmodùm habemus in canone 18. Concilii Agathensis, quem retulit Gratianus in can. 19. de cons. dist. 2.: ubi tamèn priora verba ità legenda sunt ex vulgatis Concilii exemplaribus: *Sæculares, qui Natale Domini, Pascha, & Pentecosten non communicaverint &c.*

Canon 9. de cons. dist. 3. legitur in can. 12. Agathensis Concilii, cujus tamèn sententiam Gratianus omninò turbavit, ut difficile admodùm sit augurari ex Gratianea editione, quid senserint Episcopi Agathenses. En verba Concilii: *Placuit etiàm, ut omnes Ecclesiæ filii, exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima, etiàm die Sabbato, Sacerdotali Ordinatione, & districtionis communione jejunent*. Gratianus ità perperàm scribebat: *Sacerdotali oratione, & discretionis communione jejunent*. Glosographi nomine Sacerdotalis orationis horam nonam, & communionis discretionis horas vespertinas intellexerunt: quo verò Apolline hæc divinaverint, non satis exponunt. Ego nihil video in glossemate, quod Gratiani verbis consentaneum sit; quid enim magis commune habet *Sacerdotalis oratio* cum hora nona, quam cum sexta, tertia, & prima? Quid commune habet *communio discretionis* cum horis vespertinis? Deindè cur definiendum erat, usquè ad horam no-

Can. 35. de cons. dist. 1.

Can. 64. de cons. dist. 1.

Can. 19. de cons. dist. 2.

Can. 9. de cons. dist. 3.

nonam jejunandum esse, si usquè ad vesperas etiàm protrahendum jejunium fuerat? Restituto autèm Gratiani canone juxtà fidem optimorum exemplarium, nihil est amplius, in quo hæreamus ad canonis ejusdem interpretationem. Monere non desinam, quod in hoc eodem canone decretum est, consonum esse illis, quæ populo tradebat Cæsarius Arelatensis, hujus Agathensis Concilii Præses; ipse enim in homilia 2. ità inquit: *Rogo vos, fratres charissimi, ut isto legitimo, ac sacratissimo Quadragesimæ tempore exceptis Dominicis diebus nullus prandere præsumat, nisi fortè ille, quem jejunare infirmitas non permittit; quia aliis diebus jejunare aut remedium, aut præmium est; in Quadragesima non jejunare peccatum est.*

Can. 56. de cons. dist. 4. Can. 56. de cons. dist. 4. habetur in can. 13. Agathensi, ubi pro verbo *prædicari*, legitur *tradi*; eadem autèm utriusque vocis significatio esse videtur. Agitur eo in loco de Cathecumenis inter competentes relatis, videlicèt inter eos, qui proximè erant, ut baptismatis Sacramentum susciperent; cumque die Paschali hoc Sacramentum administrari soleret, cautum est, ut antè octo dies publicè symbolum fidei Cathecumenis eisdem explicaretur, ut divina mysteria in symbolo tradita non ignorantes, paratioresque ad illud Sacramentum accederent.

De canona 93. de cons. dist. 4. nihil est, quod peculiaritèr observemus. Consonat ille omninò cum canone 34. Concilii Agathensis. Can. 93. de cons. dist. 4.

Demùm in can. 30. Agathensi habetur canon 13. de cons. dist. 5. his tamèn verbis ex ipsis Concilii exemplaribus describendus: *Et quia convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualitèr custodiri, studendum est, ut, sicut ubiquè fit, & pòst antiphonas collectiones per ordinem ab Episcopis, vel Presbyteris dicantur, & hymni matutini, vel vespertini diebus omnibus decantentur; & in conclusione matutinarum, vel vespertinarum Missarum pòst hymnos capitella de psalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur.* Can. 13. de cons. dist. 5.

CAPUT XXIV.

De Concilio Tarraconensi.

Concilii Tarraconensis Canones hi referuntur apùd Gratianum.

- *Can* 14. *dist.* 18. *consonat cum integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 8. *dist.* 65. *paulò emendandus ex integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 10. *caus.* 10. *q.* 1. *paulò emendandus ex integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 6. *caus.* 12. *q.* 5. *à Romanis Correctoribus jam emendatus.*
- *Can.* 3. *caus.* 14. *q.* 4. *paulispèr emendandus ex vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 5. *caus.* 14. *q.* 4. *ex vulgatis Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 1. *caus.* 15. *q.* 2. *perperàm à Gratiano explicatus.*
- *Can.* 1. *caus.* 15. *q.* 4. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 35. *caus.* 16. *q.* 1. *supplendus ex integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 8. *de cons. dist.* 5. *pertinet ad Concilium Cabilonense II., ex quo est emendandus.*

ANno 516. in Tarraconensi Civitate, quæ nùnc est Catalauniæ Comitatus Metropolitana, Concilium Provinciale decem Episcoporum celebratum est, Præsidente Joanne ejusdem urbis Episcopo. Summum Pontificatum tene-

tenebat tùnc Hormisdas, regnante in Hispaniis Theodorico Ostrogothorum, & Italiæ Rege, qui primùm quidèm visus est Arianis favere, deindè verò postquàm Hispaniarum regnum suscepit, maximum in Ecclesia veræ fidei, ac religionis specimen exhibuit. De eo ità scribit S. Isidorus Hispalensis in Chronico Gothorum: *Per hunc dignitas urbis Romæ non parva est restituta; muros enim ejus iste redintegravit, ob quam causam à Senatu inauratam statuam meruit.* Canones tresdecim, qui hoc in Concilio editi sunt, ad firmandam disciplinam Ecclesiasticam pertinent, & quidèm singuli eximiam illorum Episcoporum prudentiam commendant. Ex his numero 6. deprompsus est canon 14. dist. 18., & quidèm eisdem omninò verbis à Gratiano relatus, quibus in integris Concilii hujus exemplaribus habetur; renovatque veterem illam disciplinam, quæ in tota Ecclesiastica antiquitate constituta fuerat, ac diutissimè custodita.

Can. 14. dist. 18.

Can. 8. dist. 65.

Prætereà antiquissimæ canonum disciplinæ respondet, quod legitur in cap. 5. ejusdem Concilii de Episcopis ex conscientia Metropolitani in unaquaque Civitate ordinandis. Illud refert Gratianus in can. 8. dist. 65., cujus priora verba ità describenda sunt ex integris Concilii exemplaribus: *Siquis in Metropolitana Civitate non fuerit Episcopus ordinatus, posteà cum susceperit benedictionem per Metropolitani literas honorem fuerit Episcopatus adeptus, id optimum esse decrevimus, ut &c.*

Can. 10. caus. 10. q. 1.

Supplere juvat canonem 10. caus. 10. quæst. 1. ex canone 7. Concilii Tarraconensis, ex quo ille depromptus est. *Multorum casuum experientiâ magistrante reperimus, nonnullas Diœcesanas esse Ecclesias destitutas; ob quam rem id hac constitutione decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo Diœcesano visitentur; & siqua forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius repararetur, quia, tertia ex omnibus per antiquam traditionem ut accipiatur ab Episcopis, novimus esse statutum.* Clara, & perspicua hæc sunt, nisi fortè quispiam quæreret, undenàm profecta fuerit antiqua illa traditio, juxtà quam Episcopi tertiam Ecclesiasticorum proventuum partem sibi vindicarent. Fortè enim negotium aliquibus facessere poterit, quod ait Gelasius Papa in Epist. ad Episcopos per Lucaniam, & Brutium, scribens quartam tantummodò partem Episcopis esse concedendam. Verùm distinguenda est in hac parte disciplina Ecclesiæ Romanæ à disciplina Hispaniarum. Licèt enim in Romana Ecclesia quarta tantummodò portio Ecclesiasticorum reddituum Episcopo cederet, in Hispaniis tamèn tantummodò tertia concedebatur ex vetustissima illius Regni consuetudine, quemadmodùm deducitur ex Concilio Toletano IV. cap. 33., Toletano IX. cap. 6., Bracarensi II. cap. 2. De hac disciplinarum varietate testantur Agrippinensis Concilii Patres in canone 6. his verbis: *Item quòd decima, quæ à fidelibus datur, Dei census nuncupandus est, & Deo integrè reddenda, cujus tertia pars secundùm canonem Toletanum Episcoporum esse debet. Nos verò hac potestate uti nolumus, sed tantùm singulis annis quartam partem juxtà usum Romanorum Pontificum, & observantiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ de eadem habere volumus.* Utilis est hujusmodi observatio ad commodam Tarraconensis canonis interpretationem, ut magis adpareat unus, idemque Ecclesiæ spiritus, in diversis licèt Provinciis, in ipsa etiàm disciplinarum varietate. Etenim ex eo, quod Episcopis visitatoribus Ecclesiarum tertia pars oblationum Ecclesiasticarum concederetur, voluerunt Tarraconenses Patres curam, ac reparationem templorum destitutorum ad eumdem Episcopum visitatorem pertinere. Sanè, ubi Romana vigebat disciplina, frustrà hoc onus Episcopis eisdem fuisset impositum; etenim oblationibus Ecclesiasticis distributis in quatuor partes, una ex illis concedebatur Episcopis, altera Clericis, tertia reparationi Ecclesiarum, quarta in necessitates pauperum erogabatur; propterèaque impendebatur in reparatio-

tiones Ecclesiarum pars illa, quæ ad id seorsim sepositа fuerat, nihil ex Episcopali portione detrahebatur. At verò in Hispaniis, ubi tres tantummodò portiones ex sacris redditibus constitutæ fuerant, quarum prior Episcopo, altera Clericis, postrema peregrinis, ac pauperibus cederet, portio illa, quæ reparandis Ecclesiis necessaria erat, videbatur simùl cum portione Episcopi consolidata; cujus propterea Episcopi sollicitudini reparationem Ecclesiarum committendam esse Tarraconenses Patres æquo, saluberrimoque consilio judicaverunt.

Can. 6. caus. 12. q. 5. Canon 6. caus. 12. quæst. 5. legitur in canone 12. Tarraconensi, quem Romani Correctores jure restituerunt in illis verbis: *pòst defunctionem ejus*, pro quibus alii Codices habent: *pòst depositionem ejus*, scilicèt pòst sepulturam, atque postrema hæc lectio videtur antiquiori disciplinæ maximè congruere; sæpissimè enim constitutum apùd veteres scimus, de rebus, ab Episcopo defuncto relictis, nihil esse attingendum, nisi primùm Episcopi vitâ functi exequiæ celebratæ fuerint, & justa religiosis officiis persoluta.

Can. 3. caus. 14. q. 4. In vulgatis Concilii Tarraconensis exemplaribus canon 2., ex quo depromptus est canon 3. caus. 14. quæst. 4., his verbis exprimitur: *Sicùt canonum statutis firmatum est, quicumque in Clero esse voluerit, emendi viliùs, vel vendendi cariùs studio non utatur: certè si voluerit hæc exercere, cohibeatur à Clero.* Gratiani editio vix ab hac canonis editione discrepat. Indicant autèm hæc, Tarraconenses Patres voluisse Clericorum animos à sæcularibus negotiis arcere, quod & presiùs prosequuti sunt in canone 3., quem Can. 5. caus. 14. q. 4. Gratianus retulit in can. 5. caus. 14. quæst. 4., ubi cautum legimus, ut, si Clerici pecuniam mutuam dederint ideò, ut statuto tempore vinum, vel frumentum decreto publico pretio redderetur, contenti sint, pecuniam, quam dederunt, sine augumento recipere, quotiès mutuatarius speciem, quam promiserit, non habuerit. Vulgata editio Tarraconensis canonis hanc interpretationem suadet, cum ità in ea legatur: *Siquis verò Clericus solidum in necessitate præstiterit, ut* (Gratianus hanc particulam *ut* omisit) *hoc de vino, vel frumento accipiat &c.*

Can. 1. caus. 15. q. 2. Canon 1. caus. 15. quæst. 2. omninò consonat cum canone 10. Tarraconensi. Nomine autèm patrociniorum, quæ à Clericis ibidèm impensa dicuntur, illa ego facilè intellexerim, quæ Clerici apùd Magistratus impendebant favore reorum ad Ecclesias confugientium; hic enim erat mos illius ætatis, ut siquis publicum aliquod flagitium admisisset, ad Ecclesias confugeret, ut Clericorum intercessione pœnas publicis legibus constitutas evaderet, quemadmodùm pluribus in locis S. Augustinus tradit, & habetur in canone 3. Concilii Arelatensis II. anni 452. Hæc interpretatio consona est ipsismet Tarraconensis canonis verbis, quibus dicitur Clericum non posse aliquid impensi patrocinii causâ suscipere, nisi fuerit in Ecclesia collatione devotionis oblatum; quæ exceptio significat, aliquandò Clericis offerri munera consuevisse publicè in Ecclesia ob impensa patrocinia; ac propterea de illis patrociniis commodiùs intelliguntur, quæ nomine Ecclesiæ præstantur, uti superiùs diximus. Atque ad hæc si respexisset Gratianus, non laboraret adeò in interpretatione ejusdem Tarraconensis canonis; etenim ipse, propositâ sibi quæstione, utrùm Clericus possit munera accipere à clientibus, quorum causas in judiciis defendendas susceperat, adfert hunc canonem Tarraconensem, ex quo putavit deduci posse, nihil à Clerico posse percipi. Cum verò agnosceret contrà servari, ignarus, quomodò consuetudinem cum canone conciliaret, ità conclusit: *Hoc autèm de illis intelligendum est, qui canonicam vitam professi, regulariter se victuros proposuerunt. Generali namquè Ecclesiæ consuetudine receptum est, & moribus adprobatum, ut Clerici more advocatorum patrocinia impendant, & pro impenden-*

dendis munera exigant, & pro impensis suscipiant. Nemo non videt, quantum à proposito distet Gratianus; siquidèm ne verbum quidèm adparet in eo Tarraconensi canone, ex quo deducatur eum ad Regulares Clericos pertinere. Meliùs fortè meo judicio interpretatus fuisset Gratianus, & veriùs, si aut de Clericis reorum, uti diximus, intercessoribus intellexisset, vel etiàm de Clericis, quos Laici tanquàm arbitros adiverint, litium, & jurgiorum evitandorum causâ, quemadmodùm etiàm in more positum apùd veteres fuerat; ac fortè hæc interpretatio videretur congruere verbis illis canonis *more sæcularium Judicum*; exindè enim deduci posset, Clericos Judicibus sæcularibus comparatos, alios esse non posse, nisi qui arbitrium recepissent juxtà canonem 1. caus. 15. quæst. 4., qui etiàm est ejusdem Concilii Tarraconensis.

Can. 1. caus. 15. q. 4. Porrò hic canon 1. caus. 15. quæst. 4. legitur in can. 4. Tarraconensi, in quo nonnullorum exemplarium varietas est observanda; etenim ubi Gratianus habet, *audeant ventilare*, legunt alii: *audeant judicare*, alii legunt: *audeant vendicare.* Itèm in postremis verbis, quæ apùd Gratianum leguntur: *excepto criminali*, alii ità exprimunt: *exceptis criminalibus negotiis.* Publica sanè ratio, quæ præcipiebat, criminalia judicia transactione posse finiri, exigebat etiàm, ut Clerici omnes à criminalibus judiciis, sive arbitriis abstinerent, & tantummdò componendis sine fori strepitu litigantium animis vacarent.

Can. 35. caus. 16. q. 1. Canon 11. Concilii Tarraconensis eisdem omninò verbis refertur apùd Gratianum in can. 35. caus. 16. quæst. 1., ubi tamèn in fine omissa sunt hæc verba: *Abbate sibi nihilominùs imperante Canonum antè omnia Gallicanorum de eis constitutione servata.* Canones isti Gallicani nulli alii sunt, quam canon 38. Concilii Agathensis anni 506., quem canonem 38. descripsit Gratianus in can. 3. caus. 20. quæst. 4., & suo jam loco expendimus.

Falsò Concilio Tarraconensi tributus est canon 8. dist. 5. de consecr. Deceptus fuit Gratianus ab Ivone, Ivo autèm à Burchardo, qui plurium canonum inscriptiones minùs fidelitèr adjecit. Jam persæpè animadverti, Burchardum, ubi ageretur de fragmentis Capitularium Francorum, hæc quidèm retulisse, sed alio expresso auctoris nomine, scilicèt fragmenta eadem vetusto alicui Concilio, vel Pontifici adscribendo. Itaquè, dum relaturus esset canonem 8. de cons. dist. 5., illum Concilio Tarraconensi adtribuit, qui potiùs laudandus erat ex Francorum Capitularibus, quemadmodùm legitur in Capitularibus adjectis apùd Baluzium additione 3. cap. 52. his verbis: *Dictum nobis est, quòd quidam de plebe bis, aut ter ab Episcopis, ignorantibus tamèn eisdem Episcopis, confirmentur. Undè nobis visum est, eamdem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minimè debere; quia qui bis, vel ampliùs baptizantur, aut confirmantur, non sæculo, sed soli Domino sub habitu Regulari, vel Clericali religiosissimè famulari decretum est.* Itaquè res perspicua est, memoratum Gratiani fragmentum ad hæc Capitularia pertinere. Verùm neque hic ego consistendum arbitror; etenim video, hanc sententiam relatam fuisse in Capitularia Francorum ex Concilio Cabilonensi II. anni 813., ubi can. 27. hæc leguntur: *Dictum nobis est, quòd quidam de plebe bis, & ter ab Episcopis, ignorantibus eisdem Episcopis, confirmentur. Undè nobis visum est, eamdem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minimè debere.* Hic absolvitur Cabilonensis canon; etenim in Concilio Cabilonensi ea desiderantur, quæ apùd Gratianum, & in dicto Capitulari leguntur, videlicèt bis baptizatos, aut confirmatos soli Domino sub habitu Regulari, vel Clericali famulari debere. Quam quidèm clausulam, ego arbitror, ab imperito quodam vel ad marginem, vel ad calcem ejusdem Capitularis adjectam fuisse duplici de causa. In primis enim nullibi in veteribus canonibus legitur, Clericalem habitum ob

Can. 8. de cons. dist. 5.

pœnitentiam criminum fuisse alicui impositum; licèt enim plures gravium criminum Rei pœnitentiæ causâ detruderentur in monasteria, nullibi tamèn cautum est, ut Ecclesiasticis officiis præficerentur, quod honorabile sempèr fuit, & honestissimos quosque, ac sanctissimos decebat. Altera ratio est, quòd sciamus è converso ab Ecclesiasticis officiis illos remotos fuisse, atque habitos tanquàm irregulares, qui pluriès Sacramentum baptismatis suscepissent. Quî itaquè fieri potest, ut sacri Antistites Tarraconenses baptisma iteratò suscipientibus non tantùm non prohibeant ad sacros ordines promoveri, verùm etiàm jubeant, latâ lege, ut Clericali militiæ adscribantur? Itaquè emendandum arbitror Gratianeum canonem, non solùm in eo, quòd pro Tarraconensi Concilio Concilium Cabilonense secundum intelligamus, verùm etiàm in eo, quòd posteriora canonis verba à versiculo, *quia bis*, usquè in finem, tamquàm additamentum imperiti scriptoris, sint rejicienda.

CAPUT XXV.

De Concilio Epaonensi.

Epaonensi Concilio adscripsit Gratianus sequentes canones.

Can. 40. *caus.* 11. *q.* 3. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 11. *caus.* 26. *q.* 6. *potiùs pertinet ad Romanum Pœnitentiale Halitgarii.*
Can. 31. *de cons. dist.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*

POstquàm Burgundiæ Regnum sub Sigismundo Gundebadi filio ab Arianorum perfidia ad Catholicam unitatem, & fidem reversum est, ipso Principe exemplo optimo omnibus existente, Hormisdas Pontifex Maximus urgere cœpit illarum Provinciarum Episcopos, ut statuta à sacris canonibus sacra Concilia quotannis ad reformationem disciplinæ Ecclesiasticæ celebrarent. Hinc Avitus Viennensis Episcopus, & Burgundiæ, ut arbitror, Primas, eodem Sigismundo, quem ipse ad Catholicam unitatem converterat, potissimùm consentiente, Synodum convocavit in Parochia Epaonensi anno 517., in quam Episcopi quinque suprà viginti convenerunt, quibus idem Avitus præfuit, assidente Viventiolo Episcopo Lugdunensi. Ubinàm sita fuerit Epaonensis Parochia, investigant viri Geographiæ Ecclesiasticæ eruditi; omnes tamèn maximâ adhùc in dubitatione versantur. Mihi sufficiet, quod certum est, exposuisse: videlicèt Epaonensem Parochiam constitutam fuisse in medio Burgundionum regno, atque eo in loco, quo facilè omnes Burgundionum Episcopi convenire potuissent; id enim & Avitus idem Episcopus testatur in sua tractoria, quam ad universos Provinciarum suarum Episcopos misit, eosdem ad Synodum celebrandam invitans. Quadraginta in hoc Concilio canones editi sunt, & quidèm sunt omnes magnæ apùd viros Ecclesiasticos auctoritatis; Siquidèm & passim apùd Collectores etiàm veteres laudantur, & nonnulli ex ipsis ad calcem Concilii Agathensis adjecti fuerunt, quemadmodùm jam superiùs diximus: ac propterèa verosimile est, canones eosdem non tantùm in Burgundionum Provinciis vim obtinuisse, verùm etiàm ad alias Provincias fuisse traductos. Gratianus, licèt plures ex hisce canonibus retulerit sub nomine Concilii Agathensis, quemadmodùm vidimus suo loco, tamèn tria

so-

solummodò fragmenta descripsit sub nomine Concilii Epaonensis.

Can. 40. caus. 11. q. 3. Primus est canon 40. caus. 11. quæst. 3., cujus verba omninò consonant cum canone 28. ejusdem Concilii Epaonensis.

Can. 11. cau-. 26. q. 6. Alter est canon 11. caus. 26. quæst. 6., qui tamèn falsò adscriptus est huic Epaonensi Concilio. Gratiano in hac parte ignoscendum videtur, quem falsa Ivonis inscriptio fefellit; etenim Ivo idem fragmentum in cap. 114. parte 14. recitavit ex cap. 11. Epaonensis Concilii; Ivo autèm ex anterioribus Collectionibus erravit. Sufficiat mihi hujus ejusdem canonis originem indicare. Integrum ego fragmentum reperio in Pœnitentiali Romano, quem antiquissimum Halitgarius edidit, & ad calcem sui operis de Sacramento Pœnitentiæ Morinus vulgavit. Itaquè ibi in cap. 10. hæc leguntur: *Si autèm aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam sit confessus, & non occurrit, sed occupavit eum mors, sive in via, sive in domo, si est aliquis ex parentibus ejus, pro eo aliquid offerat ad sanctum altare, aut ad redemptionem captivorum, aut ad commemorationem animæ ejus.* Hæc porrò nemo non videt eadem esse cum Gratianeo canone; ac, si aliquot verba ab editione Gratiani discrepare quoquo modo videntur, optima erit occasio sacrorum canonum studiosis eumdem Gratiani canonem emendandi, ut ejus editio accuratior sit, & ad optimorum exemplarium fidem exacta. Ne verò omninò temerè egisse Collectores illos asseramus, qui hoc fragmentum Epaonensi Concilio adscripserunt, dixerim id fortè ex eo potuisse contingere, quòd ad marginem ejusdem Pœnitentialis nomen adpositum fuerit Concilii Epaonensis, non quidèm ut significaretur, canonem illum ad Concilium Epaonense pertinere, sed potiùs ut indicaretur nonnulla ferè similia legi in eodem Epaonensi Concilio, videlicèt can. 36., ubi quædam statuuntur de illis, qui morte præoccupati Ecclesiæ satisfacere nequiverunt, ut cum illis humaniùs ageretur. Ex quo factum fortè fuit ex oscitantia quorumdam Collectorum, ut nomen marginale in textum ipsum irrepserit, arbitratique fuerint Amanuenses, eumdem canonem jure Epaonensi Concilio esse adscribendum.

Canon 31. de cons. dist. 1. apùd Ivonem, quemadmodùm & in vetustis Gratiani exemplaribus, laudatur nomine Concilii Hipponensis. Meliùs tamèn Romani Correctores supposuerunt nomen Concilii Epaonensis, in quo idem fragmentum legitur in can. 26., & 27. En verba canonis 26. Epaonensis. *Altaria, nisi lapidea, chrismatis unctione* (legunt alii: *infusione*, & Sirmondus notat in aliquibus MSS. Codicibus legi *unguine*) *non sacrentur.* Deindè in can. 27. *Ad celebranda divina officia ordinem, quem Metropolitani tenent, Provinciales etiàm observare debebunt.* Notat & hic Sirmondus, in quibusdam MSS. hæc legi: *Comprovinciales observare debebunt*: Quæ tamèn vocularum mutationes levissimi momenti sunt, nec facilè canonis ejusdem mutare sententiam videntur. Can. 31. de cons. dist. 1.

CAPUT XXVI.

De Concilio Gerundensi.

Concilii Gerundensis nomine hi canones inscribuntur apùd Gratianum.

Can. 57. dist. 50. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 31. de cons. dist. 2. ex optimis Concilii Codicibus emendandus.

Can. 15. de cons. dist. 4. à Romanis Correctoribus restitutus.
Can. 14. de cons. dist. 5. ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.

REgnante Theodorico Rege apùd Hispanos sub consulatu Agapeti, qui juxtà eruditiorum computationem incidit in annum 517., celebrata est Gerundensis Synodus, ità dicta à Gerundo, nobili oppido Hispaniæ Citerioris in Catalaunia, & quidèm Provinciæ Tarraconensis; quamobrèm hoc idem Concilium convocavit, & in eodem præfuit Joannes Episcopus Tarraconensis: interfuerunt Episcopi inferiores numero sex, quemadmodùm ex ipsorum subscriptionibus constat. Quæ autèm in hoc Synodo statuta sunt, pertinent ad disciplinam Ecclesiasticam dirigendam, ex quibus Gratianus quatuor sequentes canones excepit, ut omittam canonem 8. dist. 34., de quo commodiùs agam inferiùs, ubi de Conciliis Aurelianensibus.

Can. 57. dist. 50. Canon 57. dist. 50. idem omninò est cum canone 9. hujus Concilii Gerundensis: ubi tamèn pro ea particula initiali, *si*, inverso ordine literarum legitur *is*; itèm in verbo *deputamus* notat Harduinus, in aliquibus exemplaribus legi: *dicimus*. Gratianus hoc canone ostendere vult, eos, qui pœnitentiæ publicæ addicti aliquandò fuerunt, posse deincèps ad Clerum promoveri; in qua sanè re Gratianus idem in tota dist. 50. disertè disputat, & variis distinctionibus quæstionem universam potiùs involvit, atque confundit, quàm explicet, atque perficiat. Eruditissimorum virorum probata sententia est, in quam me jam diù libentissimè ivisse profiteor, pòst publicam pœnitentiam nemini ordinario jure licuisse ad Clericatum admitti. Sed fortè ità asserentibus videtur primo adspectu negotium facessere hic Gerundensis canon, quo ille in Clericatum recipitur, qui publicâ pœnitentiâ se propria delicta expiaturum promiserat. Subobscura sunt Concilii verba, quæ sanè si rectè explicentur, nihil amplius ingerent difficultatis. Species est de eo, qui infirmitate mortiferà pressus sibi visus est gravissimis criminibus detineri, quæ tamèn leviora erant, id operante metu mortis, qui animum morituri perturbare maximè solet; quamobrèm ille pollicitus est, se, si supervixisset, maculam omnem publicâ pœnitentiâ expurgaturum, licèt ea delicta ejusmodi reverà essent, quibus ex sacrorum canonum disciplina non indicta fuisset publica pœnitentia. In pristinam valetudinem restitutus, animi perturbationem omnem excussit, & admissa peccata agnoscens ab Ecclesia pœnitentiâ publicâ non mulctari, à proposito, & pollicitatione recessit; propterèaque detrectavit se inter publicos pœnitentes adscribi. Quæsitum posteà fuit, nùm hujusmodi vir ad Clericatum promoveri posset? Gerundenses autèm Patres admittendum pronunciarunt, eâ conditione adjectâ, *si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius*, id est, si reverà talia delicta admissa non fuissent, ob quæ publicæ ipse pœnitentiæ fuisset addicendus.

In canone 1. ejusdem Gerundensis Concilii legitur canon 31. de cons. dist. 2., cujus tamèn verba ex optimis ejusdem Synodi exemplaribus ità sunt emendanda: *De institutione Missarum, ut, quomodò in Metropolitana Ecclesia fuerit, ità in Dei nomine in omni Tarraconensi Provincia tàm ipsius Missæ ordo, quàm psallendi, vel ministrandi consuetudo servetur.* Gratianus legit: *in omnibus Provinciis*, quemadmodùm & in quibusdam MSS. Codicibus etiàm legi, monet Harduinus. Sed, ut arbitror, parùm aptè; etenim his verbis suppositis oporteret nomine Metropolitanæ Ecclesiæ intelligere non unius tantùm, sed & plurium Provinciarum principem Civitatem. Rectiùs autèm Tarraconensis Provincia in exemplaribus Concilii memoratur, in qua constituti erant Gerundensis Concilii Antistites. Can. 31. de cons. dist. 2.

Canonem 15. de cons. dist. 4. Romani Correctores hodiè ad optimorum Co- Can. 15. de cons. dist. 4.

Codicum fidem exactum restituerunt, quemadmodùm legitur in cap. 4. ejusdem Concilii Gerundensis; erat enim in veteribus Gratiani exemplaribus valdè perstricta hujus canonis sententia. Unum hic adnotabo, in aliquibus Codicibus pòst illa verba, *in Paschæ solemnitate*, ità legi : *vel Natalis Domini, vel Pentecostes &c.* Non tamèn arbitror, hoc additamentum de die Natali Domini veteri Ecclesiasticæ disciplinæ congruere, juxtà quam scimus tantummodò baptisma solemnitèr consuevisse conferri die Paschatis, & die Pentecostes; cujus rei adhùc in præsens quædam supersunt vestigia in ritibus Ecclesiasticis eorumdem sacrorum temporum.

Canon 14. de cons. dist. 5. his verbis legitur in Concilio Gerundensi canone ultimo : *ità nobis placuit, ut omnibus diebus pòst matutinas, & vespertinas* (legit Harduinus ex MSS. Codicibus : *pòst Matutinos, & Vesperos*) *oratio Dominica à Sacerdote proferatur.* Quem ritum etiàm hodiè in recitandis, psallendisque divinis laudibus Clerici omnes observamus. Can. 14. de cons. dist. 5.

CAPUT XXVII.

De Concilio Ilerdensi.

Capita Concilii Ilerdensis nomine à Gratiano collecta hæc sunt:

Can. 36. *dist.* 50. *paulò varius in aliis exemplaribus Concilii.*
Can. 52. *dist.* 50. *ex melioribus Codicibus antiquissimis emendandus.*
Can. 10. *dist.* 55. *pertinet potiùs ad Concilium Triburiense anni* 895.
Can. 13. *caus.* 2. *q.* 5. *pertinet potiùs ad Capitularia Francorum.*
Can. 1. *caus.* 10. *q.* 1. *jungendus cum can.* 34. *caus.* 16. *q.* 1.
Can. 39. *caus.* 11. *q.* 3. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 38. *caus.* 12. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 2. *caus.* 15. *q.* 8. *idem est cum can.* 52. *dist.* 50.
Can. 34. *caus.* 16. *q.* 1. *jungendus cum can.* 1. *caus.* 10. *q.* 1.
Can. 19. *caus.* 17. *q.* 4. *consonat omninò cum canonibus* 8. *&* 11. *Ilerdensibus.*
Can. 11. *caus.* 22. *q.* 4. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 10. *caus.* 33. *q.* 4. *pertinet potiùs ad Capitularia Francorum.*
Can. 9. *caus.* 35. *q.* 2. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 106. *de cons. dist.* 4. *est potiùs Hincmari Rhemensis.*

IN eadem Tarraconensi Provincia, in qua nupèr habitum diximus Gerundense, celebratum etiàm fuit Ilerdense Concilium, ità nuncupatum ab Ilerdensi Civitate, vulgò *Lerida*, quod alii referunt ad annum 524., alii verò ad annum 546. temporibus Theodorici Regis, & Joannis I. Pontificis Maximi. Est & istud Concilium Provinciale, convenientibus Episcopis octo sub Sergio Metropolita; qui canonibus editis sexdecim plurimum ad reformationem disciplinæ Ecclesiasticæ contulerunt.

Ex his numero primus est canon 36. dist. 50. pertinens ad eos Clericos, quos hostilis obsidio diutiùs presserat; erat enim frequens tùnc apùd Hispanos obsidionis occasio propter frequentissimas Vandalorum incursiones. In aliquibus verbis Gratiani editio emendanda ex antiquioribus Codicibus est; nàm, ubi Gratianus habet : *Et Christi Corpus, & Sanguinem tradunt....quam communione Corporis Domini priventur*, legunt alii hoc modo : *& Christi Sanguinem tradunt....quam communione priventur.* Can. 36. dist. 50.

In

Can. 52. dist. 50. & can. 2. caus. 15. q. 8.

In canone 5. Ilerdensi habetur Gratianeus canon 52. dist. 50., quem etiàm Rhabanus descripsit in Epist. ad Heribaldum cap. 10. propè finem, & quidèm nomine Concilii Ilerdensis cap. 5. Rhabani ejusdem verba hoc loco describam, tamquàm antiquitùs jam ex Ilerdensi Concilio relata. *De his, qui altario deserviunt* (hoc sanè nomine non Sacerdotes, sed inferiores Clerici intelliguntur; nàm de Sacerdotibus aliam arbitror disciplinam obtinuisse, ut scilicèt perpetuò à suo gradu deponerentur) *si subitò flenda* (vulgati Concilii Codices habent: *Hi, qui altario Dei deserviunt, si subitò in flenda &c.*) *carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente dignè pœnituerint, ità ut, mortificato corpore, cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate Episcopi, vel veraciter afflictos non diù suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregare; ità tamèn ut, si officiorum suorum loca retineant, non possint* (multò alitèr habent vulgati Concilii Codices ibi: *ità tamèn, ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint*) *ad altiora officia ulteriùs promoveri. Quòd si iteratò, velùt canes ad vomitum, reversi fuerint, non solùm dignitate officii careant, sed etiàm sanctam Communionem non nisi in exitu percipiant.* Hæc eadem retulit Gratianus in can. 2. caus. 15. quæst. 8.

Can. 10. dist. 55.

Ex cap. 20. Concilii Ilerdensis laudatur apùd Ivonem parte 6. cap. 34. fragmentum illud, quod Gratianus descripsit in can. 10. dist. 55., falsò tamèn, vel quòd nihil tale in Concilio Ilerdensi legatur, vel quòd non nisi sexdecim canones in eadem Synodo editi exhibeantur, ac propterèà frustrà commemoretur canon vigesimus Ilerdensis. Quamobrèm facile est suspicari, hoc fragmentum adjectum fuisse alicui Codici, in quo haberetur Ilerdense Concilium ad commodum alicujus studiosi, pertinuisse tamèn ad alia Concilia, quorum integra acta in eodem Codice minimè haberentur. Porrò idem canon potiùs videtur pertinere ad canonem 1. Concilii Nicæni I., aut ad canonem 33. Concilii Triburiensis anni 895., in quo ità legitur: *In Nicæno sancto, & universali Concilio statutum est cap. 1., ut, siquis à medicis per languorem desectus est, aut à barbaris abscisus, hic in Clero permaneat.* Et infrà: *Hanc auctoritatem sanctorum Patrum confitemur, & confirmamus, sequimurque, ità ut siquis à medicis per languorem desectus est, vel per aliquam infirmitatem claudus effectus est, & inveniatur aliàs dignus, permanet Clericus, & sacro ordini aptus.*

Can. 13. caus. 2. q. 5.

Omnibus liquet, Concilio Ilerdensi nullo modo adscribi posse canonem 13. caus. 2. quæst. 5., dummodò integer describatur, qualis ad Burchardum, & Ivonem habetur. Itaquè Ivo in parte 6. Decreti cap. 229. ità exhibet: *Ex Concilio Ilerdensi. Siquis Presbyter à plebe sibi commissa malâ opinione informatus fuerit, & Episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur Presbyter usquè ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Digna enim satisfactio est, si eis, à quibus reus creditur pòst factam securitatem de imposito crimine innocens esse manifestetur. Quod ità à nobis, & à majoribus constitutum esse docetur. Sed sive secundùm canones, sive ad arbitrium Episcopi sibi collegas septem conjungat, & juret in sacro coràm posito Evangelio, quod eum sancta Trinitas, & Christus Filius Dei, qui illum fecit, & docuit, quod Evangelium continet, & sancti quatuor Evangelistæ, qui illud scripserunt, sic adjuvent, quod ille prænominatam actionem ità non perpetrarit, sicùt ei de illo oblatum est, & in hac satisfactione purgatus securè deinceps suum exerceat ministerium. Quam satisfactionem nonnulli præcedentium Patrum sanctum Papam Leonem in Basilica sancti Petri Apostoli coràm Reverendissimo Cæsare Carolo, ac Clero, & plebe ità fecisse commemorant, atque ità mòx venerandum Principem contrà ejusdem sancti Papæ adversarios dignæ ultionis vindictam exercuisse.* Hinc sanè depromptum est Gratiani fragmentum, ex quo liquet Gratianum nonnulla immutasse, aut omisisse, ut propterèà emendatione indigere videatur: liquet præterèà, perperàm Ivonem, & Burchardum eidem canoni inscripsis-

sisse nomen Concilii Ilerdensis, cum in eo mentio fiat Caroli Imperatoris, & Leonis Papæ, Concilio Ilerdensi anni 524. longè recentiorum, aliàs autèm meliùs adscriptum fuisset alicui noni sæculi Auctori. Clara est, & perspicua hujusmodi demonstratio. At si ulteriùs investigemus, undenàm Ivo, aut Burchardus hoc idem fragmentum exceperint, ego statim suspicabor de consueta Burchardi ratione, qui proposuerat describere quidèm capita, quæ habebantur in Capitularibus Francorum, sed eodem tempore à laudando Capitularium eorumdem nomine abstinere, quemadmodùm aliàs jam sæpissimè observandum fuit. Porrò in Capitularibus Francorum lib. 5. cap. 36. legitur eadem sententia, licèt verbis paulispèr immutatis, quæ etiàm apùd Gratianum legitur in can. 19. caus. 2. quæst. 5., de quo agemus suo loco. Sed prætereà similia quædam habentur apùd Isaaccum Episcopum Lingonensem in suis canonibus selectis, quos ex Capitularibus Regum Francorum ipse edidit, etenim tit. 11. cap. 3. ità habet: *Sacerdos, si suspiciosus, aut incredibilis suo Episcopo, aut reliquis suis Consacerdotibus, sive bonis, & justis de suo populo, vel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in predicta suspicione remaneat, cum tribus, aut quinque, vel septem bonis, ac vicinis Consacerdotibus exemplo Leonis Papæ, qui duodecim Episcopos in sua purgatione habuit, vel eo amplius, si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi inesse perspexerit, & cum aliis bonis, & justis hominibus se Sacramento coràm populo super quatuor Evangelia purgatum Ecclesiæ reddat. Siquis autèm scire desiderat, quales testes ad accusationem Sacerdotum recipi debeant, & quid de accusatore faciendum sit, plenitèr in canonibus reperire poterit.* Hæc igitùr Francorum Capitularium fragmenta illa eadem sunt, quæ Burchardus more suo immutatis nonnullis vocibus nomine Concilii Ilerdensis in suum Codicem retulit, & ex Burchardo Ivo, & Gratianus.

Jungenda simùl sunt duo Gratiani fragmenta, videlicèt canon 34. caus. 16. quæst. 1., & canon 1. caus. 10. quæst. 1., utrumque enim pertinet ad eumdem canonem 3. Ilerdensem. Concilii Ilerdensis verba ipsa describam, qualia habentur in integris exemplaribus. *De Monachis verò id observari placuit, quod Synodus Agathensis, & Aurelianensis noscitur decrevisse.* (Respexerunt hic Ilerdenses Patres ad canonem 27. Concilii Agathensis, seu can. 12. caus. 18. quæst. 2., can. 33. caus. 16. quæst. 1., & can. 3. caus. 20. quæst. 4.) *Hoc tantummodò adjiciendum, ut pro Ecclesiæ utilitate, quos Episcopus probaverit, in Clericatus officio cum Abbatis voluntate debeant ordinari. Ea verò, quæ in jure Monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo Diœcesana lege ab Episcopis contingantur.* Hæc exhibent canonem 34. caus. 16. quæst. 1. Sequitur canon 1. caus. 10. quæst. 1. in eodem canone Ilerdensi his verbis: *Si autèm ex Laicis quisquam à se factam Basilicam consecrari desiderat, nequaquàm sub Monasterii specie, ubi congregatio non colligitur, vel regula ab Episcopo non constituitur, eam à Diœcesana Lege audeat segregare.* Can. 1. caus. 10. q. 1. & can. 34. caus. 16. q. 1.

De canone 39. caus. 11. quæst. 3. nihil est, quod specialitèr disseramus. Legitur ille eisdem omninò verbis in can. 10. ejusdem Concilii Ilerdensis. Can. caus. 11. q. 3.

Canon 38. caus. 12. quæst. 2. legitur in can. 16. Ilerdensi, ubi, postquàm Episcopi enarravissent, ac conquesti fuissent, morientium Episcoporum bona ab invadentibus diripi solere in gravissimum detrimentum Ecclesiarum, ità subdiderunt: *Ideò nùnc hæc hujus placiti, vel constituti inter nos censura placuit custodiri, ut, defuncto Antistite, vel etiàm adhùc in supremis agente, nullus Clericorum, cujuslibet ordinis, officii, gradusve sit, quidquam de domo auferre præsumat, vel de utilitate, quæ instrumenti domus esse noscitur, idest, mobili, & immobili rei Ecclesiasticæ conetur invadere; nihil furto, nihil vi, nihil dolo supprimens, auferens, atque abscondens; sed is, cui domus commissa est, subjunctis sibi cum consilio Cleri uno, vel duobus fidelissimis, omnia usquè ad tempus Pontificis substituendi debeat* Can. caus. 12. q. 2.

beat conservare, vel his, qui in domo inveniuntur, Clericis consuetam alimoniam administrare. Substitutus autèm Antistes susceptæ ea, proùt decessor suus ordinavit, vel huic Deus imperavit, (legunt alii: *susceptæ sedis commoda ordinabit, velùt Deus imperavit*) *uti cum his debeat, quos cognoverit disciplinæ, & charitati decessoris sui fideliter paruisse. Quòd si quisquam pòst hæc cujuslibet ordinis, ut superiùs dictum est, Clericus quacumque occasione de domo Ecclesiæ, vel de omni facultate quidpiam probatus fuerit abstulisse, vel forsitàm dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegii, prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoquè peregrina ei communio concedatur: Quia durum est, ut hi, quos constat in servitio Domini cum primæ sedis Antistite desudasse, illorum, qui suarum rerum incubatores, vel utilitatibus servientes, atque vacantes fuisse noscuntur, despecti aliquatenùs crucientur.* Pro his postremis verbis alii ità legunt: *Quia durum est, ut hi, quos constat in servitio Domini cum primæ sedis Antistite desudasse, ab his, qui suarum rerum incubitatores, atque vagantes fuisse noscuntur, despecti aliquatenùs crucientur.* Integra retuli canonis verba, ut exindè possit facilè unusquisque Gratiani fragmentum aliquantispèr depravatum ex his emendare; licèt reverà eadem ubiquè servetur Ilerdensium Patrum sententia, qui videlicèt bona defuncti Episcopi successori reservanda voluerunt; ità tamèn, ut successor ipse non destituat illos, qui, dum antecessor viveret, Ecclesiæ deservierant.

In canone 19. caus. 17. quæst. 4. usquè *ad vers. si qui Clerici* legitur canon 8. ex Ilerdensibus: deindè ab eodem versiculo usquè in finem legitur eisdem omninò verbis canon undecimus ejusdem Concilii. Porrò, quod spectat priorem hujus canonis partem, congruum omninò videbatur, ut, si Clerici veteres consueverant publicorum criminum reis intercedere veniam apùd Imperatores, quotiescumquè illi ad Ecclesiam confugerent, & severæ, salutarisque pœnitentiæ legibus se se subjicerent, iidem Clerici præcipuè veniam illis impertirentur, qui ab eisdem Clericis omninò dependebant, eorum videlicèt servi, aut discipuli, si pòst admissum aliquod crimen, quod à Clericis eisdem corrigi, ac puniri potuisset, ad Ecclesiam confugissent, ac pœnitentiæ signa dedissent.

Can. 19. caus. 17. q. 4.

In canone 7. Concilii Ilerdensis habetur canon 11. caus. 22. quæst. 4., ubi tamèn pro verbis illis, *jejuniis absolvat*, legitur: *jejuniis abluat.* Similia quædam referuntur in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino his verbis: *Si Sacramento te obligasti, ut ad pacem alicujus inimici tui nullo modo redires, pro perjurio uno anno à communione Corporis, & Sanguinis Domini sis sequestratus, & quadraginta dies in pane, & aqua pœniteas. Ad charitatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter redi.* Paulò alitèr legitur in Capitulari Ludovici Imperatoris anni 867. his verbis: *Qui Sacramento se obligaverint, ut litigantes cum quolibet ad pacem nullo modo redeant, si Clerici fuerint, deponantur; si Laici pro perjurio uno anno à communione Corporis, & Sanguinis Domini segregentur: reatum verò suum eleemosynis, & fletibus, quantis potuerint, jejuniis absolvant. Ad charitatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinent. Quod qui contempserit facere, Imperiali sententia feriatur.*

Can. 11. caus. 22. q. 4.

Canon 10. caus. 33. quæst. 4. laudatur quidèm nomine Concilii Ilerdensis; at neque in Ilerdensi, neque in aliis, quod noverim, Conciliis legitur. Imò nonnulli ex eruditis asserunt, in hoc fragmento referri disciplinam recentioris ætatis in ea parte, quâ tria anni sacri tempora distribuuntur; hæc enim eadem tempora pòst octavum tantummodò Ecclesiæ sæculum eâ ratione dividi cœperunt. Ego hoc in loco suspicor de Burchardi fide, qui sententias Capitularium Francorum referre voluerit, atque de more suo, mutato auctorum nomine, Concilio Ilerdensi adscribere. Porrò in Capitulis Regum Francorum, ab Herardo Archiepiscopo Turonensi collectis, cap. 62. hæc leguntur: *Ut diebus festis jejuniorum à conjugibus se abstineant; & quia non est concessa uxor causâ libidinis, sed filiorum, & omnia prohibeantur illicita, par-*

Can. 16. caus. 33. q. 4.

parcaturque à licitis. In his itaquè videmus generalitèr constitutam disciplinam illam noni sæculi, juxtà quam conjugiorum fœdera temporibus jejuniorum prohibebantur. At rursùm illâ ætate solemnes tres fuisse jejuniorum ferias, colligitur ex lib. 6. Capitularium can. 187. in editione Parisiensi anni 1677. his verbis: *Admoneant Sacerdotes, ut jejunia tria legitima in anno agantur, id est, quadraginta dies antè nativitatem Domini, & quadraginta dies antè Pascha, ubi decimas anni solvimus, & pòst Pentecosten quadraginta dies.* Ex his ergò capitibus Burchardus, & ex eo Ivo, ac Gratianus memoratum fragmentum composuerunt; quod tamèn disciplinæ suæ Provinciæ Burchardus accommodavit loco quadragesimæ septuagesimam scribens, & loco quadraginta dierum pòst Pentecosten memorans tres hebdomadas antè festivitatem S. Joannis Baptistæ, de quibus etiàm sermo est in cap. 4. de feriis, quod Doctores, & Interpretes benè multi illustrarunt.

Can. 9. caus. 35. q. 2. Canon 9. caus. 35. quæst. 2. legitur in can. 4. Ilerdensi, cujus hæc sunt priora verba: *De his, qui se incestâ pollutione commaculant &c.* In integris Concilii exemplaribus pro illo postremo Gratiani verbo *licebit*, legitur, *oportet.* Nomine autèm Missæ Cathecumenorum ego intelligo eam Missæ partem, pòst quam Cathecumeni foràs ab Ecclesia dimittebantur; cujus rei adhùc hodiernis temporibus quoddam vestigium habemus in illis verbis, quæ proferre solet Diaconus in solemni Missa, inquiens: *Ite Missa est.*

Can. 106. de cons. dist. 4. Canon 106. de cons. dist. 4. in pluribus, & vulgatis Gratiani Codicibus laudatur *ex Concilio Ilerdensi*, in aliis, & paucis, *ex Concilio Meldensi*; utrobiquè falsò; neque enim aut in Meldensis, aut in Ilerdensis Concilii canonibus aliquid simile reperitur. Legitur potiùs inter capitula Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, ad Presbyteros Rhemensis Ecclesiæ directa anno circitèr 852., ibi enim cap. 3. hæc habentur: *Qui fontes lapideos habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodò baptizandi officium habeat, & similitèr ad corporale lavandum, & ad pallas altaris propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat.* Romani Correctores tradiderunt, similia etiàm nonnulla haberi in ordine Romano de officiis divinis: ego præterea animadverto, etiàm similia legi apùd Ahytonem Basileensem Episcopum in Capitulari anni circitèr 820., quod ipse suis Clericis servandum proposuerat, cap. 9. ibi: *Et ut vas ad fontem baptismatis habeant, quod ad reliquos usus nullatenùs assumatur.* Quâ verò de causa Gratianus potuerit pro Capitularibus Hincmari, aut Ahytonis Concilium Ilerdense, aut Meldense scribere, ego facilè judicaverim. Oportebit enim recipere potiùs Codices illos Gratiani, in quibus non Ilerdensi, sed Meldensi Concilio canon adscribitur; etenim Ilerdensis nomen pro Meldensi facilè supponi potuit ab Amanuensibus, vel Typographis. Revera apùd Ivonem parte 1. Decreti cap. 208., undè Gratianus fragmentum accepit, inscribitur, non ex Ilerdensi, sed potiùs ex Meldensi Concilio. Ivo autèm sic inscripserat ex Burchardo. Burchardus describebat idem fragmentum ex collectione Reginonis, apùd quem in lib. 1. cap. 271. idem fragmentum habetur, cum hac inscriptione, *Undè suprà*, quâ fortè Regino significabat sequens capitulum jam anteà à se fuisse relatum, quemadmodùm reverà relatum fuerat in eodem lib. 1. cap. 79. Burchardus putavit, ea verba *undè suprà* indicare nomen Auctoris præcedentis canonis; cumque præcedens canon 270. Meldensi Concilio inscribatur, & idem subsequenti canoni 271. nomen Concilii Meldensis inscripsit.

CAPUT XXVIII.

De Conciliis Arvernensibus VI. *sæculi.*

Concilio Arvernensi hæc tria fragmenta adscribuntur apùd Gratianum.

Princ. q. 1. *caus.* 6. *consonat cum can.* 12. *Concilii Arvernensis, & Aurelianensis.*

Can. 42. *caus.* 11. *q.* 3. *consonat cum can.* 2. *Concilii Arvernensis, & Aurelianensis.*

Can. 43. *de cons. dist.* 1. *perperàm in vulgatis Codicibus inscriptus Concilio Aurelianensi.*

DE Arvernensi Concilio posterioris ætatis, & sub Urbano II. Pontifice Maximo celebrato, non hic sermonem instituo; de eo enim suo loco commodiùs agendum videtur. Duo hic tantummodò memorabo Arvernensia Concilia, ità dicta ab oppido Arvernorum, qui sunt Aquitaniæ populi, sexto Ecclesiæ sæculo habita, alterum scilicèt anni 535., alterum anni circitèr 549.

Ut ab eo exordiar, quod celebratum fertur anno 535., cum Theodoricus Francorum Rex plura ex bonis Ecclesiasticis occupavisset, eo defuncto Theodebertus in Regno successor, & piissimus Princeps statim voluit omnia Ecclesiis restitui, imò etiàm curavit, ut, convenientibus in Synodum Episcopis, Ecclesiasticarum rerum jura latis legibus firmarentur. Synodus itaquè apùd Arvernos indicta fuit, eidemque præfuit Honoratus Bituricensis, cum interessent quatuordecim plurium Provinciarum Episcopi, inter quos memorandus S. Gallus Arvernicæ ejusdem Ecclesiæ Episcopus, & miraculis clarus, quem Gregorius Turonensis prædicat in lib. 2. de gloria Martyrum cap. 23. Ad hoc Concilium pertinet Gratianeus canon 43. de cons. dist. 1., qui tamèn in Codicibus Gratiani inscriptus fuit Concilio Aurelianensi, errore, ut arbitror, Amanuensium, vel Typographorum, qui ex similitudine literarum facilè Aurelianense scripserunt pro Arvernensi. Quemadmodùm verò canon 8. Arvernensis, proùt in integris Concilii exemplaribus legitur, tantillùm distat à canone edito apùd Gratianum, ideò ejusdem octavi canonis verba describam hoc modo: *Ne ad nuptiarum ornatum ministeria divina præstentur: ne, dum improborum tactu, pampaque sæcularis luxuriæ polluuntur, ad officia sacri mysterii videantur indigna.*

Can. 43. de cons. dist. 1.

Altera Arvernensis Synodus celebrata fertur anno 549. sub Rege Theodebaldo, qui filius fuit, & in Regno successor memorati Religiosi Principis Theodeberti. Præfuit autèm Concilio Hesychius Viennensis, cum intervenissent novem alii ex diversis Provinciis Episcopi. Hanc Synodum primus typis edendam curavit Jacobus Sirmondus juxtà exemplar, quod ipse extare asserebat Tolosæ in Bibliotheca Fuxensi; hodiè verò adjectam habemus in collectionibus Conciliorum pòst Concilium Aurelianense V., eâ de causa, quòd in eodem Concilio Arvernensi nihil aliud peractum fuisse adpareat, quàm confirmata ea capita, quæ in Concilio Aurelianensi V. constituta fuerant. Et reverà priores 17. canones Aurelianenses iidem rursùm in hoc Concilio Arvernensi editi sunt, ac renovati; quod & in præfatione ejusdem Concilii animadvertitur. Duo hujus Concilii fragmenta retulit Gratianus; primum in principio quæstionis 1. caus. 7. illis verbis: *Quòd autèm vivente Episcopo alius superponi, aut superordinari non possit, ex Concilio, apùd Arverniam celebrato, definitum est, in quo legitur, ut nullus vivente Episcopo &c* Hic sanè describitur canon 12. Arvernensis, cu-

Principio q. 1. caus. 7.

cujus hæc sunt verba : *Ut nullus, vivente Episcopo, alius ponatur, aut superordinetur Episcopus, nisi forsitàn in ejus locum, quem capitalis culpa dejecerit.* Romani Correctores, qui præ oculis habere non potuerunt hoc Concilium Arvernense, observarunt eum canonem pertinere potiùs ad caput 12. Concilii Aurelianensis V. Et reverà nihil interest, cum, uti diximus, capita Concilii Aurelianensis fuerint in Arvernensi renovata.

Can. 42. caus. 11. q. 3. Alterum est in can. 42. caus. 11. quæst. 3., qui omninò consonat cum canone 2. Arvernensi. Sed Romani Correctores, qui nondùm viderant acta hujus Concilii Arvernensis posteà à Sirmondo edita, observarunt eumdem canonem pertinere potiùs ad Concilium Aurelianense V., in quo etiàm legitur. Hodiè itaquè agnoscimus in hac parte Gratianeæ editionis integritatem, quemadmodùm & fortè in aliquibus aliis locis agnosceremus, si nostris temporibus ea omnia edi potuissent, quæ in Bibliothecis Gratianei sæculi servabantur.

APPENDIX.

De Concilio Urbanensi.

Ex Urbanensi Concilio à Gratiano laudatur.

(*Can. 17. caus. 28. q. 1. potiùs tribuendus Concilio Arvernensi.*

ADjeci hoc in loco fragmentum Concilii, quod apùd Gratianum Urbanense adpellatur, nomine sanè, aut ab Amanuensibus, aut à Typographis, depravato. Neque enim ullum *Urbanense* Concilium apùd canonum, aut Conciliorum Collectores agnoscitur, neque significari potest, undènam hoc nomen Urbanensis derivari potuerit. Itaquè meliùs apùd Gratianum pro Concilio Urbanensi legendum Arvernense in can. 17. caus. 28. quæst. 1. Perspicuum enim id redditur, quotiès conferamus verba ejusdem canonis 17. cum canone 6. prioris, quod superiùs memoravimus, Arvernensis Concilii, sub Theodeberto Rege celebrati, ubi hæc habentur : *Siquis Judaicæ pravitati jugali societate conjungitur, & seu Christiana Judæo, seu Judæus Christianæ mulieri carnali consortio misceatur, quicumque horum tantum nefas admisisse dignoscitur à Christianorum cœtu, atque convivio, & communione Ecclesiæ, cujus sociatur hostibus, segregetur.* Eadem fermè leguntur in Concilio Aurelianensi II. anni 533. can. 19. ibi : *Placuit, ut nullus Christianus Judæam, neque Judæus Christianam in matrimonio ducat uxorem, quia inter hujusmodi personas illicitas nuptias esse censemus. Qui, si commoniti à consortio hoc se separare distulerint, à communionis gratia sunt sine dubio semovendi.*

CAPUT XXIX.

De Conciliis Aurelianensibus, sexto sæculo celebratis.

Nonnulla ex Aurelianensibus Conciliis retulit Gratianus, in cujus Codice hodiè multa fragmenta adscribuntur Concilio Aurelianensi I., alia Concilio Aurelianensi III., alia Concilio Aurelianensi IV.; alia demùm ex Concilio Aurelianensi ità laudantur, ut minimè designetur, ad quodnam ex Aurelianensibus Conciliis referantur; quemadmodùm ex sequentibus liquet.

Ex Aurelianensi I.

- *Can.* 11. *dist.* 28. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 19. *dist.* 54. *consonat cum disciplina vetere Galliarum.*
- *Can.* 14. *dist.* 81. *falsò in quibusdam Codicibus Arelatensi Concilio tributus.*
- *Can.* 1. *dist.* 82. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 5. *dist.* 91. *jungendus cum can.* 3. *de cons. dist.* 3.
- *Can.* 20. *caus.* 2. *q.* 7. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 7. *caus.* 10. *q.* 1. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 8. *caus.* 10. *q.* 1. *emendandus ex vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 12. *caus.* 16. *q.* 3. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 10. *caus.* 16. *q.* 7. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 36. *caus.* 17. *q.* 4. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 14. *caus.* 18. *q.* 2. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 16. *caus.* 18. *q.* 2. *emendandus ex vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 9. *caus.* 26. *q.* 5. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 32. *caus.* 27. *q.* 1. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*

Ex eod. Aurelianensi I.

- *Can.* 5. *de pœn. dist.* 5. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 3. *caus.* 36. *q.* 1. *ex vulgatis Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 65. *de cons. dist.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 3. *de cons. dist.* 3. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 4. *de cons. dist.* 3. *consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 5. *de cons. dist.* 3. *ex vulgatis Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 6. *de cons. dist.* 3. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*

Ex Aurelianensi III.
- *Can.* 1. *dist.* 74. *consonat omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 10. *dist.* 81. *jungendus cum can.* 1. *dist.* 74.
- *Can.* 25. *caus.* 11. *q.* 1. *ex vulgatis Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 41. *caus.* 12. *q.* 2. *paulò aliter legitur in vulgatis Concilii exemplaribus.*

Ex Aurelianensi IV.
- *Can.* 2. *dist.* 34. *pertinet potiùs ad Concilium Epaonense anni* 517.
- *Can.* 3. *dist.* 34. *pertinet potiùs ad Concilium Germanicum anni* 742.

Adjiciuntur.
- *Can.* 8. *dist.* 34. *est potiùs Concilii Gerundensis anni* 517.
- *Can.* 40. *caus.* 12. *q.* 2. *est potiùs Concilii Agathensis, ut in can.* 33. *caus.* 12. *q.* 2.
- *Can.* 32. *caus.* 13. *q.* 2. *tribuendus Reginoni Prumiensi.*
- *Can.* 29. *caus.* 18. *q.* 2. *convenit cum Concilio Aurelianensi I., & Rothomagensi anni* 650.
- *Can.* 16. *caus.* 27. *q.* 1. *pertinet ad Concilium Triburiense juxtà Reginonem.*
- *Can.* 17. *caus.* 27. *q.* 1. *pertinet ad Concilium Triburiense.*
- *Can.* 30. *caus.* 27. *q.* 2. *pertinet ad Concilium Vermeriense.*
- *Can.* 3. *caus.* 35. *q.* 8. *pertinet ad Capitularia Francorum.*
- *Can.* 9. *de cons. dist.* 1. *pertinet ad Novellas Justiniani Imperatoris.*
- *Can.* 27. *de cons. dist.* 1. *est potiùs Theodori Cantuariensis.*
- *Can.* 43. *de cons. dist.* 1. *est potiùs Concilii Arvernensis.*
- *Can.* 6. *de cons. dist.* 5. *pertinet ad Capitularia Francorum.*

De Concilio Aurelianensi I.

INitio sexti sæculi, nemo ignorat, Galliam universam nondùm omninò Catholicam fidem professam fuisse; quum enim illa triplici ex Regno constaret, quà Gothis, quà Burgundionibus, quà Francis occupata; & horum alii Principes Æthnicis adhùc superstitionibus obvolvebantur, alii hæreticis, præsertim Arianis, faventes Catholicum nomen aversabantur; non deerant tamèn identidèm Sanctissimi Episcopi, qui rem in incrementum fidei in dies propagandæ vergere cupientes, nullum non lapidem movebant, quô tandèm fieri posset, ut integræ Galliarum Provinciæ in unitate fidei sociarentur. Laudo inter ceteros S. Rhemigium Episcopum Rhemensem, qui, cum charus esset Clodoveo Regi Francorum, licèt nondùm baptizato, curavit, ut ipse Rex Christianæ fidei nomen daret, spe etiàm Regi propositâ, futurum, ut sub Christi auspiciis fortunatiora ejusdem arma essent in Regni sui incrementum, & decus; præcipuè verò faciliùs ipse vinceret Gothos, qui regnante Alarico Ariano Principe Galliarum partem occupaverant. Hinc Clodoveus idem in Deum, resque divinas, & Ecclesiasticas propensior factus, baptismate se Christo dicari postulavit, iisque auspiciis bello moto Alaricum vicit, occidit, ejusdemque Regnum suscepit, ità ut tùm maxima Galliarum pars Clodoveo subjiceretur. Res ità optimè gestæ magis, ac magis Regem ipsum concitaverunt, ut faveret Ecclesiis, qui propterèà in deliciis habuit, ut Episcopi simùl in Concilia

ha convenirent, & de rerum Ecclesiasticarum utilitatibus pertractarent. Atque id primùm contigit anno 511., quo in Civitatem Aurelianensem confluxerunt triginta & plures Galliarum Antistites, inter quos Metropolitani quinque, Burdegalensis, Bituricensis, Turonensis, Elusanus, & Rothomagensis: quamobrèm hoc Concilium jure appellare poterimus Nationale Galliæ ferè universæ. Hæc est Synodus Aurelianensis I., in qua canones 31. editi sunt communi consensione, Rege ipso auctoritatem omnem impertiente. Et sanè, qualis fuerit inter Regem ipsum, & Episcopos in hac parte consensio, demonstrat perspicuè Epistola Synodi ad Regem, quæ actis ejusdem Concilii præposita est, in illis verbis: *Domino suo Catholicæ Ecclesiæ filio Chlothovecho Gloriosissimo Regi omnes Sacerdotes, quos ad Concilium venire jussistis. Quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, ut salutari mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis secundùm voluntatis vestræ consultationem, & titulos, quos dedistis, eâ, quâ nobis visum, definitione respondimus, ità ut, si ea, quæ nos statuimus, etiàm vestro recta esse judicio comprobantur, tanti consensus Regis, ac Domini majori auctoritate servandam tantorum firmet sententiam Sacerdotum.*

In can. 13. hujus Concilii legitur Can. 11. dist. 28. can. 11. dist. 28. his verbis: *Si se cuilibet mulier duplici conjugio Presbyteri, vel Diaconi relicta conjunxerit, aut castigati separentur*, (legunt alii: *aut castitate servatâ separentur*); *aut certè, si in criminis intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur.* Contingebat quandoquè, Presbyteros, vel Diaconos servandæ continentiæ causâ ab uxoribus divertere, eisdem sanè uxoribus consentientibus, quæ tamèn aliquandò nova cum aliis se posse contrahere conjugia arbitrabantur. Id severâ indictâ pœnâ Patres Aurelianenses prohibuerunt.

Can. 19. dist. 54. In canone 8. Aurelianensi legitur eisdem verbis canon 19. dist. 54., ubi tamèn monet Sirmondus, in aliquibus Codicibus pro illa voce, *duplici*, legi *dupli*. Quæ porrò ibidèm constituitur disciplina æquitati consentanea est, cum definiatur servos non alitèr, quàm suorum dominorum accedente consensu, esse ordinandos. Cum enim Imperiali lege Clerici ab omnibus servitiis personalibus, quæ Ecclesiastica non essent, haberentur exempti, æquum erat, ut nemo per ordinationem eximeretur, quàm eorum voluntate, quorum poterat interesse, quique præsertim in ipsos dominicam exercere poterant potestatem. Atque eodem jure ipsi Aurelianenses Patres in can. 4. ità sanxerunt: *De Ordinationibus Clericorum id observandum esse decrevimus, ut nullus sæcularium ad clericatus officium præsumatur, nisi aut cum Regis jussione, aut cum Judicis voluntate* &c. Quod & clariùs additâ ratione decernitur in Capitularibus Caroli Magni capit. 2. anni 805. can. 15., Capitul. 3. ejusdem anni can. 17., & in libris Capitularium lib. 1. cap. 114. editionis Parisiensis anni 1677. his verbis: *De liberis hominibus, qui ad servitium Dei tradere se volunt, ut priùs hoc non faciant, quàm licentiam à nobis postulent; hoc ideò, quia audivimus aliquos ex illis non tàm causâ devotionis hoc fecisse, quàm pro exercitu, seu alia functione Regali fugienda; quosdam verò cupiditatis causâ ab his, qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus, & ideò hæc fieri prohibemus.*

De canone 14. dist. 81. frustrà hoc Can. 14. dist. 81. loco repeterem, quæ jam dixi, ubi de Concilio Arelatensi I.; etenim ibi & animadverti falsò Concilio Arelatensi inscriptum fuisse, & canonem eumdem ad exemplaria Concilii hujus Aurelianensis exegi.

In can. 18. ejusdem Concilii Aure- Can. 1. dist. 82. lianensis habetur canon 1. dist. 82., ubi tamèn pro illis verbis: *in quantum sibi possibile fuerit*, vulgata Concilii exemplaria ità potiùs exhibent: *in quantum possibilitas habuerit.*

Canon 5. dist. 91. habetur in can. Can. 5. dist. 91. 28. Aurelianensi; sed, ut perspicua sit Aurelianensium Patrum sententia, idem

Ca-

canon 28. jungendus erit cum canone 27. præcedenti, qui refertur à Gratiano in can. 3. dist. 3. de consecr.; cum enim illic præstituti fuissent solemnes sanctarum Rogationum dies, quibus populus specialibus precibus Deum exoraret, subdiderunt Aurelianenses Patres: *Clerici verò, qui ad hoc opus sanctum adesse contempserint, secundùm arbitrium Episcopi Ecclesiæ suscipiant disciplinam.* At Gratianus ea, quæ specialitèr in Concilio de Rogationum diebus constituta fuerant, generalitèr ad rem suam traducere non dubitavit.

Can. 20. caus. 2. q. 7. Canon 20. caus. 2. quæst. 7. legitur in canone 6. ejusdem Concilii, ubi pro voce illa, *conventione*, alii legunt *contentione*, eàdem tamèn servatâ sententiâ, quamcumque editionem sequi malimus. Mens enim hæc erat Aurelianensis Concilii, ut unicuique liceat, quod suum est ab Episcopo postulare, sive conveniatur Episcopus ratione proprii peculii, sive ratione Ecclesiæ, dummodò tamèn actor à conviciis abstineat.

Can. 7. & 8. caus. 10. q. 1. In canone 15. Aurelianensi legitur canon 7. caus. 10. quæst. 1., quâ arbitror clariùs sententiam Concilii exhiberi, quàm vulgatis Concilii exemplaribus, in quibus postrema canonis verba ità descripta sunt: *tertia fideliter Episcopis deferatur.* Juvabit autèm hunc eumdem canonem cum 14. præcedenti conjungere, quem retulit Gratianus in can. 8. caus. 10. quæst. 1., ubi tamèn posteriora verba ità legenda sunt ex integris Concilii exemplaribus: *Clerus accipiat, prædiis de omni commoditate in Episcoporum potestate durantibus*; ità ut sententia sit, bona immobilia Ecclesiastica omnia in Episcoporum potestate consistere, ex quibus Episcopi iidem Clero dispensent; at oblationes, quæ in Altari fieri solebant, in duplicem portionem dividi debere, quarum una Episcopo, altera Clericis cedebat; atque hoc quidèm in Cathedrali Ecclesia: nàm in aliis Ecclesiis Parochialibus tertia tantummodò pars Episcopo concedebatur, duæ tertiæ & Parocho, & Ministris, in eadem Ecclesia existentibus, tribuebantur.

In canone 23. Aurelianensi habemus canonem 12. caus. 16. quæst. 3., ad quem jam observaverunt Romani Correctores verba illa, *vel quibuslibet*, & apùd Anselmum, & in Concilio impresso, & MS. desiderari: Illud quoquè animadvertendum est pro illis verbis, *sæcularis legis*, in exemplaribus Concilii legi: *sæculari lege*; atque ut istius canonis clara sententia sit, hùc revocandi erunt canones, superiùs jam laudati, can. 7. & 8. caus. 10. quæst. 1., ex quibus patet, eâ ætate neminem adhùc ex Clericis inferioribus prædia Ecclesiastica obtinuisse administranda adinstàr recentiorum beneficiorum; illa enim omnia in potestate solius Episcopi consistebant: tantùm proindè quibusdam in casibus Episcopus Clericis eisdem terrulas quasdam adsignabat, non tamèn perpetuò, sed ad ejusdem Episcopi concedentis arbitrium, ità ut, nullâ præscriptione à possessoribus objecta, eadem Episcopus repetere posset. Videantur, quæ diximus ad Concilium Agathense can. 11. caus. 16. quæst. 4.

Can. 12. caus. 1. q. 3.

Canon 10. caus. 16. quæst. 7. consonat omninò cum can. 17. ejusdem Concilii Aurelianensis.

Can. 10. caus. 16. q. 7.

Can. 36. caus. 17. quæst. 4. paulò discrepat à canone 1. Concilii Aurelianensis, ex quo ille depromptus fuerat apùd Gratianum; illic enim ità legitur: *De homicidis, adulteris, & furibus, si ad Ecclesiam confugerint* (hæc Gratianus omisit, & canonem ità descripsit, ut de omnibus generalitèr criminum reis intelligeretur) *id constituimus observandum, quod Ecclesiastici canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi eos abstrahi omninò non liceat, sed nec aliter consignari, nisi, ad Evangelia datis Sacramentis, de morte, de debilitate, & omni pœnarum genere sint securi, ità ut ei, cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conveniat. Quòd si Sacramenta sua quis convictus fuerit violasse, reus perjurii non solùm à communione Ecclesiæ, vel omnium Clericorum, verùm etiàm à Catholicorum convivio se-*

Can. 36. caus. 17. q. 4.

separetur. Quòd si is, cui reus est, noluerit sibi intentione faciente componi, & ipse reus de Ecclesia actus timore discesserit, ab Ecclesiæ Clericis non quæratur. Quæ sequuntur apùd Gratianum in versic. *Servus etiàm* eisdem omninò verbis habentur in can. 3. ejusdem Concilii. Romani Correctores pro voce *eos*, quæ & apùd Gratianum legebatur, & in integris Concilii exemplaribus habetur, scribendum putarunt *reos*; satiùs autèm viderentur fecisse, si priora verba Gratianei canonis ad integra Concilii exemplaria exegissent. Ceterùm quod attinet ad sententiam hujus canonis, liquet eo tempore jam Romanorum Imperatorum latam fuisse legem, quæ ad Ecclesiarum immunitatem, ut eo loco dicitur, pertineret, quam Clodoveus Rex, qui, uti initio diximus, *titulos* in hoc Concilio dederat, renovavit, suaque auctoritate in Galliis observari præcepit.

Can. 14. caus. 18. q. 2. Canon 14. caus. 18. quæst. 2. legitur eisdem verbis in can. 22. hujus Concilii; quemadmodùm etiàm canon

Can. 16. caus. 18. q. 2. 16. caus. 18. quæst. 2. in canone 19.; ubi tamèn pro verbis illis *omni se obedientia, & devotione subjaceant*, legendum est: *omni se obedientiæ devotione subjiciant*; itèm pro illis verbis: *non regulariter animadverterit*, legendum est: *non regulari animadversione distrinxerit.*

Can. 9. caus. 26. q. 5. Can. 9. caus. 26. quæst. 5. eisdem verbis legitur in can. 30. Concilii ejusdem Aurelianensis, ubi nomine sortium Sanctorum illæ intelligendæ sunt, quibus aliqui superstitiosis quibusdam auspiciis arbitrabantur prænoscere futura inspectis aliquibus sacræ Scripturæ testimoniis, illis præsertim, in quibus recondita latent veterum Prophetarum oracula.

Can. 32. caus. 27. q. 1. Canon 32. caus. 27. quæst. 1. complectitur duos canones Aurelianenses 20. & 21., quorum tamèn verba Gratianus alitèr descripsit. Etenim in can. 20. ità legitur: *Monacho uti orario in Monasterio, vel tzangas habere non liceat*, & in can. 21. *Monachus, si in Monasterio conversus, vel pallium comprobatus fuerit accepisse, & postèà uxori fuerit sociatus, tantæ prævaricationis reus nunquàm Ecclesiastici gradus officium sortiatur.* In primis itaquè deducimus ex hoc canone, non licuisse Monachis orario uti, quod speciale fuisse Presbyterorum, aut Diaconorum insigne ex veteribus Conciliorum actis agnoscimus, quemadmodùm & superiùs jam demonstratum est, atque etiàm demonstrari posset ex cap. 28. Concilii Moguntini. Prætereà Monachis interdictus est usus tzangarum: Alii *zangas* vocant, alii *ciancas*, alii *chiancos*: quidam, inter quos Gratianus, *zonas* appellarunt. Qui latino-barbara vocabula callent, scribunt tzangarum nomine venire nobile quoddam calceamentorum genus ad pedum ornatum, affabrè elaboratum; hinc etiàm mediâ ætate *tzangarius* appellatus est, qui hujusmodi calceamenta formaret. Hinc intelligimus, Aurelianenses Patres Monachis indixisse, ne ornatioribus calceamentis incederent. De pallio nihil est, quod addam. Monachorum erat insigne illis temporibus, quemadmodùm olim apùd Gentiles habebatur tanquàm ornamentum Philosophorum, sive eorum, qui remoti ab omnibus sæculi curis in contemplatione naturæ universæ vitam traducebant.

Canon 5. de pœn. dist. 5. legitur in can. 11. Concilii hujus Aurelianensis, his tamèn verbis: *De his, qui susceptâ pœnitentiâ religionem suæ professionis obliti ad sæcularia relabuntur, placuit eos & à communione suspendi, & ab omnium Catholicorum convivio separari. Quòd si pòst interdictum cum eis quisquam præsumpserit cibum sumere, & ipse communione privetur.* Videtur hic canon de Clericis intelligendus, qui in hæresi fuerant ordinati, deindè ad fidem conversi pòst pœnitentiam acceptam ad sæcularia transivissent; etenim de eisdem Clericis expressus est canon præcedens proximus in Concilii exemplaribus. Can. 5. de pœn. dist. 5.

Canon 3. caus. 36. quæst. 1. habetur in can. 2. Concilii Aurelianensis, his tamèn verbis: *De raptoribus autèm id constituendum esse censuimus, ut si ad Ecclesiam* Can. 3. caus. 36. q. 1.

siam raptor cum rapta confugerit, & fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & raptor, mortis, vel pœnarum impunitate concessa, aut serviendi conditioni subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si verò quæ rapitur Patrem habere constiterit, & puella raptori aut rapienda, aut rapta consenserit, potestati Patris excusata reddatur, & raptor à Patre superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius. Hæc optimè jungi possent cum can. 36. caus. 17. quæst. 4., in quo diximus canones 1., & 3. Aurelianenses contineri, siquidèm verba hujus canonis 2. Aurelianensis legenda sunt pòst illa verba *non quæratur*, & antè vers. *servus etiàm* in dicto can. 36. Quid ad hunc canonem Interpretes scripserint, non ignoro, in ea præsertim parte, quâ statuitur, raptorem virginis servili conditioni addicendum fore. Meretur hæc Constitutio singularem observationem. Certum est, ex Romanis legibus mortis pœnam indictam fuisse raptoribus l. un. Cod. de raptu virginum, quod ipsum Hispanorum legibus antiquis decretum fuisse refert Gonzalezius ad cap. 7. de raptoribus. Apùd Wisigothos etiàm, quorum legibus Galliarum pars maxima vivebat tempore hujus Concilii Aurelianensis, morte damnabantur raptores, uti constat ex lege 1. tit. 3., l. 14. tit. 4. lib. 3. Wisigothorum. Hæc autèm ordinaria pœna minimè infligebatur in specie Aurelianensis canonis, in quo agebatur de raptoribus in Ecclesiam se recipientibus, ut pœnam mortis evaderent, juxtà ea, quæ diximus ad can. 36. caus. 17. quæst. 4. At nihilominùs Aurelianenses Patres, licèt mortis pœnâ solutum voluerint raptorem hujusmodi, non tamèn ab omni omninò pœnâ eum immunem voluerunt; ajunt propterea: *aut serviendi conditioni subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem.* Gonzalezius loco laudato, hoc tantummodò canone fretus, asserit pœnam raptus ordinariam ex jure canonico præstitutam esse libertatis jacturam. Mihi hæc opinio probabilis minimè redditur, quòd in tota antiquitate ne levissimum quidèm prostet similis disciplinæ vestigium: imò neque decuisset humanitatem Ecclesiasticam, pœnam hanc servitutis decernere raptoribus in opprobrium maximum eorumdem raptorum, & raptæ perpetuum familiare dedecus. Id in primis probrosum raptori fuisset, præsertim ubi de homine ingenuo, atque honesto ageretur, qui mortem potiùs exoptaret, quàm premi conditione servili. Deindè dedecus esset raptæ, quæ in familia sua perpetuò præsentem illum adspiceret, à quo vim passa fuit, undè illatæ injuriæ, & veteris admissæ turpitudinis memoria quotidiè excitaretur, ac revivisceret. Verosimiliùs alii, docentes in usu fuisse apùd veteres, ut, qui puellam violasset, teneretur Parenti ejusdem pecuniariam pœnam luere, quod probare nituntur ex can. 9. caus. 36. quæst. 2.; proindèque, si pœnam non lueret, detineri posset à Parente in servitute, donèc satisfaceret. Non esset contemnenda hæc interpretatio, quotiès apùd veteres etiàm in usu fuisset pro pecuniario debito aliquem posse dejici in servilem conditionem. Verùm id vetitum fuisse constat tanquàm minùs honestum, aut congruum jam diù antè Concilium Aurelianense ab Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano in l. 12. Cod. de obligat., & action., quod & confirmavit Justinianus in Nov. 134. cap. 7., qui & hanc servitutis speciem *iniquitatem* appellavit. Ego potiùs ità Aurelianensium Patrum sententiam interpretor, ut ibi propriè non egerint de pœna servitutis, sed ut redegerint raptorem veluti in conditionem servorum, id est, ut nullum inter ipsum, & raptam celebrari matrimonium posset; cum enim tum soli servi à legitimis conjugiis excluderentur, ii videbantur dejici in servilem statum, quibus legitimæ nuptiæ denegabantur. Sanè ipsamet verba Aurelianensis canonis huic explicationi potiùs consonant; non enim ibidèm dicitur raptorem servum fieri, sed leniori formulâ, *serviendi*

conditioni subjectum esse. Non erat ergò raptor subjectus servituti, sed potiùs subjectus conditioni servorum, quæ erat ea, ut ad matrimonia contrahenda non admitterentur. Atque hæc interpretatio etiàm convenit veteribus aliorum Conciliorum Canonibus, quibus sancitur inter raptorem & raptam conjugia non consistere can. 4. caus. 36. quæst. 2. Negotium fortè facessere alicui videbuntur verba illa: *aut redimendi se liberam habeat facultatem.* Verùm redimere se raptor dicetur, quotiès à parente raptæ virginis impetraverit, ut illam, quam rapuit, possit uxorem habere; videtur enim tùnc quasi è servili conditione in pristinam libertatem vindicari; quod fieri apùd veteres potuisse constat ex can. 10. caus. 36. quæst. 2.

Can. 65. de cons. dist. 1. Canon 65. de cons. dist. 1. legitur in can. 26. ejusdem Concilii, ubi tamèn, si vulgata sequamur exemplaria, pro illis verbis: *ubi Episcopus non fuerit*, legendum erit: *si Episcopus fuerit.* Sirmondus ex vulgatis editionibus vult, expungendam esse illam particulam *non*, asserens in aliis Codicibus, præsertim MSS. quampluribus desiderari, apùd Burchardum autèm, & Ivonem legi: *si Episcopus defuerit.* Quicumque verò vulgatorum Codicum fidem sequi mallet, dicere posset particulam negativam adjectam fuisse ab eo, qui ignorabat, Sacerdotis nomine posse Episcopum, & quidèm præcipuè, designari.

Can. 3. de cons. dist. 3. Canon 3. de cons. dist. 3. habetur in can. 27. Aurelianensi, ex quo tamèn Gratianeo fragmento hæc adjicienda sunt in principio: *Rogationes, id est, Litanias in omnibus Ecclesiis antè Ascensionem* &c., quibus in verbis etiàm adnotandum est, in pluribus MSS. Codicibus illa desiderari: *id est, Litanias*, quæ videntur exhibere glossema quoddam in margine primùm à quodam studioso adjectum, & deindè in textum ipsum translatum. Prætereà pro voce illa *solemnitate* legitur in vulgatis Concilii exemplaribus: *festivitate.* Ex hac porrò sanctione nemo exindè arbitretur, eo primùm tempore in Gallia sacras Rogationes celebrari cœpisse. Jam pridèm lege jejunii dicta eas celebrari jusserat eisdem diebus S. Mamertus Episcopus Viennensis circà annum 452., uti scribit Ado Viennensis in Chronico, & Sidonius lib. 5. Epist. 4. ad Aprum. Sanè in Ecclesia celebratas fuisse solemnes Litanias, vel ab ipsa fermè Apostolica ætate, tradunt Tertullianus in lib. 2. ad uxorem, in lib. de Baptismo, & in lib. de Corona militis, Concilium Laodicenum can. 17., Basilius Magnus Epist. 63., Nicephorus Callixtus lib. 14. histor., & Evagrius lib. 1. cap. 8. Ipsimet Ariani, ut religionis speciem quamdam præseferrent, referuntur à Socrate lib. 6. cap. 8. Litanias, seu Rogationes celebrasse publicè in Urbe Constantinopolitana, imperantibus Arcadio, & Honorio. Verùm tùnc nondùm certi præstituti fuerant dies, quos pro urgentibus causis, & temporum adjunctis unusquisque Episcopus datâ occasione indicebat. Primus dies annuos præstituit S. Gregorius cognomento Thaumaturgus Neocœsariensis Episcopus circà annum 240., quem deindè plures alii Episcopi in Oriente sequuti sunt, quemadmodùm testis est Basilius in Epist. 63. ad Neocæsarienses. Romæ tempore S. Gregorii Magni Litanias annuas celebratas fuisse liquet; siquidèm in principio lib. 2. Regesti, & in lib. 7. indict. 2. Epist. 76. ad Castorem meminit ipse quatuor solemnium, sive majorum Litaniarum.

Can. 4. de cons. dist. 3. De canone 4. dist. 3. de cons. nihil peculiaritèr observandum est. Legitur ille eisdem omninò verbis in can. 31., qui postremus est, Aurelianensi.

Can. 5. de cons. dist. 3. In canone 25. Aurelianensi habetur canon 5. de cons. dist. 3., in quo retinenda vulgata editio Concilii, in illis verbis: *& Quinquagesimæ*, non autèm uti legitur apùd Gratianum, *& Quadragesimæ*, quod auctoritate optimorum, integrorumque Codicum eruditi viri demonstrant. Nomine autèm Quinquagesimæ non dies quinquasimus antè Pascha in-

intelligendus est, sed quinquagesimus pòst Pascha, quem Pentecosten Græco nomine appellamus: Siquidèm alia sunt Gallicana Concilia ejusdèm ferè temporis, quæ cum hac sententia Aurelianensis Synodi conveniunt, non memorant tamèn solemnitatem Quadragesimæ, sed potiùs Pentecostes. Ità in Concilio Agathensi anni 506. can. 63., quemcumque demùm hic canon Auctorem habeat, & Concilio Arvernensi I. anni 535. can. 15. Porrò de Quinquagesima antè Pascha Aurelianensem hunc canonem intelligi nullo modo posse vel ex eo abundè probatur, quòd in eodem Concilio Aurelianensi can. 24. præscribitur, ut antè Pascha non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur, qui canon refertur apùd Gratianum in can. 6. de cons. dist. 3., cujus priora verba ità describenda sunt: *Id à Sacerdotibus omnibus decretum est, ut* &c. Atque exindè jam unusquisque facilè percipiet, quidnam suo loco dicendum erit de Epistola Papæ Thelesphori, ex qua est canon 4. dist. 4.: ibi enim inducitur Thelesphorus ipse Quinquagesimæ tempus instituens antè Pascha, quandò tamèn & sexto Ecclesiæ sæculo reprobatam fuisse Quinquagesimæ hujus disciplinam ex hoc canone liquidò agnoscimus.

Can. 6. de cons. dist. 3.

De Concilio Aurelianensi III.

Omisso Concilio Aurelianensi II. anni 533., ex quo nihil à Gratiano depromptum fuisse animadverto, gradum facio ad Concilium Aurelianense III. celebratum anno 538. sub Childeberto Galliarum Rege, summo autèm Pontifice Silverio. Quænam fuerit Synodi hujus potissima ratio, ejusdem brevis hæc præfatio declarat: *Cum in Dei nomine in Aurelianensem urbem ad Synodale Concilium venissemus, de his, quæ per longum tempus observatione cessante fuerant intermissa, priorum canonum tenore servato præsentibus regulis vetera statuta renovavimus, & nova pro causarum, vel temporum conditione addenda credidimus.* Præfuit Concilio Lupus Lugdunensis Metropolita, qui & subscripsit unà cum Episcopis 25., qui ex diversis Galliarum Provinciis accesserant, constitutis Canonibus numero 33.

In canone 7. hujus Concilii habentur canones 1. dist. 74. & 10. dist. 81. Initio canonis definitum est, Clericos, qui libentèr ordinationem acceperant, necessariò cogi, ut à conjugiis abstineant; illos verò, qui per vim ab Episcopo fuerint ordinati, posse sibi uxores copulare, pòst quæ ità sequitur: *Episcopus autèm, qui invitum, aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsumat.* Hic est canon 1. dist. 74. apùd Gratianum. Prosequuntur deindè Aurelianenses Patres: *De adulteriis autèm honoratorum Clericorum id observandum est, ut siquis adulterasse aut confessus, aut convictus fuerit* &c. Hæc pertinent ad canonem 10. dist. 81., cujus posteriora verba, quæ sequuntur, omninò consonant cum integris Concilii exemplaribus.

Can. 1. dist. 74. & can. 10. dist. 81.

Canon 25. caus. 11. quæst. 1. legitur in can. 21. ejusdem Concilii, cujus verba hæc sunt, ex quibus Gratiani fragmentum emendandum erit: *Siqui Clericorum, ut nupèr multis locis diabolo instigante actum fuisse perpatuit, rebelli auctoritate se in unum conjuratione intercedente collegerint, & aut sacramenta inter se data, aut chartulam conscriptam fuisse patuerit, nullis excusationibus hæc præsumptio præveletur, sed res detecta, cum in Synodum ventum fuerit, in præsumptoribus juxtà personarum, & ordinum qualitatem à Pontificibus, quâ tùnc in unum collecti fuerint, vindicetur: quia sicut charitas ex præceptis Dominicis corde, non chartulæ conscriptione, est, vel conjurationibus exhibenda, ita, quod suprà sacras admittitur scripturas, auctoritate, & districtione Pontificali est reprimendum.* Nomine conjurationis Clericorum intelligo proditorium quemdam ausum adversùs Episcopos, ubi ipsi de Episcopo conqueruntur, querelam autèm non in Concilio, uti canones statuunt, proponunt,

Can. 25. caus. 11. q. 1.

sed privatâ vindictâ explere potiùs cupiunt; quod conjicio ex canone 20. præcedenti, in quo de Clericis agitur, qui teneantur ad Synodum confugere, quotiès se ab Episcopo iniquè læsos existiment.

Can. 41. caus. 12. q. 2. In can. 23. legimus canonem 41. caus. 12. quæst. 2., sed in exemplaribus Concilii editis pro verbo illo *degradetur* legitur: *regradetur*, scilicèt in gradum subsequentem inferiorem dejiciatur; ex gr. Presbyter Diaconorum ministeriis addicatur.

De Concilio Aurelianensi IV.

Can. 2. & 3. dist. 34. Frustrà nùnc aut de Aurelianensi IV., aut de ceteris Aurelianensibus Conciliis dissererem; quæcumque enim aut eidem Aurelianensi IV. Concilio, aut ceteris apùd Gratianum adscripta sunt, ad eadem omninò non pertinent. Aurelianensi IV. Concilio adscripti fuerunt canones 2., & 3. dist. 34. ab auctore Palearum, uterque etiam apùd Gregorium IX. in cap. 1. & 2. de Clerico venatore. In primis autèm animadverto, dictos canones 2. & 3. dist. 34. nullo modo convenire Gratiani proposito, & perperàm in ea distinctione fuisse ab auctore Palearum insertos: Etenim Gratianus ostendere volebat, *Episcopum vitare oportere immoderatam domesticarum personarum familiaritatem*; at quid cum his commune habet, quod dicitur de venationibus Clericorum in dict. can. 2. & 3.? Deindè observandum est, canonem 2. referendum esse ad canonem 55. Concilii Agathensis anni 506., quemadmodùm jam animadverterunt Romani Correctores. Quoniàm verò jam superiùs suo loco diximus, in Concilio Agathensi septem suprà quadraginta canones tantummodò fuisse conditos, ceteros verò, qui posteà sequuntur in editionibus Concilii, ex recentioribus Galliarum Synodis adjectos fuisse ab aliquo Collectore, potiùs eumdem canonem 2. referemus ad Concilium Epaonense anni 517., ubi can. 4. hæc leguntur: *Episcopis, Presbyteris, atque Diaconibus canes ad venandum, & accipitres habere non liceat. Quòd siquis talium personarum in hac fuerit voluntate de tectis, si Episcopus est, tribus mensibus se à communione suspendat; duobus Presbyter abstineatur; uno Diaconus ab omni officio, & communione cessabit.* Canonem 3. Romani etiàm Correctores suo auctori restituerunt, quemadmodùm & Gonzalezius in cap. 2. de Clerico venatore. Legitur ille in Synodo Francica, seu Germanica, temporibus Zachariæ I. Pontificis Maximi, & Caroli Magni Imperatoris anno 742. celebrata, in qua can. 2. ità legitur: *Nec non & illas venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus servis Dei interdicimus, & ut accipitres, & falcones non habeant.*

De ceteris Canonibus, Aurelianensi Concilio adscriptis.

Supersunt adhùc ceteri canones, qui Aurelianensi Concilio adscribuntur, qui tamèn reverà in nullis ejus nominis Conciliis habentur. Ex his est canon 8. dist. 34., quem jam observaverunt Romani Correctores, potiùs pertinere ad Concilium Gerundense in Hispania citeriore celebratum anno 517., de quo jam superiùs egimus. Reverà in can. 8. ejusdem Concilii eadem omninò verba leguntur. Fortè verò Aurelianensi Concilii nomine referri potuit, quod nonnulla eidem Constitutioni similia leguntur in can. 6. Concilii Aurelianensis III. anni 536., ibi: *De Clericorum præmittenda conversatione id omnimodis observetur, ne ullus ex Laicis antè annualem conversionem, vel ætatem legitimam....ordinetur, ità ut de ipsis quoquè, qui ordinandi sunt Clerici, regulari custodiatur studio, ne aut duarum uxorum vir, aut renupta maritus....ad suprascriptos ordines promoveatur.* Quicumque canonem hunc cum canone 8. dist. 34. contulerit, eamdem utrobiquè sententiam, ac definitionem agnoscet. Quamobrèm facilè contingere potuit, ut ad marginem canonis ejusdem 8. adjectum fuerit nomen Aurelianensis Concilii à

Can. 8. dist. 34.

stu-

studioso quodam, indicaturo similia constituta fuisse in dicto Concilio Aurelianensi III. alius verò imperitus, vel incautus Amanuensis crediderit, canonem ipsum esse Aurelianensi Concilio tribuendum, & propterea Aurelianensi eidem Concilio adscripserit.

Can. 40. caus. 12. q. 2. Insuper Aurelianensi Concilio tribuit Gratianus canonem 40. caus. 12. quæst. 2., quem tamèn Gratianus idem testatur pertinere ad Concilium Agathense anni 506., cum illud ipsum fragmentum Concilio Agathensi adscripserit in canone 33. ejusdem causæ, & quæstionis, de quo jam egimus suo loco.

Can. 32. caus. 13. q. 2. Prætereà canon 32. caus. 13. quæst. 2. laudatur perperàm à Gratiano nomine Concilii Aurelianensis. At in Decretalibus Gregorii IX. in cap. 2. de homicidio refertur quasi depromptum ex Romano Pœnitentiali. Optimè Decretalium Collector: Nàm idem canon legitur in Pœnitentiali Romano, qualem edidit Antonius Augustinus, de quo etiàm, Deo favente, agam, ubi sermo instituendus erit de Pœnitentialibus. Et quidèm in tit. 1. cap. 24. hæc leguntur, nullo tamèn adjecto nomine auctoris: *Interfecisti furem, aut latronem, ubi comprehendi poterat absquè occisione, & tamèn interfecisti; quia ad imaginem Dei creatus, & in nomine ejus baptizatus, & sanguine ejus redemptus est; quadraginta dies non intres Ecclesiam, laneâ veste indutus ab escis, & potibus, qui interdicti sunt, à thoro, à gladio, ab equitatu illos supradictos dies abstineas. In tertia autèm feria, & in quinta, & Sabbato aliquo genere leguminum, vel oleribus, & pomis, vel parvis pisciculis, cum mediocri cervisa utere, & temperatè. Si autèm sine odii meditatione te, tuaque liberando diaboli membrum interfecisti, secundùm indulgentiam dico, propter imaginem Dei, si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi, & eleemosynam fac largitèr. Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur; tamèn, quamdiù vivit, pœnitentiam agat.* In hoc Romano Pœnitentiali me consistere posse arbitrarer, atque Gratianeum canonem hujus Pœnitentialis auctori tribuere, si constaret hunc eumdem Pœnitentialem Codicem esse Gratiano antiquiorem. Quoniàm verò fortè erit Gratiano, vel etiàm auctore Palearum posterior, altiùs repetenda erit Gratianei fragmenti origo, præsertim cum idem canon legatur apùd antiquiores Collectores, Ivonem parte 13. cap. 46., & Burchardum lib. 11. cap. 60., & apùd istos nomine Concilii Aurelianensis inscribatur. Itaquè ea, quæ hùc usquè diximus, tantùm ostendunt, jure apùd Collectorem Decretalium hocce fragmentum Romano Pœnitentiali fuisse tributum. Nùnc de antiquioribus Collectoribus disseramus. Palearum auctor Ivonem sequutus est, Ivo Burchardum. At Burchardus fragmentum accepit ex Reginone, qui in cap. 28. primæ suæ appendicis, nullo adjecto auctoris nomine, hunc titulum adscripsit: *Quæ pœnitentia imponenda sit his, qui furem, aut latronem interficiunt.* Deindè ità sequitur Regino, non sanè sententiam alicujus Concilii recitans, sed disciplinam referens, usui suarum Provinciarum, suorumque temporum accommodatam, quemadmodùm frequentissimè in sua Collectione fecit. *Si fur, aut latro captus in præda absquè occisione potest comprehendi, & tamèn interficitur, quia ad imaginem Dei creati, & in nomine ejus baptizati sunt, interfectores eorum quadraginta diebus non intrent in Ecclesiam. Laneâ veste induti, ab escis, & potibus, qui interdicti sunt, cum thoro, gladiis, & equitatu se abstineant. In tertia, quinta feria, & Sabbato, aliquo genere leguminum, vel oleribus, & pomis, parvis pisciculis, cum mediocri cervisia vicissim utantur, & temperatè. Sin autèm à veridicis comprobatur testibus, quòd sine odii meditatione se, suaque liberando diaboli membra interficiunt, secundùm indulgentiam quadraginta diebus ab Ecclesia, carne, vino, & conjugio, eleemosynam largitèr faciendo, abstineant. Et si Presbyter est, non deponatur; cunctis tamèn vitæ suæ diebus pœnitentiam agat.* En itaquè è suis fontibus exhaustum Gratiani canonem: imò & si quis quæreret, undenàm Aurelianensis Concilii inscriptio apùd Burchardum

dum, quem ceteri sequuti sunt, prodierit, facilè dixerim, profectum etiàm fuisse ex eadem collectione Reginonis. Cum enim Regino specialitèr non dixisset, undenàm ea verba deprompserit, Collectores posteriores, atque inter ipsos Burchardus, suspicati sunt, illa ex eisdem locis excepta fuisse, ex quibus superiora capita apùd Reginonem laudabantur. At, cum superiora Reginonis capita ex Gallicanis Conciliis dicerentur accepta, & præsertim caput 18. cum pluribus sequentibus Concilio Aurelianensi adscriberentur, facile fuit & canonem 28. Aurelianensi Concilio adscribere.

Can. 29. caus. 18. q. 2. Canon 29. caus. 18. quæst. 2. referri posset ad canonem 19. Concilii Aurelianensis I., in eo enim hæc leguntur: *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant; & si quid extrà regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, qui semèl in anno in loco, ubi Episcopus elegerit, acceptâ vocatione conveniant.* Video quidèm, Gratianum multò alitèr fragmentum descripsisse. Verùm Gratianus deceptus est ex codice Ivonis, apùd quem parte 7. cap. 85. idem canon legitur his verbis depravatus: *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant; & si quid extrà regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur. Non semèl, sed sæpiùs in anno Episcopi visitent Monasteria Monachorum; & si quid corrigendum fuerit, corrigatur.* Ivo itaquè immutavit sententiam Aurelianensis Concilii, fortè ut eam disciplinæ sui temporis, suæque Provinciæ accommodaret, juxtà quam obtinebat Episcopos pluriès singulis annis in Abbatum, & Monachorum mores, & Monasteriorum administrationem inquirere. Ceterùm & in Concilio Rothomagensi anni 650. similis definitio legitur, ad quam etiàm Ivonem arbitror respexisse. Etenim in can. 10. ejusdem Concilii hæc habentur: *Ut Episcopus Monasteria Monachorum, & Sanctimonialium frequentèr introeat, & cum gravibus, & religiosis personis, & in eorum, vel in earum convetu residens, eorum vitam, & conversationem diligenter discutiat; & si quid reprehensibile invenerit, corrigere satagat. Sanctimonialium etiàm pudicitiam subtilitèr investiget.*

Can. 16. & 17. caus. 27. q. 1. Gratianus, Ivonem sequutus, laudavit ex Concilio Aurelianensi canones 16. & 17. caus. 27. quæst. 1., quorum tamèn verba in nullo ex Aurelianensibus Conciliis legimus. Fortè & hic accidit, quod aliis pluribus in locis evenisse diximus; videlicèt, ut Concilium Aurelianense ad marginem adscriptum fuerit, quo indicaretur, nonnulla similia in aliquo Aurelianensi Concilio legi; nomen deindè ejusdem Concilii, quasi nomen Auctoris eidem canoni inscriptum fuerit ab Amanuensibus. Reverà in Concilio Aurelianensi V. anno 549. Childeberto Rege auctoritatem præbente, celebrato, quemadmodùm in illius præfatione dicitur, in can. 19. postquàm statutum est, virgines tempus probationis, seu tyrocinii explere priùs debere, quàm in Monasterio velentur, ità subditur: *Quæ si deincèps sacra relinquentes loca propositum sanctum sæculi ambitione transcenderint, vel illæ, quæ in domibus propriis, tàm puellæ, quàm viduæ commutatis vestibus convertuntur, cum his, quibus conjugio copulantur, Ecclesiæ communione priventur. Sanè, si culpam sequestratione sanaverint, ad communionis gratiam revocentur.* Similia fermè leguntur in Concilio Vvormaciensi anni 868. can. 21., ubi constituitur, ne viduæ semèl velatæ ad sæcularia rursùm transeant, aut, si transierint, ut ab Ecclesiæ liminibus arceantur, donèc emendationis congrua specimina præbuerint. Idipsum decretum fuisse scimus in Concilio Moguntino anni 888. in can. 26. ibi: *De viduis præcipimus, ut nequaquàm citò velentur, sed in potestate earum maneat, consentiente Episcopo, utrùm nubant, an professionem castitatis assumant, usquè dum probetur earum conversatio, ne fortè de eisdem dici possit, quod ab Apostolo dicitur: Quæ autèm in deliciis sunt, viventes mortuæ sunt. Si autèm propositum castitatis adsumpserint, aut Monasterii Claustris regulariter constringantur, aut domi manentes castitatem suæ professionis integerrimè custodiant.*

diant. Quòd si à proposito deviaverint, canonicæ institutionis censurâ corrigantur. Quod & de virginibus, si mœchatæ fuerint, statuimus, sicut in Concilio Eliberitano, &c. Verùm hùc usquè nondùm exhibuimus germanum Auctorem eorumdem canonum 16., & 17. caus. 27. quæst. 1. Quod pertinèt ad canonem 16., is eisdem verbis habetur apùd Reginonem in lib. 2. de ecclesiasticis disciplinis cap. 179., qui ità inscripsit: *ex eodem Concilio*, indicans sanè Concilium Triburiense, cujus canonem 24. retulerat in superiore capite, sive in cap. 178. Porrò in dicto capite 179. Regino non eadem verba Triburiensis Concilii recitavit, sed sententiam canonis 25. descripsit aliâ elocutione, & phrasi. Triburiensis autèm canon habetur apùd Gratianum in can. 8. caus. 27. quæst. 1. Burchardus pro Triburiensi Concilio Aurelianense scribere potiùs voluit, fortè putans se rem gratam facere Germanis, apùd quos scribebat, si à recentioribus Gallicanæ Ecclesiæ Conciliis, quæ ipsi detestabantur, nominandis abstineret, quemadmodùm pluriès fecisse alibi animadvertimus. Idipsum contigit in can. 17. caus. 27. quæst. 1., qui legitur eisdem omninò verbis in Concilio Triburiensi can. 23., quem propterèà eadem ratione Burchardus Aurelianensi Concilio primus adscripsit, ex Burchardo Ivo, & ex Ivone Gratianus. Quoniàm verò in hoc Triburiensi canone tria recitantur veterum Patrum fragmenta, opportunum erit hoc loco eadem suis Auctoribus tribuere, atque ad meliores codices exigere, ubi necesse sit. Refertur in primis ibi capitulum 20. Gelasii Papæ, quod illud ipsum est, & quidèm integrum, quod Gratianus retulit in can. 14. caus. 27. quæst. 1. licèt ibidèm velùt ex Concilio Triburiensi laudetur. Sequitur pòst hæc sententia Concilii Chalcedonensis, quam Gratianus expressit in can. 22. caus. 27. quæst. 1. Demùm in fine canonis refertur fragmentum Epistolæ decretalis Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem cap. 6., ubi tamèn hæc potiùs habentur: *Prætereà Monachorum quosdam, atque Monacharum, abjecto proposito sanctitatis, in tantam potestatis demersos esse lasciviam, ut priùs clanculò, velùt sub Monasteriorum prætextu, illicita, ac sacrilega se contagione miscuerint, posteà verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicæ leges, & ecclesiastica jura condemnant. Has igitur impudicas, detestabilesque personas à Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque Conventibus eliminandas esse mandamus; quatenùs retrusæ in suis ergastulis tantùm facinus continuâ lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltèm solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.* Duo adhùc observanda sunt ad rectam horum canonum interpretationem. Primùm est nomine *Viatici* in dicto can. 17. non Eucharistiam, sed reconciliationem, sive Pœnitentiæ Sacramentum designari; quemadmodùm & idem vocabulum hoc sensu pluriès acceptum in veteribus Conciliis jam aliàs animadverti. Alterum observatione dignum est de viduis, quæ velari solebant. Prioribus Ecclesiæ sæculis diversa erat in hac re occidentalis ab orientali disciplina; etenim in Occidente viduæ non velabantur, quemadmodùm patet ex Gelasio Papa in cap. 13., & 21. Epist. 1. à Dionysio Exiguo relatæ, quippè in Occidente velum pro signo virginitatis assumebatur; Græci verò, apùd quos nuptiarum fœdera etiàm divino cultui dedicatis honorabilia fuerunt, viduas etiàm velare minimè dubitarunt. Hinc ait Theodorus Cantuariensis in suis capitulis cap. 3. *Græci simul benedicunt viduam, & virginem, & utramque Abbatissam eligunt; Romani non velant viduam, sed virginem tantùm.* Posteriore ætate occidentales Græcorum disciplinam recipere cœperunt, ac tùm non virgines tantùm, sed & viduæ velamine sacro ornatæ incedebant, ità tamèn, ut virgines solemnitèr benedicerentur ab Episcopis, aut Sacerdotibus, ubi velum acciperent;

rent; viduæ verò velum, non tamèn benedictum, spontè caperent ex Altari, quemadmodùm patet ex can. 31. ejusdem Concilii Triburiensis, ut proindè quoddam adhùc discrimen inter virgines, & viduas agnosceretur; hinc est, quòd in dicto can. 16. dicitur viduas *ab Altari* velamen suscipere. At demùm eo progressa est disciplina Græcorum, ut omninò apùd Occidentales recepta fuerit, & hodiè apùd nos vigeat, non tàm virgines, quàm viduas solemni benedictione in Monasteriis velari, eodem fermè modo, quo olim secundæ nuptiæ sine Sacerdotum benedictione celebrabantur, hodiè verò etiàm per Sacerdotum preces sanctificantur.

Falsò etiàm nomine Concilii Aure-
Can. 30. caus. 27. q. 2. lianensis laudatur canon 30. caus. 27. quæst. 2., qui etiàm in can. 21. caus. 32. quæst. 7. tributus est Concilio Moguntino. Reverà autèm legitur in Concilio Vermeriensi anni circitèr 742. can. 12. ibi: *Qui dormierit cum duabus sororibus, & una ex illis anteà uxor fuerit, nullam ex illis habeat: nec illa adultera soror, nec ille vir, qui cum illa adulteravit, alios unquàm accipiant.* Paulò alitèr videtur scripsisse Gratianus, cujus erratum ex Ivone, & Burchardo derivatum est. At Burchardus de more suo sequutus est fidem Reginonis. Regino autèm laudavit hoc idem fragmentum nomine Concilii Vermeriensis, quod non egit Burchardus privato suo studio ductus, quemadmodùm sæpè observavimus. En verba Reginonis in cap. 215. lib. 2. *Qui dormierit cum duabus sororibus, & una ex illis anteà uxor fuerit, nullam ex ipsis habeat: nec ipsi adulteri unquàm conjugio copulentur.* De hoc Vermeriensi Concilio suo loco agemus inferiùs. Tantùm hic adjiciam, nonnulla similia legi in Concilio Aurelianensi I. can. 18. ibi: *Ne superstes frater thorum defuncti fratris ascendat, neve se quisquam amissæ uxoris sorori audeat sociare. Quòd si fecerint, Ecclesiasticâ districtione feriantur.* Ex quibus quispiam fortè conjicere posset, nomen Aureliaensis Concilii fuisse in margine adpositum ad memoratum canonem Vermeriensem, quò indicaretur nonnulla his similia definita jam in Concilio Aurelianensi fuisse; deindè verò ab Amanuensibus creditum fuisse, Vermeriensem canonem Aurelianensi potiùs Concilio tribuendum fore.

Non est hodiè amplius elaborandum
Can. caus. 35. q. 8. in investigando Auctore canonis 3. caus. 35. quæst. 8. falsò tributi Concilio Aurelianensi, postquàm Romani Correctores eumdem ad Capitularia Francorum redegerunt, simùlque verba ipsorum Capitularium ad calcem ejusdem canonis ediderunt. Tantùm dixero, Burchardum hujus inscriptionis Auctorem fuisse, qui scilicèt, uti persæpè diximus, à laudandis Francorum Capitularibus abstinebat. Sunt, qui hoc idem fragmentum Concilio Agathensi tribuerunt; at neque in Agathensi, neque in Aurelianensi aliquo Concilio inveniri potest: nisi quispiam quædam similia constituta agnoscere velit in can. 8. caus. 35. quæst. 2., qui Concilio Agathensi tribuitur, vel in can. 10. Concilii Aurelianensis III., ubi dicitur in Episcoporum potestate esse, incestuosos punire gravitèr, & sub excommunicationis pœna eisdem separationem indicere.

Canon 9. de cons. dist. 1. non in
Can. 9. de cons. dist. 1. ullo Aurelianensi Concilio legitur, sed potiùs repetendus est ex Novella Justiniani 67. cap. 1., & 2. ibi: *Sancimus igitùr, præ omnibus quidèm illud fieri, & nulli licentiam esse neque Monasterium, neque Ecclesiam, neque orationis domum incipere ædificare, antequàm Civitatis Deo amabilis Episcopus orationem in loco faciat, & Crucem figat, publicum processum ipsi faciens, & causam manifestam omnibus statuens. Multi enim simulantes fabricare quasi orationis domos suis medentur languoribus, non orthodoxarum Ecclesiarum ædificatores facti, sed speluncarum illicitarum,* & in cap. 2. *Deinde non alitèr quempiam Ecclesiam ex novo ædificare, priusquàm loquatur ad Deo amabilem Episcopum, & definiat mensuram, quam deputat, & ad luminaria, & ad sacrum ministerium, & ad in-*

incorrumpendæ domus custodiam, & observantium alimenta; & si sufficienter habere videtur, faciat priùs donationem eorum, quæ futura sunt, deputari, & ità domus ædificetur. Quod autèm in eodem canone subjicitur de adspersione aquæ benedictæ, id non habetur apùd Justinianum, sed potiùs in ordine Romano, cujus verba retulerunt Romani Correctores. Porrò verosimile est, hoc fragmentum, quod etiàm à veteribus Collectoribus adfertur, jam cœpisse in canonum codicibus recenseri eo tempore, quo nondùm invaluerat usus Nomocanonum, id est, quo nondùm Imperatorum leges solebant à Collectoribus iisdem interseri canonibus Conciliorum. At, cum ea Justiniani Constitutio valdè utilis videretur sacrorum canonum studiosis, omittenda non fuerat, proindèque, reticito Justiniani nomine, laudata est nomine potiùs Concilii Aurelianensis, vel quòd Justiniani tempore plura Aurelianensia celebrata Concilia fuerint, vel quòd in Concilio Aurelianensi III. anni 538., quod incidit in tempora Justiniani can. 5. definitum fuerit, in arbitrio esse Episcopi, *quid ad reparationem Basilicæ, aut observantum ibi substantiam deputentur*, quæ sanè verba plurimùm congruunt cum relata Justiniani sententia.

Can. 27. de cons. dist. 1. Canonem 27. de cons. dist. 1. frustrà quispiam quæreret inter canones Aurelianensium Conciliorum. Is tribuendus potiùs est Theodoro Cantuariensi, de quo peculiaritèr agam suo loco, ubi etiàm hunc canonem commodiùs expendam, atque ad meliorum codicum integritatem, & fidem exigam. Causa errati fuit, ut in aliis benè multis, Burchardus; cum enim hoc Theodori fragmentum relatum fuisset in Capitularia Francorum lib. 5. cap. 48., quorum nomen in sua collectione perrarò laudare volebat Burchardus, ignarus, tribuendum esse Theodoro, laudavit potiùs ex Aurelianensi Concilio.

Can. 43. de cons. dist. 1. De canone 43. de cons. dist. 1. nihil est, quod hoc loco subjiciam, postquàm superiùs in cap. 28. illum ipsum Concilio Arvernensi adtribui, unàque observavi Aurelianse pro Arvernensi Concilio non nisi per Amanuensium, aut Typographorum oscitantiam fuisse adscriptum.

Can. 6. de cons. dist. 5. Demùm quoàd canonem 6. de cons. dist. 5. de Burchardo conqueri debemus, qui Aurelianense Concilium privato quodam studio pro Capitularibus Francorum laudavit. Planè habetur ille canon in Capitularibus adjectis, additione 2. editionis Parisiensis anni 1677. cap. 6. his verbis: *Ut Episcopi non nisi jejuni per impositionem manuum Spiritum S. tradant, exceptis infirmis, & morte periclitantibus. Sicùt autèm duobus temporibus, Paschâ videlicèt, & Pentecoste, Baptismum, ità etiàm traditionem S. Spiritus à jejunis Pontificibus convenit celebrari.* Similia etiàm habentur in Concilio Parisiensi VI. cap. 33.; atque ex his observare licet, quanta fuerit ergà Sacramentum Confirmationis apùd veteres reverentia, qui nolebant quempiam, nisi jejunum accedere; quique de hoc Sacramento ità loquebantur, ut nunquàm dicerent *Christianum, nisi qui fuisset Confirmatione Episcopali chrismatus*: Etenim Sacramentum Confirmationis ab Ecclesia sempèr habitum est tamquàm Baptismatis perfectio, ac complementum. Hinc S. Cyrillus Hyerosolymitanus in Catechesi 3. Mystagogica ait: *Hujus Sancti Chrismatis dono accepto, meritò appellamini Christiani veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione; antè enim, quàm hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eo usquè progressi estis, ut efficeremini Christiani.* Hodiè etiàm hæc vera sunt potiori jure; postquàm enim sejuncta fuit Baptismi collatio à collatione Confirmationis, Baptismus alienâ voluntate suscipi solet ab infantibus, qui, ubi adolescentiores facti ad Sacramentum Confirmationis accedunt, propriâ voluntate fidem profiteri incipiunt, ex quo veri Christiani, atque omninò perfecti appellantur.

CAPUT XXX.

De quinta Synodo Generali, sive Constantinopolitana II.

Ad hoc Concilium pertinent hæc duo fragmenta apùd Gratianum.

} *Can. 6. caus. 24. q. 2. ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
} *Can. 9. caus. 24. q. 3. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*

CElebratissimæ sunt Generalis quintæ Synodi causæ anno 553. sub Vigilio Pontifice Maximo, & Justiniano imperante, celebratæ in Urbe Constantinopolitana. Disputatum acerrimè fuit de tribus Capitulis; primum scilicèt de Theodoro Episcopo Mopsuesteno, qui Nestorium ad hæresim concitaverat. Fuerat quidèm jam damnata hæresis in Nestorio ipso per Concilium Ephesinum: Verùm Nestoriani in spem quamdam erigebantur, futurum, ut ipsorum adhùc Secta consisteret, quotiès Theodorum Mopsuestiæ Episcopum, Sectæ ejusdem facilè Principem, tamquàm virum laude dignissimum prædicarent: propterèa illius opuscula scriptis commendata in publicum evulgare cœperunt, in quibus tradebatur duas in Christo esse personas, contrà definitionem Ephesinam; rati per venerabile Theodori nomen se paulatim in omnium animos hæreseos suæ virus facilè instillaturos. Alterum caput pertinebat ad Theodoretum Cyrensem Episcopum, qui anathematismis, à S. Cyrillo adversùs Nestorium editis, totidem contrarios anathematismos adversùs Cyrillum opposuerat. Postrema disputatio versabatur in Epistola, quam Ibas Episcopus Edessenus scripserat ad Marim Persam, redarguens Rabulam Episcopum decessorem suum, quòd, ut ipse ajebat, immeritò Theodorum Mopsuestenum anathemate damnasset; ostendensque Theodorum ipsum fuisse virum de Ecclesia optimè meritum, virum honorabilem, & recolendæ memoriæ. Hæc vulgò appellantur *Tria Capitula*, quæ in hoc V. generali Concilio damnata fuerunt; damnatus Theodorus, etsi jam pridèm vitâ functus; damnata scripta Theodoreti, damnata demùm Epistola Ibæ; erant enim hæc omnia postrema Nestorianorum suffugia, & reliquiæ, quæ nisi omninò deletæ fuissent, spem Nestorianis augebant fore, ut aliquandò non inglorii reviviscerent. Episcopi, qui ad hoc Concilium convenerunt, fuere numero 165., omnes fermè ex Orientalibus Provinciis; erat enim Nestorianorum hæresis in Oriente nata, ibidèmque maximè pervagata, ac propterea Orientales potissimùm Ecclesias, atque Episcopos afficiebat. Vigilius Papa Synodo quidèm celebrandæ consensit, imò etiàm ipse in Urbem Constantinopolitanam Concilii causâ perrexit: Concilio tamèn dignis de causis non interfuit. Verùm acta Synodi fuerunt demùm Pontificum Maximorum auctoritate confirmata, & totius Ecclesiæ consensione recepta, quemadmodùm Viri eruditi apertissimè demonstrant, inter quos consuli poterit ab eo, qui plura desiderat, Eminentissimus Norisius in eleganti dissertatione de Synodo quinta. Acta hujus Concilii fuerunt in octo Collationes distributa, quibus adjecti sunt canones numero quatuordecim, ad stabiliendam Christianæ fidei, ac præsertim de Verbo-Homine doctrinam adversùs priorum temporum hæreses editi.

Ex hoc Concilio depromptus est canon 6. caus. 24. quæst. 2., cujus verba inconcinnè, & ex variis ejusdem Concilii fragmentis incompositè digesta sunt, ac pertinent ad causam memorati Theodori Mopsuesteni. Cum enim Concilii Patres eum damnari in Synodo vellent tanquàm Nestorianorum Antesignanum, plures ea de causa restiterant dam- Can. 6. caus. 24. q. 2.

damnationi, quòd ille jam vitâ functus esset, propterea̓que damnari non ampliùs posset, ne fortè gravissima defuncti hominis manibus inferri injuria videretur. Id propositum fuerat initio Concilii, & fusiùs disputatum in collatione 5., ubi Sancti Patres ad sacram Ecclesiæ traditionem confugerunt, & demùm auditis veterum Patrum sententiis in collatione 8., pronunciatum est, memoriam defuncti hominis esse damnandam, ubi de hæretico agatur, illo præsertim, cujus scripta adhùc possunt legentium animum lædere, & in prava torquere. Tria hæc simùl junxit Gratianus, ac primò quod propositum fuit in collatione 1., retulit in principio dicti canonis 6. Continent hæc verba principio edita allocutionem Justiniani Imperatoris ad Synodum, ibi: *Hortamur autèm etiàm illud disceptare, quod vanè* (Gratianus scribit *sanè*) *profertur ab eis, qui dicunt non oportere pòst mortem hæreticos anathematizari, & sequi in hoc doctrinam Sanctorum Patrum, qui non solùm viventes hæreticos condemnaverunt, sed & pòst mortem, utpotè in sua impietate mortuos; sicùt eos, qui injustè condemnati sunt, revocaverunt pòst mortem, & in sacris diptychis scripserunt.* (Quid fuerint sacræ diptychæ rectissimè tradiderunt Romani Correctores.) *Quod factum est & in Joanne, & in Flaviano, religiosæ memoriæ Episcopis Constantinopolitanis.* Erant hæc omnia abs Justiniano proposita, ut à Patribus Concilii dirimerentur. Discussa porrò hujusmodi controversia fuit in collatione 5., in qua Sancta Synodus palàm declaravit, unumquemque Episcopum debere hac in re sententiam suam explicare ex traditione veterum Patrum. Surrexit inter ceteros Sextilianus Episcopus Africanus, vices gerens Primosi Carthaginensis Episcopi, ità disserens: *Doceo Sanctum vestrum Concilium, quòd anterioribus temporibus in nostra Provincia multi Episcopi congregati* (hæc habentur in vers. *multi Episcopi* in dicto can. 6.) *& quædam de diversis causis, ad ecclesiasticum statutum pertinentibus, disponentes statuerunt de Episcopis defunctis, qui hæreticis suas facultates relinquunt, ità ut pòst mortem anathemati subjiciantur, & si placet vobis, hæc ad lectionem porrigo. Sancta Synodus dixit: Recitentur: & cum suscepisset idem Diaconus, & Notarius oblatam chartam recitavit. Sancti Augustini ad Bonifacium Comitem de quibusdam Donatistis, accusantibus Cæcilianum Episcopum, quòd in vita sua Codices Christianicos ad concremandum tradidit, qui propter hanc causam semetipsos separabant ab Ecclesia, cujus principium sic habet: Laudo, & gratulor, & admiror, fili dilectissime Bonifaci, quòd inter curas armorum, & bellorum &c. Et pòst alia: Et Cæcilianum nequaquàm fuisse traditorem, sed à majoribus istorum falsis criminationibus, & calumniosis accusationibus appetitum, non quiæ in eo Ecclesiæ causa consistat, nullius enim iniquitas obsistit promissionibus Dei, nec potest alicujus perire criminibus hæreditas Christi, quam ei donavit Pater, dicens: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Tamèn, quia propter ipsum occasionem invenerunt schismatis perpetrandi, ostendendum est purgatum fuisse in judicio Episcopali, & innocentem pronunciatum, non solùm ab Episcopis Judicibus, sed etiàm ab ipso Constantino Imperatore, apùd quem calumniosè ab istorum Patribus accusatus est. Ut agnoscant, quàm injustè ab Ecclesia toto diffusa orbe dividantur propter eum, cujus nullum unquàm crimen non ipsi, non præcessores eorum ostendere potuerunt, quamvis (sicùt etiàm in memorata Epistola diximus) etsi vera essent,* (hæc habentur apùd Gratianum in vers. *Si vera* dicto can. 6.) *quæ ab eis objecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquandò monstrari, ipsum jam mortuum anathematizaremus; sed tamèn Ecclesiam Christi, quæ non litigiosis opinionibus fingitur, sed divinis attestationibus comprobatur, propter quemlibet hominem relinquere non debemus. Ejusdem S. Augustini ex gestis, quæ apùd Marcellinum Virum clarissimum Tribunum, & Notarium acta sunt cap. 187., Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit: Non si hominibus spes ponenda est Ecclesiæ, si boni sunt; neque si mali sunt, judicanda est Ecclesia Dei periisse. Sed tamèn etiàm ipsorum causam tanquàm fratrum nos-*

trorum suscipimus, & si nobis ostendi potuerunt criminosi, hodiè illos anathematizamus, non tamèn propter illos Ecclesiam à Deo promissam, & exhibitam deserimus, aut relinquimus. Ejusdem Epistola *ad Catholicos* : *Si fortè isti libri* (hæc refert Gratianus in vers. *Augustinus ait* dicto can. 6.) *ità designant traditorem suum, sicut designavit Dominus Judam, legant in eis nominatim, & expressè vel Cæcilianum, vel ordinatores eorumdem librorum fuisse traditores; & si non eos anathematizavero, ipse eum judicer tradidisse.* Ejusdem *ex opere adversùs Cresconium Grammaticum Donatistam lib.* 3. *Ego in Ecclesia sum, cujus membra sunt illæ omnes Ecclesiæ, quas ex laboribus Apostolorum notas, atque firmatas simùl in literis canonicis novimus. Earum communionem, quantùm me adjuvat Dominus, sive in Africa, sive ubicumquè, non deseram. In hac communione si fuerint, quos nescio traditores, cum eos demonstraveris & carne, & corde mortuos, detestabor, nequaquàm tamèn à vivis, in ejusdem Ecclesiæ Sanctæ unitate manentibus, propter mortuos alienabor. Et pòst pauca : sed dicis, licere mihi etiam hodiè* (hæc habentur in vers. *Dicis* apùd Gratianum in dicto can. 6.) *de mortuis judicare, quia judicium non tantùm de vivis, sed etiàm de mortuis fieri potest. Ecce volo judicare ; sed vos causam ipsam non vultis agere.*

Hùc usquè Sextilianus Episcopus Africæ ex S. Augustino traditionem de Hæreticis etiàm mortuis damnandis ostendebat. Pòst ipsum prodiit in medium in Concilio Benignus Episcopus Heracleæ Pelagoniæ, vices gerens Eliæ Epispoci Thessalonicensis, & ait. *Et quæ modò recitata sunt Augustini sanctæ memoriæ* (hæc sunt apùd Gratianum in vers. *Quæ modò* in eodem can. 6.) *conveniunt statui tenenti ab initio in Ecclesia. Impium verò dogma jam inculpatum, & condemnatum est; & eos, qui tali dogmati obnoxii sunt, anathematizari vult Ecclesiæ traditio, licèt mortui essent. Ideò & sanctæ memoriæ Augustinus dicit : Quòd si modò convinceretur Cæcilianus de his, quæ inferuntur ei, etiàm pòst mortem eum anatematizo. Et hæc dicebat de Cæciliano Episcopo Carthaginis, qui solus ex tota Africa pervenit ad Nicænum Sanctum Concilium. Sed etiàm Valentinum, & Marcionem, & Basilidem, à nulla Synodo anathematizatos, tamèn eo, quòd alienum pietatis erat dogma, quod illi defendebant, etiàm pòst mortem anathematizat Ecclesia Dei. Hoc verò etiàm in Eunomium, & Apollinarium factum. Hanc verò Ecclesiasticam traditionem custodiens & Rambulas sanctæ memoriæ Episcopus factus Edessenæ Civitatis, qui in Sacerdotibus explenduit, Theodorum istum Mopsuestenum* (referuntur hæc apùd Gratianum in vers. *Rambulas* eodem can. 6.) *etiàm pòst mortem in Ecclesia anathematizavit propter impia ejus conscripta.* Itèm pòst pauca idem Begninus Heracleensis ea subdit, quæ apùd Gratianum leguntur in vers. *Romanorum* his verbis : *Sed etiàm Romanorum Ecclesia antè paucos annos Dioscorum, qui fuit Papa ejusdem Ecclesiæ, & pòst mortem anathematizavit, cum nec in fidem peccasset ; & hoc sciunt omnes, qui degunt Romæ, & maximè qui in dignitatibus existunt, qui etiàm eidem Dioscoro communicatores permanserunt usquè ad ejus mortem.* Pòst nonnullas similes plurium Episcoporum sententias recitatas, quibus docebatur, hæreticos etiàm pòst mortem posse damnari, hæc subjiciuntur : *Et multos quidèm etiàm alios invenimus pòst mortem anathematizatos. Nec non etiàm Origenem, etsi ad tempora* (pertinent hæc ad vers. *Si ad tempora* apùd Gratianum in dicto can. 6.) *Theophili sanctæ memoriæ, vel superiùs aliquis recurrerit, pòst mortem inveniet anathematizatum, quod etiàm nùnc in ipso fecit & vestra Sanctitas, & Vigilius Religiosissimus Papa antiquioris Romæ.* Sic perlectis, ac recitatis Sanctorum Patrum testimoniis, & exemplis, discussisque suffragiis Episcoporum, tandèm in fine ejusdem collationis 5. ità definitum est: *Sancta Synodus dixit :* (hæc habentur in vers. *Sancta Synodus* penult. in dicto can. 6.) *Sufficiunt quidèm, quæ dicta, & prolata sunt, ecclesiasticam traditionem demonstrare, eo quòd oportet hæreticos & pòst mortem anathematizari.* Tandèm in collatione 8. Concilii, sive postremâ, hæc omnia omninò confirmata sunt, ubi leguntur eadem

dem verba, quæ descripsit Gratianus in vers. *Sancta Synodus* ult. usquè in finem, pòst quæ, omni dubitatione prorsùs excussâ, Theodorus publico Ecclesiæ judicio, licèt jam mortuus, anathemate perculsus est. Atque his & Gratianeum canonem variis laciniis incompositis contextum meliori ordine descripsi, & ipsam Concilii sententiam clariùs explicavi.

Can. 9. caus. 24. q. 3.

Ad eamdem Theodori Mopsuestini causam pertinet fragmentum illud collationis quintæ Concilii, quod retulit Gratianus in can. 9. caus. 24. quæst. 3.; ibi enim dicitur, jure damnandum fuisse Theodorum, eâ ratione, quia cum blasphæmus fuisset in Deum, jam à Deo separatus erat, adinstar Judæorum, vel Ethnicorum, aliorumve omnium, qui anathema dicebantur; propterea Theodoro anathema dici posse, cum nihil aliud anathema, quàm separationem, significet. Verba ejusdem canonis 9. consonant omninò cum vulgatis Concilii exemplaribus.

CAPUT XXXI.

De Conciliis Parisiensibus.

Hoc Capite complectar duo Parisiensia Concilia, quæ tamèn apùd Gratianum in inscriptionibus canonum minimè distinguuntur. Prius est Concilium Parisiense anni circitèr 557., quod in editis Gratiani exemplaribus appellatur I., & apùd Labbeum dicitur III. Posterius est anni 615., quod apùd Collectores Conciliorum dicitur Parisiense V. Jungam præterea canones illos, qui Parisiensibus Conciliis perperàm à Gratiano adscripti fuerunt. En canones Gratiani ex ordine expositos.

Ex Concilio Parisiensi anni 557.	*Can.* 5. *dist.* 63. *supplendus ex vulgatis Concilii exemplaribus.*
	Can. 6. *caus.* 36. *q.* 2. *emendandus ex integris Concilii exemplaribus.*
Ex Concilio Parisiensi anni 615.	*Can.* 2. *caus.* 11. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
	Can 7. *caus.* 27. *q.* 1. *perperàm Concilio Toletano adscriptus.*
His adduntur apùd Gratianum.	*Can.* 8. *dist.* 93. *est Concilii Moguntini anni* 813.
	Can. 24. *caus.* 23. *q.* 8. *est Concilii Meldensis anni* 845.
	Can. 6. *caus.* 24. *q.* 3. *ex variis fragmentis compositus, & præcipuè Concilii Pistensis.*

De Concilio Parisiensi anni 557.

THeobaldo Galliarum Rege defuncto, excitata est acris contentio inter Childebertum, ac Clotharium fratres germanos, apùd quos de regni divisione agebatur circà annum 556.; in qua rerum, animorumque perturbatione facile unusquisque intelliget, non solùm Rempublicam universam salutis suæ periculum subiisse, verùm etiàm Ecclesiasticas res fuisse propemodùm lapsas, sive in Clericis, & Episcopis, quorum mores à rectis canonum regulis desciscebant, sive in bonis ecclesiasticis, quæ à laicis, præsertim nobilibus, diripiebantur, & per varias vices ab his modò, modò ab illis, detinebantur. His gravissimis Ecclesiæ incommodis obviam eundum esse duxerunt Episcopi Gallicani, qui propterea circà annum 557. convenerunt in Parisiensem Urbem

bem numero quindecim; ibidèmque celebrato Concilio decem canones ad reformationem disciplinæ ecclesiasticæ ferè lapsæ constituerunt, ex quibus duos apùd Gratianum habemus.

Can. 5. dist. 63. Primus est canon 5. dist. 63., cujus verba leguntur in canone 8., cujus hæc sunt integra verba : *Et quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta canonum violantur, placuit, ut juxtà antiquam consuetudinem canonum decreta serventur. Nullus civibus invitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi, & Clericorum electio plenissimâ quæsierit voluntate : non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem contrà Metropolis voluntatem, vel Episcoporum Comprovincialium ingeratur. Quòd si per ordinationem Regiam* &c. Quæ sequuntur eisdem verbis habentur apùd Gratianum. Hac itaquè ratione in ea animorum divisione consulere Episcoporum electionibus censuerunt Parisienses Patres, ne fortè eveniret, Episcopos, ab uno ex contendentibus electos, ab altero mutatâ fortunâ dejici, & sic Ecclesias undequaquè turbari per novas, & ferè quotidianas dejectiones, promotionesque Episcoporum.

Can. 6. caus. 36. q. 2. Alter est canon 6. caus. 36. quæst. 2., qui legitur in can. 6. his verbis : *Et quia utilium rerum cœpit causa tractari, hoc universitas præcavere quoquè debet, tàm Sacerdotes, quàm Principes, omnisque populus, ut nullus res alienas competere à Regis audeat potestate. Nullus viduam, neque filiam alterius extrà voluntatem Parentum, aut rapere præsumat, aut Regis beneficio æstimet postulandam. Quòd si fecerit, similiter ab Ecclesiæ communione semotus, anathematis damnatione plectatur.* Hoc loco passim eruditi animadvertunt, tantam occasione contentionum fuisse tùnc quorumdam improbitatem, ut cives nonnulli improbis conditionibus fidem suam, operamque venderent Principibus in jura sua nitentibus, quorum propterèa alii bona, prædiaque aliena expetebant, alii viduas, & virgines patriæ adhùc potestati subjectas adversùs parentum voluntatem rapere se posse impunè paciscebantur. Voluerunt autèm Parisienses Patres meliori consilio, & sinceriore affectu Principum jura defendi à subditis, non eâ ratione, ut subditi iidem pravis conditionibus à turbato Principe militiam suam spondentes flagitiorum impunitatem extorquerent.

De Concilio Parisiensi anni 615.

Quæ in superiore Concilio constituta fuerant, nemo non videt, accomodata fuisse temporibus illis, quibus nonnullis rebus quoquo modo consulendum esse miserabilis Gallicanæ Reipublicæ conditio postulabat, quoad fieri posset. Verùm sub initium septimi sæculi tandèm àliquandò in Clothario 2. Galliarum Rege reddita pax fuit, & in Regni unitate unitas quoquè animorum in civibus esse cœpit. Visum tùm fuit maximè opportunum, res ecclesiasticas ferè lapsas restituere, quod fieri posse visum fuit, si universi Galliarum Episcopi convenirent, & Regiâ etiàm auctoritate freti germanam veterum canonum disciplinam reducerent, ac confirmarent. Celebrata Synodus fertur anno 615. in Urbe Parisiensi, convenientibus ex omnibus illius Regni Provinciis Episcopis numero novem suprà septuaginta, editique sunt communi suffragio canones quindecim, qui & peculiari ipsius Clotharii Regis edicto fuere confirmati.

Can. 2. caus. 11. q. 1. Ex his est canon 2. caus. 11. quæst. 1. apùd Gratianum, quem Auctor Palearum adjecit, nullo inscripto Auctoris nomine. Habetur autèm in can. 4. hujus Concilii Parisiensis, ubi tamèn Sirmondus, qui primus hoc Concilium edidit pro illis verbis : *sine licentia Pontificis*, legit : *sine scientia Pontificis*, & pro illis : *quousquè reatum suum agnoscat, & emendet*, legit : *quamdiù reatum suum corrigat, & emendet.* Hanc Synodi hujus constitutionem Clotharii edicto confirmatam renovavit posteà Carolus Magnus in Capitulari anni 769. cap. 17. ibi: *Ut nullus Judex neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum, aut juniorem Ecclé-*

ulesiæ extrà conscientiam Pontificis per se distringat, aut condemnare præsumat. Quòd si quis hoc fecerit, ab Ecclesia, cui injuriam irrogare dignoscitur, tamdiù sit sequestratus, quamdiù reatum suum cognoscat, & emendet, quæ verba relata sunt in libros Capitularium lib. 6. cap. 156., & lib. 7. cap. 139.

Can. 7. caus. 27. q. 1. Habetur etiàm in can. 13. ejusdem Concilii canon 7. caus. 27. quæst. 1., quem Gratianus inscripsit nomine Concilii Toletani. Verba Parisiensis canonis hæc sunt : *De viduabus, & puellis, quæ sibi vestes in habitu religionis in domibus propriis tam à parentibus, quàm per se ipsas mutaverint, & se posteà contrà statuta Patrum, vel præcepta canonum conjugio crediderint copulandas, tamdiù utrique habeantur à communione suspensi, quousquè, quod illicitè perpetraverunt, emendent; aut si emendare neglexerint, à communione Ecclesiastica, vel omni Christianorum convivio in perpetuum sint sequestrati.* Hæc eadem Constitutio relata est in librum 7. Capitularium Francorum cap. 338 editionis Parisiensis anni 1677.

De reliquis Canonibus, Concilio Parisiensi adscriptis.

Can. 8. dist. 93. Tria adhùc supersunt fragmenta, quæ apùd Gratianum Concilii Parisiensis nomine inscribuntur. Primus est canon 8. dist. 93., quem jam observaverunt viri eruditi pertinere potiùs ad Concilium Monguntinum anni 813. can. 22., ubi hæc leguntur : *De Clericis vagis, seu acephalis, id est, de his, qui sunt sine capite, neque in servitio Domini nostri, neque sub Episcopo, neque sub Abbate, sed sine canonica, vel regulari vita degentes, ut in libro officiorum 2. capitulo 3. de eis dicitur, hos neque inter Laicos sæcularium officiorum studia, neque inter Clericos religio tenet divina, sed solutos, atque oberrantes sola turpis vita complectitur, & vaga; quique, dum nullum metuunt, explendæ voluptatis suæ licentiam sectantur, quasi animalia bruta, libertate, ac desiderio suo feruntur, habentes signum religionis, non religionis officium, hippocentauris similes, nec equi, nec homines.* Hæc Moguntini canonis editio verbo quidèm tenùs dissonat à Gratianea ; sed utrobiquè eadem omninò sententia est, quam Collectores Gratiano anteriores Ivo, & Burchardus aliis verbis perstrinxerunt, atque ex Parisiensi fortè Concilio laudaverunt, quòd uterentur Parisiensi quodam Codice, in quo simùl cum Parisiensibus aliorum Gallicanorum Conciliorum canones adnexi fuissent.

Ex eadem causa factum arbitror, ex Concilio Parisiensi laudatum fuisse apùd Burchardum, Ivonem, & Gratianum canonem 24. caus. 23. quæst. 8., qui potiùs describendus erat ex Concilio Meldensi anni 845., siquidèm in can. 63. ejusdem Concilii hæc habentur : *Ut secundùm canonicam auctoritatem, & constitutionem Domni Imperatoris Ludovici de agro Ecclesiastico, & manso, ac mancipiis, quæ ipse suis capitulis constituit, ut, si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus Ecclesiæ fuerit, neque de decimis, & oblationibus fidelium cuiquam Presbytero aliquem censum persolvere cogat, nec quisquam cujuslibet ordinis vel dignitatis exindè quidquam subtrahat, aut redhibitionem quamcumque exigat temporalem. Quòd si fecerit, communione usquè ad satisfactionem privetur, & Regiâ potestate hoc emendare legaliter cogatur.* Memoratur hic Ludovici constitutio, quæ sanè alia non est, nisi quæ continetur in Capitulari Ludovici Pii anni 816., ubi can. 10. ità legitur : *Statutum est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio adtribuatur, & Presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter Ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, indè senioribus suis debitum servitium impendant.* Hoc Capitulare confirmatum est in dicto Concilio Meldensi, rursùmque comprobatum in Capitulari Caroli Calvi anni 865. apùd Tansiacum, ubi can. 11. ità legitur : *Ut de uno manso ad Ecclesiam dato nullus census, neque caballi pastus à seni-*

Can. 24. caus. 23. q. 8.

nioribus de Presbyteris requiratur, sicut de præfato Capitulari continetur. Sed neque de terrulis, ac vineolis, pro loco sepulturæ ad easdem Ecclesias datis, neque de decimis, sicut in Canonibus, & præfatis Capitularibus continetur. Et ubi inventum fuerit à Missis nostris, quòd seniores sine conscientia Episcoporum Presbyteros de Ecclesiis ejiciunt, vel in Ecclesiis statuunt, Missi nostri, sicut in præfatis Capitularibus continetur, indè faciant. Exindè omnibus facilè constare potest, Gratianum deprompsisse dictum canonem 24. ex memoratis Gallicanorum Antistitum, & Principum sententiis, quem Burchardus primùm nomine Concilii Parisiensis fortè etiàm inscribere potuit, ut à memorandis Francorum Capitularibus abstineret, quemadmodùm id sibi proposuisse aliàs observaveram.

Can. 6. caus. 24. q. 3.

Demùm falsò inscriptus est Concilio Parisiensi canon 6. caus. 24. quæst. 3., quem & Gratianus, & Collectores Gratiano antiquiores hoc adjecto nomine descripserunt: *Ex Concilio Parisiensi tempore Ludovici.* Zegerus Vvanespen in suo brevi Commentario ad Gratianum putavit, canonem istum referendum esse ad Concilium Parisiense VI. anni 829.; quod quidèm tempore Ludovici Pii celebratum est. Verùm ipse, licèt vir egregiè eruditus, aut in hac re aliquid humanum, ut in aliis non paucis, passus est, aut usus est aliis Codicibus, quàm qui editi sunt in Collectionibus Conciliorum. Ego potiùs arbitror, corruptam fuisse veterum Codicum editionem, ità, ut legendum potiùs esset: *Ex Concilio Pistensi tempore Ludovici*, pro quibus verbis facilè Amanuensis scribere potuit: *Ex Concilio Parisiensi tempore Ludovici.* Reverà, tempore Ludovici II. Imperatoris anno 869., scimus, in Gallia celebratum fuisse Concilium Pistense, præbente etiàm auctoritatem Carolo Calvo Rege, cujus acta & Baluzius edidit in Tomo 2. Capitularium Francorum, pagina mihi 209., & ex illo is, qui Labbeanam Collectionem adauxit. Cum verò dixerim, laudatum canonem 6. ad Concilium Pistense referendum esse, non ità accipiendum erit, quasi integer in Concilio Pistensi reperiatur. Tantùm in eo sunt priora verba canonis; etenim in can. 10. ejusdem Pistensis Concilii ità legimus: *Ut nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequàm causa probetur, propter quam Ecclesiastici canones hoc fieri jubent, & donèc illum, qui peccavit, & indè aut spontè confessus est, aut apertè convictus fuerit, secundùm Evangelicum præceptum, ut ad emendationem, & pœnitentiam redeat, commonitum habeat.* Hæc porrò verba eadem fermè sunt cum priore parte Gratianei canonis vers. *ut nemo.* Cetera à Collectore compositis variis legum, canonumque decretis congesta sunt, juxtà morem Collectoribus ipsis familiarem, qui aliquandò plura simùl coacervant ex variis locis deprompta, & in unam quasi Synodicam Constitutionem adnectunt. Priora autèm verba ejusdem canonis, in quibus memoratur Justiniani Imperatoris Constitutio, referenda sunt ad Novellam 123. cap. 11. ubi hæc leguntur *Omnibus autèm Episcopis, & Presbyteris interdicimus segregare aliquem à sacra communione, antequàm causa monstretur, propter quam sanctæ regulæ hoc fieri jubent. Siquis autèm propter hoc à sancta communione quemquam segregaverit, ille quidèm, qui injustè à communione segregatus est, solutus excommunicatione à majore Sacerdote sanctam mereatur communionem: Qui verò aliquem à sancta communione segregare præsumpserit, modis omnibus à Sacerdote, sub quo constitutus est, separabitur à communione, quanto tempore ille perspexerit, ut quod injustè fecit, justè sustineat.* Quicumque hæc Justiniani verba consideraverit, atque contulerit cum dicto canone Concilii Pistensis, statim conjiciet Collectorem canonum ex utroque capite tum Novellæ, tum Synodi unam, eamdemque sententiam composuisse, inscribens fragmentum suum nomine Concilii, & exordiens abs Justiniani Constitutione.

Pertinent hæc ad principium dicti Gratianei canonis 6. Ampliùs progressus est Collector; quodque adjunctis tum Pistensis Concilii, cum Justinianeæ le-

legis verbis exorsus est, aliis sanctorum Patrum capitibus confirmare voluit, ità subsequutus: *Et hinc S. Gregorius ad Joannem Episcopum* &c. Referenda sunt hæc ad Epistolam Gregorii Magni ad Joannem Episcopum Primæ Justinianeæ, de qua suo loco verba faciemus, quæque est 6. lib. 2. indict. 11. in vetere editione. Hadrianus Thebanæ Civitatis Episcopus conquestus fuerat apùd Gregorium, quòd ab Joanne Primæ Justinianeæ Episcopo abruptâ sententiâ damnatus fuisset, quin ulla testium dispositio, aut rei ipsius confessio aliqua obesset accusatio. Reprehendit hæc acta Sanctissimus Pontifex, cujus verba sunt apùd Gratianum à vers. *cassatis priùs*, usquè ad illa: *severiùs puniendum*; quæ enim ibidèm sequuntur; *quia nemo præproperè scilicèt non commonitus, neque conventus est judicandus*, à Collectore ipso adjecta fuerunt, atque apùd Gregorium desiderantur.

Non hic perstitit Collector, sed in vers. *de conventione* addidit ad eamdem rem plura excerpta ex lib. 5. sententiarum Pauli Jureconsulti tit. 5. §. 6., his tamèn verbis, quæ in editione Cujacii paulò dissonant à Gratianeis: *Trinis literis, vel edictis, aut uno pro tribus dato, aut trinâ denunciatione conventus, nisi ad judicem, à quo sibi denuntiatum est, aut cujus literis, vel edictis conventus est, venerit, quasi in contumacem dicta sententia auctoritatem rerum judicatarum obtinet, quinimmò nec appellari potest ab ea.* Pòst hæc Collector idipsum probat ex Cœlestino ad Nestorium, itèm ex Concilio Ephesino, quorum testimonia jam rectè exposuerunt Romani Correctores, quorum studium supervacaneum propterèa est hoc in loco renovare. Addit Collector auctoritatem *Gregorii, ad Joannem scribentis.* Quænam verò sit hæc Gregorii ad Joannem Epistola, Romani Correctores non indicant. Non sanè esse potest jam memorata Epistola ad Joannem Episcopum Primæ Justinianeæ, cum in ea nihil dicatur de monitis tribus, quæ condemnationem præcedere debent. Potiùs erit Epistola 52. lib. 2. indict. 11. ad Joannem Constantinopolitanum, in cujus initio Gregorius scribit, se jam semèl, & bis ipsum redarguisse, adhùc tamèn tertio scribere, ut eum magis magisque ad pœnitentiam adducat, & judicet; aut fortè erit Epistola 54. ejusdem libri ad Joannem Episcopum Ravennatem, ibi: *Volumus, ut eis pòst secundam, & tertiam admonitionem tuam ministerium sacri interdicas officii, atque nobis de contumacia eorum renuncies* &c. Quæ sequuntur in vers. *de peremptorio*, excerpta sunt ex Concilio, quod vulgò Africanum dicunt, sive ex Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, ubi can. 48. hæc leguntur: *Servatâ formâ disciplinæ* (Cresconius) *non æstimabitur appetitus, si à vestra charitate modestiùs conventus recedere retractaverit, cum fuerit sua contemptu, & contumacia faciente etiàm auctoritate judiciaria conventus.* Ceterùm hoc in loco nihil occurrit de trina monitione, vel edicto peremptorio. Demùm adferuntur eadem verba Gregorii Magni in Epist. ad Maximum Præsumptorem Salonitanum, de quo suo loco verba faciam, estque Epistola 3. lib. 5. eisdem verbis à Gratiano relata in vers. *hortamur*, demptis tamèn illis verbis: *de quibus accusaris*, quæ in eadem Gregorii Epistola desiderantur, & à Collectore adjecta sunt ad uberiorem sententiæ explicationem.

CAPUT XXXII.

De Conciliis Bracarensibus.

Tria ex Bracarensibus Concilia in suo Codice memoravit Gratianus, ex quibus sequentes canones deprompti sunt.

Ex Bracarensi I.
- *Can.* 14. *dist.* 12. *paulispèr varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 21. *dist.* 23. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 12. *caus.* 23. *q.* 5. *singularem exhibet disciplinam Ecclesiæ Bracarensis, aut vetustæ ætatis.*

Ex Bracarensi II.
- *Can.* 22. *caus.* 1. *q.* 1. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 102. *caus.* 1. *q.* 1. *ex vulgatis Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 103. *caus.* 1. *q.* 1. *ferè consonat cum integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 1. *caus.* 1. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 1. *caus.* 2. *q.* 4. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 12. *caus.* 10. *q.* 1. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 1. *caus.* 10. *q.* 3. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 10. *de cons. dist.* 1. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 25. *de cons. dist.* 3. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 55. *de cons. dist.* 4. *referendus ad can.* 12. *caus.* 10. *q.* 1.

Ex Bracarensi III.
- *Can.* 9. *dist.* 23. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 8. *dist.* 45. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 2. *caus.* 2. *q.* 4. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*

De Concilio Bracarensi I.

NON obscuri nominis apùd Collectores canonum sunt Concilia Bracarensia, ità dicta à Bracara urbe olim Gallæciæ Metropoli, quæ nùnc *Braga* dicitur in Portugallia. Cum verò Bracarensia Concilia memoramus, minimè hoc in loco venit illud, quod apùd Labbeum dicitur Bracarense I., & anno 411. celebratum à Pancratio, seu Pancratiano Bracarensi Episcopo; sive quòd nullos ejusdem Synodi canones habeamus, sed tantummodò quamdam fidei professionem; sive quòd à nonnullis inter apocrypha vetustatis sacræ monumenta recenseatur. Primum Bracarense Concilium vulgò adpellatur, quod celebratum est ab octo Bracarensis Provinciæ Episcopis, Præsidente Lucretio Metropolita sub Rege Ariamiro, quem alii Theodemirum vocant, & sub Joanne III. Pontifice Maximo circà annum 563. Fuerat jam pridèm Ariamirus Rex sectæ Arianorum adhærens, sed cum ad Catholicam fidem optimo exemplo conversus fuerit, nihil antiquius habuit, quàm & fidei dogmata in generalibus Ecclesiæ Conciliis definita confirmari, & Ecclesiasticam disciplinam propemodùm

dùm lapsam restitui; quamobrèm curavit, ut Concilium celebraretur, quod deindè ab Episcopis libentissimè habitum est, ac Regiâ ipsâ auctoritate comprobatum. Ibidèm verò in primis efformatum est sanctæ fidei exemplar, quo præsertim improbaretur, ac damnaretur hæresis Priscillianistarum, quæ eo tempore grassabatur, & quod in decem & septem capita distributum est; deindè editi sunt canones 22. quibus disciplina Ecclesiastica reformaretur.

Can. 14. dist. 12. Ex hisce posterioribus canonibus depromptus est canon 14. dist. 12., ubi indicitur, ut idem sit sacræ psalmodiæ ordo apùd omnes Clericos, neque alii ab aliis Clerici in hac re dissideant, eo prætextu, quòd nonnulli Monachorum ritus sequi malint: atque ad hanc rem juvat observare varietatem editionum; etenim, licèt vulgati Codices habeant: *Neque Monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula sint permixtæ*, in aliis tamèn legitur: *neque Monasteriorum consuetudines contrà Ecclesiasticas regulas sint permixtæ*. Olim triplex erat Psalmodiæ Ecclesiasticæ ratio; alia, quam Sancto Hieronymo, ut fertur, auctore Romana Ecclesia non solùm ipsa receperat, verùm etiàm aliis Ecclesiis, ut reciperetur, exemplo fuit; alia, quam Sanctus Ambrosius ad usum Mediolanensis Ecclesiæ suæ constituerat; alia demùm, quàm S. Benedictus, Monachorum institutor, & Pater, ad Monasteriorum disciplinam tradiderat. Verosimile autèm est tùnc Ecclesiam Bracarensem recepisse eam Psalmodiæ rationem, quæ in Romana Ecclesia recepta fuerat, quemadmodùm facilè colligere possumus ex canone 4., & 5. ejusdem Concilii Bracarensis, in quibus constitutum est, ordinem celebrandæ Missæ, & conferendi Baptismatis illum esse servandum, quem Profuturus Bracarensis Episcopus jam pridèm à Romana Ecclesia acceperat: undè colligimus, jam tùm in Ecclesia Bracarensi consuetudine receptos fuisse Romanos ritus, ac propterèa in eadem Ecclesia viguisse Romanam, sive Hieronymianam Psalmodiam. Proditâ verò, atque in varias Provincias evulgatâ regulâ S. Benedicti, & ejusdem disciplinâ Monasticâ, nonnullis ex Clericis nova Benedicti ejusdem Psalmodia placere cœpit, qui propterèa à consueta psallendi ratione recesserunt, & Monasticam subrogarunt, quasi hæc illis accommodatior videretur. Alitèr tamèn senserunt Bracarenses Patres, qui propterèa in tota Provincia voluerunt eidem, & veteri Psalmodiæ insistendum esse; vel quòd veterum institutiones despiciendæ non essent; vel quòd distinguenda forent Monachorum, & Clericorum officia.

Inter eosdem canones num. 10. legitur canon 31. dist. 23. his verbis: *Item placuit, ut non liceat cuilibet ex Lectoribus sacra Altaris vasa portare, nisi his, qui ab Episcopo Subdiaconi sunt ordinati.* Can. 31. dist. 23.

In eisdem canonibus num. 16. habetur canon 12. caus. 23. quæst. 5. & quidèm eisdem omninò verbis, quæ & in Collectionem suam retulit Regino Prumiensis lib. 2. cap. 92., Halitgarius lib. 4. cap. 6., quibus addi potest Collector Capitularium Francorum in lib. 6. cap. 70., lib. 7. cap. 344., & additione 4. cap. 60. Porrò, quæ in fine hujus canonis decernuntur de illis, qui ob publica crimina pœnam mortis subierunt, asperiora videntur, & singularem Bracarensis Provinciæ, aut illorum temporum disciplinam continere, ut scilicèt in oblatione nulla ipsorum commemoratio fiat; quod propterèa apùd recentiores non obtinuit, imò & contrà statutum videtur in Concilio Aurelianensi II. cap. 14. ibi: *Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.* Gratianus, ut minùs asperam redderet Bracarensis canonis in postrema parte sententiam, interpretatus illum est de Reis damnatis, quos admissorum criminum non pœnituit. Verùm hujus interpretationis nulla est, ne levissima quidèm, in Bracarensi Concilio conjectu-

Can. 12. caus. 23. q. 5.

tura, cum verba canonis generalia sint, & omnes casus comprehendant. Potiùs dicendum videretur, maximè interfuisse illis temporibus, quoàd fieri posset, à publicis criminibus homines avertere, quo quidèm plurimum conducebat, si statueretur, ne oblationem quidèm accipi, aut commemorationem fieri ipsorum. Aliàs verò Bracarenses Patres non prohibuerunt, damnatos privatis fidelium piorum orationibus juvari, & Deo commendari.

De Concilio Bracarensi II.

Concilium Bracarense II., quod apùd Labbeum tertium dicitur, celebratum est anno 572. sub Mirone Svevorum Rege pòst obitum Joannis III. Pontificis Maximi à Martino Bracarensi Archiepiscopo, da quo in sequenti capite agendum erit. In hac Synodo decem constituti sunt canones causâ disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ.

Can. 22. caus. 1. q. 1.

In canone 3. habetur canon 22. caus. 1. quæst. 1. editus adversùs Simoniacos, quos benè multos eâ ætate fuisse perspicuè liquet ex Epistolis Gregorii Magni. In vulgatis Concilii exemplaribus vix est, quod à Gratiani editione discrepet, nisi fortè quis observatione dignum existimet, quod pro illis verbis Gratiani; *nulla accipiant*, legatur illic *nulla suscipiant*; itèm pro illis: *sceleribus obruit*, legatur: *sceleribus obruti*; demùm pro illis: *oportet non per gratiam*, habeatur: *oportet ergò non per gratiam.*

Can. 102. caus. 1. q. 1.

In canone 4. ejusdem Concilii legitur canon 102. caus. 1. quæst. 1. his tamèn verbis: *Placuit, ut modicum balsami, quod benedictum pro baptismi Sacramento per Ecclesias datur, quia singuli tremisses pro ipso exigi solent* (legunt alii: *quia singulis tremisses exigi solent*) *nihil ulterius exigatur, ne fortè, quod pro salute animarum per invocationem Sancti Spiritus consecratur, sicut Simon Magus donum Dei pecunia emere,* (legunt alii: *emere voluit*), *ità nos venumdare damnabiliter videamur.* Ex his magis magisque liquet, quod in præcedenti canone observabam, videlicèt tempore hujus Concilii Bracarensis passim Clericos occasionem quæsiisse pro rebus sacris pecuniam exigendi; quamobrèm operæ pretium fuit Sanctis Patribus effugia omnia præcludere, & veteres etiàm consuetudines abrogare. Solebant in Ecclesia Bracarensi eo tempore, quo sacra balsama à Cathedrali Ecclesia tribuebantur in Ecclesias rurales, exigi tremisses à singulis. (Tremisses erant tertia pars solidi, quemadmodùm constat ex lege Alamanorum, sive Capitulari Dagoberti Regis anni 630. tit. 6. num. 3. ibi: *Tremissus est tertia pars solidi, & sunt denarii quatuor.* Jungatur lex 3. Cod. de veste militari). Non erant hæc statim improbanda, cum essent vestigia Juris antiqui, quod Cathedralis Ecclesiis competebat. Cum enim olim quicumque Ecclesiarum inferiorum redditus non singulis Parochis, vel Parochiis ipsis cederent, sed ad Episcopos, vel Cathedrales Ecclesias deferrentur, ob eorumdem Episcoporum, & Cathedralium Ecclesiarum inopiam, ex quibus tamèn Episcopi iidem Parochis alimenta suppeditabant, quemadmodùm probari potest ex Concilio Aurelianensi I. anni 514. can. 15.; paulatim ditescentibus Ecclesiis Cathedralibus Episcopi singulas oblationes Parochiis factas singulis Parochiis reliquerunt, quibusdam tamèn reservatis in signum juris Episcopalis. Quod signum quemadmodùm in aliis Ecclesiis erat Cathedraticum, vel Synodaticum, tertia pars decimarum, & oblationum, vel simile quidpiam, ità in Bracarensi Ecclesia erat tremissus, qui Ecclesiis Cathedralibus ab inferioribus pendebatur tempore Paschali, quo sacrum Balsamum petebatur. Verùm, cum Simoniæ labes tum Clericos fermè omnes infecisset, visum fuit etiàm hanc occasionem avertere, ne fortè tremissi præstatione sacra Balsama vendi quodammodò viderentur.

Can. 103. caus. 1. q. 1.

Canon 103. caus. 1. quæst. 1. pertinet ad canonem 7. ejusdem Concilii, ubi eadem verba leguntur, nisi fortè quis

quis observatione dignum crediderit, quòd pro illis Gratiani verbis : *filios à baptismo retrahunt*, legatur in Concilio: *filios suos à baptismo retrahunt*; & pro illis: *qui si fortè dum differuntur*, legatur : *quod si forte dum differunt*; demùm pro illis: *quorum spolia pertimescentes*, habeatur in pluribus Codicibus : *quorum exspolia pertimescentes.*

Can. 1. caus. 1. q. 2. Canon 1. caus. 1. quæst. 2. hisce verbis legendus est ex can. 5. ejusdem Bracarensis Concilii : *Placuit, ut, quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirant; sed, si ipsi quidèm aliquid ex suo voto obtulerint, non respuatur. Si verò aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tantùm unusquisque Episcoporum meminerit, ut non priùs dedicet Ecclesiam, aut Basilicam, nisi anteà dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem* (legunt alii : *per ordinationem*) *Chartulæ confirmatum accipiat; nàm non levis est ista temeritas, si sine luminariis, sive sine sustentatione eorum, qui ibidèm servituti sunt* (legunt alii : *servituri sunt*) *tamquàm domus privata ità consecretur Ecclesia.*

Can. 1. caus. 2. q. 4. Cum canone 8. Concilii hujus Bracarensis juxtà vulgatam editionem consonat canon 1. caus. 2. quæst. 4., dummodò pro verbo illo postremo *accipiat*, legamus: *excipiat.*

Can. 12. caus. 10. q. 1. De can. 12. caus. 10. quæst. 1. nihil est, quod specialitèr observemus. Legitur ille eisdem omninò verbis in can. 1. Concilii hujus Bracarensis.

Can. 1. caus. 10. q. 3. Eisdem etiàm verbis legitur in can. 2. Bracarensi canon 1. caus. 10. quæst. 3., ubi tamèn in illis : *Et sarta tecta abstulit Ecclesiæ*, aliqui Codices habent : *Et sacra substulit Ecclesiæ.* De jure Episcoporum, Ecclesiarumque Cathedralium jam nonnulla disserui ad canonem 102. caus. 1. quæst. 1., qui est hujus Concilii, ubi observabam, Episcopos abdicasse à se administrationem integram oblationum, quæ fiebant Ecclesiis inferioribus, retento sibi aliquo jure in signum veteris, atque ordinariæ potestatis. Inter cetera jura hoc erat in Bracarensi Provincia, ut Episcopi duos solidos exigerent, quotiès Parochias suas lustrarent. Quòd si quispiam de solidorum hujusmodi valore quæreret, dixerim, varium fuisse apùd veteres, nec adeò facilè definiri posse, qualis in Bracarensi Provincia fuerit. Apùd Romanos veteres dicebatur summa aurea continens centum sextertios, uti deduci potest ex l. 5. §. *prætor* de his, qui dejecer., vel effuder. comparata cum §. *item his cui* instit. de obligat. quæ quasi ex delicto, & l. 47. de manum. testam. cum l. 8. & 9. de inoffic. testam. Erat propterea solidus septuagesima secunda pars libræ auri, l. *quotiescumque* Cod. de susceptoribus ; & solidus aureus olim viginti libris æris æstimabatur, l. un. Cod. de Collatione æris.

Can. 10. de cons. dist. 1. Canon 10. de cons. dist. 1. legitur eisdem verbis in can. 6. hujus Concilii, in quo reprobatæ sunt ejusmodi conditiones in ædificationibus Ecclesiarum, ut ædificator dimidiam oblationum partem lucraretur. Etsi enim fundatoribus concessum fuerit honestas conditiones apponere, minimè tamèn ipsis indulgendum fuerat, ut non causâ pietatis & religionis, sed potiùs quærendi lucri templa construerent.

Can. 25. de cons. dist. 3. Jam aliàs memini me animadvertisse, quemadmodùm olim Paschalis festivitas in Ecclesiis esset indicenda. Postquàm enim cautum apùd veteres fuisset, uno eodemque die Pascha in Ecclesiis universis celebrari debere, disputatum est de modo, quo Ecclesiarum conformitas hujusmodi faciliùs obtineretur. Et quidèm Orientales contendebant ad se pertinere designationem diei, præsertim Ægyptii, qui se Lunæ cursum maximè callere allegabant. Contrà Latini, qui sentiebant designationem diei esse à Pontifice Maximo tamquàm totius Ecclesiæ Principe expectandam. Pacata tamdèm fuit hæc controversia, statutumque, ut Ægyptii Episcopi per privatam Epistolam Pontificem Maximum certiorem facerent de die decimaquinta Lunæ Martiæ, ut dein idem Maxi-

ximus Pontifex commodè Paschales diem designaret, designatamque omnibus Ecclesiis, ipsis etiàm Ægyptiis, per Encyclicam palàm faceret, atque indiceret celebrandam. Indicebat Pontifex Maximus Metropolitanis, qui deindè singuli suis suffraganeis Episcopis ad Concilium convenientibus indicabant; demùm verò Episcopi omnes redeuntes à Synodo universo populo promulgabant. Ex his facilè percipitur sententia canonis 25. de cons. dist. 3., qui omninò consonat cum canone 9. Bracarensi.

Can. 55. de cons. dist. 4. Canonem 55. de cons. dist. 4. jam integrum retulerat Gratianus in can. 12. caus. 10. q. 1. ex can. 1. Bracarensi, ex quo adparet emendanda esse illa verba *spiritualiter doceantur*; sive enim in vulgatis Concilii exemplaribus, sive apùd eumdem Gratianum in memorato can. 12. legitur: *specialiter doceantur.*

De Concilio Bracarensi III.

Anno 675. celebratum est aliud Bracarense Concilium, quod tertium appellamus, apùd Labbeum verò dicitur quartum, sub Vvambano Rege, temporibus Adeodati Pontificis Maximi. Illud est Provinciale, in quod convenerant Episcopi octo à Leodecisio Archiepiscopo convocati. Novem in eo editi canones sunt, quorum prior fidei professionem continet, ceteri verò ad stabiliendam disciplinam Ecclesiasticam pertinent. Ex canone 4. hujus Concilii ità restituendus erit canon 9. dist. 23.

Can. 9. dist. 23. *Cum antiquâ Ecclesiasticâ noverimus institutione præfixum, ut omnis Sacerdos, cum ordinatur, orario utroque humero ambiatur, scilicèt, ut, qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & adversa, virtutum semper ornamento utrobiquè circumseptus adpareat, quâ ratione tempore Sacrificii non assumat, quod se in Sacramento accepisse non dubitatur? Prondè modis omnibus convenit, ut, quod quisque percepit in consecratione, hoc & retentet in oblatione, vel perceptione suæ salutis, scilicèt ut, cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, uc pro se Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quàm orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus; ità ut de uno, eodemque orario cervicem pariter, & utrumque humerum premens signum in suo pectore præferat Crucis. Siquis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subjaceat.* Ex his adparet, orarium illud, quod olim præ manibus gestabatur à Sacerdote, vel Diacono, ut ora prædicantes Dei verbum sudore madentia tergerent, vel ut Diaconi signa ab Altari, cui ministrabant, cathecumenis, aut pœnitentibus darent, paulatim translatum fuisse in Sacerdotale ornamentum mysticis quibusdam significationibus decoratum, quod hodiè *Stolæ* nomine appellamus.

In can. 7. ejusdem Bracarensis Concilii habetur eisdem omninò verbis canon 8. dist. 45., ex quo adparet vetus illa disciplina, de qua jam superiùs egi, videlicèt ut Episcopi adinstar Parentum, vel Præceptorum curæ inferiorum Clericorum invigilarent, eosque etiàm aliquorum delictorum reos flagello corrigerent. Hac autèm potestate cum aliquandò abuterentur severiores Episcopi, cautum in hoc canone animadvertimus, ne Episcopi verberibus pœnam exasperent, & percussores potiùs, quàm Pastores videantur. Posteriora hujus canonis verba: *excommunicationis pariter, & exilii sententiam sustinebit*, de pœna depositionis intelligenda sunt; apùd veteres enim Patres exilii, & depositionis nomina promiscuè sumebantur. Sic in Concilio Toletano XVII. legitur can. 6. *à proprii deponatur ordinis gradu, & perpetuò exulet.* Præsertim verò exulare quispiam ex viris Ecclesiasticis dicebatur, quotiès in Monasteriis pœnitentiam delictorum agebat: Hinc Anastasius in Stephanum IV. ait: *Sergius verò in Monasterium D. Scauri deportatus*; & Platina in Christophoro: *In Monasteria tamquàm in insulas Clerici malè de Ecclesia meriti tùm relegabantur.* Conferatur can. 2. caus. 21. q. 2.

Can. 8. dist. 45.

Ver-

Can. 2. caus. 12. q. 4.

Verba canonis 2. caus. 12. quæst. 4. ità legenda sunt ex can. 9. Bracarensi juxtà integra Concilii exemplaria: *Non decet Rectores Ecclesiæ in suis strenuos, & in Ecclesiasticis rebus esse remissos: Nàm quorumdam fertur opinio, quòd quidam Sacerdotum familias Ecclesiæ in suis propriis laboribus quassent, rei propriæ profectum augentes, Dominicis verò dispendium nutrientes. Undè, quicumque sub hoc neglectu* (ex his exorditur Gratianus) *res divinas laborare distulerit speciali placito* (id est, lege) *distringendus est; qualiter si de rebus, seu augumentis Ecclesiæ quæstum, vel labores rei propriæ auxit, ut ex hoc* (alii legunt: *quæstum laboribus suis proprie auxit, & ex hoc*) *Ecclesiasticis rebus aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem, vel perditionem induxit, quidquid in rebus Ecclesiæ minorationis exhibuit, aut minorationem, vel perditionem induxit, quidquid in rebus Ecclesiæ minorationis exhibuit, tantum de rebus propriis Ecclesiæ illi restituat, ex cujus rebus, atque suffragiis suos convictus fuerit ampliasse labores. Quòd si aliquid pro utilitatibus Ecclesiæ aut substantiæ expendit, aut dispendii, vel perditionis quidpiam pertulerit, si hoc comprobari potuerit, totum illi à rebus Ecclesiæ ejusdem reformabitur, pro cujus utilitate id expendisse probatur.*

CAPUT XXXIII.

De Concilio, quod dicitur Martini Papæ.

Hùc pertinent sequentes canones.

Can. 15. *dist.* 18. *ad canonem* 20. *Concilii Antiocheni referendus.*
Can. 32. *dist.* 23. *pertinet ad Concilia, Bracarense I., & Carthaginense IV.*
Can. 7. *dist.* 24. *ad canonem* 9. *Concilii Nicæni referendus.*
Can. 1. *dist.* 27. *ad canonem* 10., *aliàs* 9. *Concilii Ancyrani referendus.*
Can. 12. *dist.* 28. *pertinet ad Concilium Toletanum I.*
Can. 17. *dist.* 30. *pertinet ad Concilia Gangrense, Nicænum, & Ancyranum.*
Can. 12. *dist.* 34. *ad canonem* 8. *Concilii Neocæsareensis referendus.*
Can. 17. *dist.* 34. *ad canonem* 3. *Concilii Toletani I. referendus.*
Can. 18. *dist.* 34. *ad canonem* 4. *Concilii Toletani I. referendus.*
Can. 12. *dist.* 44. *pertinet ad Concilia, Laodicenum, & Carthaginense.*
Can. 8. *dist.* 50. *pertinet ad canones vulgò Apostolicos, & Concilium Ancyranum.*
Can. 22. *dist.* 50. *ad canonem* 15. *Ancyranum referendus.*
Can. 44. *dist.* 50. *pertinet ad canones Ancyranos.*
Can. 7. *dist.* 54. *ad canonem* 10. *Concilii Toletani I. referendus.*
Can. 9. *dist.* 55. *ad canonem* 1. *Nicænum referendus.*
Can. 8. *dist.* 63. *pertinet ad canones Laodicenos.*
Can. 7. *dist.* 64. *ad canonem* 4. *Nicænum referendus.*
Can. 2. *dist.* 65. *ad canonem* 19. *Antiochenum referendus.*
Can. 3. *dist.* 92. *ad canonem* 15. *Laodicenum referendus.*
Can. 4. *dist.* 92. *ad canonem* 18. *Antiochenum referendus.*
Can. 9. *dist.* 92. *ad canonem* 5. *Concilii Toletani I. referendus.*
Can. 11. *dist.* 95. *est referendus ad can.* 20. *Concilii Toletani I. juncto can.* 124. *de cons. dist.* 4.
Can. 67. *caus.* 1. *q.* 1. *referendus ad canones* 32., *&* 38. *Laodicenos.*
Can. 22. *caus.* 1. *q.* 7. *referendus ad canonem* 8. *Concilii Nicæni.*
Can. 2. *caus.* 6. *q.* 4. *ad canonem* 14. *Antiochenum referendus.*

Can.

Can. 4. *caus.* 8. *q.* 1. *ad canonem* 23. *Antiochenum referendus.*
Can. 1. *caus.* 9. *q.* 3. *ad canonem* 9. *Antiochenum referendus.*
Can. 7. *caus.* 10. *q.* 2. *ad canonem* 25. *Antiochenum referendus.*
Can. 8. *caus.* 10. *q.* 2. *pertinet ad Concilia Carthaginensia IV., & V.*
Can. 7. *caus.* 11. *q.* 3. *ad canonem* 4. *Antiochenum referendus.*
Can. 20. *caus.* 12. *q.* 1. *ad canonem* 24. *Antiochenum referendus.*
Can. 4. *caus.* 14. *q.* 4. *ad can.* 17. *Nicænum referendus.*
Can. 4. *caus.* 15. *q.* 8. *idem est cum can.* 9. *&* 10. *Neocæsareensi.*
Can. 38. *caus.* 17. *q.* 4. *ad canonem* 3. *Gangrensem referendus.*
Can. 5. *caus.* 21. *q.* 5. *ad canonem* 12. *Antiochenum referendus.*
Can. 3. *caus.* 26. *q.* 5. *ex nonnullorum Conciliorum canonibus compositus.*
Can. 6. *caus.* 26. *q.* 6. *referendus ad canonem* 9. *Concilii Nicæni.*
Can. 13. *caus.* 26. *q.* 7. *referendus ad canonem* 3. *caus.* 26. *q.* 5.
Can. 8. *caus.* 27. *q.* 1. *est potiùs Concilii Triburiensis.*
Can. 26. *caus.* 27. *q.* 1. *referendus ad Concilium Toletanum I.*
Can. 9. *caus.* 32. *q.* 7. *referendus ad canonem* 3. *Neocæsareensis Concilii.*
Can. 9. *caus.* 33. *q.* 4. *referendus ad canones* 51., *&* 52. *Laodicenos.*
Can. 29. *de cons. dist.* 1. *referendus ad canones Arelatensem, & Turonensem.*
Can. 4. *de cons. dist.* 2. *referendus ad canonem* 24. *Concilii Carthaginensis III.*
Can. 18. *de cons. dist.* 2. *referendus ad canonem* 2. *Concilii Antiocheni.*
Can. 7. *de cons. dist.* 3. *referendus ad canonem* 50. *Laodicenum.*
Can. 59. *de cons. dist.* 4. *referendus ad canones* 45., *&* 46. *Laodicenos.*
Can. 116. *de cons. dist.* 4. *referendus ad canonem* 6. *Neocæsareensis Concilii.*
Can. 124. *de cons. dist.* 4. *referendus ad can.* 11. *dist.* 95.

QUod nomine Martini Papæ Concilium à Gratiano laudatur, non illud est, quod anno 649. congregatis quinque suprà centum Episcopis adversùs Monothelitarum hæresim Romæ celebravit Martinus I. Pontifex Maximus. Potiùs ad illa refertur Concilia, quæ Martinus Bracarensis Episcopus veterum Conciliorum, præsertim Orientalium nomine collegit propè finem sexti sæculi. Jam superiùs in præfatione hujus operis & patriam, & indolem, & studia Martini Bracarensis exhibui. Paucis hic perstringam, eum fuisse Natione Græcum, vel, ut aliis lubet, Galliæ originarium, qui tamèn apùd Græcos à puero plurimùm est commoratus, deindè verò in Hispaniam perrexisse, in qua constitutus est Episcopus Bracarensis. Ut autèm erat Græcarum rerum, quas à tenera ætate susceperat, amantissimus sedulam impendit operam, ut Græcos vetustos canones latinitate donaret, & suis sequendos proponeret: ne tamèn videretur res Hispanicas negligere, Græcis canonibus aliquot capita Conciliorum Toletanorum, & Bracarensium adnexuit. Verùm in referendis canonibus non satis integra fuit ejusdem fides; ut enim omittam, græcos, latinosve Codices eo tempore jam fuisse corruptos, quemadmodùm jam in præfatione hujus operis prænotavi, animadvertunt Garzias Loaisa in præfatione ad Capitula Martini Bracarensis, & præter ceteros Antonius Augustinus de Collectoribus canonum in parte 2. Epitomes Juris Pontificii, Martinum capitulis græcis aliqua ex latinis addidisse, aliqua etiàm detraxisse, aliquandò præterea non ità latina fecisse, quemadmodùm græcè habebantur, sed ex duobus, vel tribus capitibus unicam sententiam conscripsisse. Integrum hoc opus, quale editum est, continet capita 84., seu juxtà aliorum editiones 85., in quibus scilicèt distributum est in duo caput 72. Duas hæc Collectio partes habet, in quarum priore de Clericis, in altera de Laicis agitur. Edidit

hoc

hoc opusculum Joannes Doviatius adscriptis ad margines optimo studio tum variis lectionibus, tum canonibus Conciliorum, ex quibus capitula quæque ab auctore primùm deprompta fuerant; & habetur in Appendice tom. 1. Bibliothecæ Juris Canonici veteris Guillielmi Voelli, & Henrici Justelli. Hæc itaquè illa capitula sunt, quæ Gratianus modò nomine Concilii Martini Papæ retulit, modò Capitulorum Martini, quæ propterea hoc in loco universa complexus sum, singula, quoad fieri poterit, ad sua loca, & ad fontium ipsorum exemplaria exacturus juxtà editionem Doviatii probatissimam.

In capite 18. Collectionis Martinianæ habetur canon 15. dist. 18., qui pertinet ad canonem 20. Concilii Antiocheni, quem jam suo loco retulimus ad canonem 4. dist. 18. Doviatius ità exhibuit. Can. 15. dist. 18.

Canon Martini.

Proptèr Ecclesiasticas curas, & altercationum solutiones, benè placuit per singulas Provincias bis in anno Concilium fieri, convocante Metropolitano Episcopo omnes Provinciæ (*alii Codices habent*: Provinciales) Episcopos, ità ut ad Concilium præcedant (*legunt alii*, ut Concilium præcedant, *alii*: ut in his Conciliis procedant) omnes Presbyteri, & Diacones, vel hi, qui se læsos existimant, ut in Concilio (*legunt alii*: ut eorum, qui se læsos existimant in Concilio) causæ examinatæ, ad justum judicium perducantur: (*legunt alii*: prodantur.) Et siqui manifestè Episcopi, vel Presbyteri, aut Diaconi inventi fuerint in offensa, secundùm rationem excommunicentur, quandiù communi consensu de his placuerit dare (*legunt alii*: placuit dari) sententiam. Nulli autèm Episcopo liceat propria apùd semetipsum Concilia facere, præter eos, quibus Metropoles sunt creditæ. (*legunt alii*: qui sunt Metropolis.)

Canon Antiochenus.

Proptèr Ecclesiasticas causas, & quæ existunt controversias dissolvendas, sufficere visum est bis in anno per singulas Provincias Episcoporum Concilium fieri. Semèl quidèm pòst tertiam hebdomadam Paschalis festivitatis, ità ut in quarta hebdomada, quæ consequitur, id est, mediâ Pentecoste, Concilium compleatur. Admoneant autèm Provinciales Episcopos hi, qui in amplioribus, id est, qui in Metropolitanis Civitatibus degunt. Secundum vorò Concilium idibus Octobribus habeatur, qui dies apùd Græcos Hyperberetæi mensis decimus invenitur. In ipsis autèm Conciliis & Presbyteros, & Diaconos præsentes esse oportet, & omnes quotquot se læsos existimant, & Synodicam expectare sententiam. Ne liceat aliquibus apùd semetipsos Concilia sine Metropolitanorum Episcoporum conscientiâ facere, quibus de omnibus causis constat esse permissum judicium.

In canone 32. dist. 23. Gratianus exhibet duo Martini Bracarensis capita 41., & 66., quorum prius referendum est ad Concilium Bracarense I. can. 28., posterius ad Concilia Carthaginense IV. can. 44., & 45., & Bracarense I. can. 29. Exhibebo hic omnes hujusmodi canones, ut ab unoquoque facilè invicèm conferri possint, & Martini sententiæ ad optima exemplaria exigi. Can. 32. dist. 23.

Canon 41. Martini.

Non liceat cuilibet ministeria tan-

Can. 28. Bracarensis.

Placuit, ut non liceat cuilibet ex Lectori-

gere (*legunt alii*: non liceat quemlibet ministrorum tangere) *nisi Subdiacono*, aut Acolytho in Secretario (*legunt alii*: in Secretorio) vasa Dominica.

bus sacra altaris vasa portare, nec aliis: nisi his, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.

Can. 66. *Martini.*

Non oportet Clericos comam nutrire, & sic ministrare; sed attonso capite, patentibus auribus, & secundùm Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ornato. *Legunt alii*: in habitu ordinato.

Canon 44. Concilii Carthaginensis IV.

Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.

Can 45. ejusdem Concilii.

Clericus professionem suam & in habitu, & in incessu probet; & ideò nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat.

Canon 29. Concilii Bracarensis I.

Itèm placuit, ut Lectores in Ecclesia in habitu sæculari ordinati non psallant, neque granos gentili ritu dimittant.

Ex his adparet, Martinum Bracarensem, uti diximus, non satis accuratè aut verba, aut sententiam Conciliorum descripsisse, sed generatim ex illis quædam composuisse ad disciplinam Ecclesiasticam tradendam, qualem in sua Provincia obtinere exoptabat. De *Granis*, de quibus sermo est in memorato Bracarensi canone mentionem fecit S. Isidorus Hispalensis in lib. 19. Ethymolog. cap. 23. scribens, fuisse vestes Gothorum peculiares ad pompam adhibitas; quamquàm enim illarum figura hodiè exprimi difficilè possit, tamèn generatim agnoscimus fuisse ad ostentationem compositas ex his laudati Isidori verbis: *Nonnullæ etiàm gentes non solùm in vestibus, sed & in corpore aliqua sibi propria quasi insignia vindicant, ut videmus cirros Germanorum, granos, & cinnabar Gothorum &c.*

Canon 7. dist. 24. habetur in cap. Concilii Nicæni cum capite Martini collatum his verbis.

Can. 7. dist. 24. Collectionis Martini Bracarensis. Ibi Doviatius etiàm retulit canonem 9.

Caput Martini 24.

Canon Concilii Nicæni.

Siquis Presbyter, aut Diaconus sine aliqua examinatione ordinati sunt; aut certè, cum discuterentur criminosa peccata confessi sunt (*legunt alii*: confessi sunt criminosa peccata sua. *Alii*: criminosa peccata sua celaverunt:) aut pòst ordinationem ab aliis sunt detecti, abjiciantur ex Clero, (*alii legunt* à Clero): similitèr verò & de universo ordine Cleri-

Siqui sine examinatione promoti Presbyteri sunt, & posteà examinati, confessi sunt peccata sua; & cum confessi fuissent, contrà regulam venientes homines manus eis temerè imposuerunt; hos Ecclesiasticus ordo non recipit. In omnibus enim, quod irreprehensibile est, defendit Ecclesia. Hunc eumdem canonem jam retulerat Gratianus in can. 4. dist. 81.

ricorum (*legunt alii* Cleri) servetur: Nâm hoc sibi, quod irreprehensibile est, Sancta Catholica defendit Ecclesia.

Can. 1. dist. 29. Depravatus est canon 1., aliàs 9. Concilii Ancyrani apùd Martinum eumdem Bracarensem in cap. 39. Collectionis ejusdem. Exhibebo hic etiàm utrumque fragmentum, sive Martinianum, sive Ancyranum; licèt jam Ancyranum eumdem canonem retulerim, ubi de can. 8. dist. 28.

Canon Martini.

Diaconus, qui eligitur (*legunt alii*: Siquis ad ministerium Diaconatus eligitur) si contestatus (*legunt alii* sicùt testatus) fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit non posse (*alii legunt*: se non posse) in castitate permanere, hic non ordinetur. Quòd si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & posteà matrimonium desideraverit, alienus sit à ministerio, & vacet à Clero.

Nemo sanè ex his non videt, quantùm ab Ancyrani Concilii sententia distet in hoc canone Martinus Bracarensis, ideò fortè sententiam Concilii detorquens, ut aliàs animadverti, ut

Canon Ancyranus.

Diaconi quicumque, cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes se velle habere uxores, nec posse se continere; hi, si posteà ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quòd his Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem professi continentiam, si posteà ad nuptias convenerint, à ministerio cessare debebunt.

Græcorum consuetudines non reciperet apùd suos, immò Græcos ipsos canones suarum Provinciarum disciplinæ accommodaret.

Can. 12. dist. 28. Canon 12. dist. 28. habetur in cap. 29. Martini Bracarensis, & quidèm eisdem omninò verbis, in quibus animadvertendum est, postrema illa: *morienti tamèn ei Sacramenta subveniant*, in nonnullis quidèm Martini exemplaribus ità haberi; in aliis autèm legi: *morienti tantùm ei Sacramenta subveniant*; & in aliis *subvenient*. Pertinent autèm hæc ad Concilium Toletanum I. anni circitèr 400.,

Canon 57. Martini.

Siquis Presbyter, publicâ pœnitentiâ à Sacerdote accepta, (*legunt alii*: propter publicam pœnitentiam à Sacerdote acceptam), aut aliquâ necessitate die Dominicâ pro quadam religione jejunaverit, sicut Manichæi, anathema sit. Similitèr quia, quod ab Apostolis traditum in quo eadem omninò verba habentur, & in fine ità legitur: *morienti tantùm ei Sacramentum subveniat.*

In can. 17. dist. 30. habentur duo Martini fragmenta, videlicèt caput 57., & 58. collectionis ejusdem, in quibus referuntur tres veterum Conciliorum canones, canon 18. Gangrensis, canon 20. Nicænus, & canon 13., aliàs 14. Ancyranus. Can. 17. dist. 30.

Canon 18. Gangrensis.

Siquis, tanquàm hoc continentiæ convenire judicans, die Dominico jejunaverit in ejusdem diei contemptum, anathema sit.

Canon 20. Nicænus.

Quoniàm sunt in die Dominica quidam

tum est, canon tenet antiquus, placuit, ut per omnes Dominicas, & per omnes dies Paschæ usquè ad Quinquagesimam non prosternant se in oratione humilitatis, sed recto vultu ad dominum fungantur orationis officio. (*legunt alii*: prostrati nec humiliati, sed erecto vultu ad Dominum orationum fungantur officio) quia in his diebus gaudium resurrectionis Domini (*legunt alii*: Dominicæ) celebramus.

ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentecostes; propterea itaque constitutum est à Sancta Synodo, quoniam consona, & conveniens per omnes Ecclesias custodienda consuetudo est, ut stantes ad orationem Domino vota reddamus.

Canon 58. *Martini.*

Siquis non pro abstinentia, sed pro execratione escarum (*legunt alii*: ab esu carnium) abstinet, placuit sancto Concilio, ut prægustet; & sic, si vult abstinere, abstineat. Si autem spernit, ita ut olera cocta cum carnibus non degustet, iste, non obediens, nec suspicionem hæresis à se removens, deponatur ab ordine Clericatus. *Legunt alii*: Clericorum.

Canon 13. aliàs 14. Ancyranus.

De his, qui in Clero sunt Presbyteri, vel Diaconi, & abstinent se à carnibus: hoc placuit statui, ut non eas tanquàm immundas contemnant, sed contingant. A quibus quidem si se abstinere volunt, habeant potestatem, ità tamen, ut, si quandò cum oleribus coquuntur, eadem tanquàm carnibus polluta non judicent, sed ex his cibum assumant, quamvis à carnibus se abstineant. Quòd si immundas in tantum eas, & abominabiles judicaverint, ut nec olera, quæ cum carnibus coquuntur, æstiment comedenda, tanquàm non consentientes huic regulæ cessare eos oportet & à ministerio, & ordine suo.

Can. 12. dist. 34. Canon 12. dist. 34. habetur apùd Martinum Bracarensem in cap. 28. eisdem omninò verbis; pertinet autem ad canonem 8. Concilii Neocæsareensis, quem jam suo loco retulimus ad canonem 11. dist. 34.

Canon 43. *Martini.*

Lector si viduam alterius uxorem acceperit, in Lectoratu (*legunt alii*: in Lectoris statu) permaneat; aut, si fortè necessitas sit, Subdiaconus (*legunt alii*: Diaconus) fiat; nihil autem suprà. Similitèr & si bigamus fuerit.

Canon 44. *Martini.*

Si Subdiaconus secundam duxerit uxo-

In canones 17., & 18. dist. 34. referuntur capita 43., & 44. Collectionis Martini, quæ tribuenda sunt Concilio Toletano I. can. 3. & 4., quorum verba cum dissonent à capitibus Martini hic conferenda erunt. Can. 17. & 18. dist. 34.

Canon 3. Toletanus.

Item constituit Sancta Synodus, ut Lector fidelis, si viduam alterius uxorem acceperit, amplius nihil sit.

Canon 4. Toletanus.

Subdiaconus autem, defunctâ uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Ostiarios, vel Lectores, ità ut Evangelium,

&

uxorem, inter Lectores, vel Ostiarios habeatur, ità ut Apostolum non legat. *& Apostolum non legat.*

Can. 12. dist. 44. Juvabit hic quoquè referre capita 61. & 65. Martini Bracarensis conferenda cum canone 12. Concilii Carthaginensis apùd Ivonem parte 6. cap. 256., & cum Concilio Laodiceno can. 55., quæ juncta retulit Gratianus in can. 12. dist. 44.

Canon 61 apùd Martinum.

Non liceat Sacerdotes, vel Clericos, sed nec Religiosos Laicos convivia facere de confertis.

Canon 55. Laodicenus.

Non oportet ministros Altaris, vel quoslibet Clericos, aut etiàm Laicos Christianos ex symbolis, quæ vulgus commissales appellat, convivia celebrare. Hunc canonem jam expendimus ad can. 10. dist. 44.

Canon 65. apùd Martinum.

Non oportet Clericos, vel Laicos Religiosos antè sacram horam diei tertiam inire convivia: neque aliquandò Clericos, nisi hymno dicto, edere panem, & post cibos gratias Auctori Deo referre.

Canon Carthaginensis apùd Ivonem.

Non oportet Clericos, vel Laicos Religiosos antè sacram horam diei tertiam inire convivia: neque aliquandò Clericos, nisi hymno dicto, Ecclesiæ panem sumere, & pòst cibum gratias Auctori Deo referre. Hæc posteriora, quæ ex Concilio Carthaginensi referuntur apùd Ivonem, habentur etiàm in Capitularibus Regum Francorum, quemadmodùm constat ex additione 4. Capitularium cap. 69. in editione Parisiensi anni 1677.

Can. 8. dist. 50. Canon 8. dist. 50. legitur in cap. 26. Martini Bracarensis, qui referendus est ad canonem 17. aliàs 18. ex iis, qui Apostolici nuncupantur, & ad canonem 21. Ancyrani Concilii. Quoniàm verò non tam Martinus à memoratorum Conciliorum verbis recessit, quàm Gratianus à Collectione Martini, juvabit etiàm hic & caput Martini, & capita Conciliorum describere.

Caput 26. Martini.

Siquis viduam, aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad Clerum (*legunt alii*: ad Clericatum). Quòd si obrepserit, dejiciatur. Similitèr si homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione (*legunt alii*: aut assensione) pòst baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur, & in finem vitæ suæ communionem recipiat (*le-*

Canon Apostolicus.

Siquis viduam, & ejectam acceperit, aut meretricem, ancillam, vel aliquam de his, quæ publicis spectaculis mancipantur, non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eo numero, qui ministerio sacro deserviunt.

Canon 21. Ancyranus.

Qui volentes homicidium fecerunt, ad pœ-

(*legunt alii* : accipiat, *alii* : non recipiat.) *pœnitentiam quidèm jugiter se submittant, circà autèm exitum vitæ communione digni habeantur.*

Can. 22. dist. 50. Canon 22. dist. 50. habetur quidèm inter capitula Martini Bracarensis num. 17., ubi tamèn non omnes Codices prorsùs consonant; quorum verba hic referam unà cum canone 15. Concilii Ancyrani, quem Martinus describere volebat.

Canon Martini.

Siquis Prebyter, aut Diaconus inventus fuerit aliquid de ministeriis Ecclesiæ (*legunt alii* : de vasis ministerii Ecclesiæ) venumdasse (*alii* : venumdedisse), quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione Ecclesiastica non haberi. In judicio tamèn Episcopi dimittendus est, sive dignus sit, sive indignus, ut in suo recipi debeat gradu (*legunt alii* : dimittendum esse, sive dignus sit, sive indignus : *alii* : sive dignus est, sive indignus, in suum recipi gradum,) Quia multotiès hoc ipsum (*legunt alii* : quia multotiès pro hoc ipso) quod de Sacrosancto Altario contaminatum est, id in Episcopi (*legunt alii*: Altario intaminaverunt, cum Episcopi) potestate dimissum est.

Canon 15. Ancyranus.

Siqua de rebus Episcopi, cum Episcopus non est, Presbyteri vendiderint, placuit rescisso contractu ad jus Ecclesiasticum revocari. In judicio autèm erit Episcopi constitutum, si pretium debeat recipi, nec ne. Propter quod sæpè contingit, distractarum rerum redditus ampliorem summam pro accepto pretio reddi.

Can. 44. dist. 50. In canone 44. dist. 50. eisdem omninò verbis legitur caput 78. Martini Bracarensis, ubi Collector perstrinxit sententiam duorum canonum Concilii Ancyrani. Prior est canon 21. aliàs 22. his verbis à Dovitiatio descriptus : *Qui volentes homicidium fecerunt, ad pœnitentiam quidem jugitèr se submittant, circà autèm exitum vitæ communione digni habeantur.* Posterior est canon 22. aliàs 23. ibi : *Eos verò, qui non voluntate, sed casu homicidium fecerint, prior quidèm regula pòst septem tantùm annorum pœnitentiam communioni sociavit secundùm gradus constitutos : hæc verò humana definitio quinquennii tempus tribuit.* Jam hæc eadem retulerat Gratianus in can. 42. dist. 50.

Eisdem etiàm verbis refertur in capite 46. Martini Bracarensis canon 7. dist. 54., cujus tamèn verba paullò aliter legenda sunt ex can. 10. Concilii Toletani I. ibi : *Clericos, siqui obligati sint, vel pro æquatione, vel de genere alicujus domus, non ordinandos, nisi probatæ vitæ fuerint, & patroni consensus accesserit.* Observandum, ibi *de genere alicujus domus* illos adpellari, qui ad familiam alicujus pertinebant, videlicèt qui vel servi extiterunt, vel ex servis nati, qui tamèn eâ conditione manumissi fuerunt, ut colonatui Patroni sui tàm ipsi, quàm eorum filii addicti essent.

Can. 7. dist. 54.

Caput 21. Martini Bracarensis, qui exceptus est ex can. 1. Nicæno, refertur apùd Gratianum in can. 9. dist. 55. & quidèm Nicænum canonem jam suo lo-

Can. 9. dist. 55.

loco exposui ad can. 7. dist. 55. verùm & hic juvabit cum capite Martini conferre, cum præsertim Gratianus non integrè Martini editionem sequutus fuerit.

Canon Martini.

Siquis pro ægritudine (*legunt aliqui*: præ ægritudine, *alii*: pro causa ægritudinis) naturalia à medicis habuerit secta; similitèr & qui à barbaris, aut à Dominis stultis fuerint castrati, & moribus digni fuerint visi, hos canon admittit ad Clericatus officium promoveri. Siquis autèm sanus, non per disciplinam religionis, & abstinentiæ, sed per abscissionem plasmati à Deo corporis existimans (*legunt alii*: existimat) posse à se carnales concupiscentias amputari, castraverit se, non eum admitti decernimus ad aliquod Clericatus officium. Quòd si jam antè fuerit, (*alii legunt*: fuerat) promotus ad Clerum, prohibitus à suo ministerio deponatur.

Canon Nicænus.

Siquis in ægritudine, vel à Medicis sectus e., vel à barbaris castratus, placuit, ut iste permaneat in Clero. Siquis autèm sanus seipsum abscidit, etiamsi est in Clero, cessare debet: & ex hoc nullum talem ordinari. Sicùt autèm de his, qui vel affectaverunt hæc, vel ausi sunt se ipsos abscindere, hæc, quæ diximus, statuta sunt; ità siquis à barbaris, vel à Dominis suis sectus, & probabilis vitæ sunt, suscipit Ecclesiastica regula ad Clerum.*

Can. 8. dist. 63. Can. 8. dist. 63. referendus est ad canones 12., & 13. Concilii Laodiceni, quorum verba perstrinxit Martinus Bracarensis in suo canone 1.

Canon Martini.

Non licet (*alii legunt*: non liceat populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur (*legunt alii*: provocantur), sed judicium sit Episcoporum, (*legunt alii*: judicium Episcoporum est) ut ipsi eum, qui ordinandus est, probent, si in sermone, & fide, & in spirituali (*legunt alii*: spiritali) vitâ edoctus sit.

Canon 13. Laodicenus.

De eo, quòd non sit populis concedendum electionem facere eorum, qui altaris ministerio sunt applicandi.

Canon 12. Laodicenus.

Episcopum non oportet præter judicium Metropolitanorum, & finitimorum Episcoporum constitui ad Ecclesiæ Principatum. Non eligantur, nisi quos multò antè nota probabilis vitæ commendat: & nihilominùs, si in sermone fidei, & recta ratione per suam conversationem fuerint probati.

Can. 7. dist. 64. Can. 7. dist. 64. habetur in cap. 2. Collectionis Martini Bracarensis, & quidèm eisdem omninò verbis: dummodò adnotemus, pro verbo illo *eligantur* in aliquibus editionibus legi: *colligantur*. Siquis contulerit hunc canonem 7. cum can. 1. dist. 64. agnoscet statim, fragmentum Martini Bracarensis pertinere ad can. 4. Concilii Nicæni, quem Doviatius ità exhibuit: *Episcopum oportet*

ab

ab omnibus Episcopis, si fieri potest, qui sunt in ejus Provincia, ordinari. Si verò hoc difficile fuerit, vel aliquâ urgente necessitate, vel itineris longitudine, certè tres Episcopi debent in unum esse congregati, ità ut etiàm ceterorum, qui absentes sunt, consensum literis teneant, & ità faciant ordinationem. Potestas sanè, vel confirmatio pertinebit per singulas Provincias ad Metropolitanum Episcopum.

Can. 2. dist. 65. Sequitur apùd Martinum Bracarensem in cap. 3. can. 19. ex Antiochenis, quem tamèn paulò alitèr idem Martinus interpretatus est. Gratianus Martini ejusdem verba retulit in can. 2. dist. 65., quemadmodùm verba Antiocheni Concilii in can. 3. ejusdem distinctionis. Non gravabor tamèn utrumque fragmentum hoc in loco conferre cum Doviatio, exhibitis etiàm Codicum varietatibus, in quibus Martini fragmentum paulò alitèr describi vìdetur.

Canon Martini.

Non debet ordinari Episcopus absquè consilio, & præsentia (*legunt alii*: vel præsentia; *alii*: & præscientia) Metropolitani Episcopi. Adesse autèm oportet omnes, qui sunt in Provincia Sacerdotes, quos per suam debet Epistolam Metropolitanus convocare. Et quidèm si omnes concurrerint, benè: (*legunt alii*: & si quidèm omnes occurrerent, meliùs.) Si autèm hoc difficile fuerit, plures oportet concurrere (*alii*: pluriores oportet occurrere.) Qui autèm non convenerint, præsentiam sui per suas Epistolas faciant. Et sic omnium facto consensu, ordinationem Episcopi fieri oportet. Si autèm alitèr, præter quod à nobis terminatum est, fuerit factum, talem ordinationem nihil valere (*legunt alii*: prævalere) decernimus. Si autèm secundùm canones ordinatio Episcopi fuerit facta, & aliquis cum malitia (*legunt alii*: si quis cum malitia: *alii*: & aliquis contrà sua malitia: *alii*: & aliquis cum sua malitia) in aliquo contradixerit, plurimorum consensus (*legunt alii*: sensus) obtineat.

Canon Antiochenus.

Episcopum non ordinandum sine consilio, & præscientia Metropolitani Episcopi; cui melius erit, si ex omni Provincia congregentur Episcopi. Quòd si fieri non potest, hi, qui adesse non possunt, propriis literis consensum suum de ipso designent. Et tùnc demùm pòst plurimorum sive per præsentiam, sive per literas consensum, sententia consona ordinetur. Quòd si alitèr, quàm statutum est, fiat, nihil valere hujusmodi ordinationem. Si verò etiàm secundùm definitas regulas ordinatio celebratur, contradicant autèm aliqui propter proprias domesticas simultates, his contemptis, sententia de eo obtineat plurimorum.

Can. 3. dist. 92. Paucis verbis perstrinxit Martinus Bracarensis in cap. 45. suæ Collectionis canonem 15. Concilii Laodiceni, qui ità exprimendus erat: *Non licere præter canonicos psaltes, id est, qui regulariter cantores existunt, quique pulpitum ascendunt, & de Codice legunt, alium quemlibet in Ecclesia psallere.* Gratianus verba Martini Bracarensis retulit in can. 3. dist. 92.

In can. 4. dist. 92. habetur caput 10. Martini Bracarensis, quod pertinet ad can. 18. Concilii Antiocheni, sive can. 5. eadem dist. 92. apùd Gratianum Doviatius ità utrumque fragmentum contulit.

Ca-

Canon Martini.

Siquis Episcopus ordinatus per contentionem populi, (*legunt alii* : pro contentione populi), aut pro aliqua alia ratione, & non pro sua culpa, in Parochiam (*legunt alii* : in Parochia) quæ ei fuerit data, non ierit (*legunt alii* : non læsit) hunc oportet honorem Sacerdotii (*legunt alii* ordinem Sacerdotum) tantummodò contingere, (*alii* continere) ità, ut de rebus Ecclesiæ, in quam convenit, nihil sibi præsumat. Sustineat autèm, quid de eo sanctum Concilium judicare voluerit.

Canon Antiochenus.

Siquis Episcopus ordinatus non abierit in Parochiam, cui ordinatus est; si non suo vitio, sed plebis forsitàn contradictione; hic honorem susceptum retinere debebit, & Sacerdotio fungi : ità ut nihil molestiæ afferat Ecclesiæ illi, in quam fuerat constitutus. Expectare autèm eum oportet Provinciæ plenam Synodum, donec de eo, quod competit, statuatur.

Can. 9. dist. 92. Caput 63. Martini Bracarensis eisdem omninò verbis refertur apùd Gratianum in can. 9. dist. 92.; referendum autèm est ad Concilium Toletanum I. can. 5., cujus hæc sententia est : *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intrà civitatem non fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut vico, aut villa, & ad Ecclesiam ad Sacrificium quotidianum non accesserit, Clericus non habeatur, si castigatus per satisfactionem veniam ab Episcopo noluerit promereri* : Ex his adparet editionem illam Codicis Martini, in qua in dicto capite 63. habetur *psallendi Sacrificium*, anteferendum esse aliis Codicibus, in quibus legitur *psallendi officium*; priora enim verba magis convenire videntur Toletano Concilio, ex quo Martini canon depromptus fuerat.

Quod Gratianus retulit in can 11. dist. 95., repetiit in can. 124. de cons. dist. 4., ubi tria Martini Bracarensis capita descripta sunt, videlicèt 51., 52., & 53., quæ pertinent ad Concilium Toletanum I. can. 20., & ad Concilium Laodicenum can. 56. Dabo hujusmodi capita invicèm etiàm conferenda. Can. 11. dist. 95. Can. 124. de cons. dist. 4.

Canon 51. Martini.

Omni tempore Episcopo (*legunt alii*: Episcopis) liceat chrisma conficere, & per suas Diœceses destinare, ità ut ad dirigendum Chrisma Diaconus, aut Subdiaconus antè diem Paschæ de singulis Ecclesiis ad Episcopum destinetur.

Canon 20. Concilii Toletani I.

Placuit, ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, chrisma conficere, & per Diœcesim destinare, ità ut de singulis Ecclesiis ad Episcopum antè diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, qui confectum chrisma ab Episcopo, destinatum ad diem Pascha, possint ad tempus deferre. Episcopus sanè certum est, quod omni tempore possit chrisma conficere. Sine conscientia autèm Episcopi nihil penitùs presbyteri agere præsumant.

Canon 52. Martini.

Presbyter, præsente Episcopo, non signet infantes, nisi fortè ab Episcopo fuerit illi præceptum.

Canon 53. Martini.

Non liceat Presbytero, priùs Epis-

Idem canon 20. sub finem.

Statutum verò est, Diaconum non chris-

copo (*legunt alii*: priùs ab Episcopo) introire in baptisterium, sed cum Episcopo, nisi fortè aut absens fuerit, aut ægrotus.

mare, sed Presbyterum, absente Episcopo: præsente verò non, nisi ab Episcopo fuerit præceptum.

Can. 56. Laodicenus.

Non oportet Presbyteros antè ingressum Episcopi ingredi Ecclesiam, & sedere in tribunalibus; sed cum Episcopo ingredi: nisi fortè aut ægrotet Episcopus, aut in peregrinationis commodo eum abesse constiterit.

Can. 63. caus. 1. q. 1.

Quod nomine Concilii Laodiceni retulerat Gratianus in can. 66. caus. 1. quæst. 1., idipsum retulit nomine Concilii Martini Papæ in canone sequenti, sive 67. Sanè Martinus Bracarensis eisdem verbis, quæ apùd Gratianum habentur, perstrinxerat can. 32., & 38. Loadicenos. Ità autèm legitur in ipsomet Laodiceno Concilio can. 32. *Non oportet hæreticorum benedictiones accipere, quoniàm maledictiones magis sunt, quàm benedictiones*; & can. 38. *Non oportet cum hæreticis, vel schismaticis orare.*

Can. 22. caus. 1. q. 7.

In can. 22. caus. 1. quæst. 7. habemus integrum caput 36. Martini Bracarensis, in cujus tamèn Codicibus non consona ubiquè sunt postrema verba; etsi enim in vulgatis legatur: *si in aliqua hæresis opinione fuerint nominati*; legunt tamèn alii: *si in aliquam hæresis opinionem fuerint nominati.* Doviatius refert hunc canonem ad Concilium Nicænum cap. 8. ibi: *Siqui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis, placuit sancto Concilio, ut ordinentur, & sic maneant in Clero. Ante omnia autèm hanc habeant confessionem, quam per Scripturam exigi oportet, ut fateantur, se communi consensu Catholicæ Ecclesiæ statuta observaturos.* Hunc canonem jam expendimus ad can. 8. caus. 1. quæst. 7. Hùc quoquè referri possent Decreta Leonis Magni, à Dionysio Exiguo edita cap. 14. cujus fragmenta habemus in can. 42., & 112. caus. 1. quæst. 1., cap. 21. caus. 1. quæst. 7., & in can. 1. dist. 86.

Eisdem omninò verbis descriptum est in can. 2. caus. 6. quæst. 4. caput 13. Martini Bracarensis; non tamèn cum illo eisdem verbis consonare videtur can. 14. Antiochenus, ad quem referendum est. Ità exhibet Doviatius; *Siquis Episcopus de aliquibus causis criminalibus in judicio Episcoporum fuerit accusatus, contingat autèm de ipsis Episcopis Provinciæ, qui convenerunt, diversas habere sententias; & alios quidèm innocentem eum pronunciare, alios reum; propter hujusmodi itaquè controversiam amputandam, placuit Sanctæ Synodo Metropolitanum Episcopum alterius Provinciæ vicinæ advocari, & aliquantos cum eo Episcopos alios. Qui paritèr residentes, quicumque fuerint, dirimant quæstionem, propter hoc, ut firmum sit judicium, quod ab unius Provinciæ Episcopis fuerit promulgatum.* De hoc canone jam egimus ad can. 1. caus. 6. quæst. 4.

Can. 2. caus. 6. q. 4.

Quod Gratianus jam ex Concilio Antiocheno in can. 3. caus. 8. quæst. 1. retulit ipse in can. 4. caus. 8. quæst. 1. ex Concilio Martini Papæ: & quidèm verba can. 4. consonant cum capite 8. Martini Bracarensis, quod Doviatius retulit ad can. 23. Antiochenum his verbis: *Episcopum non debere tamquàm successorem sibi futurum constituere alterum, quamvis circà vicina mortis habeatur. Quòd si tale aliquid factum fuerit, irrità sit hujusmodi ordinatio. Custodire autèm debet Ecclesiastica constituta, quæ ità se continent, non posse aliter Episcopum fieri, nisi in Concilio, & cum consensu Episcoporum, eorum dumtaxàt, qui pòst obitum ejus, qui præcessit, habuerint potestatem eum, qui dignus fuerit, provehendi.*

Can. 4. caus. 8. q. 1.

Ad

Can. 1. caus. 9. q. 3.

Ad Concilium quoquè Antiochenum can. 9. referendus est can. 1. caus. 9. quæst. 3. rursùm expositus à Gratiano in can. 2. eadem causâ, & quæstione. Reverà habetur ille in cap. 4. collectionis Martini Bracarensis, sed his verbis: *Per singulas Provincias oportet Episcopos* (legunt alii: *Episcopum*) *cognoscere Primatum Metropolitani Episcopi* (legunt alii: *cognoscere Metropolitanum Episcopum*), *& ipsum Primatus curam suscipere; nihil autèm agere reliquos Episcopos præter eum, secundùm quod antiquitùs à Patribus nostris constitutum continetur in canone. Propter quod & Metropolitanus Episcopus nihil sibi præsumptivè* (legunt alii: *nihil præsumptione*) *assumat absque consilio ceterorum.* De can. 9. Antiocheno nihil est, quod adjiciam, postquàm & suo loco eum exposuerim, & Gratianus ipse immediatè eumdem adnexuerit, & Romani Correctores eodem in loco ad Græcorum exemplarium fidem exegerint.

Itèm pertinet can. 7. caus. 10. q. 2. ad can. 25. Concilii Antiocheni, quem Gratianus deindè retulit in can. 23. caus. 12. quæst. 1. Non omnes Martini editiones invicèm consonant, neque cum ipso Antiocheno canone; propterea hic utrumque fragmentum cum Doviatio exhibebo. Can. 7. caus. 10. q. 2.

Canon Martini.

Episcopus habeat potestatem in rebus Ecclesiæ, ut dispenset necessitatem habentibus cum omni reverentia, & timore Dei. Participare etiàm eum oportet, quæ necessaria sunt: si tamèn ipse, aut qui cum eo sunt fratres, indiguerint aliquo, (*alii legunt*: aliquid) ut necessitatem nullò modo patiantur secundùm Sanctum Apostolum, dicentem: victu & tegumento his contenti sumus. Si autèm res Ecclesiasticas Episcopus (*legunt alii*: Episcopi) in suas voluntates usurpare voluerit, (*legunt alii*: voluerint) & loca Ecclesiæ, (*legunt alii*: & lucra Ecclesiæ) & fructus agrorum (*legunt alii*: vel, *alii*: velùt fructus agrorum) non cum Presbyterorum, vel Diaconorum consilio contaminaverit (*legunt alii*: intaminaverit, aut fratribus, aut quibuscumque propinquis suis dederit potestatem, ut per eos latentèr lædantur res Ecclesiæ; hunc oportet obnoxium (*legunt alii*: hos oportet obnoxios) esse Concilio. Similitèr, si Episcopus (*legunt alii*: Sin alitèr Episcopus, *alii*: similitèr id si Episcopus, *alii*: sin autèm Episcopus), vel qui cum eo sunt Presbyteri, aut Diaconi accusentur, quia, quæ vel ex redditu, vel ex quolibet actu Ecclesiæ veniunt, in sinus suos colligunt, & pauperes (*legunt alii*: pauperibus)

Canon Antiochenus.

Episcopum habere oportet rerum Ecclesiasticarum potestatem, ad dispensandum omnibus indigentibus cum omni timore, & reverentia Dei: ipsum quoquè ex eis percipere, atque uti debere, quibus indiget (si tamèn indiget) vel ad suas necessarias expensas, vel fratrum, qui apùd eum hospitalitatis gratiâ morantur: ut nulla ex parte per inopiam defraudentur secundùm Apostolum, dicentem: habentes victum quotidianum, & tegumentum corporis, his contenti simus. Quòd si his minimè contentus, atque sufficiens transferat in necessitates Ecclesiasticas res, vel commoda quælibet Ecclesiæ, aut agrorum Ecclesiasticorum fructus sine conscientia Presbyterorum apùd se redigat, & domesticis suis, vel etiàm affinibus, aut fratribus, aut filiis earum rerum tribuat potestatem, ut per eorum secretam diligentiam Ecclesiastici lædi videantur; reatum hunc, qui hujusmodi est, apùd Metropolitanum Provinciæ præstare debebit. Quòd si talitèr reprehendatur Episcopus, vel hi, qui cum ipso sunt, Presbyteri, quòd dicantur hæc, quæ ad Ecclesiam pertinent, sive de agris, sive de aliis quibuscumque Ecclesiasticis causis, eos sibimet usurpare, pauperes verò necessitate, & penuriâ opprimi, atque ex hoc ipso non solùm Ecclesiasticæ rationi, verùm etiam dispensatoribus ejus maledicta reprehensio augeatur. Hunc enim correctionem oportet mereri, id quoquè condecet Sanctâ Synodo cognoscente.

bus) fraudant, & fame conficiunt (*legunt alii*: conficiuntur), hos corripi (*legunt alii*: hoc enim corripi) oportet, secundùm quod ordinatum fuerit à sancto Concilio.

Can. 8. caus. 10. q. 2.

Can. 8. caus. 10. quæst. 2. idem omninò est cum cap. 14. Martini Bracarensis, dummodò animadvertatur Codicum varietas, quam jam rectè observaverunt Correctores Romani in illis verbis *in suo Clero*; pro quibus alii Codices habent: *inscio Clero*. Doviatius hunc Martini Bracarensis canonem retulit ad canones duos Carthaginensium Conciliorum; & primò ad can. 32. Concilii Carthaginensis IV. ibi: *Irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absquè conniventia, & subscriptione Clericorum*. Deinde ad can. 4. Concilii Carthaginensis V. ibi: *Placuit etiàm, ut rem Ecclesiæ nemo vendat. Quòd si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse Primati Provinciæ, ut cum statuto numero Episcoporum, utrùm faciendum sit, arbitretur. Quòd si tanta urget necessitas Ecclesiæ, ut non possit antè consulere, saltèm pòst factum curiositatem habeat & vicinis Episcopis hoc antè indicare, & ad Concilium referre eas Ecclesiæ necessitates: Quòd si non fecerit, reus Concilii venditor teneatur.*

Quod Gratianus retulit nomine Concilii Antiocheni can. 4. in can. 6. caus. 11. quæst. 3., incripsit deindè Concilio Martini Papæ in can. 7. sequenti. Doviatius ità descripsit caput 37. Martini Bracarensis unà cum varietate Codicum, & collatione canonis Antiocheni.

Can. 7. caus. 11. q. 3.

Canon Martini.

Siquis Episcopus in Concilio (*alii legunt*: à Concilio) excommunicatus fuerit, sive Presbyter, aut Diaconus à suo Episcopo, & pòst excommunicationem præsumpserit sive Episcopus ille, aut Presbyter, vel Diaconus facere oblationem, vel matutinum, aut vespertinum sacrificium, quasi in officio suo agere, sicùt priùs; non liceat ei, nec in alio Concilio spem restitutionis habere, nec ultrà reconciliari (*legunt alii*: recolligi), sed etiàm eos, qui ei communicaverint, omnes ab Ecclesia respui: maximè eos, qui sciebant eum esse dejectum (*legunt alii*: deletum). Si autèm permanserit turbans, & concitans Ecclesiam per forasticam (*legunt alii* forinsecam) potestatem, oportet eum, sicùt seditionarium ab omni plebe exppelli (*legunt alii*: compelli.)

Canon Antiochenus.

Siquis Episcopus à Synodo fuerit depositus, vel Presbyter, vel Diaconus à proprio Episcopo condemnatus, & præsumpserit Sacerdotii, seu sacri ministerii quidpiam, non ei ampliùs liceat neque in alia Synodo spem restitutionis habere, neque assertionis alicujus locum: sed & communicantes ei abjici omnes ab Ecclesia; & maximè si, postquàm cognoverint sententiam adversùs eum fuisse prolatam, contumaciter communicaverunt.

Can. 20. caus. 12. q. 1.

Canon 20. caus. 12. q. 1. referendus est ad caput 15. collectionis Martini Bracarensis, nec non ad Canonem 24. Concilii Antiocheni. Sed nec Gratianus Mar-

Martini Bracarensis verba retulit, nec Martinus ipse verba Concilii Antiocheni, quæ propterea juvabit hic integra describere.

Canon Martini.

Manifesta autèm debent esse, quæ ad Ecclesiam pertinent in conscientia eorum, qui circà Episcopos sunt, Presbyteri, & Diaconi (*legunt alii*: Presbyter, & Diaconus), ut hi omnes sciant, quæ sunt Ecclesiæ propria, ut si Episcopi contigerit transitus, eos nihil latere possit ex his, quæ ad Ecclesiam pertinent; ut nullo modo possint minui, & perire: neque res propriæ Episcopi debent importunitatem pro rebus Ecclesiæ pati. Dignum verò, & justum est apùd Deum, & homines, ut ea, quæ Episcopi propria sunt, cui voluerit, derelinquat; & quæ Ecclesiæ sunt, eidem conserventur Ecclesiæ, ut nec Ecclesia patiatur damnum, neque Episcopus pro rebus Ecclesiæ in suis proscribatur; nec pòst ejus obitum in causas incidant, qui ad eum pertinent, nec ipse maledictum incidere videatur: *legunt alii*: & neque Ecclesiam perpeti damnum, neque Episcopum pro rebus Ecclesiæ condemnari, aut pòst ejus obitum in causas, quæ ad eum non pertinent, aut in maledictum incidere.

Canon Antiochenus ex Dionysio Exiguo.

Manifesta verò sint, quæ pertinere videntur ad Ecclesiam cum notitia Presbyterorum, & Diaconorum, qui circà ipsum sunt, ità ut agnoscunt, nec ignorent, quæ sint Ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat; ut, si contigerit, Episcopum migrare de sæculo certis existentibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereant, nec quæ propria probantur Episcopi sub occasione rerum pervadantur Ecclesiæ. Justum namquè, & acceptum est coràm Deo, & hominibus, ut sua Episcopus, quibus voluerit, derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt, eidem conserventur Ecclesiæ; ut nec Ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ, & in causas incidant, qui ad eum pertinent, & ipse pòst obitum maledictionibus ingravetur.

Can. 4. caus. 14. q. 4.

Can. 4. caus. 14. quæst. 4. referendus est ad Canon. 17. Concilii Nicæni, quem duobus in locis juxtà diversas interpretationes retulit Gratianus, videlicèt tum in Can. 8. caus. 14.q.4., tùm in Can. 2. dist. 47. Martinus Bracarensis illum habet in Can. 62.; in quo tamèn non omnes Codices consonant. Vulgata editio hæc habet: *Siquis oblitus* (legunt alii ex vetustis Codicibus MSS. *Siquis Clericus oblitus*) *timorem Domini, & sanctam Scripturam, quæ dicit* (legunt alii, *& sanctarum Scripturarum, quæ dicunt*) *pecuniam suam non dedit ad usuram, pòst hanc cognitionem magni Concilii* (legunt alii: *agnitionem sancti Concilii*) *fœneraverit, & centesimas exegerit; aut ex quolibet negotio turpe lucrum* (legunt alii: *turpia lucra*: alii: *negotia turpis lucri*) *quæsierit, aut* (legunt alii: *&*) *per diversas species, vini, vel frugis, vel cujuslibet rei emendo, vel vendendo aliqua incrementa susceperit, depositus de gradu suo, alienus habeatur à Clero.*

In Capite 25. Martinus Bracarensis referre voluit Can. 9., & 10. Concilii Neocæsariensis. Sed, quemadmodùm Martinus à Neocæsariensi Concilio recessit, ità Gratianus nec eadem omninò Martini verba descripsit in Can. 4. caus. 15. quæst. 8. Ità singula describam cum Doviatio.

Can. 4. caus. 15. q. 8.

Ca-

Canon Martini.

Siquis Presbyter antè ordinationem peccatum confessus fuerit, quòd anteà erraverit (*legunt alii*: quia anteà erravit) non offerat: sed tantùm pro religione nomen Presbyteri portet. Si autèm non ipse confessus, sed ab alio publicè fuerit convictus, nec hoc psum (*legunt alii*: nec non hoc ipsum) habeat potestatem, ut nomen Presbyteri portet. Similitèr & de Diaconibus observandum est, ut si ipsi confessi fuerint, ordinem Subdiaconatus accipiant.

Canon 9. Neocæsariensis.

Qui admiserit corporale peccatum, & hic posteà Presbyter ordinatus est, si confessus sit, quòd antè ordinationem peccaverit, non quidèm offerat; maneat autèm in aliis officiis, propter ejus studii utilitatem. Nàm cetera peccata censuerunt plurimi etiàm ordinatione privare. Quòd si de his non fuerit confessus, nec ab aliquibus potest manifestè convinci, huic ipsi de se potestas est committenda.

Canon 10. Neocæsariensis.

Similitèr & Diaconus, si in eodem culpæ genere fuerit involutus, sese à ministerio cohibebit.

Idem Doviatius, qui Can. 47. Martini Bracarensis retulit ad Can. 3. Concilii Gangrensis, retulit collationis causâ eadem verba Gratiani, quæ leguntur in Can. 37. caus. 17. quæst. 4., ad quæ facilè unusquisque exigere poterit Can. 38. immediatè sequentem, Concilio Martini Papæ adscriptum.

Can. 38. caus. 17. q. 4.

Romani Correctores ad Can. 5. caus. 21. quæst. 5. jam observaverunt, canonem 25. Martini Bracarensis, ibidèm relatum, referri debere ad canonem 2. Concilii Antiocheni, sive ad canonem

Can. 5. caus. 21. q. 5.

Can. 71. Martini.
Apùd Gratianum in d. can. 3. vers. Siquis.

Siquis Paganorum, consuetudinem sequens, divinos, & sortilegos in domum suam introduxerit, quasi ut malum foràs mittant, aut (*legunt alii*: ut) maleficia inveniant, vel lustrationes Paganorum faciant, quinque annis pœnitentiam agat.

Canon 72. Martini.
In dicto can. 3. principio.

Non liceat Christianis tenere traditiones Gentilium, & observare, vel colere elementa,

2. caus. 21. quæst. 5. Tantùm hoc in loco observabo verba illa: *importans se palatio*, non in omnibus Martini Codicibus legi, cum in aliquibus ità habeatur: *importunans se palatio.*

Jungendi simùl sunt duo Gratianea fragmenta, quæ ex Martino Bracarensi retulit Gratianus in Can. 3. caus. 26. quæst. 5., & in Can. 13. caus. 26. q. 7., Doviatius hoc modo describenda putavit, & ad meliores Codices exigenda.

Can. 3. caus. 26. q. 5. Can. 13. caus. 26. q. 7.

Canon 23. Concilii Ancyrani.

Qui auguria, vel auspicia, vel divinationes quaslibet secundùm morem Gentilium observant, aut in domus suas hujusmodi homines introducunt in exquirendis aliquibus arte maleficâ, aut domos lustrant, confessi quinquennio pœnitentiam agant secundùm antiquas regulas constitutas.

Canon 20. Concilii Bracarensis.
Apùd Ivonem parte 11. cap. 140.

Non liceat Christianis tenere traditiones Gentilium, & observare, vel colere elementa,

lere elementa, aut lunæ, aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, aut propter segetes, vel arbores plantandas, vel conjugia socianda (*alii legunt*: facienda), scriptum est enim: *omnia, quæ facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo.*

Canon 73. *Martini.*
In dicto can. 13. *caus.* 26. *q.* 7.

Non liceat iniquas observantias agere Kalendarum, & ociis vacare gentilibus, neque lauro, aut viriditate arborum cingere domos. Omnis enim hæc observatio Paganismi est.

Canon 74. *Martini.*
In dicto can. 3. *vers.* nec in Collectionibus.

Non liceat in herbarum collectionibus, quæ medicinales sunt, aliquas observationes, aut incantationes attendere, nisi tantùm cum Symbolo Divino, & oratione Dominica, ut tantùm Deus Creator omnium, & Dominus honoretur.

Canon 75. *Martini.*
In dicto can. 3. *vers. ultimo.*

Non liceat mulieres Christianas aliquam vanitatem in suis lanificiis observare, sed Deum invocent adjutorem, qui in eis sapientiam texendi donavit: *legit Antonius Augustinus*: donabit.

Ità ad meliorum Codicum fidem exegit, restituitque Doviatius Martini

ta, aut lunam, aut stellarum cursum, & inanem signorum fallaciam considerare pro domo facienda, & ad conjugia socianda: scriptum est enim: omnia quæcumque facitis in verbo, aut in opere, in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo. *Siquis autèm fecerit, severissimè corripiatur, & canonicè pœniteat.*

Canon 39. Laodicenus.

Non oportet cum Paganis festa celebrare, & impietatibus eorum habere societatem.

Can. 22. Concil. Turonensis II.

Eninverò, quoniàm cognovimus nonnullos inveniri sequipedas erroris antiqui, qui Kalendas Januarii colunt, cum Janus homo Gentilis fuerit Rex quidem, sed Deus esse non potuit. Quisquis ergò unum Deum Patrem regnantem cum Filio, & Spiritu S. credit, certè hic non potest integer christianus dici, qui aliqua de gentilitate custodit &c.

Concilii Bracarensis Canon 21.
Apùd Ivonem parte 11. cap. 47.

Non licet in collectione herbarum medicinalium aliquas observationes, vel incantationes observare, nisi tantùm cum Symbolo Divino, & oratione Dominica, ut Deus, & Dominus noster honoretur.

Concilii Bracarensis Canon 11.
Apùd Ivonem parte 11. cap. 46.

Non liceat mulieres christianas vanitatem in suis lanificiis observare, sed Deum invocent adjutorem, qui eis sapientiam texendi donavit.

Bracarensis fragmenta; verùm in his arbitror non satis fuisse, quod attinet

ad

ad capita 72. 74., & 75., exhibere Concilium Bracarense, quale refertur apùd Ivonem. Illud est Concilium Bracarense idem, quod laudavit in lib. 2. de Eccles. disciplinis cap. 366. 367., & 368., & Halitgarius lib. 4. cap. 26., & Hincmarus de divortio Lotharii in respons. ad interrogat. 17. Nemo tamèn non videt, ab omnibus hisce Collectoribus nomine Concilii Bracarensis non aliud designari, quàm Collectionem Martini Bracarensis. Fortè enim Collectio hæc Martini à veteribus adjecta fuerat ad calcem Concilii Bracarensis II., ejusdem Martini Bracarensis Antistitis auctoritate celebrati. Itaquè Martinus Bracarensis in hisce locis, meo judicio, non alium Conciliorum Canonem videtur expressisse, quàm Canonem 22. Concilii Turonensis II. anni 567., in quo hæc leguntur: *Quoniàm cognovimus, nullos inveniri sequipedas erroris antiqui, qui Kalendas Januarii colunt, cum Janus homo gentilis fuerit, Rex quidèm, sed Deus esse non potuit... Contestamur illam sollicitudinem tàm Pastores, quàm Presbyteros gerere, ut quemcumque in hac fatuitate persistere viderint, vel ad, nescio quas, petras, aut arbores, aut ad fontes, designata loca gentilium, perpetrare, quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab Ecclesia Sancta auctoritate repellant, nec participare sancto altario permittant, qui gentilium observationes custodiunt.* Itaquè ex his Turonensis Concilii verbis Martinus Bracarensis suam Collectionem adaugere studens latiùs Turonensium Patrum sententiam explicavit; atque ex eo percipimus, quid in cap. 74. Martini significent ea verba: *nisi tantùm cum symbolo Divino, & oratione Dominica*; hæc enim referenda sunt ad illa verba Turonensis Canonis: *quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent*; cum enim Turonenses Patres prohibuissent Christianis, ne propè fontes, aut sylvas, aut lapides aliquid religionis causâ peragerent, nisi quod ab Ecclesia probatum esset (id enim significant ea verba: *quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent*), Martinus Bracarensis ità explicavit, ut prohibitum sit, *incantationes attendere, nisi tantùm cum symbolo Divino, & oratione Dominica.* Quod autèm in eisdem Martini capitibus dicitur de Kalendis Januarii, perspicuum est pertinere ad ludicas quasdam observationes, & improbos ludos, qui solebant celebrari Januariis Kalendis; in illis enim homines liberiùs debacchantes mutorum animalium formam assumentes, eorumdem lasciviam publicè licentiùs imitabantur, quod Sancti Patres, imò & Christiani Imperatores posteà detestati sunt, quemadmodùm unusquisque agnoscere potest ex homiliis veterum Patrum, præsertim homilia de Kalendis Januarii Maximi Taurinensis, ex Synodo Autissiodorensi Aunacharii, Epistola Zachariæ ad Bonifacium, quæ est 142. inter Bonifacianas, & ex Edicto Karlomanni initio lib. 5. Capitularium. Atque ut has celebrationes superstitiosas Kalendarum Januariarum magis magisque averterent, curarunt Sancti Patres, ut dies ille Kalendarum sacrâ quadam, ac venerabili solemnitate dedicaretur; quod fecerunt celebrantes eo die Domini Nostri Circumcisionem, quo eâ saltèm ratione fideles ad Templa potiùs urgerent, & divinis mysteriis occuparent. Sed ex plurimorum licentia effugium aliud quæsitum est, ut vice Kalendarum Januariarum, quas ob Redemptoris mysteria profanare non audebant, in sequentes dies liberam vivendi methodum differrent, undè etiàm in præsens profanas Bacchanalium celebritates remanere eruditi omnes observant.

Canon 6. caus. 26. quæst. 6. habetur in capite 82. Collectionis ejusdem Martini; Patet autèm illum referendum esse ad canonem 12. Concilii Nicæni, cujus verba videre unusquisque potest in can. 9. eadem causa, & quæstione, atque illa cum capite Martini conferre. Can. 6. caus. 26. q. 6.

Canon 8. caus. 27. quæst. 1. non extat apùd Martinum Bracarensem, sed potiùs in Concilio Triburiensi anni 895. can. 25. ubi pro illis Gratiani verbis: *Nos autèm auctoritate Patrum suffulti in hoc sancto* Can. 8. caus. 27. q. 1.

Con-

Concilio sancimus, ità legitur : *quâ auctoritate paternæ suffulti sententiæ in hoc sacro conventu sancimus, & liberè judicamus, &c.* Ibidèm Triburienses Patres commemorant Decretum Gelasii Papæ, quod refert Gratianus in can. 42. caus. 27. quæst. 1. de quo agemus suo loco. Ceterùm exindè constat apùd veteres intercessisse discrimen inter virgines, & viduas, ut virgines consecrarentur ab Episcopo, qui velum Episcopali benedictione consecratum eisdem imponebat ; viduæ verò propriâ sponte velum non consecratum assumerent, quod & jam superiùs animadverti. Fortè inquiret quispiam, quomodò contingere potuerit, ut Triburiensis Concilii canon tributus fuerit Martino Bracarensi, sive cum hac inscriptione laudatus : *ex Concilio Martini Papæ.* En verosimilem, juxtà quod suspicor, rationem. Burchardus, & Ivo hoc idem fragmentum retulerunt hac inscriptione : *ex Concilio Moguntino cap.* 6. atque his Collectoribus licuit canonem Triburiensem Concilio Moguntino adscribere ; cum enim Triburia, ex qua Triburiense Concilium dicitur, Villa Regia esset propè Maguntiam sita, videbatur Triburiense idem Concilium *Moguntini* nomine appellari posse, accepto nomine ex Civitate, cui Regia Villa adhærebat. Gratianus pro nomine *Concilii Moguntini* legit : *Concilii Martini* ; vel quòd errori occasionem dederit vocum similitudo, vel quòd breviata esset Burchardi, aut Ivonis inscriptio hoc modo : *Ex Concilio Martini*, quod scribenti idem sonabat, ac *ex Concilio Moguntino* ; legenti verò Gratiano visum est idem ac *ex Concilio Martini* ; itèm ex illis sequentibus : *cap.* 6. facilè scribi potuit *Papæ*, undè redditum est, *ex Concilio Martini Papæ.* Hæc non inverosimilia illis videbuntur, qui aliquomodo sunt in veterum MSS. lectione versati.

Quod Gratianus retulit in can. 26. caus. 27. quæst. 1. legimus apùd Martinum Bracarensem in cap. 30. quod referendum esse ad canonem 19. Concilii Toletani I. Doviatius animadvertit, En utriusque canonis verba: Can. 26. caus. 27. q. 1.

Canon Martini.

De filia Episcopi, vel Presbyteri, sive Diaconi, si devota fuerit (*legunt alii* : si Deo devota fuerit), & maritum duxerit, si eam pater, vel mater in affectum receperint, à communione habeantur alieni. Pater verò causas in Concilio se noverit præstaturum : Mulier verò non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit pœnitentiam. Sin autèm vivente eo recesserit (*legunt alii* : secesserit), & pœnituerit, vel petierit (*legunt alii*, & petierit) communionem, in ultimo vitæ deficiens accipiat communionem (*legunt alii* : & pœnituerit, communionem in ultimo fine vitæ deficiens accipiat.)

Canon Toletanus.

Episcopi, sive Presbyteri, sive Diaconi filia, si devota fuerit, & peccaverit, & maritum duxerit, si eam pater, vel mater in affectum receperit, à communione habeantur alieni : Pater verò causas in Concilio se noverit præstaturum. Mulier autèm non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autèm vivente eo secesserit, & pœnituerit, nullomodo, nisi vitæ deficiens, accipiat communionem.

In can. 9. caus. 32. quæst. 7. Gratianus perperàm descripsit caput 80. Martini Bracarensis, quod prætereà referendum est ad canonem 3. Concilii Neocæsareensis hoc modo: Can. 9. caus. 32. q. 7.

Canon Martini.

Siquis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiam agat. Conversatio autèm, (*legunt alii*, conversio), & fides pœnitentis compendiat tempus, (*legunt alii*, compendit tempus).

Canon Neocæsareensis.

De his, qui frequentèr uxores ducunt, & de his, quæ sæpiùs nubunt, tempus quidèm his manifestum constitutum est: sed conversatio, & fides eorum tempus abbreviat.

Can. 9. caus. 33. q. 4.

Canon 9. caus. 33. quæst. 4. exhibet canonem 48. Collectionis Martini Bracarensis; qui referendus est ad can. 51. & 52. Concilii Laodiceni; etenim in can. 51. hæc leguntur: *Non oportet in Quadragesima martyrum natalitia celebrari, sed eorum in Sabbato, & Dominica tantùm memoriam fieri*; & in can. 52. *Non oportet in Quadragesima aut nuptias, vel quælibet natalitia celebrare.* Hæc verba jam paulò anteà Gratianus idem retulerat in can. 8. caus. 33. quæst. 4.

Canon 29. de cons. dist. 1. legitur in capitibus 68. & 69. Martini Bracarensis, quæ tamèn hùc usquè vix ad suos fontes reducere potuerunt Viri eruditi. Referam hic, quomodò Doviatius ea contulerit. Can. 29. de cons. dist. 1.

Canon Martini 68.
Qui postremus est in priore parte Collectionis.

Non oportet Clericos ignaros, & præsumptores supèr monumenta in campum mysteria (*legunt alii* ministeria) portare, aut distribuere Sacramenta; sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, ubi Martyrum reliquiæ sunt depositæ, ibi pro defunctis oblationem offerri. *Legunt alii*: ubi pro defunctis oblationes offerri solent.

Ex Conc. can. qui refertur Capitularium lib. 6. num. 198.

Ut nullus Presbyter sacra mysteria, nisi in locis, ab Episcopo consecratis, agere præsumat.

Concilium Arelat. 3. can. 5. Ut refertur Capitular. lib. 6. num. 194.

Admoneantur fideles, ut ad suos mortuos non agant ea, quæ de Paganorum ritu remanserunt, &c. Et supèr eorum tumulos nec manducare, nec bibere præsumant. Quod si fecerint, canonicam sententiam accipiant.

Canon Martini 69.
Qui primus est in posteriore parte Collectionis.

Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulcra deferre, & sacrificare mortuis. *Legunt alii*: & sacrificare de re mortuorum.

Concilium Turonense 2. can. 22. aliàs 23.

Sunt etiàm, qui in festivitate Cathedræ Domini Petri Apostoli victimas mortuis offerunt &c.

Itaquè Concilium illud, quod memorat Doviatius ex lib. 6. Capitularium num. 198. nullo tamèn specialitèr designato nomine, est Concilium Romanum, quod sub S. Sylvestro celebratum fuisse fertur in Epilogo; & ex quo arbitror Benedictum Levitam transtulisse in libros Capitularium, & Theodulphus Aurelianensis Episcopus in cap. 11. sui Capitularis. At verò ad hæc monumenta respicere non poterat Martinus Bracarensis, utpotè ætate vetustior. Potiùs videtur Martinus referre voluisse Concilii Arelatensis, vel Turonensis Constitutionem. Concilium Arelatense, quod hic memoratur, idem est, cujus fragmentum hodiè habetur in Labbei Collectione Veneta Conciliorum tom. 5. pag. 767. quod

quod depromptum dicitur ex Arelatensi Concilio *juxtà Decretorum libros, ex Gandavo habitos, & vetustos in Monasterio Sancti Bavonii*; ex quo etiàm Concilio Arelatensi videtur laudasse Regino in lib. 1. cap. 382. Turonense Concilium II. cujus fragmentum Doviatius retulit, celebratum fuit anno 567. & cum liqueat in collectionem Martini Bracarensis plura ex eodem relata fuisse, facilè adducor, ut credam, Martinum ipsum in capite memorato describere voluisse sententiam Concilii ejusdem Turonensis in can. 22. quam aliis verbis adornavit de more suo. Posset etiàm quis huc loci referre can. 22. Concilii Toletani III. anno 589. celebrati, sive ut ostendatur, quinam tùnc temporis esset Hispanorum mos in defunctorum cæmeteriis corrigendus, sive ut ad eumdem canonem Martini Bracarensis fragmentum referri debeat; non quòd illud fragmentum à Martino ipso adscriptum fuerit, sed à Pantardo Martini successore, qui eidem Toletano Concilio interfuit.

Canon 4. de cons. dist. 2. habetur in cap. 55. Collectionis Martini Bracarensis eisdem omninò verbis, referendus autèm erit ad canonem 24. Concilii Carthaginensis III. qui ità exhibetur: *ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil aliud offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aquæ mixtum; nec amplius in Sacrificiis offeratur, quàm de uvis, & frumentis.* Can. 4. de cons. dist. 2.

Canon 18. de cons. dist. 2. legitur apùd Martinum in cap. 83. sed referendus est ad can. 2. Concilii Antiocheni, & cum eodem conferendus. Can. 18. de cons. dist. 2.

Canon Martini.

Si quis intrat Ecclesiam Dei, & Sacras Scripturas audit (*legunt alii*: non audit), & pro luxuria sua avertit se à communione Sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ; illum talem projiciendum de Ecclesia Catholica esse decernimus, donèc pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, & possit communionem perceptâ indulgentiâ promereri, *legunt alii*: ut possit, communione perceptâ, indulgentiam promereri.

Canon Antiochenus.

Omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & Sacras Scripturas audiunt, non autèm cum Populo in oratione communicant, aversantur autèm Sanctam assumptionem Dominici Sacramenti secundùm propriam disciplinam, hos ab Ecclesia abjici oportet, donèc confitentes fructum pœnitentiæ demonstrent, & deprecati fuerint, ut datâ veniâ suscipi mereantur &c.

Can. 7. de cons. dist. 3. Quod nomine Concilii Laodiceni retulit Gratianus in can. 8. de cons. dist. 3. descripserat ex Martino Bracarensi in cap. præcedenti, id est. 7. Reverà quæ ibi Gratianus descripsit, habentur eisdem verbis in cap. 60. apùd Martinum, ubi Doviatius etiàm contulit can. 50. Laodicenum, sive dictum can. 8. dist. 3. de cons.

Can. 19. de cons. dist. 4. Itèm ex eodem Concilio Laodiceno descripserat Martinus caput 49. suæ collectionis, quod eisdem verbis exhibet Gratianus in can. 19. de cons. dist. 4. Verba Laodiceni Concilii hæc sunt: In can. 45. *Non oportet pòst duas hebdomadas quadragesimæ quemlibet ad Baptismum suscipi.* Et in can. 46. *Baptizandos oportet fidei Symbolum discere, & quintâ feriâ ultimæ septimanæ, vel Episcopo, vel Presbytero reddere.*

Demùm canon 116. de cons. dist. 4. qui habetur eisdem verbis in cap. 54. apùd Martinum Bracarensem, referendus est ad can. 6. Concilii Neocæsareensis ibi: *De prægnantibus, quòd oportet eas baptizari quandò volunt: nihil enim in hoc* Can. 116. de cons. dist. 4.

Sacramento commune est parituræ, & ei, qui ejus utero fuerit editus; quia uniuscujusque in illa confessione libertas arbitrii declaratur.

CAPUT XXXIV.

De Concilio Autissiodorensi.

Hoc nomine unicum fragmentum legitur apùd Gratianum.

(Can. 103. de cons. dist. 4. consonat cum disciplina sexti sæculi.

APùd eruditos non solùm incertus est locus, verùm etiàm incertum est tempus, quo Autissiodorense, sive, ut alii vocant, Antissiodorense, aut Altissiodorense, Concilium celebratum fuerit. Aliis enim Autissiodorus visa est Civitas apùd Burgundiones sita, quæ hodiè appellatur *Auxerre*; aliis visa est Civitas Galliæ Lugdunensis juxtà Sequanam sita, quæ à Ptolomæo *Autricum* dicitur, & cujus meminit Antoninus in itinerario. Ità Severinus Binius de incertitudine loci. Incertus quoquè annus pluribus est, cum ex actis Concilii nihil adpareat. Verùm, cum Aunacharius Autissiodorensis Episcopus Concilio huic præfuisse dicatur, atque subscripserit, atque idem Aunacharius interfuerit Concilio Matisconensi II. anni 585. facilè conjici potest circà illa tempora, sive sub finem sexti sæculi habitum fuisse Concilium Autissiodorense. Illud tamèn certum est, synodum hanc non Provincialem, sed Diœcesanam fuisse, cui ex Episcopis solus adfuit Aunacharius, & cum eo interfuerunt Abbates septem, Presbyteri quatuor suprà triginta, & tres Diaconi. Vix aliud posset exemplum adduci, quo ostendatur Collectoribus canonum, & Conciliorum servata fuisse Diœcesana Concilia vetusta; at hujus Concilii singulare propemodùm exemplum est; fortè, ut arbitror, quia in eodem plura, ac plura constituta sint de disciplina Monachorum, quæ sexto Ecclesiæ sæculo diversis ex causis negligi videbatur. Intererat autèm Monachorum eorumdem, præsertim illorum, quorum vita ceteris exemplo erat, ut hujusmodi regulæ servarentur: itaquè ex Monachorum solertia, & custoditi, & evulgati fuerunt Autissiodorenses canones, ut Collectoribus Ecclesiasticis materiam suppeditarent, nec poterant propterea Gratianum latere, qui Monasticæ disciplinæ, inter Monachos degens, studiosissimus esse debebat.

Quod ipse recensui ex hoc Autissiodorensi Concilio, habemus in can. 103. de cons. dist. 4. & pertinet ad can. 25. ejusdem Synodi, cujus hæc sunt verba: *Non licet Abbati filios de Baptismo habere, nec Monachis commatres habere.* Exigebat hoc Monachorum conditio, quæ eosdem ità in solitudine detinebat, ut ad baptismales Ecclesias, ne quidèm Sacramentorum cum aliis fidelibus celebrandorum causâ, accedere possent. Reverà si Gregorii I. Pontificis Maximi Epistolas plures perpenderimus, agnoscemus statim, ad curam, & sollicitudinem Episcoporum pertinuisse, ne, dum Episcopi iidem ad Monasteria pergerent, ibidem solemnia sacra facerent, ne fortè illùc conveniente Populo, præsertim fœminis, Monachorum quies quodammodò turbaretur. Si itaquè sexto sæculo ità Monachorum ipsorum solitudini consultum est, ne Populus ad Monasteria licèt sacrorum causâ conveniret, potiori jure prohibendum Monachis fuerat, ne celebrandorum Baptismatum ratione ad Parochiales Ecclesias venirent, & cum Laicis, præsertim fœminis, fœdere quodam jungerentur.

AP-

APPENDIX.

De Concilio Urbico.

Hoc nomine inscribitur apùd Gratianum.

(*Canon* 97. *de cons. dist.* 2. *tribuendus Concilio Autissiodorensi.*

AD idem Autissiodorense Concilium referendus est can. 97. de cons. dist. 2. qui apùd Gratianum laudatur nomine *Concilii Urbici*. Gratianus autèm sequutus est de more suo fidem Ivonis, & Burchardi, qui priores *Urbicum* Concilium inscripserunt, quin tamèn apùd Conciliorum collectores adpareat, quodnam eo nomine Concilium significaretur. Itaquè hoc in loco Concilium Urbicum idem est, ac Concilium Autissiodorense: imò & hujus errati originem ex eo facilè profectam fuisse conjicio, quòd Civitas Autissiodorensis apùd nonnullos, uti superiùs diximus, vocata fuerit *Autricum*, ac propterèa Autissiodorense Concilium appellari à Collectore potuerit Concilium Autricum, vel etiàm fortè sublatâ diphtongo Concilium *Utricum*. Quod si ità fuit, nemo non videt, quàm facile fuerit pro Concilio *Autrico*, *vel Utrico*, Concilium *Urbicum* nominare. Porrò in memorata Autissiodorensi Synodo can. 10. hæc leguntur: *Non licèt super uno altario in una die duas Missas dicere; nec altario, ubi Episcopus Missas dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat.* Atque ex his verbis supplendum erit fragmentum Gratiani, qui posteriora tantùm verba descripsit, & nonnullis Glossographis occasionem dedit aberrandi longè à mente Patrum Autissiodorensium. Etenim, cum hæc in can. Gratianeo tantùm legantur: *in Altari, in quo Episcopus Missam cantavit, Presbyter eodem die celebrare non præsumat*; Glossographi quidam ex iis, qui veteres canones non alitèr explicare norunt, quàm juxtà recentiorem, & quidèm suorum temporum disciplinam, rati sunt id statutum fuisse Episcopalis honoris causâ, videlicèt hoc signum reverentiæ Episcopali dignitati debitæ esse voluerunt, ut si Episcopus in aliquo Altari sacra fecerit, eodem die nemo alius Sacerdos Episcopali dignitate non insignitus ibidèm audeat sacra facere. Verùm, si priora can. ejusdem verba jungantur, aliam fuisse Autissiodorensium Patrum rationem observabimus; volebant enim, ut non nisi unica oblatio in quacumque Ecclesia singulis diebus fieret, quemadmodùm veterum temporum disciplina erat, ità, ut semèl ac Episcopus sacrificium pro populo obtulisset, nemo alius eodem in loco sacrificium rursùs offerret.

CAPUT XXXV.

De Concilio Matisconensi.

Concilii Matisconensis sunt sequentes canones.

Can. 18. *dist.* 54. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
Can. 6. *caus.* 11. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 7. *caus.* 22. *q.* 5. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*

DUO apùd Conciliorum Collectores exhibentur Concilia Matisconensia, ità dicta à Matiscona Civitate Æduorum in Gallia ad Ararim sita, vulgò

go *Mascon.* Quod verò Gratianus laudavit, illud est Concilium Matisconense I. anno circitèr 581. celebratum. Fuit idem Concilium Provinciale, ad quod Episcopi viginti convenerunt, quorum primus Concilio præfuit Priscus Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Eusebius autèm Episcopus Matisconensis subscripsit ordine decimusquartus. Ad disciplinam Ecclesiasticam reformandam ibidèm statuti sunt novemdecim canones, quorum decimumsextum retulit Gratianus in can. 18. dist. 54. sed non satis integrè; ac propterea juvabit hoc in loco ità Concilii can. describere, qualis habetur in vulgatis Concilii exemplaribus, ibi: *Licet quid de Christianis, qui aut captivitatis incursu, aut quibuscumque fraudibus Judæorum servitio implicantur, debeat observari, non solùm canonicis statutis, sed & Legum beneficio pridèm fuerit constitutum, tamèn, quia nùnc ità quorumdam querela exorta est, quosdam Judæos, per Civitates, & municipia consistentes, in tantam insolentiam, & proterviam prorupisse, ut nec reclamantes Christianos liceat, vel pretio de eorum servitute absolvi; idcircò præsenti Concilio* (hinc exorditur Gratianus) *Deo auctore sancimus, ut nullus Christianus Judæos deincèps debeat deservire, sed datis pro quolibet bono mancipio duodecim solidis, ipsum mancipium quicumque Christianus seu ad ingenùitatem, seu ad servitium licentiam habeat redimendi, quia nefas est, ut quos Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, persecutorum vinculis maneant irretiti. Quòd si acquiescere his, quæ statuimus, quicumque Judæus noluerit, quamdiù ad pecuniam constitutam venire distulerit, liceat mancipio ipsi cum Christianis, ubicumquè voluerit, habitare.* Ex hoc integro canone liquet, quâ ratione inducti fuerint Matisconenses Patres, ut renovarent, aut confirmarent, quod jam Christianorum Imperatorum auctoritate jam diù constitutum fuerat, quemadmodùm habetur in Codice sub tit. ne Christianum mancipium; etenim nimia erat Judæorum sævitia, quam ipsi in servos Christianos ad Christiani nominis injuriam exercebant.

Can. 18. dist. 54.

In canone 8. ejusdem Concilii legitur can. 6. caus. 11. quæst. 1. ubi tamèn observandùm est, pro illis verbis Gratiani: *aut in Episcopi sui, aut Presbyterorum cum Archidiaconi præsentia finiatur*, in vulgatis Concilii exemplaribus legi: *aut in Episcopi sui, aut in Presbyterorum, vel Archidiaconi præsentia finiatur*; in aliquibus etiàm Codicibus legi: *aut in Episcopi sui, aut in Presbyterorum cum Archidiacono presentia finiatur.* Prætereà pro illis verbis Gratiani: *si minor fuerit*, legitur in vulgatis Concilii exemplaribus: *si junior fuerit.* Porrò *junioris* nomen significat non minorem ætate, sed potiùs minorem conditione, & gradu, quemadmodùm hanc vocem usurpavit Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 26. & pluribus probat Hieronymus Bignonius in notis ad formulam tertiam lib. 1.: in hoc autèm canone ità esse accipiendam certissimum est, cum ibidèm *juniori* Clerico *honoratior* opponatur: quamobrèm si honoratioris nomine intelligitur Clericus gradu, & dignitate insignis, nomine junioris Clericus minoris gradus intelligetur. Duo in hoc canone habemus vetustissimi Juris vestigia. Primum in eo situm est, quòd Episcopi à litigiis voluerint sempèr Clericos arcere, & à fori strepitu avocare, ne fortè Clericorum animi invicèm litibus fracti discinderentur; at, si quandò quidpiam emersisset, voluerunt domestico quodam aliorum Clericorum arbitrio finiri. Alterum est, quod jam superiùs pluriès animadverti, videlicèt ad Episcopum pertinuisse, quasi ad præceptorem, ut ferulâ percuterentur Clerici juniores, sive minoris gradus, quotiès eorumdem protervia corrigenda fuisset, & illorum mores emendandi.

Can. 6. caus. 11. q. 1.

Canon 7. caus. 22. quæst. 5. habetur in cap. 17. ejusdem Concilii his verbis: *Id etiàm pari conniventia placuit, (quia in universo populo multi peccatis involuti esse dicuntur, qui ambitionis instinctu sunt perjuriis irretiti), ut, si quis convictus fuerit alios ad falsum testimonium, vel perjurium attraxisse, aut qualibet corruptione sollicitasse, ipse*

Can. 7. caus. 22. q. 5.

ipse quidèm usquè ad exitum vitæ non communicet; ii verò, qui in perjurio consensisse probantur, posteà ab omni testimonio sunt removendi, & secundùm legem infamiâ notabuntur.

CAPUT XXXVI.

De Concilio Hispalensi.

Nomine Hispalensis Concilii hæc apùd Gratianum describuntur.

Can. 2. dist. 67. referendus ad can. 1. caus. 15. q. 7.
Can. 62. caus. 12. q. 2. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 4. caus. 12. q. 5. est potiùs Concilii Parisiensis 6.
Can. 1. caus. 15. q. 7. paulò variùs in diversis exemplaribus.
Can. 7. caus. 15. q. 7. referendus ad can. 1. caus. 15. q. 7.
Can. 13. caus. 16. q. 3. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
Can. 22. caus. 16. q. 7. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 24. caus. 18. q. 2. ex integris Concilii exemplaribus emendandus.
Can 2. caus. 21. q. 2. ex integris Concilii exemplaribus emendandus.

OMnia fermè, quæ Gratianus nomine Concilii Hispalensis inscripsit, pertinent ad Concilium illud, quod vocatur Hispalense II. in Hispania celebratum à S. Isidoro Hispalensi Archiepiscopo circà annum 618. temporibus Regis Sisebuti. Quæ sanè Synodus maximè venerabilis habetur, præsertim ob egregiam doctrinam, & sanctitatem eximiam ejusdem Isidori, qui Synodo præfuit. Fuit illa Synodus Provincialis octo Episcoporum, qui potissimùm de Acephalorum hæresi pertractarunt, unicam tantùm in Christo Domino naturam adinstàr Euthychianorum asserentium: eadem tamèn occasione nonnulla ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam, perficiendamque ediderunt. Actionibus tredecim confecta universa res fuit, & quidèm maxima cum laude singularis eruditionis, non solùm in divinis, sacrisque literis explanandis, verùm etiàm in Juris Romani prudentia Ecclesiasticis Legibus accommodanda.

Can. 2. dist 67. can. 1. & 7. caus. 15. q. 7.

Actio 6. hujus Concilii integra continetur in can. 1. caus. 15. quæst. 7. ad quem referendi sunt canon 2. dist. 67. & canon 7. eadem caus., & quæstione, in quibus ea reperiuntur, quæ Gratianus in dicto canone 1. expressit. Romani Correctores jam observarunt, non in omnibus Concilii Codicibus eadem omninò verba legi; etenim pro illis verbis: *quem rursùs ordini suo restituentes, id denuò adversùs præsumptionem nostram decrevimus &c.* legunt alii: *quem rursùs ordini suo restitutum esse comperimus, id denuò adversùs præsumptionem novam decrevimus &c.* Quod in hoc canone dicitur de libertis ingratis rursùm in servitutem revocandis, causâ cognitâ à Prætore, consonum est cum Legibus Wisigothorum, quæ eâ ætate apùd Hispanos in usu erant, quemadmodùm constat ex lib. 5. tit. 7. per totum, & specialitèr in lege 10.

Can. 62. caus. 12. q. 2.

Atque idipsum de libertis in servitutem quandoquè revocandis in octava actione Concilii relatum est in causa Helisæi cujusdam ex familia Agabrensis Ecclesiæ, quæ actio apùd Gratianum exhibetur in can. 62. caus. 12. quæst. 2. in quo jam observaverunt Romani Correctores, qualis sit Codicum nonnullorum varietas.

Can. 4. caus. 12. q. 5.

Falsò laudatur nomine Concilii Hispalensis Canon 4. caus. 12. quæst. 5.

qui

qui potiùs referendus est ad Concilium Parisiense VI. anni circitèr 829. can. 16. & ex eo ad Capitularia Francorum lib. 5. cap. 327. in editione Parisiensi anni 1677. ubi hæc verba leguntur: *quoniàm multi Episcoporum amore propinquorum suorum de rebus sibi commendatis suo, aut quolibet amicorum nomine prædia, & mancipia emunt, & ut in propinquorum suorum jus cedant, statuunt, & ob hoc & jura Ecclesiastica convelluntur, & ministerium Sacerdotale fuscatur, imò à Subditis detrahitur, & contemnitur, placuit omnibus, ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur; fixumque ab hinc, & perpetuò mansurum esse decrevimus, ut Episcopus res sui juris, quas aut antè Episcopatum, aut certè in Episcopatu hæreditariâ successione adquisivit, secundùm auctoritatem canonicam, quidquid vult, faciat, & cui vult, conferat. Postquàm autèm Episcopus factus est, quascumque res de facultatibus Ecclesiæ aut suo, aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus, ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant. Similitèr & de Presbyteris, qui de Ecclesiarum rebus, quibus præsunt, prædia eo modo emunt, faciendum statuimus; quoniàm multos Presbyterorum occasione talitèr emptarum rerum Ecclesias, quibus præsunt, expoliasse, & à suo ministerio multis modis exorbitasse, & se Diabolo mancipasse, & hac occasione multos Laicorum in scandalum damnationis, & perditionis prorùisse comperimus.* His supplevi Gratiani fragmentum, in quo nonnulla desiderantur. Potuit autèm apùd eumdem Gratianum pro Concilio Parisiensi ex quadam nominis, & literarum transpositione, aut mutatione legi Concilium Hispalense; quod facilè contigisse ex eo præsertim conjiciemus, si attendamus editionem Ivonis, in quo non Hispalense, sed *Spalense* Concilium commemoratur: nisi fortè quis suspicari malit de Burchardo, quòd noluerit ipse de more suo laudare Capitularia Francorum, sed potiùs inscribere fragmentum Concilii Hispalensis nomine, ex ea ratione, quam jam sæpiùs exhibui superiùs.

In canone 13. caus. 16. quæst. 3. integra describitur prima actio Concilii Hispalensis II. memorati, ubi ex Juris civilis regulis exemplum adducitur de postliminio redeuntibus, ut exindè probetur, Ecclesias barbaricæ feritatis causâ primùm divisas, ea deindè cessante in pristinum revocandas esse, ac reparandas. Quod itaquè dicitur de captivis revertentibus, depromptum est ex Leg. penult. & ult. Cod. de postlim. reversis, quæ ad interpretationem ejusdem canonis plurimum conferre potest. Can. 13. caus. 16. q. 3.

Integra etiàm nona hujus Concilii actio legitur in can. 22. caus. 16. quæst. 7. ubi tamèn pro illis verbis: *& sæculares in Ecclesia judicare*, legunt alii: *& Viros Ecclesiasticos judicare.* Porrò judicandi verbum hic non sumitur propriè, quòd scilicèt idem significet, ac sententiam ferre, sed potiùs accipitur pro prudenti, accurataque distributione rerum, sive pensionum Ecclesiasticarum ergà Clericos juxtà gradus, & merita uniuscujusque. Quod verò in hoc can. laudatur ex Concilio Chalcedonensi, referendum est ad can. 21. caus. 16. q. 7. Can. 22. caus. 16. q. 7.

Canon 24. caus. 18. quæst. 2. habetur in actione 11. Concilii hujus Hispalensis, ex qua ità emendandum est Gratiani fragmentum. *Undecimâ actione communi consensu decrevimus, ut Monasteria Virginum, in Provincia Bætica condita, Monachorum administratione, ac præsidio gubernentur. Tùnc enim salubria Christo dicatis Virginibus præbemus, quandò eis Patres Episcopi tales elegimus, quorum non solùm gubernaculis tueri, sed etiàm doctrina ædificari possint: eâ tamèn circà Monachos cautelâ servatâ, ut remoti ab earum familiaritate (legunt alii: peculiaritate), nec usquè ad vestibulum habeant accedendi familiare permissum. Sed nec Abbati, vel ei, qui præficitur, extrà eam, quæ præest, loqui Virginibus Christi aliquid, quod ad institutionem morum pertinet, licebit; neque cum ea sola, quæ præest, frequenter eos loqui oporteret; sed sub testimonio duarum, vel trium sororum, ità ut rara sit accessio, & brevis omninò loquutio.* Atque hæc nemo arbitretur ità constituta esse, ut Monasteria Sacrarum Virgi- Can. 24. caus. 18. q. 2.

num

num ab jurisdictione esse cæperint Episcoporum exempta: etenim aliud suadent posteriora hæc canonis verba, quæ apùd Gratianum desiderantur: *Constituentes, ut unus Monachorum probatissimus eligatur, cujus curæ sit prædia earum rustica, vel urbana intendere, fabricas extruere, vel siquid ad necessitatem Monasterii, providere, ut Christi famulæ pro animæ suæ tantùm utilitate sollicitæ solis divinis cultibus vivant, operibusque suis inserviant. Sanè is, qui ab Abbate præponitur, judicio sui Episcopi comprobetur.*

Can. 2. caus. 21. q. 2. In canone 2. caus. 21. quæst. 2. habetur actio 3. ejusdem Concilii, non tamèn omninò integra; quam propterea ità supplere juvabit ex integris Concilii exemplaribus. *Tertiâ definitione ad nos oblata precatio est à Reverendissimo Fratre Nostro Cambrano Italicensi Episcopo pro quodam Clerico Ispassando, qui, deserens Ecclesiæ cultum suæ, in qua dicatus ab exordiis infantiæ fuerat, ad Ecclesiam Cordubensem se contulit. Quem elegimus, ut, si nihil proponeretur de eo, citrà dilationis objecta proprio reformaretur Episcopo; scribitur enim in Lege mundiali* (refertur id ad Leg. 11. Cod. de agricolis, & censitis, cui consonat Lex ult. Cod. eod. tit.) *de colonis agrorum, ut, ubi esse jam quisque cæpit, ibi perduret. Non aliter & de Clericis, qui in agro Ecclesiæ operantur, canonum decreto præcipitur, nisi ut ibi permaneant, ubi cæperunt; ideòque placuit, ut si quis Clericus ministeriis Ecclesiæ propriæ destitutis ad aliam transitum fecerit, compellente, ad quem fuerit,* (scilicèt ad quem pertinuerit, non eo, *ad quem fugerit*, quemadmodùm scribit Gratianus,) *Sacerdote, ad Ecclesiam, quam priùs incoluerat, remittatur. Qui verò eum susceperit, nec statim sine ullo nisu exceptionis ad propriam Ecclesiam remittendum elegerit, quamdiù eum restituat, communione se privatum agnoscat. Desertorem autèm Cleri cum cingulo honoris, atque ordinis sui exutum* (metaphoricè hic cingulum ordinis, & honoris clericalis dicitur ex similitudine dignitatum, & honorum civilium, quibus qui erant insigniti, cingulo donabantur, quemadmodùm etiàm ex l. 3. Cod. de Domesticis, & Protectoribus cinguli privatione mulctabantur Domestici, si per quinquennium divagati fuissent) *aliquo tempore Monasterio relegari convenit, sicque posteà in ministerium Ecclesiastici Ordinis revocari. Nàm non poterit in talibus pervagationibus* (Romani Correctores ajunt, legendum esse *prævaricationis*; at Gratianus scripserat *propagationis*) *aboleri licentia, nisi fuerit in eis propter correptionem disciplinæ subsequuta correctio.*

CAPUT XXXVII.

De Concilio Rhemensi.

Canones, Concilio Rhemensi apùd Gratianum adscripti.

Non sunt alicujus Concilii Rhemensis.

- *Can. 4. caus. 21. q. 2. pertinet potiùs ad Capitularia Francorum apùd Reginonem.*
- *Can. 22. caus. 22. q. 5. ad meliorum exemplarium fidem exigendus.*
- *Can. 10. caus. 33. q. 5. referendus potiùs ad Concilium Vermeriense, vel Rothomagense.*
- *Can. 45. de cons. dist. 1. est potiùs Reginonis Prumiensis juxtà Capitula Hincmari Rhemensis.*

Can. 29. de cons. dist. 2. pertinet, vel ad Capitula Hincmari Rhemensis, vel ad Concilium Rothomagense.

DUO potissimùm apùd Collectores Conciliorum recenseri solent Concilia Rhemensia, primùm anni 630. alterum 813: verùm ad neutrum ex his pertinent illa, quæ Gratianus ex Concilio Rhemensi laudavit. Curandum itaquè erit, ut singula hujusmodi capita ad sua loca, & auctores referantur.

Can. 4. caus. 21. q. 2. Quod attinet in primis ad canonem 4. caus. 21. quæst. 2. video, undenàm profluxerit, ut ille Rhemensi Concilio adscriberetur. Regino Prumiensis hæc eadem verba descripserat pòst canonem 243. suæ Collectionis cum hac epigraphe: *ex Concilio quo suprà.* Suprà autèm in eodem capite 243. in aliquibus Codicibus legebatur fragmentum, Concilio Rhemensi adtributum; atquè ideò occasio exhibita est Burchardo, & Ivoni, ut nomine *Concilii quod supra* Rhemense Concilium intelligerent. Cetertùm Regino illis verbis potiùs referre voluit Capitularia Francorum, quæ laudaverat in canonibus præcedentibus 241. & 242. quorum indè sententiam ipse latiùs exposuit in dicto cap. 243. quod eisdem omninò verbis legimus in dicto can. 4. caus. 21. quæst. 2. Itaquè passim in Capitularibus Francorum hujusmodi sententiæ leguntur, quales habentur in dicto can. 4. Etenim in Capitulari Ludovici Pii anni 816. postquàm definitum est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer assignaretur, ità subditur in cap. 11. quod legimus etiàm in lib. 1. Capitularium cap. 86. in editione Parisiensi anni 1677. *Statutum est, postquàm hoc impletum fuerit, ut unaquæque Ecclesia suum Presbyterum habeat, ubi id fieri facultas, providente Episcopo, permiserit.* Itèm in Concilio Parisiensi VI. lib. 1. cap. 49. constitutum est, quod refertur in cap. 73. lib. 6. Capitularium ibi: *Placuit omni Synodali Conventui, ut nullus Presbyterorum amplius, quàm unam Ecclesiam, sibi vindicare præsumat*; & infrà in cap. 75. *Quapropter omnibus placuit, ut nullus Presbyter amplius, quàm unam Ecclesiam, sibi vindicet. Quia, sicut quisque sæcularis non amplius, quàm unam habere debet uxorem, ità & unusquisque Presbyter non amplius, quàm unam habere debet Ecclesiam.* Quæ verba ferè eadem Herardus Turonensis retulit in sua Capitula num. 49. ibi: *Ut Presbyter non amplius, quàm unam Ecclesiam, habeat, sicùt & vir unam uxorem.* Hinc in additione 2. Capitularium cap. 10. dicitur: *Sæpè namquè in aliis Conciliis, & nùnc in nostris Conventibus constitutum est, ut unaquæque Ecclesia, si facultas suppetit, proprium habeat Presbyterum, & unusquisque Presbyter unâ tantum sit contentus Ecclesia.* Posset addi his canon 8. Concilii Nannetensis, sub finem 9. sæculi celebrati, his verbis: *Sicut enim Episcopus non plus potest habere, quàm unam Civitatem, & vir unam uxorem, ità Presbyter unam tantùm Ecclesiam.* Ex his omnibus liquet, nono sæculo, præsertim pòst evulgatas Isidori Mercatoris epistolas, sæpissimè cautum fuisse, ut, sicut uni tantùm uxori singuli viri jungi conjugio poterant, ità unicam Ecclesiam non nisi unus Presbyter regeret; tum enim trita esse cœpit similitudo illa conjugii spiritualis, & corporalis, quæ deindè in ipsismet Pontificum Decretalibus recepta fuit, cap. 2. de translat. Episc. & exemplo mariti, & uxoris cœperunt Viri Ecclesiastici de Ecclesiis & Ministris disserere, quemadmodùm disseruisse videbatur Calixtus Papa apùd Isidorum Mercatorem, nondùm detectis ejusdem Isidori figmentis. Itaquè Regino Prumiensis ex his omnibus nonnulla simùl congessit in dicto cap. 243. quæ asseruit se ex Francorum Capitularibus, sive Gallicanis Conciliis excerpsisse, undè in præsens arbitror dicti canonis 4. Gratianei esse originem repetendam.

Can. 22. caus. 22. q. 5. Quod dicitur in Can. 22. caus. 22. quæst. 5. Clericos non debere jurare, sed potiùs juxtà doctrinam Apostolicam simplicitèr asserere, vel negare, sæpissi-

si-

simè legitur in sacris Canonibus noni sæculi, ut propterea ad ea tempora referendum esse arbitrer illud ipsum Gratiani fragmentum. Egbertus Eboracensis Archiepiscopus in suis Excerptionibus Can. 19. ità habet: *Ut nullus Sacerdos cuicumque cum juramento juret, sed simpliciter cum puritate, & veritate omnia dicat*; quæ eadem verba leguntur in Capitulari Caroli Magni anni 801. Cap. 20. Item in Concilio Meldensi anni circiter 845. Can. 38. ità decretum est: *Ut nullus deinceps Episcopus super sacra jurare præsumat.* Isidorus Mercator ità Cornelium Pontificem Maximum in Epistola 2. ad Ruffum loquentem induxit: *Sacramentum hactenùs à Summis Sacerdotibus, vel reliquis exigi fide rectâ cognovimus, nec spontè eos jurasse reperimus. Summoporè ergò Sanctus Jacob Apostolus prohibens Sacramentum loquitur, dicens: Antè omnia autem fratres mei nolite jurare. Hæc fratres charissimi ipse Dominus prohibet, id est, non debere jurare, Sacramenta non exigi, nisi pro recta fide. Hæc Apostoli maximè omnes, hæc sancti Viri prædecessores nostri, qui huic Sanctæ universali Apostolicæ Ecclesiæ præfuerunt antè nos, hæc Prophetæ, & reliqui sancti Doctores, per universum dispersi ad prædicandum, juramenta vetant.* Hæc sanè generatim prohibent Clericorum juramenta, non tantùm coràm Laicis, verùm etiàm coràm quibuslibet Ecclesiasticis Viris juxtà simplicem doctrinam Apostoli. At apùd Gratianum dictorum Conciliorum, & Patrum sententia restricta est, ut scilicèt non permitteretur Clericis *cuiquàm Laico* jurare; quod Gratianus retulit ex Ivone, & Burchardo, quemadmodùm Romani Correctores indicaverunt. Verùm Burchardus, qui primus hoc fragmentum descripsit, & Rhemensi Concilio adtribuit, veterum Patrum sententias vitiavit, dum vellet simùl jungere, & paucis perstringere, quæ apùd Concilia non longe à sua ætate dissita legerat. Arbitror enim, Burchardum, dum hæc scriberet, duo præ oculis habuisse. Primus esse potuit Can. 6. Concilii Rhemensis anni circitèr 630. sub Sonnatio Rhemensi Archiepiscopo, ubi Can. 6. hæc leguntur: *Ut siquis Judex cujuslibet ordinis Clericum publicis actionibus inclinare præsumpserit, aut pro quibuslibet causis absque conscientia, & permissu Episcopi distringere, aut contumeliis, vel injuriis afficere præsumpserit, communione privetur. Episcopus tamèn de reputatis conditionibus Clericorum negligentias emendare non tardet.* Hæc si conferantur cum dicto Can. 22. apùd Gratianum, proùt ipsum suppleverunt Correctores Romani, non nihil videtur ex uno in aliud fragmentum fuisse derivatum, & tantùm in eo discrimen intercedere, quòd in Canone Rhemensi generatim de omnibus causis sermo institutus sit; & in Canone Gratiani de juramento Clericorum specialitèr agatur. Alterum esse potuit Capitulare Francorum anni 858., quod etiàm fortè Rhemensis Concilii nomine appellari poterat, cum à Rhemensis Provinciæ Episcopis celebratum fuerit. In eo autèm Capitulari cap. 15. Rhemensis Provinciæ Episcopi plura exposuerunt, ut indicarent, *jurationis Sacramentum se non posse quoquo modo facere, quòd eos Evangelica, & Apostolica Canonica auctoritas vetaret. Manus enim*, ajunt illi, *Chrismate sancto peruncta, quæ de pane, & vino aqua mixto per orationem, & crucis signum conficit Corpus, & Christi Sanguinis Sacramentum, abominabile est, quidquid antè ordinationem fecerit, ut pòst ordinationem Episcopatus sæculare tangat ullo modò Sacramentum; & lingua Episcopi, quæ facta est per Dei gratiam clavis cœli, nefarium est, ut, sicut sæcularis quilibet super sacra juret in nomine Domini, & Sanctorum invocatione; nisi fortè, quod absit, contrà eum scandalum acciderit Ecclesiæ suæ: & indè sic temperantèr agat, sicùt Domino docente constituerunt Rectores Ecclesiæ Synodali consilio. Et si aliquandò Sacramenta ab Episcopis exacta, aut facta fuerunt contrà Deum, & Ecclesiasticas regulas, irrita sanctæ Scripturæ paginis declarantur; & exigentes, atque facientes medicamento exindè salutaris pœnitentiæ indigent.* Igitùr, cum præ oculis Burchardus duo hæc capita haberet, illorum sententiam paucis perstrinxit ad rem suam, eademque

que Rhemensi Concilio adscripsit: Ex Burchardo excepit Ivo, & ex Ivone Gratianus, cujus propterea verba erunt ad laudatos Canones, tamquàm ad optima exemplaria, exigenda.

Can. 10. caus. 33. q. 5. Can. 10. caus. 33. quæst. 5. non nomine Rhemensis, sed potiùs Vermeriensis, aut Rothomagensis Concilii erat inscribendus, neque enim difficile fuit Collectoribus Canonum hæc nomina, utpotè literis admodùm similia, præsertim in iis Codicibus MSS., in quibus voces breviores scribi olim solebant, immutare. Porrò in Concilio Vermeriensi anni 753. Can. 21. apùd Reginonem lib. 2. cap. 125. ità legitur: *Qui uxorem suam permiserit velare, aliam non accipiat*, & in Concilio Rothomagensi anni 1072. Can. 17. *Itèm nullus, cujus uxor velata fuerit, ipsa vivente unquàm aliam accipiat.* Ex his adparet verba illa, quæ apùd Gratianum subjiciuntur, *sed similitèr convertatur*, rejicienda prorsùs esse, tamquàm ea, quæ in Conciliorum exemplaribus non habentur, sed fortè à studioso aliquo adjecta fuerunt, aut etiàm è margine in textum translata operâ alicujus, qui prudens aliquod consilium marito, uxorem religionis causâ dimittenti, præbere voluerit.

Nonnulla sunt ad hujus Canonis interpretationem observanda. Circà sæculum 8., & 9. usus invaluerat, ut nonnullæ mulieres, adhùc vivente marito, sacrum velum religionis causâ susciperent, & à viro separatæ continentiam, viro eodem consentiente, profiterentur, à qua vitæ ratione ampliùs recedere non poterant; hinc in Concilio Compendiensi anni 757. Can. 11. ità decretum est: *In qualicumque modo mulier velum sanctum acceperit, spontè in eo permaneat, nec dimittat.* Nùm verò tùnc vir ejusdem posset aliam sibi uxorem jungere, non erat omnium consensione definitum. Non posse virum hujusmodi secundas nuptias appetere dicitur in dicto Gratiani fragmento; ità etiàm cautum est in memoratis Conciliis Vermeriensi, & Rothomagensi. Contrarium servandum esse voluerunt Patres Concilii Compendiensis Can. 13. his verbis: *Siquis vir mulierem suam dimisserit, & dederit commeatum pro religionis causâ infrà Monasterium Deo servire, aut foràs Monasterium dederit licentiam velare, sicut diximus, propter Deum, vir illius accipiat mulierem legitimam. Similitèr & mulier faciat.* En itaquè non tàm diversas, quàm contrarias sententias Patrum, quas jam diù agnovit Egbertus Eboracensis in suis excerptionibus cap. 118. ibi: *Legitimum igitùr conjugium non licet separari sine consensu amborum; potest tamèn alter alteri cum consilio Episcopi licentiam dare ad servitutem Dei accedere. Quidam etiàm dicunt: Si vir, sive mulier ex consensu religionem cæperit, licet alterum accipere novum conjugium, sed puellam, vel puerum, si continens esse non poterit. Quod non laudo. Sed, siquis vult conjugatus converti ad Monasterium, non est recipiendus, nisi prius à conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Nàm, si illo vivente, per incontinentiam alteri nupserit, procùl dubio adultera erit; & qui eam dimisit, particeps erit peccati illius.* Cum igitùr in diversas iverint opiniones tùnc temporis Viri Ecclesiastici, nonnulli ex iis, quibus displicebat novas contrahi nuptias, non alitèr consentire maritum uxori velandæ voluerunt, quàm si idem maritus continentiam profiteretur: ex quo fieri potuit, ut adjecta fuerint Gratianeo Canoni verba illa: *Sed similitèr convertatur*, quemadmodùm jam animadvertimus.

Hæc verò veterum in diversas sententias distractorum concertatio, atque conflictus profectus fuerat ex varia disciplina, quæ in diversis Ecclesiis in hac re obtinebat. Apùd Græcos receptum erat, ut religionis causâ liceret uxori, etiàm ignorante, aut contradicente marito, à conjugio resilire, etenim apùd ipsos maximè favorabilis videbatur causa religionis. Hinc S. Basilius in libro regularum fusiùs disputatarum num. 12. hæc habet: *Atque ii etiàm, qui matrimonio conjuncti ad hujusmodi vitæ genus accedunt, percontandi sunt, nùm, consentiente altera par-*

parte, hoc faciant ex præcepto Apostoli. Vir enim, inquit ille, sui corporis potestatem non habet. Et si hoc ità ab ipsis fieri compertum sit, tùm multis adhibitis testibus admitti debet, qui accedit; siquidem nihil est, quod Dei jussis potiùs haberi debeat. Si verò dissidens altera pars, & assiduè usquè ex adverso cum altera contendat, quòd videlicèt minùs sollicita sit, quomodò placeat Deo, hic ea convenit meminisse, quæ dicta sunt ab Apostolo: in pace autèm vocavit nos Deus, & sic parendum præcepto Domini, qui dixit: Siquis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres &c. non potest meus esse discipulus. Nec enim est, quod haberi antiquius debeat, quàm ut Dei jussis pareatur. Hæc erat Græcorum veterum Patrum doctrina, ipsomet Basilio viro sanctissimo, æquè ac prudentissimo Auctore, quam sequi minimè dubitavit Justinianus in sua Novella 22. cap. 5. Græcorum eorumdem disciplinâ confirmata. Quæ cum ità essent, nemo non videt faciliùs apùd Græcos indulgendum fuisse maritis in sæculo remanentibus, ut novas inirent nuptias, quotiès uxores, quas liberorum potissimùm, & propagandæ familiæ causâ susceperant, religionis specie recessissent. Atque hanc eamdem disciplinam nonnulli etiàm ex Occidentalibus receperant, ii præsertim, qui Græcorum Patrum doctrinam sequebantur; aut qui Græcorum Imperatorum placitis adhæserunt, quemadmodùm fuerunt Patres Compendienses anno 757. in memorato Can. 13. Verùm generalitèr in Occidente displicuit hæc disciplina; ut enim in Occidentali Ecclesia permissum non erat uxori, invito marito, religionem, & continentiam profiteri, ità si viri consensus accessisset, indictum fuit eidem viro, ut & ipse continentiam servaret; ne fortè maritus videretur consensisse, non tàm amore religionis, quàm novi conjugii celebrandi desiderio. Explicat hanc rem Theodorus Cantuariensis Episcopus sive Græcorum, sive Latinorum rituum peritissimus in suo Pœnitentiali, quem edidit Jacobus Petitus cap. 11. his verbis: *Legitimum conjugium non licet separari sine consensu amborum; potest tamèn alter alteri licentiam dare, accedere ad servitutem Dei in Monasterio, & sibi nubere, si in primo conjugio erat, secundùm Græcos, & tamèn non est Canonicum.* Idipsum etiàm monet Regino in lib. 2. de Ecclesiasticis disciplinis, ubi cum cap. 108. descripsisset laudatam Concilii Compendiensis sententiam, quâ asseritur maritum posse pòst conversionem uxoris sibi alteram conjugem jungere, statim subdidit: *Sed hæc sententia Canonicis, atque Apostolicis informatur documentis*; quod ut demonstraret statim subjecit fragmentum Nicolai Papæ, quod nùnc legimus etiàm apùd Gratianum in Can. 26. caus. 27. quæst. 2.

Itaquè Nicolaus Pontifex minimè probavit Græcorum Patrum opinionem: minimè etiàm probarunt Latini Canonum Collectores, omnes sequuti doctrinam Augustini, & Gregorii Magni. Etenim Augustinus tradebat, neminem ex conjugibus, nisi altero conjuge consentiente, posse continentiam profiteri, Can. 4. 5. 6., & 11. caus. 33. quæst. 5., & ampliùs progressus Gregorius non alitèr voluit converti unum ex conjugibus, quàm alter etiàm converteretur. Posteriore ætate conciliatæ videntur, & quodammodò compositæ Græcorum, Latinorumque sententiæ, & quidèm in utroque disciplinæ capite. Primùm enim in ea disputatione, utrùm conjux invito consorte possit â conjugio resilire, recepta distinctio est inter matrimonium ratum, & consummatum, ut Græcorum sententia obtineat in conjugio rato, & Latinis potiùs adhærendum sit in consummato. Deindè in altera disputatione, utrùm liceat in sæculo remanenti novas inire nuptias, facile fuit rem dirimere, ut scilicèt quotiès matrimonium ratum esset, & invito conjuge conjux alter professus fuisset continentiam, liceat in sæculo remanenti novas nuptias contrahere juxtà sententiam Græcorum; quotiès verò matrimonium esset jam consummatum,

tum, & conjugis consensu alter conjux recessisset, non liceat remanenti in sæculo novas nuptias contrahere, imò & si incontinentiæ suspicio subesse possit, nemo etiàm ad consentiendum conversioni conjugis admittatur, nisi & ipse Monasterio se tradat, atque ibidèm continentiam profiteatur. Hæc quidèm distinctio videtur ingeniosa, utpotè quæ complexa est utriusque Ecclesiæ, sive Græcæ, sive Latinæ, disciplinas, & diversas rationes, tamèn ab initio privatum Auctorem habuit, videlicèt Gratianum in caus. 27. quæst. 2., nec reverà omninò aut Latinorum, aut Græcorum Patrum sententiæ consonabat: verùm, quo tempore Gratiani Decretum maximi habitum est in scholis, & in foro, usu recepta fuit, atque etiam eo magis, cum Summi Pontifices eamdem in suis Decretalibus confirmaverint cap. 3. 5. & passim de convers. conjugatorum.

Can. 45. de cons. dist. 1. Can. 45. de cons. dist. 1. Gratiano, quàm ab Ivone, & Burchardo excerptus est à Reginone Prumiensi, qui *ex Concilio Rhemensi tit.* 8. hæc refert in lib. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 67. *Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnimodis ex argento fiat. Neque causentur Presbyteri, avaritiâ suadente, de paupertate, vel impossibilitate, cum una pars ex omnibus, quæ ad Ecclesiam pertinent in fabricis ipsius Ecclesiæ sit impendenda. Admonendus est etiàm populus, ut aliquid in donariis Domini offerat, sicùt ipse antiquus populus sub Moyse in tabernaculo Domini fecisse legitur. Siquis autèm tam pauperrimus est, saltim vel stanneum calicem habeat. De ære autèm, aut ex auricalco non fiat calix; quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autèm in ligneo* (addit Gratianus, *aut vitreo*) *calice præsumat cantare.* Sunt, qui putant, Canonem istum fuisse in Synodo, quæ Durocortori Rhemorum habita est ex præcepto Caroli Magni, quod tamèn hucusquè non demonstrarunt. Ego potiùs arbitror, hunc Canonem tribuendum esse eidem Reginoni tamquàm auctori suo, qui tradere voluit, quid servandum esset in Diœcesi Trevirensi, quam instituendam susceperat jussu Rathbodi Episcopi; eumdem autèm Reginonem inscripsisse nomen Concilii Rhemensis tit. 8., quia respicere volebat ab titulum 8. Capitularis 2. Hincmari Rhemensis Episcopi, ubi inter cetera, quæ decernuntur servanda à Decanis, & Presbyteris, hoc habetur: *Quo metallo sit calix, & patena, aut qua diligentia custodiantur.*

Can. 29. de cons. dist. 2. Sæculo 7., & sequentibus vetitum multotiès scimus, ne Sacerdotes sacram Eucharistiam Laicis, fœminisve porrigerent, ad infirmos deferendam. Atque ut à Rhemensibus Capitulis exordiar, habemus titulum. 2. Hincmari Rhemensis, ubi cap. 10. proponitur Decanis investigandum: *Si ipse Presbyter visitet infirmos, & inungat oleo sancto, ut communicet per se, & non per quemlibet, & ille ipse communicet populum, nec tradat communionem cuiquam Laico, ad deferendum in domum suam causâ cujuslibet infirmi.* Idipsum fermè legitur in inquisitione Reginonis, quæ est in lib. 1. cap. 1. num. 18. ibi: *Si visitet* (Presbyter) *infirmos, si eos reconciliet, si eos ungat oleo sancto juxtà Apostolum, si eos propriâ manu communicet, & non per quemlibet Laicum. Si tradat communionem Laico, & fœminæ ad deferendum infirmo, quod nefas est.* Itèm in Concilio Rothomagensi anni 650. ità legitur: *Dictum est nobis, quòd quidam Presbyteri, celebratâ Missâ, detrectantes ipsi sumere divina mysteria, quæ consecrarunt, calicem Domini mulierculis, quæ ad Missas offerunt, tradant, vel quibusdam Laicis, qui dijudicare Corpus Domini nesciunt, id est, discernere inter cibum spiritualem, atque carnalem; quod, quantum sit omni Ecclesiasticæ religioni contrarium, pietas fidelium novit. Undè omnibus Presbyteris interdicimus, ut nullus in posterum hoc facere præsumat, sed ipse....eos propriâ manu communicet; nulli autèm Laico, aut fœminæ Eucharistiam in manibus ponat, sed tantùm in os ejus...Siquis hoc transgressus fuerit, quia Deum omnipotentem contemnit, &, quantum in ipso est, inhonorat, ab Altari removeatur.*

Ea-

Eadem sententia habetur in Capitulis Herardi Turonensis cap. 24., in Capitulis Isaacci Lingonensis tit. 11. cap. 23., & in additione 3. Capitularium Francorum cap. 18. Hi sunt, ut arbitror, fontes, ex quibus Regino Prumiensis composuit ad institutionem Trevirensis Diœcesis caput 120. lib. 1., quod nomine Concilii Rhemensis inscripsit, idemque omninò est cum Canone 29. de cons. dist. 2. apùd Gratianum. Ac propterea suspicari possumus, pro nomine Rhemensis Concilii legendum olim fuisse Rothomagense, ut idem Canon referatur ad Canonem Rothomagensem, nupèr laudatum; vel si Concilii Rhemensis nomen retinere velimus, eumdem Canonem referemus ad Capitula Hincmari Rhemensis, nupèr etiàm laudata, in quibus eadem propemodùm sententia exhibetur.

CAPUT XXXVIII.

De Concilio Rothomagensi.

Nomine Rothomagensis Concilii relati sunt sequentes Canones apùd Gratianum.

Can. 33. *caus.* 7. *q.* 1. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 5. *caus.* 16. *q.* 7. *consonat cum editis Concilii exemplaribus.*
Can. 29. *caus.* 18. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus*

Additur apùd aliquos can. 11. *caus.* 16. *q.* 7. *qui potiùs est Concilii Lateranensis Calixti II.*

LIcèt plura sint Rothomagensia Concilia, ità dicta à Rothomago, vulgò *Roven*, quæ hodiè Civitas est Normanniæ Metropolis; quæ tamèn capita apùd Gratianum hoc nomine inscripta sunt, pertinent ad illam Synodum, quæ in editionibus Labbei celebrata fertur circà annum 650., quidquid alii sentiant, eamdem referentes ad sæculum undecimum, minimè animadvertentes ejusdem Synodi Canones jam diù fuisse laudatos à Reginone Prumiensi, qui floruit medio decimo sæculo. Ceterùm, quæcumque capita in eadem Synodo legimus, septimi sæculi disciplinæ conveniunt, nec est, ut aliquâ ratione posterioribus temporibus tribuantur. Canones 16. ibidèm editi proponuntur, quorum septimus habetur in Can. 33. caus. 7. q. 1., cujus lectionem Romani Correctores ex Burchardo, & Ivone emendarunt, quòd fortè eo tempore nondùm habuissent integra hujus Concilii exemplaria. Concilii verba hæc sunt: *Sancitum est, atque omnimodis prohibitum, ut, siquis Presbyter inventus fuerit alicui Clerico, aut Laico munera dare, aut dedisse, aut aliquam pecuniam tribuere, aut alterius Presbyteri Ecclesiam surripiat, aut Ecclesiam vacantem pretio redimat, pro hac cupiditate, seu rapina, seu præsumptione turpis lucri gratiâ, dejiciatur à Clero, & alienus existat à regula.* Hæc congruere sæculo septimo ad reformandam Galliarum disciplinam, apertè probari potest ex Concilio Parisiensi V. anni 615. cap. 9., ubi eadem fermè statuta sunt ad evitandum simoniæ crimen in sacris officiis suscipiendis. Eadem omninò verba relata fuerunt in Capitularia Regum Francorum lib. 7. cap. 206. editionis Parisiensis anni 1677., ubi tamen prætereà adjecta sunt quædam publica Francorum Principum, & Antistitum auctoritate observatione digna; siquidèm pòst illa verba: *Et alienus exsistat à regula*, hæc immediatè subjiciuntur:

Can. 33. caus. 7. q. 1.

tur: *Nàm si pro misericordia Episcopo placuerit longo tempore eum pœnitendo, quæ gessit, in carceris ærumna recludere, & usquè ad satisfactionem ibi retinere liceat. Et posteà si se correxerit, & alia deinceps minimè se facere promiserit, humaniùs erga eum agere poterit, si voluerit, & ipse dignus inventus fuerit.*

In can. 3. ejusdem Concilii legimus eisdem omninò verbis can. 5. caus. 16. quæst. 7., quem Romani Correctores exegerunt potiùs ad fragmenta Collectorum, cum illorum tempore integra Concilii Rothomagensis exemplaria in Bibliothecarum latebris adhùc delitescerent. Quod autèm ibi statutum est de decimis, sexti, & septimi sæculi disciplinæ apùd Gallicanam Ecclesiam maximè convenit, in qua ob varias temporum injurias, & vices à Clericis decimæ sublatæ fuerant. Hinc in Concilio Matisconensi II. anni 585. Can 5. hæc decreta sunt: *Statuimus, ac decernimus, ut mos antiquus à fidelibus reparetur, & decimas Ecclesiasticis famulantibus cæremoniis populus omnis inferat.*

Can. 5. caus. 16. q. 7.

Ad caput 10. hujus Concilii referendus est Can. 29. caus. 18. quæst. 2., quem Gratianus nomine Concilii Aurelianensis inscripserat. Romani Correctores, qui nondùm viderant exemplaria hujus Concilii Rothomagensis, observaverunt, apùd Burchardum & Ivonem Canonem illum fuisse insertum Canoni *Abbates* 16. caus. 18. quæst. 2., undè profluxit nomine Aurelianensis Concilii à Gratiano fuisse inscriptum quemadmodùm & inscriptus fuerat Can. 16., monuerunt prætereà simile quiddam haberi in Pannormia ex Concilio Rothomagensi lib. 3. cap. 125. Verba Can. 10. Rothomagensis hæc sunt: *Ut Episcopus Monasteria Monachorum, & Sanctimonialium frequenter introeat, & cum gravibus, & religiosis personis, in eorum etiàm vitam, & conversationem diligenter discutiat, &, siquid reprehensibile invenerit, corrigere satagat. Sanctimonialium etiàm pudicitiam subtiliter investiget.* Conveniunt hæc maximæ solertiæ veterum Episcoporum Rothomagensium ergà monasteria; etenim de sancto Audoeno Rothomagensi Antistite legitur in ejusdem vita cap. 16., illum diligentissimam gessisse Monasterii sancti Petri Rothomagensis, ex quo aliquot ex eruditis conjiciunt, ipsum Audoenum convocasse hoc, de quo agimus, Concilium, & ibidèm præfuisse. Fateor quidèm, memorata Concilii Rothomagensis verba non eadem omninò esse cum verbis Gratianeis, sed exindè bona occasio exhibetur unicuique, ut Gratiani fragmentum ad ejusdem Rothomagensis Canonis integritatem restituat.

Can. 29. caus. 18. q. 2.

Non omittam hoc in loco quædam attingere de Can. 11. caus. 16. quæst. 7., quem Gratianus inscripsit nomine Calixti Papæ. Tradam suo loco, illum tribuendum esse Concilio Lateranensi, sub Calixto II. celebrato. Quoniàm verò Romani Correctores asserunt, in aliquibus exemplaribus adscriptum fuisse Concilio Rothomagensi, dixerim intereà nomen Rothomagensis Concilii ab aliquibus adjici potuisse, fortè ad marginem, non ut indicaretur Canonem verè esse Concilii Rothomagensis, sed ut significaretur nonnulla his similia haberi in Concilio Rothomagensi anni 1074., in quo hæc leguntur Canone 5. *Quòd Subdiaconi, sive Diaconi, sive Sacerdotes Parochiani non ordinentur, secundùm ordinationem Toletani Concilii absquè legitima professione, quam coràm Episcopo, & omnium circumstantium audientia faciant, qui ordinandi fuerint.*

Can. 11. caus. 16. q. 7.

CA-

CAPUT XXXIX.

De Concilio Emeritensi.

Unicum extat apùd Gratianum Concilii Emeritensis fragmentum.

(*Can. 2. caus. 10. q. 3. dubiæ auctoritatis.*

AB Urbe Emerita Lusitanæ Provinciæ, quæ apùd Romanos Augusta Emerita nuncupatur, nomen habet Emeritense Concilium, sub Proficio Archiepiscopo celebratum anno 666., ubi plura disciplinæ Ecclesiasticæ capita constituta sunt. Verùm hæc Synodus, licèt Provincialis fuerit, non tamèn apùd Lusitanæ Provinciæ fideles plurimùm valuit, nec ità quidèm, ut ejusdem Canones quasi leges Ecclesiasticæ omninò servari deberent. Fuit antiqua controversia corâm Summo Pontifice disputata inter Petrum Compostellanum, & Martinum Bracarensem Archiepiscopos, in qua cum Petrus Compostellanus pro defensione causæ suæ retulisset Canonem Concilii Emeritensis, objiciebat Martinus Bracarensis, *Emeritense Concilium non esse authenticum, tum quia non invenitur in aliquo authentico libro inter alia Concilia contineri, tum quia nec constructionem, nec sensum, nec latinitatem in plerisque locis continere probatur, tum etiàm quia contrà Canonicas sanctiones, & Apostolicæ Sedis Primatum aliquid videtur in eo esse statutum.* Et quamquàm aliis rationum momentis contrà responderit Petrus, Innocentius tamèn III. Pontifex Maximus arbitratus est potiùs controversiam omnem transactione finiendam esse, quàm sententiâ dirimendam. Pòst quæ Canones Emeritensis Concilii apùd eruditos valdè suspecti visi fuerunt, nec hujusmodi, ut tutò possint ad ecclesiasticam disciplinam confirmandam à Viris Ecclesiasticis adferri; quemadmodùm liquere potest ex Epistola ejusdem Innocentii III. ad Petrum Compostellanum, quæ apùd Labbeum habetur integra ad calcem ipsius Emeritensis Concilii in Veneta editione.

Quidquid tamèn sit de auctoritate Concilii Emeritensis, ad illud referendus est Gratianeus Can. 2. caus. 10. quæst. 3., & emendandus ex integris ejusdem Synodi exemplaribus, in quibus cap. 16. hæc leguntur: *Benè disponit divina gratia: Quidquid unaquæque Ecclesia à fidelibus collatum est, habeat. Priscis quippè canonibus erat decretum, ut Episcopus de Parochitanis Ecclesiis tertiam sequeretur, cui sua plenissimè sufficere possunt. Placuit huic Sancto Concilio, ut nullus Provinciæ Lusitaniæ Episcopus sententiæ hujus terminum excedat, nec à qualibet Parochitana Ecclesia tertiam auferre præsumat, sed quidquid exindè consequi potuerat, totum in reparationem ipsarum Basilicarum proficiat. Omnes verò supradicti Presbyteri, qui virtutem habuerint, Episcopo suo placitum faciant, ut reparare Ecclesias sibi commissas intendant.* Vel ex hoc Canone patere potest, quòd adversùs Emeritense istud Concilium opponebat Martinus Bracarensis, videlicèt in Canonibus Concilii *nec constructionem, nec sensum, nec latinitatem contineri.* Inter cetera enim videntur Emeritensis hujus Canonis Auctores velle recedere à veterum Canonum disciplina, de tertia reddituum parte Episcopis concedenda ex Ecclesiis Parochialibus; sed intereà asserunt, veteris Canonis terminum non esse excedendum, quod idem significat, ac Episcopos non nisi tertiam partem sibi usurpare debere. Illud sanè certum est apùd veteres, quemadmodùm alibi superiùs animadverti, oblationes omnes, quemadmodùm Cathedralis, ità & Parochialium inferiorum Ecclesiarum integras ad Episcopi manum, potestatemque deferri consuevisse, ex quibus Episcopus idem Ecclesiæ suæ Cathedrali, adhùc inopi, & Clericorum

Civitatensium egestati succurrebat, non omittens tamèn & Clericis in Parochiis constitutis necessaria vitæ subsidia suppeditare. Paulatim verò, cùm Cathedrales Ecclesiæ locupletiores evassissent, & Episcopi ipsi Parochiarum inferiorum bonis non indigerent amplius, ab eisdem Parochiarum redditibus excipiendis abstinuerunt, non tamèn ab omnibus statim; sed circà sextum, aut septimum Ecclesiæ sæculum Episcopi alicubi quartam tantùm, alicubi etiàm tertiam partem postulabant; sive quòd eâ adhùc parte indigerent, sive quòd veteris juris vestigium in eadem parte custodiri exoptaverint. In provincia Lusitana, aliisque finitimis illud vigebat sexto, & septimo Ecclesiæ sæculo, ut tertia reddituum Parochianorum pars Episcopo cederet, quemadmodùm legitur in Concilio Toletano XVI. anni 693. cap. 5., & in Concilio Bracarensi II. anni 572. Can. 16.

CAPUT XL.

De Concilio Educensi.

Nomine Concilii Educensis refertur.

Canon 1. *caus.* 19. *q.* 3. *tribuendus Concilio Heduensi sub Leodegario Augustodunensi.*

NON Educense, sed potiùs Heduense Concilium memorandum erat à Gratiano, vel, quod idem est, Augustodunense, ità dictum, quòd celebratum fuerit Augustoduni in Heduorum civitate. Quatuor autèm Heduensia, sive Augustodunensia Concilia habita feruntur apùd Collectores. Primum est circà annum 670. sub S. Leodegario Augustodunensi Episcopo tempore Adeodati Papæ, & Theodorici Regis, in quo plura capita ad monasticam disciplinam stabiliendam constituta fuerunt, quæ tamèn non omnia, nec integra ad nos usquè pervenerunt, sed aliqua tantummodò fragmenta, eaque inordinata. Alterum celebratum est circà annum 1065. sub Alexandro II., in quo discussa est causa Roberti Burgundiæ Ducis cum Aganone Episcopo. Tertium illud est, de quo mentionem facit Gregorius VII. in Epist. 22. lib. 4. ad Hugonem Diensem Episcopum, habitum scilicèt temporibus ejusdem Gregorii circà annum 1077., ubi præcipuè actum fuit de electionibus Abbatum, & illorum juribus. Postremum celebratum fuit anno circitèr 1094. tempore Urbani II., in quo de pluribus negotiis actum est; præsertim verò de causa Guiberti, qui Apostolicam sedem invaserat, de Henrico Rege, de Philippo Galliarum Rege, de Simoniacis, de Sacerdotibus incontinentibus, & de cohibendis Monachorum ausibus, qui Sacerdotum officia in Parochiis exercebant.

Philippus Labbeus refendum arbitratur ad Concilium Heduense III. anni 1077. Gratianeum Canonem 1. caus. 19. quæst. 3. fortè ex eo, quòd Gratianus eidem hæc verba adscripserit: *In Concilio Educensi, celebrato sub Gregorio VII.* Ego verò potiùs existimarem, Canonem eumdem editum fuisse in Concilio Heduensi I. circà annum 670. sub Sancto Leodegario; etsi enim inter editos ejus Canones non legatur, tamèn quia constat ejusdem Canones quamplures fuisse deperditos, quemadmodùm ipsimet Conciliorum Collectores testantur, nihil prohibet, quominùs asseramus apùd Gratianum reperiri, quod in ipsis Conci-

cilii exemplaribus non habetur. Ex eo verò adducor, ut hunc Canonem Concilio Heduensi I. potiùs adscribam, quòd in eadem Synodo quamplura ad Monasteriorum regimen pertinentia definita fuerint; quo etiàm spectat dictus Canon primus Gratiani. Imò & in Canone 10. illius Concilii ex editis hæc habentur: *Statuimus, ac decernimus, ut nullus Monachum alterius absquè permissu sui Abbatis præsumat retinere: sed, cum inventus fuerit vagans, ad cellam propriam revocetur, ibi juxtà culparum merita coercendus.* Quæ sanè verba plurimùm consonant cum memorato Gratiani Canone. Quò respexit Auctor formularum, quarum collectionem fecit Baluzius, ediditque ex vetustissimis Codicibus MSS. pòst libros Capitularium, ità scribens num. 36. *Canones verò Augustodunenses ità statuunt, ut nullus Monachum alterius absquè permissu Abbatis sui præsumat retinere.* Porò hæc & similia statuta sæculo septimo plurimùm conveniunt, quo utilitèr cavebatur, ne Abbates Regulares alienæ jurisdictioni subjectos sibi vindicarent, etenim & jam tempore Concilii Agathensis anni 506. simile propemodùm decretum fuisse legimus in Can. 27., ac præsertim ne Abbates non tantùm Monachos ab alienis Monasteriis, sed Clericos ab Ecclesiis suis subtraherent, sed Augustodunensi Civitati sæculo septimo accomodatum fuerat; siquidèm antè centum circitèr annos Gregorius Magnus quibusdam Augustodunensibus Monasteriis privilegia concesserat, ut constat ex ejusdem Papæ Epistolis 10., 11., & 12. lib. 11. quibus præsertim indulgebatur, ne Episcopi possent Monachos ex illis ad ecclesiasticum ordinem promovere sine consensu Abbatis; ac proindè Abbates illi quodammodò abs jurisdictione Episcopi Augustodunensis exempti videbantur, ut propterèa facilè exindè contingere potuerit, ut Abbates viceversa Clericos regulares Episcopo subjectos ad sua Monasteria vocarent, cum id expressè non fuisset Abbatibus vetitum: quamobrèm necessarium fuit Sancto Leodegario idipsum editis Canonibus interdicere, ut quemadmodùm Monasteriorum Augustodunensium disciplinæ jam satis consultum fuerat per privilegia Gregorii Magni, ità per novos Canones Heduenses Augustodunensis quoquè Ecclesiæ, & Cleri utilitatibus consuleretur.

CAPUT XLI.

De Concilio, quod Gratianus sextum appellat, sive Trullano.

Quotquot Concilii sexti nomine habentur Canones apùd Gratianum, non illi reverà pertinent ad Concilium sextum Generale, sed potiùs ad Concilium Trullanum, quod alii Quinnisextum vocant. Hoc itaquè Capite complexus sum, sive quæ Gratianus idem simplicitèr nomine sextæ Synodi retulerat, sive quæ clariùs se ex Trullana Synodo deprompsisse professus fuerat; etenim arbitror, Gratianum inter utramque Synodum maximum, qùod intercedit, discrimen non agnovisse. En fragmenta Gratiani.

Can. 4. dist. 16. rejiciendus, & perperàm à Gratiano exhibitus.
Can. 7. dist. 16. rejiciendus, & ad ipsius Concilii integritatem restituendus.
Can. 6. dist. 22. rejiciendus, & ad ipsius Concilii integritatem restituendus.

Can. 16. *dist.* 28. *consonat cum sententiis Sancti Basilii.*
Can. 13. *dist.* 31.
Can. 7. *dist.* 32. } *Romanorum disciplinæ adversantes, & injuriosi.*
Can. 3. *dist.* 44. *cum veterum canonum sententiis conformis.*
Can. 4. *dist.* 77. *consonat cum sententia Concilii Neocæsareensis.*
Can. 26. *dist.* 93. *veterum disciplinæ conformis.*
Can. 100. *caus.* 1. *q.* 1. *consonat cum receptissimis Ecclesiæ regulis.*
Can. 48. *caus.* 12 *q.* 2. *plurimùm consonat cum Concilii Chalcedonensis canonibus.*
Can. 1. *caus.* 21. *q.* 2. *consonat cum vetere disciplina.*
Can. 2. *caus.* 21. *q.* 4. *consonat cum canonibus Concilii Nicæni II.*
Can. 6. *caus.* 27. *q.* 1. *consonat cum veterum Patrum sententiis.*
Can. 13. *caus.* 28. *q.* 1. *consonat cum canonibus Concilii Laodiceni.*
Can. 34. *de cons. dist.* 1. *plurimùm consonat cum canonibus Laodicenis.*
Can. 47. *de cons. dist.* 1. *consonat cum disciplina Ecclesiæ universæ.*
Can. 6. *de cons. dis.* 2. *veterum disciplinæ conformis.*

CElebratis Conciliis Œcumenicis quinto, & sexto, scilicèt Constantinopolitano II., & Constantinopolitano III., in quibus tum Nestorianorum reliquiæ in causa trium Capitulorum, tum Monothelitarum hæreses damnatæ fuerant, nondùm videbatur aliquibus Ecclesiasticæ utilitati satis fuisse prospectum, nisi Canones quidam etiàm ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam adjicerentur, ad exemplum præcedentium Generalium Conciliorum, quæ pòst definitiones fidei, nonnullas prætereà Ecclesiasticæ prudentiæ regulas condiderant. Jam tamèn dissolutum fuerat utrumque Concilium, quorum postremum Agathonis Pontificis Maximi tempore jam perfectum fuerat; quùm pòst multos annos, tenente maximum Pontificatum Sergio, Græci Episcopi numero plurimi, videlicèt, si fides danda sit Balsamoni, & Zonaræ, CCXXVII., longè propterea plures quàm Concilio sexto interfuissent, in unum convenerunt Constantinopolim sub Justiniano II. Rhinothmeto anno circitèr 692. in Trullum, sive locum concavatum, ubi duos suprà centum Canones ediderunt, quasi Concilii quinti, & sexti supplementa, undè Concilium ipsum vel Trullanum, vel Quinnisextum appellatum est, imò etiàm aliquandò nomine Synodi sextæ ab imperitis Collectoribus laudatum.

Vetustissima est controversia de hujus Concilii, Canonumque in eo editorum auctoritate. Illud tamèn sempèr probatissimum fuit apùd Occidentales, ut Concilium ipsum generalibus Conciliis accenseri non debeat; non solùm ex eo, quòd minùs recta Ecclesiasticæ disciplinæ capita in eodem contineantur; verùm etiàm potissimùm, quòd Romanæ Ecclesiæ auctoritas nec intervenerit, nec accesserit, generalibus Conciliis necessaria. Hunc quidèm Græci Episcopi honorem Romanæ Ecclesiæ debitum tribuerunt, ut in subscriptionibus locum primum vacuum relinquerent, quem Pontifici Maximo subscriptionis causâ reservarunt, sed nullus uspiàm ex Pontificibus Maximis subscripsisse legitur. Fertur quidèm prætereà interfuisse Concilio Basilius quidam Episcopus Gortyniorum in Creta insula, quasi *Romanæ Ecclesiæ locum tenens*, quemadmodùm in hac Synodo appellatur. Verùm hæc appellatio meo judicio non eo refertur, ut Basilius reverà delegationem Sergii Papæ susceperit, eoque nomine Concilio Trullano præsederit, sed eo potiùs, ut designaretur, eumdem Basilium jam vices gessisse Agathonis Papæ in Concilio VI. generali anni 680., uti patet ex subscriptionibus ejusdem Concilii: præsertim quòd facilè suspicari

cari possimus, Græcos, ut Concilio suo majorem auctoritatem inderent, Basilio eidem persuassisse, ut eo nomine, quo aliàs gaudebat, subscriberet, illud etiàm proponentes pristinam adhùc delegationem perdurare, cum non de novo Concilio, sed de supplemento Conciliorum præcedentium ageretur. Ceterùm in hoc Concilio non omnia juxtà Canonum disciplinam peracta sunt; nàm in primis memoratus Basilius, licèt locum se tenere dixerit Ecclesiæ Romanæ, non subscripsit primus, quemadmodùm moris erat in Conciliis veteribus, sed duodecimus locus ipsi fuit inter Episcopos adsignatus; itèm Imperator Justinianus primus legitur antè Episcopos subscripsisse, præter morem præcedentium Synodorum. Prætereà, ut diximus, recusavit subscribere Sergius Pontifex Maximus quemadmodùm scribit Anastasius Bibliothecarius in ejus vita, ibi: *Compellebatur & ipse* (Sergius) *subscribere, sed nullatenùs acquievit.* Demùm, si universa Concilii ejusdem gesta penitiùs observentur, constabit manifestissimè nihil aliud voluisse Græcos Episcopos, quàm improbo, & furtivo conatu, prætextu perficiendi ecclesiasticam disciplinam, quemadmodùm erant in schismata, seditionesque proni, illam potiùs omninò turbare. Atque hac in re non possum continere adversùs recentiores hæreticos non paucos, qui de hoc Trullano Concilio, quasi de optimo sacræ disciplinæ archetypo loquuntur, atque hinc occasionem arripiunt de more suo redarguendi Romanam Ecclesiam, quòd illud suo suffragio non receperit. En propriam, & planè singularem hæreticorum indolem, qui dum vetera monumenta observant, quo improbo studio ea rejicere satagunt, quæ plurimùm ad rectæ fidei, veræque Ecclesiæ demonstrationem conducunt, eodem volunt probari illa omnia, quæ à schismaticis hominibus, quicumque illi fuerint, & quocumque spiritu ducerentur, ad turbandam Ecclesiam facta clarissimè cernuntur, dummodò Romanis, ut ipsi ajunt, moribus adversentur. Non est hæc meo judicio inquirendæ veritatis optima sollicitudo, qua iidem se rapi quodammodò profitentur, sed potiùs quidquid audendi effrænata licentia.

Nulla itaquè vis, & auctoritas est Canonum Trullanorum, licèt illi apùd Gratianum honorabili sextæ Synodi nomine laudentur. Non tamèn inficias iverim, inter tot sententias aliquas haberi, quæ veteribus Conciliorum Canonibus omninò conveniunt, quæque propterea non ex eo improbandæ erunt, quòd à Trullanis Episcopis fuerint renovatæ; cuilibet enim ingenuo homini, & honesto placere debet veritas, & prudentia, etiamsi in ore alienæ fidei hominum sonet; non enim tùnc alienigenas sequimur, sed veritatem, prudentiamque, à nostris majoribus sanctissimis, ac sapientissimis traditam, à qua illi in ea parte minimè desciverunt; Quamobrèm, ubi Gratianeos Canones expendero ex hoc Concilio depromptos, illud potissimùm observabo, ut quæ cum veterum Sanctorum Patrum prudentia consonant, ad eorumdem doctrinam prorsùs exacta proponam; illa verò, quæ dissonant, tanquàm improba schismaticorum molimina rejicienda exhibeam.

Apùd Gratianum occurrit in primis Can. 4. dist. 16., cujus sententia legitur in Can. 2. Concilii Trullani. In eo Græci Antistites sibi proposuerunt, ut Codicem Canonum quemdam seligerent, qui in universa Ecclesia probaretur; jam enim animadverterant plura tum falsa, & apocrypha in Ecclesiasticos Codices irrepsisse; ità propterea exorsi sunt: *Hoc quoquè huic Sanctæ Synodo pulcherrimè, & honestissimè placuit, ut ab hoc nùnc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi, stabilesque maneant, qui à Sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti, ac confirmati sunt, atque adeò nobis etiàm traditi sunt Sanctorum, & Gloriosorum Apostolorum nomine 85. canones.* Pòst hæc rejiciunt Constitutiones Apostolicas, nomine Clementis editas, Can. 4. dist. 16.

tas, quòd in iis plura adjecta fuissent *adulterina*, *& à pietate aliena*, *ab iis*, *qui fide aliena sentiunt*; deindè confirmant Canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsareenses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopolitanos, Ephesinos, Chalcedonenses, Sardicenses, Carthaginenses, & rursùm Constantinopolitanos sub Nectario, & Theophilo conditos, Canones Dionysii, & Petri Alexandrinorum, Canones Gregorii Neocæsareensis, Athanasii, Basilii, Gregorii Nysseni, Gregorii Theologi, Amphilochii Iconii, Thimothei, & Cyrilli Alexandrinorum, Gennadii, & unicum Canonem S. Cypriani, quem dicunt in solis Africanorum Provinciis fuisse servatum. Pòst quæ eos damnant, quicumque alios prætèr memoratos Canones recipere voluerint, aut qui propositos aliqua de causa rejecerint.

Duo hic observanda occurrunt; primum, quod ad integram hujus Canonis sententiam pertinet, alterum, quo pertinet ad Gratiani fragmentum ex eo depromptum. Videtur in primis Trullanus Canon in eo deficere, quòd omnia propemodùm Romanæ Ecclesiæ monumenta, præsertim verò, quæ Romanos Pontifices habuerint Auctores, rejecerit, & ut non reciperentur mandaverit, cum tamèn probari jure optimo potuissent Gelasii, Leonis magni, & Gregorii Magni Canones inter ceteros; quibus addi potuissent ex Latinis Patribus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, aliique non pauci. Hùc accedit, ex Latinorum monumentis nihil aliud ibi confirmatum esse, quàm quod veteres excitare posset contentiones, videlicèt Canonem Cypriani de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati ad Ecclesiam venirent; quod sanè indicat, non aliam fuisse Trullanorum Episcoporum mentem, quàm ut schismatum semina excitarent, veteresque controversias reducerent, jam diù redditâ pace, & sanctissimis exemplis confirmatâ. Deindè, quod attinet ad fragmentum Gratiani in dicto Canone 4., video non omninò consonare illud cum Canone Trullano; etenim Gratianus ità scripsit, quasi definitum in Concilio Trullano fuerit, 85. capitula verè Apostolorum esse, illaque rata habenda esse, ac confirmata; at Trullani Antistites, ut liquet ex eorum verbis, superiùs expressis, nihil aliud voluerunt, quàm confirmari disciplinam, quæ in illis 85. Canonibus tradebatur, qui *Sanctorum*, *ac gloriosorum Apostolorum nomine traditi sunt*. Diversa porrò hæc sunt, de qua tamèn re nihil amplius hic dixero, cum disertè in cap. 1. superiùs verba fecerim.

Quæ hùc usquè observavimus, plurimùm conducunt ad interpretationem canonis 7. dist. 16., cujus priora verba leguntur in oratione Trullanorum Episcoporum ad Justinianum, quæ in exemplaribus Concilii præfixa est canonibus Trullanis, his verbis: *Quoniàm autèm sanctæ*, *& universales duæ Synodi*, *in hac imperante*, *& Dei observatrice Civitate congregatæ*, *una quidèm temporibus divæ recordationis Justiniani*, *altera verò sub piæ memoriæ Imperatore Constantino tuæ mansuetudinis Patre*, *ad paternè declarandum fidei Mysterium sacros canones nequaquàm conscripserunt*, *sicut reliquæ sanctæ quatuor universales Synodi*, *per quos populi quidèm à deteriore*, *& abjectiore vivendi ratione recedant*, *ad meliorem autèm*, *& altiorem vitam se traducant &c.* Pòst hæc multa sequuntur, quibus traditur Ecclesiam reformatione tùnc indiguisse, atque ità dein concluditur: *Propterèà ergò tuæ pietatis jussu in hac Dei observatrice*, *& imperante Urbe congressi sacros canones scripsimus.* Si hæc cum principio Gratianei can. conferamus, agnoscemus Gratianum sententiam Concilii paucis perstrinxisse, non eadem omninò verba descripsisse. Quæ sequuntur in versic. *Placuit*, pertinent ad dictum canonem 2. in quo superiùs animadvertebam Trullanos Antistites in animo illud habuisse, ut constituerent sibi codicem canonum, à quo non recederent, & extrà quem nihil aliud omninò reciperent, quod quidèm seditiosâ voluntate factum fuisse observabam. Ceterùm neque hic

Can. 7. dist. 16.

Gra-

Gratianus Collectorem egisse videtur, cum non verba canonis integra exhibuerit, sed potiùs paucis sententiam Concilii exposuerit. Ità legitur in ipso Concilio : *Hoc quoquè huic Sanctæ Synodo pulcherrimè, & honestissimè placuit, ut ab hoc nùnc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi, stabilesque maneant, qui à Sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti, ac confirmati sunt, atque adeò nobis etiàm traditi sunt sanctorum, & gloriosorum Apostolorum nomine, 85. canones.* In his verbis jam adnotaveram, Gratianum ab ipsa Concilii sententia plurimùm recessisse, cum ille recensuerit 85. canones velùt Apostolicos, at Trullani Episcopi eos non Apostolicos appellent, sed *Apostolorum nomine traditos.* Deindè ità sequuntur Trullani Antistites : *Quoniàm autem in his nobis canonibus præceptum est, ut eorumdem Sanctorum Apostolorum per Clementem Constitutiones susciperemus, quibus jam olim ab iis, qui fide alienâ sentiunt, ad labem Ecclesiæ adspergendam adulterina quædam, & à pietate aliena introducta sunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem, ac decoram speciem obscurarunt ; has Constitutiones ad christianissimi gregis ædificationem, ac securitatem conducibiliter rejecimus, hæreticæ falsitatis fœtus nequaquàm admittentes, & germanæ, ac integræ Apostolorum doctrinæ inserentes. Obsignamus etiàm reliquos omnes canones, qui à Sanctis, & Beatis nostris Patribus expositi sunt, id est, à 319. Sanctis, ac Deiferis Patribus, qui Nicææ convenerunt, iisque, qui Ancyræ, & iis etiàm, qui Neocæsareæ, similiter & qui Gangris, præterea & iis, qui in Antiochia Syriæ, atque iis etiàm, qui in Laodicæa Phrygiæ : Præterea autèm & 150. Patribus, qui in hac à Deo conservanda, & Imperiali Civitate convenerunt, & ducentis, qui in Ephesiorum Metropoli priùs coacti sunt, & sexcentis triginta Sanctis, & Beatis Patribus, qui Chalcedone, similiter & iis, qui Sardicæ, & qui Carthagine, & qui rursùs in hac Dei cultrice, & Imperatrice Urbe convenerunt sub Nectario, qui Imperanti huic Civitati præsidebat, & Theophilo, qui fuit Alexandriæ Archiepiscopus. Quin etiàm canones Dionysii, qui fuit Archiepiscopus magnæ Alexandrinorum Civitatis, & Petri, qui fuit Alexandriæ Archiepiscopus, & Martyr, Gregorii Neocæsareæ Episcopi Thaumaturgi, Athanasii Alexandrini Archiepiscopi, Basilii Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ, Gregorii Episcopi Nyssæ, Gregorii Theologi, Amphilochii Iconii, Thimothei Archiepiscopi ejusdem Alexandriæ, Cyrilli ejusdem Alexandriæ Episcopi, & Gennadii, qui fuit Patriarcha hujus à Deo servandæ, & imperantis Civitatis. Præterea verò & à Cypriano, qui Afrorum regionis fuit Archiepiscopus, & Martyr, & Synodo, quæ sub ipso fuit, emissum canonem, qui in prædictorum Præsulum locis solùm secundùm traditam eis consuetudinem servatus est. Et nulli licere priùs declaratos canones adulterare, vel non admittere, vel alios præter his propositos recipere canones, à quibusdam falsâ adjectâ inscriptione compositos, qui veritatem caponari conati sunt. Si quis autèm, quòd prædictorum canonum aliquem innovare, vel subvertere conetur, convictus fuerit, reus erit secundùm eum canonem, ut ipse pronunciat canon, pœnam luens, & per ipsum in eo, in quo offendit, medelam suscipiens.* Sic restituta est integra canonis Trullani sententia, ex qua perspicuè liquet, quod superiùs præfatus sum ad canonem 4. dist. 16. hujusmodi fragmenta à viro catholico, & in Ecclesiæ unitate degente, recipienda non esse, indignaque propterea fuisse, quæ in Collectionem canonum redacta fuissent à Collectore canonum Ecclesiæ Occidentalis, ex eo præsertim capite, quòd ibidèm probatissimus proponatur canon, à Cypriano, aliisque Africanæ Ecclesiæ Episcopis editus in causa rebaptizantium, jam diù ex antiquissima traditione rejectus.

Can. 6. dist. 22.

Can. 6. dist. 22. ità corrigendus erit ex canone 36. Trullano. *Renovantes, quæ à Sanctis 150. Patribus, qui in hac à Deo conservata, & Regia Urbe, & 630. qui Chalcedone convenerunt, constituta sunt, decernimus, ut Thronus Constantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ Throno obtineat, & in Ecclesiasticis negotiis, ut ille, magnificat, ut qui sit secundus pòst illum. Pòst quem magnæ Alexandrinorum Civitatis numeretur Thronus, deindè Antiochiæ, & pòst eum*

eum Hierosolymitanæ Civitatis. En tandèm, quò anhelabant Græci, & quò eos ferebat proprius ambitus, qui, ubi sedem Imperii Româ Constantinopolim translatam receperunt, primam quoquè Ecclesiæ sedem in eamdem Constantinopolitanam Civitatem eodem modo aut translatam esse, aut transferri debuisse sibi blandiebantur. Hinc sæpè sæpiùs in Conciliis definiendum curarunt, ut iidem honores, qui Romano competerent, Constantinopolitano Pontifici decernerentur, aut saltèm ille pòst Romanum Pontificem primus haberetur. Hanc ipsam Græcorum mentem explicavit Græcus Interpres Alexius Aristenus, ità ad hunc canonem scribens: *Episcopum Constantinopolitanum æqualibus frui privilegiis pòst Romanum; sic in tertio Synodi Constantinopolitanæ, & in 28. Concilii Chalcedonensis canone interpretati sumus, ut non honoris, sed temporis respectu secundus à Romano collocetur. Sic itaquè & hic* (id est, in canone Trullano) *intelligendum est præpositionem*, pòst, *tempus indicare, non autèm honorem. Nàm pòst annos multos æqualia Romanæ Ecclesiæ obtinuit Thronus hic Constantinopolitanus privilegia, eo quòd Imperio, & Senatu hæc Civitas honorata est, & æqualibus veteri Romæ gaudet privilegiis.* Quis non videt in istis laceratam Ecclesiam, & discissam, ut in ipsa duo capita constituerentur, quasi monstrum, ac si divinæ Ecclesiæ Primatus non ex Sancti Petri successione, sed potiùs ex variis Civitatum, aut Nationum vicissitudinibus dependeat? Mentiri autèm hoc in loco videntur Græci iidem, ubi asserunt se decreta Constantinopolitani, & Chalcedonensis Concilii renovasse, cum tamèn in neutro Concilio tum Romano, cum Constantinopolitano Episcopo æqualia jura concessa fuissent. Præterquamquòd enim tùm can. 3. ex Constantinopolitanis vel receptus omninò non fuerit in Ecclesia, vel alitèr explicandus sit, quàm exprimatur à Græcis, quemadmodùm ostendi superiùs ad can. 3. dist. 22. tùm can. 28. ex Chalcedonensibus à S. Leone Magno nunquàm confirmari, aut probari potuerit; in utroque hujusmodi canone honores quidam dati sunt Constantinopolitano Episcopo; nondùm tamèn Græci adeò apertè ausi fuerant Romani Pontificis auctoritatem sibi vindicare, quemadmodùm fecerunt in canone Trullano. Itaquè Trullanus iste canon in eo quidèm agnosci à studiosis sacrorum canonum poterit, in quo distributæ sunt Græcorum Patriarcharum dignitates, videlicèt ut inter illas primas teneret Episcopus Constantinopolitanus, secundum locum haberet Alexandrinus, tertium Antiochenus, & postremum Hierosolymitanus; etenim in hunc ordinem omnes Græci Episcopi, illi etiàm, quorum intererat, consenserunt, & moribus diuturnis deindè comprobarunt; in ea tamèn parte, in qua æquales honores cum Romano Patriarchæ Constantinopolitano decernuntur, non erit, cur eumdem canonem recipiamus, cum manifestè illic nihil appareat aliud, quàm Constantinopolitanorum Episcoporum ambitus.

Canon 16. dist. 28. ità erit emendandus ex canone 26. Trullano: *Presbyterum, per ignorantiam illicitis nuptiis implicatum, esse quidèm Cathedræ participem secundùm ea, quæ sunt in sacro canone decreta; à reliquis autèm operationibus abstinere. Etenim tali satis est, si venia detur: ut autèm alii benedicat, qui debet sua curare vulnera, est incongruum. Benedictio enim est sanctificationis impertitio. Qui autèm id non habet propter delictum ex ignorantia, quomodò alteri id compertiet? Nec ergò publicè, nec privatim benedicat, nec Domini Corpus alii distribuat, nec aliquod aliud ministerium obeat, sed primâ sedè contentus Domino defleat, ut illi ex ignorantia peccatum remittatur. Manifestum enim est, quòd nefarium istiusmodi conjugium dissolvetur; nec vir cum ea ullo modo consuetudinem habebit, per quam sacrâ operatione privatus est.* Non tantùm hæc est sententia Antistitum Trullanorum, sed potiùs S. Basilii, ex quo Trullani iidem Episcopi se excepisse profitentur illis verbis: *secundùm ea, quæ sunt in sacro canone decreta*; etenim S. Basilius in Can. 16. dist. 28.

suis

ſuis canonibus ad Amphilochium can. 27. ità habet: *De Presbytero, qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus est, definivi, quæ oporteat, esse quidèm Cathedræ participem, à reliquis autèm actionibus abstinere; ei enim sufficit, ut veniam consequatur. Ut is autèm aliis benedicat, qui sua debet vulnera curare, non est consentaneum. Benedictio enim est sanctificationis communicatio; qui autèm eam non habet propter ignorantiæ lapsum, quomodò aliis communicabit? Nec ergò publicè, nec privatim benedicat, nec Christi Corpus aliis impertiat, nec aliquod aliud sacrum Ministerium obeat, sed quòd præsideat contentus aliis, & Domino defleat, ut sibi ignorantiæ peccatum condonetur.* Sanè, si hæc Basilii Magni verba cum memorato Concilii Trullani canone contulerimus, vix verborum quorumdam discrimen inter utrumque agnoscemus, ut propterea eadem esse debeat apùd Viros Ecclesiasticos Trullani canonis auctoritas, quæ Sancti Basilii canonibus inest.

Disciplinam Græcorum adversùs Romanam, diuturno usu apùd illos receptam, exhibent Canon 13. dist. 31. & Can. 7. dist. 32. Canon 7. dist. 32. legitur in can. 6. ex Trullanis iis verbis: *Quoniàm in Apostolicis canonibus dictum est eorum, qui, non ducta uxore, in Clerum promoventur, solos Lectores, & Cantores uxorem posse ducere, & nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitùs Hyppodiacono, vel Diacono, vel Presbytero pòst sui ordinationem conjugium contrahere liceat. Si autèm fuerit hoc ausus facere, deponatur. Si quis autèm eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege matrimonii mulieri conjungi, antequàm Hyppodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.* Gratianus postremorum tantummodò verborum fragmentum retulit. At Trullani Episcopi, cum Apostolicos canones memorarunt, intellexerunt canonem 26. ex iis, qui Apostolis tribuuntur, in quo hæc habentur: *Ex iis, qui, non ducta uxore, ad Clerum promoti sunt, jubemus, si velint, uxorem ducere Lectores, & Cantores solos.* Itaquè Ecclesia Græca in Trullano Concilio illud recepit, ut Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes matrimonium contrahere non possent, in quo ab Ecclesiæ Occidentalis disciplina minimè recessit. Recessit in eo, quòd voluerit eos, qui antè ordinationem jam matrimonium contraxissent, posse ad sacros ordines promoveri, ut constat ex Canone 13. dist. 31. quem ità ex Trullano Can. 13. interpretantur Viri eruditi ex Græcis exemplaribus: *Quoniàm Romanæ Ecclesiæ pro canone traditum esse cognovimus, ut Diaconi, vel Presbyteri, qui ordinentur, digni existimandi sunt, profiteantur se non ampliùs suis uxoribus conjungendos; nos, antiquum canonem apostolicæ perfectionis ordinisque servantes, hominum in sacris ordinibus legitima conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma, & stabilia esse volumus, nequaquàm eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutuâ tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrèm, si quis dignus inventus fuerit, qui Hyppodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquàm prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se à legitima cum uxore consuetudine abstenturum, ne ex eo à Deo constitutas, & suâ præsentiâ benedictas nuptias injuriâ afficere cogamur, evangelicâ voce exclamante: Quæ Deus conjunxit, homo non separet; & Apostolo docente: honorabiles nuptias, & thorum immaculatum, & : Alligatus es uxori? ne quære solutionem. Scimus autèm, sicut & qui Carthagine convenerunt, & vitæ Ministrorum honestatis curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui sacra Mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri secundùm proprios terminos à consortibus abstineant, ut & quod per Apostolos traditum est, & ab ipsa usquè antiquitate servatum, nos quoque similitèr servemus, tempus in omni re scientes, & maximè in jejunio, & oratione. Oportet enim eos, qui divino Altari assident, in sanctorum tractandorum tempore esse omninò continentes, ut possint id, quod à Deo simpliciter petunt, obtinere. Si quis ergò fuerit ausus præter Apostolicos canones incitatus aliquem eorum, qui sunt in sacris Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hyppodiaconorum conjunctio-*

Can. 13. dist. 31. & 7. dist. 32.

ne cum legitimâ uxore, & consuetudine privare, deponatur. Similiter & si quis Presbyter, & Diaconus suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, segregetur; & si perseveret, deponatur. Verba hæc non satis integrè descripserat Gratianus in dicto can. 13. in quibus tamèn nonnulla digna sunt observatione. Quis in primis, nisi schismatis amantissimus, ferre poterit laudari *Romanæ Ecclesiæ canones*, quibus continentiæ leges majoribus Clericis Deo sacratis indicuntur; deindè verò depositionis pœnam illis infligi, qui eosdem Romanos canones sequerentur? Non est hic honos, quem sempèr in Conciliis generalibus Ecclesia universa Romanæ Ecclesiæ exhibuit. Non est hæc reverentia debita vetustissimis, ac Sanctissimis Pontificibus Maximis, qui easdem leges aut sanxerunt, aut confirmarunt. Proferunt Trullani Episcopi canones Apostolicos, quibus disciplinam suam probatam fuisse jactitant. Is est canon 5. ex Apostolicis ità expressus: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus uxorem suam ne ejiciat religionis prætextu: si autèm ejecerit, segregetur: & si perseveret, deponatur.* Porrò hæc sententia, quemcumque demùm Auctorem habeat, aliò dirigenda est, quàm quò à Trullanis Episcopis detorqueatur. Voluit illius canonis Auctor, puniendos esse Sacerdotes illos, qui, postquàm divino ministerio initiati fuerant, necessaria vitæ subsidia misso repudio uxori forsàn infirmæ prætextu Sacerdotii denegabant, non verò qui tantummodò à conjugio abstinuissent. Prosequuntur Trullani Antistites, & ajunt injuriam fieri nuptiis, & Deo nuptiarum Auctori, quotiès eisdem frui non permittantur Sacerdotes: verùm ipsimet suâ sententiâ damnantur, dum iidem Episcopi Trullani in canone 12. conqueruntur, Episcopos quosdam pòst ordinationem suam adhùc cum uxoribus anteà ductis conversari, *ex eo populis offendiculum & scandalum adferentes*; deindè Episcopis illis prohibent indictâ pœnâ depositionis, *ut nihil ejusmodi deinceps nullo modo fiat....ne status Ecclesiasticus ullo probro afficiatur.* Quærerem hoc in loco à Græcis, nùm injuria fiat nuptiis, aut Deo nuptiarum Auctori, si quis ab ipsis abstineat sanctioris vitæ Ecclesiasticæ professione? Si fieri injuriam dicunt, eccur Episcopis interdicunt, ne pòst Episcopatum adeptum cum uxoribus ampliùs jungantur, eccur Episcopis id *probro* vertunt, *offendiculo*, & *scandalo*? Quòd si nullam & nuptiis, & Deo injuriam fieri profitentur, cur Subdiaconos, Diaconos, Sacerdotesque, prætextu ordinis sui ab uxoris consuetudine abstinentes, *benedictas nuptias injuriâ afficere* exclamant? Demùm iidem Græci perperàm contorserunt canonem Carthaginensem de continentia Clericorum, quem restringere voluerunt ad tempora vicis Sacerdotalis, contrà quàm sententia ejusdem canonis ferat. Est is canon tertius Concilii Carthaginensis II. ab Ecclesia Græca recepti, cujus hæc sunt verba: *Aurelius Episcopus dixit: Cum in priore Synodo de continentia, & castitatis modo quærebatur, placuit, ut hi tres gradus, qui vinculo quodam castitatis per consecrationem implicati sunt, (Episcopi, inquam, Presbyteri, & Diaconi) ut Sanctos Episcopos, & Sacerdotes Dei, & Levitas, & Divinis Sacrificiis ministrantes decet, in omnibus continentes sint, quò possint, quod à Deo simpliciter petunt, impetrare; ut & quod per Apostolos traditum, & ab ipsa antiquitate servatum est, nos quoquè similiter servemus.* Canon ità expressus non eam interpretationem patitur, quæ ipsi à Græcis affingitur, dum perspicuè præcipitur, Sacerdotes, & Ministros per sacram ordinationem *vinculo quodam castitatis implicari*, dum eadem de Presbyteris, & Ministris, quæ de Episcopis, definiuntur, quos tamèn Episcopos ipsimet Græci omninò removendos ab uxoribus decreverunt. Etenim, qui tantummodò in ordine vicis suæ continere jubetur, non dicitur in vim suæ consecrationis continentiæ quodam vinculo implicari, neque potest Episcopis, qui juxtà disciplinam Græcorum perpetuam continentiam profitentur, comparari, & unà cum ipsis, eademque lege concludi.

Hæc

Hæc omnia observatione digna arbitratus sum ; potissimùm quia nonnulli ex recentioribus Hæreticis ex hoc canone occasionem optimam rati sunt habere, redarguendi disciplinam Romanæ Ecclesiæ, Græcorum disciplinæ meritò adversantem. Videant ipsi in primis, quibus monumentis, quibusque utantur auctoribus, videlicèt monumentis, quæ invicèm secum non constant, auctoribus autèm, qui veterum Patrum sententias detorquere studuerunt.

Can. 3. dist. 44. Can. 3. dist. 44. ità ab Eruditis Græcæ linguæ vertitur ex Græcis exemplaribus ad canonem 9. *Nulli licere Clerico cauponariam habere tabernam : Si enim in cauponam ingredi non est permissum, quantò magis aliis in ea ministrare, & ea, quæ non licet ipsi, tractare ? Siquid autem tale fecerit, vel cesset, vel deponatur.* Constantinus Harmenopulus in Epitome canonum sect. 3. tit. 2. ità sententiam hanc perstrinxit : *Clericus, qui officinam cauponariam habet, aut desistat, aut deponatur* : Ad quæ Scholiastes hæc notat : *Patriarcha Lucas etiàm Seplasiarias officinas, aut balnearias à Clericis curari per adnotationem vetuit* (Seplasiariæ officinæ erant, quæ ad unguenta vendenda parabantur), *veluti quæ turpi lucro, & mendacio occasionem præbent.* Et pòst pauca. *Itidèm Patriarcha Michael Anchialinus per adnotationem mandat, ut Clerici officia sæcularia, vel exactorum munia, vel curatorum non suscipiant.* Consonant hæc cum can. 24. ex Laodicenis, quo vetitum est Clericis universis, ne cauponam ingrediantur, itèm cum can. 4. ex iis, qui Apostolici nuncupantur, ibi : *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, aleis, & ebrietatibus vacans, vel desistat, vel deponatur.*

Can. 4. dist. 77. Can. 4. dist. 77. lano depromptum, non possumus aptè interpretari, nisi etiàm simùl observaverimus can. 14. Trullanum. Siquidèm in can. eodem 14. statutum fuerat, ut nemo ordinaretur Presbyter antè annum trigesimum, nemo Diaconus antè vigesimumquintum. Hinc in dicto can. 15. decretum est, ut nemo minor 20. annis Subdiaconus ordinaretur, ibi : *Subdiaconus ne minor viginti annis ordinetur.* Pòst quæ verba ità persequuti sunt Trullani Antistites, ratione habitâ non tantùm Subdiaconorum, sed & Diaconorum, ac Sacerdotum, de quibus in præcedenti can. sermonem habuerunt : *Si quis autèm in quovis Sacerdotii gradu præter præfinita tempora ordinatus fuerit, deponatur.* Jam in can. 11. Concilii Neocæsareensis constitutum fuerat, ut nemo, nisi annorum triginta, Presbyter ordinaretur ; quam sanctionem confirmasse videntur Trullani Episcopi, & ejus exemplo ministrorum ætatem definivisse.

Can. 26. dist. 93. Can. 25. dist. 93. ità legendus est ex Græcis exemplaribus can. 6. Trullani : *Quoniàm in nonnullis Ecclesiis Diaconos officia Ecclesiastica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum, arrogantia, & licentia fretos, antè Presbyteros sedere, statuimus, ut Diaconus, etiamsi in dignitate, id est, in quovis sit officio Ecclesiastico, antè Presbyterum ne sedeat, præter quàm si proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens adsit in aliqua Civitate supèr aliquo capite ; tùnc enim ut locum illius implens honorabitur. Siquis autèm, tyrannicâ adductus audaciâ, tale quid efficere ausus fuerit, is ex proprio gradu dejectus sit omnium ultimus ejus ordinis, in cujus est Catalogo in sua Ecclesia, Domino nostro admonente, ne in primis Sedibus delectemur &c.* Convenit hic can. veteri Ecclesiasticæ, disciplinæ, juxtà quam, si quandò contigisset Diaconos suprà modum ordinis sui efferri, severissimis censuris in ipsos animadvertebatur, quemadmodùm constat ex can. 18. Concilii Nicæni, quem retulit Gratianus in can. 14. dist. 93. Ex eo autèm, arbitror, profectum fuisse hujusmodi ambitum Diaconorum, illorum præsertim, qui in dignitate, sive administratione præcipua constituti erant, quòd, cum Ecclesiasticum peculium ipsi servarent, atque ex mandato Episcopi distribuerent ceteris, etiàm Presbyteris, facilè inter Clericos primas Sedes occupare possent, cum pauci contradicere occupantibus auderent, à quibus peculium expectabant. Cete-

rùm etiàm generatim sacris canonibus obviam itum fuerit hujusmodi Diaconorum ambitioni, nonnulla tamèn etiam hodiè vestigia Diaconorum hujusmodi remanserunt in Archidiaconis nostrorum temporum, qui in multis Cathedralibus Ecclesiis primas occupant Sedes, aut dignitates. Imò & apùd Orientales Ecclesias illud observatum est, ut Ecclesiæ Constantinopolitanæ Cartophilax, sive Chartularius Diaconus antè Episcopos ipsos in Conciliis sederet, quod refert Scholiastes apùd Harmenopolum in epitome can. sect. 2. tit. 4. inquiens: *Sciendum, soli Majoris Ecclesiæ Cartophylaci concessum esse, tum ex longa consuetudine, tum scripto, jussu Imperatoris Domini Michaelis, ut in exteris Synodis etiàm antè Pontifices sedeat.*

Can. 100. caus. 1. q. 1. Can. 100. caus. 1. quæst. 1. ità emendandus erit ex can. 23. Concilii Trullani, quem ex Græcis exemplaribus ità interpretantur Viri eruditi. *Ut nullus, sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus immaculatam præbens communionem, ab eo, qui communicat, ejus participationis gratiâ obolos, vel quamvis aliam speciem exigat. Non est enim venalis gratia, nec pro pecuniis spiritus sanctificationem impartimur, sed ea iis, qui digni sunt, abquè ulla est callidítate communicanda. Siquis autèm eorum, qui sunt in Cleri Catalogo ab eo, cui immaculatam impertit communionem, ullam speciem exigere visus fuerit, deponatur, ut simoniaci erroris, & maleficii æmulator.* Hæc porrò sententia consonat cum generalibus, & receptissimis Ecclesiæ regulis, quibus vetitum sempèr fuit, ne Sacramenta pretio interveniente administrentur. Unum adferri posset Concilium Rhemense anni 1119. in quo, *præsente Ludovico Francorum Rege, præfuit Calixtus II. In eo autèm ità constitutum est Can. 4. Præcipimus, ut pro Baptismatis, Chrismatis, Olei Sacri, ac sepulturæ acceptione, infirmorum visitatione, vel unctione, nullum omninò pretium exigatur.*

Can. 48. caus. 12. q. 2. Can. 48. caus. 12. quæst. 2. ità latinè exprimitur ex can. 35. Concilii Trullani. *Nulli omninò Metropolitanorum liceat, mortuo Episcopo, qui ejus throno subest, res ejus, vel ipsius Ecclesiæ auferre, vel sibi vendicare; sed sint sub custodia Cleri Ecclesiæ, cui defunctus præfuit, usquè ad alterius Episcopi promotionem: nisi in eadem Ecclesia non relicti sint Clerici; tùnc enim Metropolitanus ea non diminuta servabit, ordinato Episcopo omnia reddens.* Renovatur hìc vetus illa Concilii Chalcedonensis disciplina, de qua ità legimus in can. 22. *Non licere Clericis pòst mortem proprii Episcopi res, quæ ad ipsum pertinent, rapere, quemadmodùm & adsumentibus prohibitum est: aut qui hoc fecerint, de proprio gradu in periculum venire.* Illud tantùm discriminis intercedit inter Can. Chalcedonensem, & Trullanum, quòd Chalcedonensis canon exprimatur tantummodò de Clericis, qui viventi Episcopo subjiciuntur, at verò canon Trullanus ad Metropolitanos etiàm pertineat, in quorum Diœcesi aliquis Episcopus obiisset.

Can. 1. caus. 21. q. 2. Paulò alitèr, quàm habeat Gratianus in can. 1. caus. 21. quæst. 2. legitur in Græcis exemplaribus can. 16. ex Trullanis, quem latinè ità eruditi interpretantur: *Quoniàm diversarum Ecclesiarum Clerici propriis, in quibus sunt ordinati, relictis Ecclesiis, ad alios Episcopos se contulerunt, & sine proprii Episcopi sententia in alienis Ecclesiis constituti sunt, & ex eo ipso reddi insolentes evenit; statuimus, ut à præsenti mense Januario præteritæ quartæ indictionis, nullus omninò Clericus, in quocumque sit gradu, potestatem habeat sine proprii Episcopi scripta dimissoria in alienæ Ecclesiæ Catalogum referri. Qui enim à præsenti nùnc tempore hoc non servat, sed, quod in se est, eum, qui illi manus imposuit, dedecore afficit, deponatur & ipse, & qui eum præter rationem suscepit.* Consonant hæc cum vetere disciplina, juxtà quam nemo ex Clericis permittebatur de una in aliam Ecclesiam pergere sine literis commendatitiis proprii Episcopi, quibus ostenderetur illum citrà ullum Ecclesiæ illius incommodum, cui adscriptus fuerat, abesse, uti deducitur ex Canonibus Chalcedonensibus 6. 10. & 20. Non est hoc in loco omittenda exceptio illa, quam suis tem-

temporibus huic Trullano canoni adjiciebat Balsamon his verbis : *Excipe mihi Constantinopolitanum , & Carthaginensem Episcopum: Ii enim soli, ut sæpè dictum est, possunt alienos Clericos suscipere præter voluntatem eorum, qui ipsos ordinarunt.*

Can. 2. caus. 21. q. 4. In Can. 27. Concilii Trullani legitur Can. 2. caus. 21. quæst. 4., quem ità ex Græcis exemplaribus interpretari debemus: *Nullus eorum , qui in Cleri Catalogum relati sunt , vestem sibi non convenientem induat , neque in civitate degens , neque iter ingrediens , sed utatur vestibus , quæ antehàc iis , qui in Clerum relati sunt , attributæ fuerunt. Siquis autèm tale quid fecerit , unâ septimanâ segregetur.* Hæc disciplina recepta est in Concilio generali septimo, sive Nicæno II., ubi hæc leguntur Can. 16. *Omnis luxus , & ornatus corporeus est à Sacerdotali ordine , & statu alienus. Episcopos ergò , vel Clericos , qui se splendidis , & insignibus vestibus exornant , se corrigere oportet; sin autèm permaneant , pœnis coerceri &c.*

Can. 6. caus. 27. q. 1. Can. 4. Trullani Concilii his verbis exprimitur: *Siquis Episcopus , vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus , vel Lector , vel Cantor , vel Ostiarius cum muliere Deo dicata coierit , deponatur , ut qui Christi sponsæ vitium attulerit : Sin autèm Laicus , segregetur.* Is est Can. 6. caus. 27. quæst. 1., & quidèm eadem retentâ sententiâ; quæ à veterum Patrum regulis non deflectit.

Can. 13. caus. 18. q. 1. Can. 11. Trullanum ità eruditi Viri interpretati sunt. *Nemo eorum , qui in Sacerdotali ordine enumerantur , vel Laicus Judæorum azyma comedat , vel ullam cum eis familiaritatem ineat , vel in morbis accersat, vel ab eis medicinas accipiat , vel unà cum eis in balneis omninò lavetur. Siquis autèm hoc facere aggressus fuerit , si sit quidèm Clericus, deponatur ; si autèm Laicus , segregetur.* Hic est Can. 13. caus. 28. quæst. 1. apùd Gratianum. Similia quædam in Concilio Laodiceno statuta jam pridèm fuerant in Can. 38. ibi: *Quod non oportet à Judais azyma accipere , vel eorum impietatibus communicare.*

Can. 34. de cons. dist. 1. Privatarum Ecclesiarum usum jam dudùm Laodiceni iidem Patres interdixerant non solùm Presbyteris , verùm etiam Episcopis in Can. 58. ibi : *Quod non oportet in domibus fieri oblationem ab Episcopis , vel Presbyteris.* Hunc Canonem moderati sunt Trullani Antistites ; cum enim consuetudo invaluisset , ut in privatis Oratoriis oblationes fierent contrà veterum Patrum decreta , illud saltèm observandum voluerunt Trullani Episcopi , ut , si quandò oblationes privatas Deo dicari contigisset , id non nisi Episcopi consensione accedente , atque auctoritate fieret. Hinc in Can. 31. ità decreverunt: *Clericos , qui in Oratoriis , quæ sunt intrà domos , sacra faciunt vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia facere decernimus , quare siquis Clericus hoc non sic servaverit , deponatur.* Gratianus aliis verbis hanc eamdem sententiam retulit in Can. 34. de cons. dist. 1.

Can. 47. de cons. dist. 1. In Can. 32. Concilii Trullani reprobatur quorumdam Armenorum disciplina , qui in Sacrificio Missæ solum vinum sine aqua offerebant ; quàm ad rem Trullani Episcopi attulerunt Apostolorum , ac veterum Sanctorum Patrum exempla his verbis: *Nàm & Jacobus, Christi Domini nostri secundùm carnem frater , cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ Thronus primùm est creditus , & Basilius Cæsareensium Ecclesiæ Archiepiscopus , cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit , mystico nobis in scripto tradito Sacrificio , ità consecrandum in Divina Missa ex aqua , & vino sacrum Calicem ediderunt.* Referebat hæc Gratianus in Can. 47. de cons. dist. 1., ubi tamèn depravatam descripsit Trullanorum Episcoporum sententiam, quemadmodùm animadverterunt Romani Correctores , & notis adjectis emendarunt. Disciplina hujus Canonis ab universa Ecclesia recepta est , firmataque etiàm postremis temporibus in Concilio Tridentino sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 7.

Can. 6. de cons. dist. 2. Jam observaverunt Correctores Romani ad Can. 6. de cons. dist. 2. verba Gratiani exigenda esse ad fidem Græcorum exemplarium, & ad Can. 28. Concilii Trullani , in quo hæc leguntur: *Quoniàm in diversis Ecclesiis intelleximus uva ad Altare allata ex quadam , quæ invaluit, con-*

consuetudine, ministros hanc incruento oblationis Sacrificio conjungentes, utraque simùl populo distribuere; decernimus, ut nullus Sacerdos hoc ampliùs faciat, sed ad vivificationem, & peccatorum remissionem solam oblationem populo impertiat. Tamquàm primitias autèm uvæ allationem existimantes, Sacerdotes eam seorsùm benedicentes petentibus impertire ad fructuum datoris gratiarum actionem, per quos corpora nostra divinâ dispositione augentur, & aluntur. Siquis autèm Clericus præter hæc decreta fecerit, deponatur. Ad commodam hujus Canonis interpretationem animadvertendum etiàm erit ad Can. 3. ex Apostolicis, quo tempore Sacrificii interdicitur, ne quidpiam aliud ad altare adferatur, præter panem, & vinum, quàm *novæ spicæ, vel uvæ tempore opportuno*, quasi hæ ad Sacrificium ipsum quodammodò referri possent. Atque hæc disciplina etiàm ab Occidentalibus Ecclesiis recepta erat; etenim legimus in Sacramentario Gregorii Magni in festo Sancti Xisti hujusmodi benedictionem: *Benedic Domine & hos fructus novos uvæ, quos tu Domine rore cœli, & inundantiâ pluviarum, & temporum serenitate, atque tranquilitate ad maturitatem perducere dignatus es, & dedisti eos ad usus nostros cum gratiarum actione percipere in nomine Domini nostri Jesu Christi, per quem hæc omnia &c.* Sequuntur hic ea verba, quæ etiàm hodiè in celebratione Missarum à Sacerdote pronunciantur: *semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis*; quæ, licèt hodiè ad Corpus, & Sanguinem Christi mysticis quibusdam significationibus referri videantur, olim tamèn ad fructus oblatos pertinebant, quemadmodùm animadvertit Cardinalis Bona in lib. 2. Rerum Liturgicarum cap. 14. Itaquè Trullani Antistites, cum animadvertissent consuetudinem illam, quâ populo unà cum Eucharistia uvæ distribuebantur, in abusum detorqueri, quasi inter Eucharistiæ, & uvarum susceptionem nihil, aut parum interesset, vetuerunt, & quidèm prudentissimè, ne deincèps uvæ simùl cum Sacramento Eucharistiæ fidelibus dispensarentur.

CAPUT XLII.

De Concilio Vermeriensi.

Concilio Vermeriensi sequentes Canones tribuuntur.

Can. 34. *caus.* 23. *q.* 8. *potiùs pertinet ad legem Rotharis Regis anni circiter* 640.
Can. 4. *caus.* 29. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus restituendus.*
Can. 5. *caus.* 29. *q.* 2. *referendus ad Concilium Compendiense anni* 757.
Can. 7. *caus.* 30. *q.* 1. *referendus ad Concilium Compendiense anni* 757.
Can. 6. *caus.* 31. *q.* 1. *pertinet ad Concilium Vermeriense anni* 752.
Can. 4. *caus.* 34. *q.* 1. *pertinet ad Concilium Vermeriense anni* 752.
Can. 5. *caus.* 35. *q.* 2. *pertinet ad Concilium Compendiense, vel Vormaciense.*
Can. 6. *caus.* 35. *q.* 2. *convenit cum Concilio Compendiensi, aut Triburiensi.*

VErmeria, undè Vermeriense Concilium nomen accepit, pagus est, sive oppidum insulæ Gallicæ, situm inter Silvaneticum, & Suessionem, non longè etiàm à Compendio; quod adnotasse opportunum erit, ex eo, quòd aliquandò Canones Conciliorum Compendiensium nomine Vermeriensium, & viceversa, laudati fuerint apùd Collectores. Celebratissimum est apùd eos, qui

qui Canonum Codices elucubrarunt, Vermeriense Concilium, quod celebratum fuit anno 752., in quo cum Gallicanis Episcopis Pipinus Rex interfuit, editis 21. Canonibus ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam.

Can. 34. caus. 23. q. 8. Qui verò Canones apùd Gratianum eo nomine laudantur, non omnes ejusdem Concilii Vermeriensis reverà sunt. De Canone 34. caus. 23. quæst. 8. ità ait VVanespen in suo brevi commentario ad Gratianum: *Profert* (Gratianus) *canonem sub nomine Concilii apùd Vermerias, juxtà Pithæos habiti anno 752. in Gallia; at in Concilio Vermeriensi, eo anno celebrato, nec præsens Canon, nec quidquid ei simile reperitur, neque in ullo, quod extat, apùd Vermerias habito, Concilio hoc Decretum hactenùs reperi.* Non est tamèn, cur de Gratiano potissimùm conqueramur. Jam diù antè ipsum Ivo, & Burchardus eumdem Canonem integrum Vermeriensis Concilii nomine descripserant. Sed in hisce Collectoribus ego non sisto. Progredior ad collectorem Burchardo antiquiorem, videlicèt ad Reginonem, qui in cap. 97. lib. 2. de Eccles. discipl. hæc habet: *Si quatuor, aut quinque homines, seu etiam plures contrà unum hominem rixati fuerint, quicumque eorum plagam imposuit, secundùm statuta Canonum ut homicida judicetur.* Nihil aliud addit Regino, qui hoc fragmentum profitetur se retulisse *ex Concilio Moguntiacensi.* Baluzius ad eumdem Reginonis Canonem ità subjicit: *Hoc caput Regino laudat ex Concilio Moguntiacensi: Burchardus, & vetus Canonum collector MS. in Bibliotheca Regia ex Concilio apùd Vermerias cap. 99. Utrobiquè autèm amplius habetur, quàm apùd Reginonem.* His ego addo, hunc eumdem Canonem legi in Pœnitentiali Romano Antonii Augustini tit. 1. cap. 15. nomine etiàm Vermeriensis Concilii. Verùm, cum hoc Pœnitentiale non præcesserit tempora Burchardi, & Ivonis, nec fortè Gratiani, non erit cur Pœnitentialis hujus fidem omninò sequamur, cum auctor Pœnitentialis eumdem Canonem vel ex Burchardo, & Ivone, vel fortè etiàm ex Gratiano transcripserit. Constat itaquè, antè Burchardum hunc Canonem non ex Vermeriensi, sed ex Moguntino potiùs Concilio, fuisse laudatum: constat etiàm, antè Burchardum non fuisse eumdem verbis adeò diffusum, qualis & apùd Burchardum, & sequentes collectores habetur, quemadmodùm patet legenti Reginonis verba, nupèr descripta. Imò & id ausim adserere, non posse illum Vermeriensi Concilio tribui, non solùm quòd in nullo ex iis, quæ extant, Vermeriensibus Conciliis reperiatur, sed etiàm quòd qui priores hunc Canonem Vermeriensi Concilio adscripserunt, Ivo & Burchardus, Canonem laudent *ex cap. 99.* Concilii Vermeriensis, cum tamèn in Concilio Vermeriensi magis solemni, quod dicimus celebratum anno 752., non nisi 21. Canones editi fuerint. Prætereà ego suspicor, apùd Reginonem, qui primus præcipuam ejusdem Canonis partem retulisse videtur nomine Concilii Moguntini, seu Moguntiacensis, mendum irrepsisse in eamdem Concilii inscriptionem. Etenim Regino in cap. 95. libri 2. ità inscripserat: *ex Concilio Moguntiacensi,* & in cap. 96. *ex eodem*; deindè in cap. 97. observo hæc subjici: *Ex Concilio Moguntiacensi.* Cur & hic Regino non adscripsit, *ex eodem*, quemadmodùm in posteriore capite, si Moguntiacense Concilium sempèr laudabat? Fortè igitùr Concilii Moguntiacensis nomen ex additamentis studiosi cujuspiam irrepsit in textum, ex eo, quòd nonnulla ab illis non prorsùs absimilia legantur in Concilio Moguntino anni 828., quod aliàs appellant Capitulare 3. Ludovici Pii Imperatoris; etenim tit. 8. num. 1. pœnæ decernuntur adversùs illos, qui hominem in rixa interfecerint. Ceterùm si ab his collectorum involucris exire velimus, & aliundè investigare Canonis hujus auctorem, non dubitaverim asserere, originem Gratianei fragmenti repetendam esse ex lege Regis Rotharis, latâ circà annum 640., quæ habetur in lib. 1. legum Longobardorum tit. 9. num. 1. his verbis:

bis: *Si duo, aut tres homines, seu ampliùs, liberi homicidium perpetraverint, & noluerint se adjuvare in unum, ut componant ipsum mortuum, sicut appreciatus fuerit, sit eis licentia adjuvandi; & si aliquis ex ipsis se subtraxerit, & non potuerit se purificare, sicut lex habet, id est, quòd nec plagam, nec feritam in ipso homine, qui occisus est, fecisset, tùnc sit culpabilis, sicut & alii, qui eum composuerunt, & si se purificaverit, sit absolutus à culpa homicidii. Si tamèn in consilio fuerit, componat, ut suprà, solidos 20., aut de ipso consilio purificet se, si potuerit.* Quicumque hanc Rotharis legem conferet cum memorato Gratiani fragmento, facilè agnoscet illam cum hujus sententia omninò consonare, ut verosimile admodùm sit, eamdem legem primùm à Reginone fuisse perstrictam, deindè à Burchardo ampliùs effusam sub nomine Concilii Vermeriensis, postremò verò ab Ivone, & Gratiano receptam fuisse, quemadmodùm ipsi apùd Burchardum invenerant.

Can. 4. caus. 29. q. 2.

Potiùs pertinet ad Vermeriense Concilium anni 752. suprà laudatum can. 4. caus. 29. quæst. 2., qui legitur in can. 6. ejusdem Synodi, quam Sirmondus edidit ex MS. Codice S. Vincentii Metensis. Quamobrèm hodiè non amplius indigemus in hac parte animadversionibus Correctorum Romanorum, qui testantur nomine Universitatis Lovaniensis eumdem canonem extitisse in Bibliotheca B. Trudonis sub nomine Concilii Vermeriensis in libro, cui titulus: *Excerpta decretorum.* Itaquè pòst editionem his verbis Gratiani fragmentum legemus: *Siquis ingenuus homo ancillam uxorem acceperit pro ingenua, si ipsa fœmina posteà fuerit inservita, si eam à servitute redimere potest, faciat; si redimi non potest, si ità voluerit, liceat ei aliam accipere. Similitèr & mulier ingenua, si servum accipiat pro ingenuo, & posteà pro qualicumque causa inservitus fuerit, nisi pro inopia fame cogente se vendiderit, & ipsa hoc consenserit, & de pretio viri sui à fame liberata fuerit, si noluerit, potest eum dimittere; & si se continere non potest, alium ducere. Similiter & de muliere, si se vendiderit, & vir ejus ità consenserit, talitèr potest stare, si se separaverint. Pœnitentia tamèn amborum necessaria est. Nàm, qui de pretio paris sui de tali necessitate liberatus fuerit, in tali conjugio debet permanere, & non separari.* Similia etiàm constituta legimus in Concilio Compendiensi anni 757.; quod superiùs jam observavi aliquandò sumi pro Concilio Vermeriensi; etenim in can. 5. hæc leguntur: *Si Francus homo accepit mulierem, & sperat, quòd ingenua sit, & posteà invenit, quòd non est ingenua, dimittat eam, si vult, & accipiat aliam. Similitèr, si fœmina ingenua accipiat servum, & sciebat tùnc, quòd servus erat, habeat interim, quo vivit. Una lex est viris, & fœminis.*

Can. 5. caus. 29. q. 2.

Postrema hæc Concilii Compendiensis verba eadem sunt, quæ Gratianus retulit in can. 5. caus. 29. quæst. 2. nomine Concilii Vermeriensis ex eò, uti diximus, quòd Vermeriæ oppidum non distaret à Compendio, & Vermerienses canones vulgò Compendienses appellarentur. Idem canon relatus est in libros Capitularium Francorum; etenim in libro 5. cap. 20. hæc leguntur: *Si fœmina ingenua acceperit servum, sciens, quòd servus esset, habeat eum. Una enim lex erit & viro, & fœminæ.* Ex quibus prætereà constat, verba illa Gratiani: *quia omnes unum Patrem habemus in cœlis*, non esse Concilii Compendiensis, sed à quodam canonum cultore studioso fuisse ad marginem primùm adjecta, deindè verò in canonem ipsum transposita.

Can. 2. caus. 30. q. 1.

Supervacua quoquè hodiè habenda est Romanorum Correctorum observatio, qui testimonio Universitatis Lovaniensis utuntur, ut probent in veteribus Codicibus can. 2. caus. 30. quæst. 1. laudari nomine Concilii Vermeriensis. Hodiè illum habemus editum à Sirmondo in Concilio integro Compendiensi anni 757. can. 12. his verbis: *Siquis filiastrum, aut filiastram suam antè Episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua, & alteram non accipiat. Georgius consensit.* Hic, qui memoratur Georgius, erat Stephani Papæ ad Pipinum Re-

Regem legatus, uti Stephanus idem meminit in suis Epistolis. Refertur idem canon in lib. 5. Capitularium cap. 7. apùd Isaaccum Lingonensem tit. 11. cap. 1., & apùd Fulbertum Epist. 33.

Can. 6. caus. 31. q. 1. Prætereà pòst editum Concilium Vermeriense laudatum anni 752. operâ Sirmondi, supervacua est Romanorum Correctorum observatio ad can. 6. caus. 31. quæst. 1. Is enim legitur in can. 5. ejusdem Vermeriensis Synodi his verbis: *Siqua mulier mortem viri sui cum aliis hominibus consiliavit, & ipse vir ipsius hominem se defendendo occiderit, & hoc probare potest, ille vir potest ipsam uxorem dimittere; &, si voluerit, aliam accipiat. Ipsa autèm insidiatrix pœnitentiæ subacta absquè spe conjugii maneat*; quæ eadem retulit Regino in lib. 2. cap. 18. *Ex Concilio, quod factum fuit apùd Vermeriam tempore Pipini Regis.* Videbitur fortè quibusdam minùs consentanea generalibus Ecclesiæ regulis hujusmodi disciplina, juxtà quam vir, ob uxoris flagitium, non solùm illam dimittere possit, sed & pòst eam dimissam, aliam in uxorem ducere. Duplex esse potest, & quidèm commoda, hujus canonis interpretatio. In primis enim canonem hunc ità intelligere possemus, ut tum demùm pòst mortem uxoris maritus dimittens aliam superducere possit; etenim Vermeriensis Concilii Patres discrimen constituerunt inter uxorem, quæ vitæ mariti fuerat insidiata, à marito dimissam; & virum, qui insidias ab uxore, aut ab adultero passus fuerat, dimittentem: ut, quemadmodùm uxori indixerunt, ut in perpetua maneret pœnitentia, nec etiàm pòst mariti obitum alteri cuicumque jungeretur, ità è converso marito hoc onus minimè imponerent, licèt maritus ipse adulterum se defendendo interfecerit, qui propterea non perpetuæ pœnitentiæ addicendus judicatur, sed ipsi nova pòst mortem prioris cum alia conjugia celebrare permittitur. Secundò, etiamsi Patres Concilii Vermeriensis maritum voluerint aliam posse sibi uxorem copulare pòst insidias prioris adhùc viventis, & adulteræ, dixerim tamèn eo tempore nondùm definitam fuisse eam quæstionem, utrùm per adulterium uxoris matrimonium quoàd vinculum, ut ajunt, dissolveretur; alitèr enim tùnc Latini, alitèr Græci hac in re disputabant, cujus quidèm disputationis antiquæ vestigia quædam in Concilio Tridentino fuisse memorat Cardinalis Pallavicinus. Porrò Vermerienses Patres saltèm dubitasse de hac re manifestè liquet argumento can. 9. ejusdem Concilii, quem modò integrum referam.

Scilicèt in can. 9. Vermeriensi legitur Gratianeus can. 4. caus. 34. quæst. 1. cujus tamèn integra verba nec Ivo, nec Gratianus retulerunt, quæ ità habentur in exemplaribus Concilii: *Siquis necessitate inevitabili cogente in alium Ducatum, seu Provinciam fugerit, aut seniorem suum, cui fidem mentiri non poterat, sequutus fuerit & uxor ejus, cum valet, & potest, amore parentum, aut rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quandiù vir ejus, quem sequuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat. Nàm ille vir ejus, qui necessitate cogente in alium locum fugit, si nunquàm in suam patriam se reversurum sperat, si se abstinere non potest, aliam uxorem cum pœnitentia potest accipere.* Burchardus integrum etiàm hujusmodi canonem refert in lib. 9. cap. 54. quemadmodùm etiàm Regino in lib. 2. cap. 124. apùd quos tamèn posteriora verba ità leguntur: *Si se continere non potest, aliam uxorem accipiat, sed cum pœnitentia.* En itaquè, quod nupèr asserebam, quomodò apùd veteres Gallicanæ Ecclesiæ Episcopos valdè dubium fuerit, nùm ex gravibus quibusdam causis matrimonii vinculum, jam legitimè conclusum, dissolvi posset.

Can. 4. caus. 34. q. 1.

Canon 5. caus. 35. quæst. 2. laudatur à Gratiano nomine Concilii Vermeriensis, cum tamèn illud ipsum fragmentum Gratianus retulisset nomine Concilii Triburiensis in can. 9. caus. 34. quæst. 1. Neutro tamèn in Concilio legitur, sed potiùs in Concilio Compendiensi anni 757. quod pluriès monui cum Vermeriensi à Collectoribus fuisse con-

Can. 5. caus. 35. q. 2.

confusum ob temporum & locorum proximitatem. Porrò in cap. 14. ejusdem Concilii Compendiensis hæc habentur. *Siquis cum matre, & filia in adulterio mansit, nesciente matre, quòd cum filia sua mansisset, similiter & filia nescivit, quòd cum matre sua esset, posteà ille vir, si acceperit mulierem, dimittat, usquè in diem mortis suæ non habeat uxorem; & illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum; & illa mater, & filia, cum quibus in adulterio mansit ambabus nescientibus, quòd cum matre, & filia mansisset, habeant viros. Nàm si in notitiam illarum venerit hoc scelus, dimittant maritos, & agant pœnitentiam, & illarum mariti posteriores accipiant mulieres.* Hæc si cum Gratiani canone conferuntur, apparebit in fragmento Gratiani non eadem quidèm verba, sed eamdem referri sententiam paucioribus perstrictam. Idem canon habetur sine ulla Auctoris inscriptione in Pœnitentiali Romano Antonii Augustini tit. 3. cap. 10. ibi: *Siquis cum matre, & filia fornicatus fuerit, ignorante matre de filia, & filia de matre, vir, qui hæc fecerit, nunquàm accipiat uxorem. Illæ verò, si voluerint, accipiant maritos: tamèn pœnitentiam agant.* His addere possum, fortè pro nomine Concilii Vermeriensis in dicto can. 5. Gratianeo olim scriptum fuisse Concilium VVormaciense, ut fragmentum idem referretur ad Concilium VVormaciense anni 868. etenim in can. 63. ejusdem hæc leguntur. *Siquis cum matre, & filia in adulterio mansit, nesciente matre, quòd cum filia mansisset; similiter & filia nescia, quòd cum matre mansisset; & posteà ille vir si acceperit mulierem, dimittat eam; & usque in diem mortis suæ non habeat uxorem. Et illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum; & illa mater, & filia, cum quibus in adulterio mansit, ambabus nescientibus, quòd cum matre, & filia mansisset, habeant viros. Nàm in notitiam illarum si venerit hoc scelus, dimittant maritos, & agant pœnitentiam, & illarum mariti, & illi posteriores accipiant mulieres.*

Can. 6. caus. 35. q. 2. Can. 6. caus. 35. quæst. 2. in Concilio Vermeriensi minimè legitur. Duo esse possunt Conciliorum canones, ex quibus ille depromptus videtur. Alter est canon 10. Concilii Compendiensis, quod Concilium pluriès pro Vermeriensi laudatum scimus; alter est can. Concilii Triburiensis anni 895. Can. 10. Compendiensis ità exprimitur: *Si pater sponsam filii sui oppresserit, & posteà filius ipsam acceperit, pater ejus posteà non habeat uxorem, & ipsa fœmina non habeat virum, quia non dixit, quòd pater ejus cum ipsa mansisset; filius verò ejus, qui nesciens fecit, accipiat mulierem legitimam.* Hæc quidèm Concilii verba de patre, & filio concepta sunt; at Gratianus de duobus fratribus expressit. Non est tamèn novum, Collectores canonum in personis mutare species can. ut retenta sententia, quod de patre, & filio incestuosis statutum est, idipsum incestuosis fratribus accommodent. Canon 44. Concilii Triburiensis hic est: *Siquis cum aliqua crimen fornicationis fecerit, & frater ejus ejusdem sceleris ignarus duxerit illam uxorem, frater, qui prior per fornicationem polluerat illam, quia non indicavit fratri uxorem ducenti, prædurâ arceatur pœnitentiâ, & condignâ castigatione; quâ peractâ, si continens esse non possit, indulgentiâ sublevetur, ne libidini prosternatur, quatenùs legitimo consoletur matrimonio. De muliere verò sancimus, sicùt de ea in Neocæsariensi Sancto Concilio definitum legimus cap. 2. Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usquè ad mortem. Verumtamèn in exitu propter misericordiam fructum pœnitentiæ consequatur, si promiserit, quòd facta incolumis hujus conjunctionis vincla dissolvat. Quòd si defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. Episcopus verò potestatem habeat secundùm conversationem ipsius aut adjicere negligenti, aut minuere pœnitenti. Tamèn ulteriùs continens, & à viro disjuncta permaneat.* Non omittam animadvertere eumdem Gratianeum can. 6. legi sine inscriptione ullius auctoris in Pœnitentiali Romano Antonii Augustini tit. 3. cap. 11. ubi tamèn quædam verba paulò variam exhibent disciplinam, ibi: *Si homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater ejus nesciens*

ciens eamdem duxerit uxorem, frater, eo quòd fratri crimen celaverit, quatuor annos pœniteat, & pòst pœnitentiam, si vult, nubat. Mulier autèm usquè ad mortem pœniteat, & sine spe conjugii maneat. Itaquè, si consideremus hoc Antonii Augustini Pœnitentiale, ad quatuor tantummodò annos hujus criminis pœnitentia redigitur. Septem autèm annos juxtà Gratianei fragmenti sententiam indicit Pœnitentiale, quod legitur apùd Burchardum lib. 19. cap. 5. ibi: *Fecisti fornicationem cum aliqua fœmina, & frater tuus te sciente eamdem duxit uxorem? si fecisti, eo quòd fratrem tuum crimen celasti, septem annos per legitimas ferias pœniteas, & pòst pœnitentiam tu, & frater uxores accipere potestis; tantùm in Domino. Mulier autem usquè ad mortem pœniteat, & sine spe conjugii maneat.* Adparet hac in re varietas Ecclesiasticæ disciplinæ.

CAPUT XLIII.

De Concilio septimo, seu Nicæno II. generali.

Hujus Concilii nomine sunt hi canones apùd Gratianum.

Can. 7. *dist.* 18. *consonat cum interpretatione Anastasii Bibliothecarii.*
Can. 6. *dist.* 38. *consonat cum interpretatione Anastasii Bibliothecarii.*
Can. 7. *dist.* 63. *consonat cum interpretatione Anastasii Bibliothecarii.*
Can. 1. *dist.* 69. *consonat cum interpretatione Anastasii Bibliothecarii.*
Can. 26. *dist.* 81. *potiùs est S. Basilii.*
Can. 2. *caus.* 1. *q.* 7. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
Can. 4. *caus.* 1. *q.* 7. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
Can. 3. *caus.* 9. *q.* 3. *consonat cum interpretatione Anastasii Bibliothecarii.*
Can. 19. *caus.* 12. *q.* 2. *consonat omninò cum græcis exemplaribus.*
Can. 64. *caus.* 16. *q.* 1. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
Can. 21. *caus.* 18. *q.* 2. *emendandus ex Anastasii interpretatione.*
Can. 5. *caus.* 19. *q.* 3. *paulò varius in diversis Interpretum exemplaribus.*
Can. 1. *caus.* 21. *q.* 1. *consonat cum interpretatione Anastasii.*
Can. 1. *caus.* 21. *q.* 4. *consonat cum interpretatione Anastasii.*
Can. 18. *caus.* 22. *q.* 4. *ex integris Concilii Codicibus restituendus, atque emendandus.*
Can. 28. *de cons. dist.* 3. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*

UTramque Ecclesiam, ac præsertim Orientalem, incredibili ferè ratione exagitavit octavo sæculo controversia, de cultu sacris Imaginibus exhibendo. Plures enim tùnc emerserant, qui sacras easdem Imagines ità detestabantur, ut non solùm delerent, eraderent, perderentque, sed etiàm earumdem cultores extremis suppliciis afficerent, quibus patrocinati fuerunt Imperatores, primùm Leo Conon Isaurus circà annum 730. deindè Constantinus Copronymus circà annum 741. ac demùm Leo IV. Chazarus circà annum 775. Qui omnes pro Imperio suo decertare se arbitrati sunt, dum adversùs sacras Imagines pugnabant, decepti à quibusdam Ariolis, jactitantibus ex Imaginum eversione ejusdem Imperii diuturnitatem dependere. Res jam eò devenerat sub Copronymo anno 754. ut celebrata fuisset Synodus plurium Episcoporum numero 338. uti scribit Theophanes, in Urbe Constantinopolitana,

ubi Imperatore præsente sacrarum Imaginum cultus reprobatus est communi omnium consensione, ac proindè jam in Oriente Catholica disciplina hac in parte penitùs interiisse videbatur. Ad occidentales Episcopos jam plures Epistolas miserant Imperatores memorati, pro imperio universæ Italiæ supremum excidium minitantes, nisi Græcorum Iconoclastarum sententiæ indulgeretur; quod quidèm occasionem funestissimam præbuit Italis, ut arma sumerent adversùs Græcos, & ab illorum imperio pòst varias vices tandèm aliquandò deficerent: quidquid fuerit Maximorum Pontificum studium, & sollicitudo, qui Græcorum quidèm hæresim, & Constantinopolitanum illud Concilium reprobaverunt, populos tamèn, ut in Imperatoris obsequio manerent, assiduis admonitionibus hortabantur.

Tandèm circà annum 780. visæ sunt mutare faciem Orientales Ecclesiæ, vitâ functo Leone Chazaro; quum enim in Imperio successisset Constantinus filius puerulus, quem regebat mater vidua Irene, hæc piissima Imperatrix diù passa non est, sacras Imagines contemni, sed ab Hadriano I. Pontifice Maximo datis epistolis postulandum voluit, ut ipse auctoritate suâ Generale Concilium, præsertim Græcorum Episcoporum, indiceret, suoque consilio convenientes Episcopos adjuvaret. Missit confestim legatos suos Hadrianus in Urbem Constantinopolitanam celebrandæ Synodi causâ, & quidèm initio in eadem urbe celebrari Synodus cœperat anno 786. Catholicæ fidei definitionem urgente inter ceteros Tharasio Viro Sanctissimo Patriarcha Constantinopolitano: verùm res universas, seditione commotâ, sciderunt Iconomacorum turbæ, quibus maximè cordi erat, ne Catholica veritas ad veterum Patrum traditiones, & sanctarum Scripturarum oracula exacta statim elucesceret. Quamobrèm operæ prætium fuit comitia jam cœpta dissolvere, eademque in Nicænam Civitatem transferre, quemadmodùm sequenti anno factum est, scilicèt anno 787. Itaquè Nicæam convenerunt Episcopi plures, & quidèm num. 350. præter Legatos Romanæ Sedis, & Sedium majorum Orientalium, qui unà cum Tharasio Constantinopolitano interfuerunt; atque insuper selecti Cœnobiorum Archimandritæ; in quorum omnium celeberrimo consessu, pòst discussam controversiam, decretus est debitus sacris Imaginibus cultus: præterea etiàm canones duo supra viginti editi sunt ad reformandam Ecclesiasticam disciplinam, quorum maximam partem in suum Decretum retulit Gratianus.

Solent eruditi disquirere de auctoritate hujus Synodi, nùm inter Generales Ecclesiæ universæ recensenda sit, & semper habita fuerit, ac recepta? Hodiè nulla est dubitatio; cum apùd omnes Catholicos tamquàm Œcumenica recolatur, licèt à nonnullis ex recentioribus hæreticis, renovandarum veterum hæresum studio succensis, improbari videatur. Tota difficultas in eo sita est, quòd tradatur olim hoc Concilium in Gallicana Ecclesia non receptum fuisse. Proferamus monumenta. Anastasius Bibliothecarius in sua præfatione hujus Synodi ità testatur: *Quæ enim supèr venerabilium Imaginum adoratione præsens Synodus docet, hæc & Apostolica sedes vestra*, (alloquebatur Anastasius Joannem VIII. Pontificem Maximum) *sicùt nonnulla conscripta innuunt, antiquitùs tenuit, & universalis Ecclesia semper venerata est, & hactenùs veneratur, quibusdam dumtaxàt Gallorum exceptis, quibus utique nondùm est harum utilitas revelata.* Ad hanc rem vulgò proferri solet can. 2. Concilii Francofordiensis anni 794. paucos pòst annos ab eadem Nicæna Synodo celebrati, ibi: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut, qui Imaginibus Sanctorum, ità, ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui suprà Sanctissimi Patres Nostri omnimodis adorationem, & servitutem renuentes contemp-*

se-

serunt, atque consentientes condemnaverunt. Torquentur in conspectu hujus canonis eruditi propemodùm universi, atque inter ceteros Gallicani Interpretes, qui vellent, quâ commodiore ratione possent, gentis suæ ergà generales Ecclesiæ Synodos observantiam tueri : etsi omnes, meo judicio, rem hanc vix absolvant.

Nolo in præsens hoc in loco commemorare, quid uniquique ex Interpretibus adferant, ne prolixior, quàm par sit, reddatur oratio, cum omnes, ut arbitror, vel veritatem non attigerint, aut saltèm in dubitatione gravissima fluctuaverint. Tantùm ego, quà certis rationibus, quà verosimilibus rerum adjunctis, quid sentiam, candidè aperiam, certa in primis separans ab incertis, singulaque, uti decet, accommodè interpretans. Sanè observare juvat, memoratum can. 2. Concilii Francofordiensis non omninò verè, & tutò eidem Concilio tribui. Etenim Baluzius Tutelensis, vir in perscrutandis Ecclesiæ Gallicanæ MSS. valdè sollicitus, in sua editione Capitularium Francorum edidit tomo 1. pag. mihi 363. Capitulare Francofordiense anni 794. continens tantùm 54. capitula, ac propterea pauciora, quàm habeat Labbeana Collectio, quæ enumerat 56. in Baluziana autèm editione primus, ac secundus can. desiderantur; atque in tomo 2. pag. mihi 753. idem Baluzius refert Jacobi Sirmondi notas hujusmodi ad dictum Francofordiense Concilium. *Canonum, qui antehac desiderabantur, copiam nacti sumus ex vetusto Codice S. Rhemigii, eodem ipso, quo usum constat illum, qui primus libros Carolinos, & cum his primum, & secundum hujus Concilii canonem, dissimulato, & interpolato nomine suo, in lucem dedit. Præter hoc enim aliud antiquæ notæ canonum Francofordiensium exemplar, quod sciam, nullum est.* Testis itaquè est Sirmondus, priores duos can. in vetustissimo MS. Codice non haberi, verosimilitèr verò ab eo adjectos fuisse, qui libros Carolinos primus edidit, ut ipse voluntati suæ morem gereret. Reverà, si initium canonis 1. Francofordiensis in vulgatis exemplaribus consideremus, ejus verba expressa sunt præter morem Capitularium; deindè in canone 3., qui potiùs primus appellari debet, ità exordium est : *His peractis &c.* quæ sanè verba videntur posteriore manu adjecta fuisse unà cum præcedentibus canonis; neque enim mos erat Conciliorum, ac præsertim Conventuum Francicorum pòst duos tantùm canones ad alios numero plures gradum facere, hac adjectâ conjunctione : *His peractis &c.*

Quid itaquè concludendum erit in hac re pòst hanc Codicum observationem? In Concilio Nicæno II. quod Generale septimum appellamus, exceptis Summi Pontificis Legatis, aliisque perpaucis Sardiniæ, ac Siciliæ Episcopis, nulli alii interfuerunt Episcopi ex Occidentalibus, ut propterea ex hoc capite Concilium Generale omnium Episcoporum dici nequeat. Non poterant accedere Hispani, & cum Hispanis Afri, utpotè quos diuturna, ac sævissima bella vexabant, nec facilè ad Concilium pergere sinebant barbararum gentium dominationes. Non Itali; quum enim propter sacrarum Imaginum causam plures ex illis rapti populari tumultu à Græcis Imperatoribus defecissent, nihil magis oderant, quàm nomen Græcorum, difficilèque adduci potuissent, ut ad Orientalium Provincias Concilii causâ migrarent, ne fortè Græcorum insidiis, de quibus vehementissimè suspicabantur, caperentur. Qui verò præ ceteris oderant Græcos, ii erant Franci, qui recèns ad Imperium Græcorum anhelaverant, nihilque magis subindè pertimescebant, quàm ne Græci Imperatores ab occidentalibus pristinam pacem, & fœdera pangi postularent, & cum pace occidentale etiàm Imperium recuperarent. Quod sanè evenire posse cum Franci per restitutum ab orientalibus sacrarum Imaginum cultum arbitrarentur, eorumdem animum subiit, ad Imperium semèl adquisitum retinendum, ut, quantum fieri posset,

ipsi

ipsi ceteros à proposita Græcorum unitate, ac Synodis, unitatis causa indictis, averterent; facile enim futurum verebantur, ut si occidentales, Græcorum recta fide cognita in doctrina, eisdem Græcis jungerentur in fide, commodè se illis & in pristinam Imperii ratione sociarent. Itaquè Franci non in ea mente erant, ut debitum sacris Imaginibus cultum denegarent, sed ut quoquo modo orientales à Græcorum consortio removerent. Atque his commodè cum recentioribus hæreticis nonnullis congrederer, qui plenis buccis jactarunt, Sanctionem Concilii Nicæni pro cultu sanctarum Imaginum abrogatam fuisse in Concilio Francofordiensi. Si enim apùd historicos extrà controversiam positum est, Imperium à Græcis translatum fuisse ad Francos, ex eo, quòd Græci Sacras Imagines abominarentur, quomodò verosimile esse potest, aut in mentem venire sano homini valebit, Græcorum doctrinam de contemnendis Imaginibus Francos ipsos recepisse, qui ideò Imperium recèns susceperant, quòd sacrarum cultum Imaginum vindicaverint, & strenuè professi fuerint?

Jam verò Francorum sententiam clariùs explicemus, qualis fuit tempore Concilii Francofordiensis. Res Francorum, novaque Francici Imperii forma exigebat, ut Occidentales à Græcis, quoàd fieri posset, averterentur. Averterat jam Occidentales Provincias ipsa Græcorum sævitia, quam in Imagines sacras, & Imaginum cultores exercuerant; verùm quieverat pacatus Græcorum animus, ubi ad unitatem renovandam Concilium communi consilio indictum fuit. Quid ergò tùm gerendum erat à Francis ad novi tutelam Imperii? Non pugnandum erat adversùs sententiam novæ Synodi, quæ cultum sacris Imaginibus decreverat, ne fortè aliorum odium, anteà in Græcos sacrarum Imaginum causâ habitum, in se periculo suo converterent. Potiùs investigarunt modum, quo Nicæni canones expressi fuerant, ut in illo saltèm quidpiam apùd Græcos redarguerent. Neque hic perstiterunt; non enim ipsummet Concilii Nicæni exemplar intimiùs perscrutari voluerunt, sed & ex vulgari fama Nicænorum canonum sententiam excepere, eamque quomodolibèt evulgarunt. Quoniàm verò humanum est in æstu controversiarum, quas paulò acriùs persequimur, oratione sententias exagerare, & modum aliquandò excedere, ità præcipuè Franci in illis constituerunt, ut, siquid ex Nicæno Concilio accepissent, disputationis alacritati tribuendum, Concilii ejusdem Patribus excidisse, illud publicum facerent, redarguerent, publicèque ab omnibus improbandum proponerent. Non sunt hæ simplices conjecturæ, (quæ ceteroquin ex Nationum & temporum adjunctis exceptæ gravissimæ videntur); nàm liquet apùd Hadrianum Papam in Epistola ad Carolum Regem confutata fuisse quædam capitula Gallicanorum Antistitum, quæ adversùs Nicænam eamdem Synodum objecerant, quæ eo singula ferè, & integra referuntur, ut Franci demonstrarent, non perperàm decretum fuisse sacris Imaginibus cultum, sed inanibus rationum momentis usos fuisse Nicænos Antistites, & in statuendo sacrarum Imaginum cultu plurimùm excessisse. Imò etiàm accuratissimi fuerunt investigatores iidem Franci de fide Græcorum, sive Nicænorum Antistitum, præsertim in dogmate proccessionis Spiritus Sancti, ut, siquid minùs rectum in Græcorum doctrina invenirent, quamcumque occasionem sumerent à Græcorum consortiis alios avertendi, quemadmodùm liquet apùd eumdem Hadrianum Pontificem. Questi itaquè Franci fuerunt de Græcis, quòd Græci, & inter ipsos Tharasius Episcopus Constantinopolitanus dixisset in Synodo, Spiritum Sanctum non ex Patre, & Filio, sed ex Patre per Filium procedere; deindè Theodorum Hierosolymitanum redarguerunt, quòd in Nicæno ipso Concilio quadam ambage verborum Filii Dei *Consubstantialitatem* explicuerunt

plicavisset; deindè accedentes ad Imaginum causam reprehenderunt Græcam Synodum, quòd in probando Sanctarum Imaginum cultu usa fuisset illis Scripturarum testimoniis, quæ minùs rei accommoda viderentur; quòdque adducta in Concilio fuerit vulgata fabella, quâ narratur Christum Dominum Imaginem sui ad Abgarum Regem misisse; itèm quòd pronunciatum fuerit in Concilio, eumdem sacris exhibendum esse Imaginibus cultum, quo Sanctissimam Trinitatem, & Sacrosanctum Christi Corpus, & Sanguinem veneramur. Hæc, & his similia erant argumenta Francorum, quibus Græcorum sententias improbare conabantur. Quamobrèm facile fuit alicui Franco elucubrare canonem illum, qui in canone 2. Concilii Francofordiensis in vulgatis Codicibus legitur, atque in eo proponere Nicænam Synodum, quam Constantinopolitanam appellat, fuisse à Gallicanis Episcopis reprobatam.

Quæ cum ità sint, non immeritò concludemus Nicænam secundam Synodum generalem quidèm non fuisse, si Episcoporum convocationem spectemus, quos temporum illorum adjuncta, & præcipuè Imperii divisiones ad orientales Provincias accedere non patiebantur. Verùm ea fuit Pontificis Maximi voluntas, ut in eodem Concilio recta Ecclesiæ universalis doctrina definiretur, ac definita per omnes Ecclesias traderetur, quemadmodùm reverà, quæ rectè in Synodo definita sunt, Maximi ejusdem Pontificis decreta confirmarunt, rataque habuerunt universæ Ecclesiæ Antistites, ipsi etiàm Franci, qui, ubi Imperium apùd suos firmum esse agnoverunt, quasi occasione jurgandi sublatâ, Catholicum Dogma, & Synodum receperunt, imò & consuluerunt Pontifices Maximos de modo colendi Sacras Imagines tempore Ludovici Pii Imperatoris, & Eugenii II. Romani Pontificis; Etenim editum habemus commonitorium, datum ab eodem Imperatore Hieremiæ Archiepiscopo Senonensi, & Jonæ Episcopo Aurelianensi anno 824. euntibus Romam, ad Eugenium II., in quo hæc leguntur: *Illud summoperè prævidete, ut ea illi de his ostendatis, quæ rationi de Imaginibus habendæ per omnia conveniant, & quod ipse, vel sui minimè rejicere valeant. Sed & vos ipsi tam patienter, ac modestè cum eo de hac causa disputationem habeatis, ut summoporè caveatis, ne nimis ei resistendo eum in aliquem irrevocabilem pertinaciam incidere compellatis, sed paulatim verbis ejus quasi obsequendo magis, quàm apertè resistendo, ad mensuram, quæ in habendis Imaginibus retinenda est, eum deducere valeatis, & ideò potiùs efficere contendatis, ut negotium, de quo agitur, ad meliorem, quàm ad pejorem, statum cum Dei adjutorio perducatur.*

His ità generalitèr prænotatis, quibus Generalis VII. Synodi auctoritatem singulari ratione vindicarem, progredior ad canones Gratianeos ex ipso Concilio depromptos. Primus est can. 7. dist. 18., cujus verba eadem sunt cum can. 6. Nicæno juxtà interpretationem Anastasii Bibliothecarii. Alii ità Græcum canonem latinitate donarunt. *Quoniàm canon est, qui dicit, bis in anno in unaquaque Provincia per Congregationes Episcoporum fieri oportere quæstiones canonicas propter vexationem, & quòd itineri peragendo minùs sufficerent, qui congregabantur, statuerunt Sancti sextæ Synodi Patres, quovis modo, & quacumque ex causa semèl in anno fieri, & delicta corrigi. Hunc ergò canonem nos quoquè renovamus, & siquis Magistratus hoc prohibere inventus fuerit, segregetur: siquis autèm Mettropolitanus hoc fieri non curaverit, præterquam vi, vel necessitate, & justâ aliquâ de causâ, canonicis pœnis subjiciatur. Cum autèm de canonicis, & Evangelicis rebus fiat Synodus, opus est, ut congregati Episcopi magnam curam, & diligentiam gerant, ut divina, & vivifica Dei Mandata serventur. In eis enim servandis est retributio multa, quoniàm lucerna est Mandatum, Lex vero lux, & via vitæ, probatio, & disciplina, & Mandatum Domini lucidum illuminans oculos. Ne liceat autèm Metropolitano ex iis, quæ secum adfert Episcopus, vel jumentum, vel aliquam rem aliam* Can. 7. dist. 18.

aliam petere. Si autèm hoc fecisse convictus fuerit, reddat quadruplum. Ut bis in anno Concilia celebrarentur, jam statuerat Nicæna I. Synodus in can. 5., quem moderari voluerunt Trullani Episcopi in can. 8. statuentes ob varia Episcoporum incommoda, ut semèl tantùm singulis annis haberentur. Id renovarunt Nicæni II. Concilii Patres, qui Can. Trullanum sextæ Synodi canonem appellarunt juxtà ea, quæ de eadem sexta Synodo, sive Trullana, diximus suo in loco. Nemo tamèn exindè conjicere debebit in hoc Nicæno Concilio, aut Trullanam Synodum, aut Trullanæ Synodi canones fuisse probatos. In primis enim, qui confirmatur can. 8. de Conciliis semèl in anno celebrandis, ex iis est, quem Græci non causâ schismatis ediderunt, sed potiùs Episcopalis œconomiæ gratiâ. Deindè tempore Concilii Nicæni II., quo universus fermè Oriens exagitatus erat ob diuturnas, & acres de Sacris Imaginibus controversias, prudentissimè se gerere Legati Pontificii rati sunt, si de Trullani Concilii canone in re, de qua parùm, aut nihil intererat, à contentionibus, & disputationibus abstinerent. Demùm quis non videat, hanc Nicænis Patribus esse potuisse voluntatem, ut scilicèt satius ducerent semèl tantùm singulis annis celebrari Concilia; & quoniàm Trullani canonis auctoritas tanta non erat, ut hæc disciplina induceretur, propriâ ipsos auctoritate induxisse?

Can. 6. dist. 38. Præterea & cum interpretatione Anastassii Bibliothecarii consonat can. 6. dist. 38. Alii ità Nicænum 2. canonem interpretati sunt. *Quoniàm psallentes Deo repromittimus: in justificationibus tuis meditabor: non obliviscar eloquiorum tuorum; omnes quidèm Christianos hoc facere saluberrimum est, eos autèm præcipuè, qui Sacerdotalem dignitatem obtinent. Quamobrèm decernimus, quemlibet quidèm, qui ad Episcopalem gradum est provehendus, Psalterium omninò nosse, ut ex eo omnem quoquè suum Clericum ità institui moneat: à Metropolitano autèm benè examinari, an ad Sacros Ordines diligenter, ac cum perscrutatione, non autèm obiter, cursimque legendos, prompto, paratoque sit animo, & Sacrum etiam Evangelium, & Librum Divini Apostoli, omnemque Divinam Scripturam, & in Divinis Præceptis versari, & Populum sibi commissum docere. Nostræ enim hierarchiæ substantiæ sunt eloquia divinitùs tradita, divinarum scilicèt Scripturarum vera scientia, sicut & Magnus Dionysius: si autèm dubius animi fuerit, & non lubenter hæc facere, & docere voluerit, non ordinetur. Prophetiè enim dixit Deus: Tu repulisti scientiam, & ego te repellam, ne sis mihi Sacerdos.*

Iterùm Anastasii Bibliothecarii interpretationem sequutus est Gratianus in can. 3. Nicæno, quem retulit in can. 7. dist. 63. Alii ità verterunt: *omnem electionem Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, quæ fit à Magistratibus irritam manere, ex canone dicente: Siquis Episcopus sæcularibus Magistratibus usus per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur, & segregetur, & omnes, qui cum eo communicant. Oportet enim eum, qui ad Episcopatum promovendus est, ab Episcopis eligi, quemadmodùm à Sanctis Patribus Nicææ decretum est in canone, qui dicit: Episcopum oportet maximè quidèm ab omnibus, qui sunt in Provincia, constitui: si autèm hoc difficile fuerit, vel propter urgentem necessitatem, vel propter viæ longitudinem, tres omninò eodem convenientes, (ii quoquè, qui absunt simùl suffragium ferentibus, & assentientibus per literas) tùnc facere electionem. Eorum autèm, quæ per unamquamque Provinciam fiunt, confirmationem tribui Metropolitano.* Can. 7. dist. 63. Hanc de Episcoporum Ordinationibus disciplinam arbitror in hoc Concilio firmatam, ut obviam iretur incommodis, quæ eâ ætate emergebant, nisi sapienti Suffraganeorum consilio, ac Metropolitani confirmatione Episcopi instituerentur. Dudùm enim in Pseudo-Constantinopolitana habita sub Copronymo ad reprobandum Sacrarum Imaginum cultum improbo conatu, absentibus præcipuarum Sedium Episcopis, electus fuerat ab Hæreticis in Constantinopolitanum Episcopum Constantinus quidam Monachus homo nefarius, & perditissimus, qui

Ico-

Iconomachorum causam quasi suam susceperat, & adversùs Sacras Imagnines totis viribus contendisse ferebatur.

Can. 1. dist. 69. Can. 1. dist. 69. habetur in can. 14. Nicæno juxtà versionem ejusdem Anastasii. Alii græcum canonem ità interpretantur. *Quòd ordo in omni Sacerdotio custodiri debet, est omnibus manifestum; & Sacerdoti promotiones exactè servare Deo gratum est. Quoniàm ergò videmus nonnullos à pueris Clerici Tonsuram accipientes, nondùm acceptâ Episcoporum manuum impositione, & in Congregatione in suggestu legentes, & id non canonicè facientes, per præsentem canonem, ne hoc fiat, jubemus, idque ipsum etiàm in Monachis servari. Lectoris autèm manuum impositionem licet in proprio Monasterio etiam soli unicuique Præfecto facere, si ad ejus Præfecturam ab Episcopo manuum impositio fiat ipsi Præfecto, qui scilicèt & ipse est Presbyter. Similitèr ex ea antiqua consuetudine Chorepiscopos Episcopi permissu opportet per manuum impositionem Lectores creare.* Ex hoc canone deducitur, neminem Lectoris Ecclesiastici officio publicè fungi potuisse, nisi qui ab Episcopo manuum impositionem suscepisset, quamquàm Monachis permissum fuisset, ut eorum Præfecti possent Lectoribus suis manus imponere. Observat ad hæc Balsamon, non alitèr Præfectos Monachorum hac facultate uti potuisse, nisi primùm ipsi Cacultatem à suis Episcopis obtinuissent; quam facilè concedi consuevisse ex eo testatur, quòd *difficile videretur Monachis, qui eremos ut plurimum habitant, & non possunt Urbes adire, ad Episcopum proficisci.*

Can. 26. dist. 81. Jam animadverterunt Romani Correctores, cui tribuendus sit can. 26. dist. 81., quem Gratianus ex septima Synodo laudavit. Videlicèt in plerisque Codicibus laudatur nomine octavæ Synodi, reverà autèm inter opera S. Basilii reperitur. Quomodò fieri potuerit, ut quæ Sancti Basilii essent, quamplura octavæ Synodi nomine laudarentur, dicam suo loco; quemadmodùm etiàm tùnc ipsum hunc canonem ad sua meliora exemplaria exigam. Interea, quoniàm observaverunt Romani Correctores, nonnulla his similia legi in postremo capite Nicænæ II. Synodi, illa referam ex can. 22. his verbis: *Quibus autèm quieta est vita, & solitaria, ut, qui Domino Deo jugum Monasticum tollere statuerint, in solitudine, & silentio sedere convenit; sed nec iis etiàm, qui vitam Sacerdotalem elegerint, licet omninò seorsùm cum mulieribus comedere, nisi utiquè cum Divinis, & Religiosis viris, ac mulieribus, ut ipsum etiàm convivium ad spiritalem refectionem adducat: Porrò idipsum etiàm in cognatis fiat. Si autèm rursùs contingat, ut, quæ sunt ad usum necessaria, non offerat Monachus, vel Sacerdos, & propter necessitatem velit, sive ad publicum diversorium, sive ad alicujus domum divertere, ei licet hoc facere, utpotè urgente necessitate.*

Can. 2. caus. 1. q. 7. In can. 2. caus. 1. quæst. 7., qui nomine Nicænæ Synodi inscribitur, non solùm jam observarunt Romani Correctores, varia ejusdem Concilii fragmenta esse congesta, verùm etiàm non omnia cum suis integris exemplaribus consonare. Itaquè priora canonis verba pertinent ad actionem I. Nicæni Concilii, in qua propositum fuerat, ut ad Synodum introducerentur Episcopi, qui defecisse apùd Hæreticos videbantur; qui præterea locum suum retinerent, si accuratâ fidei professione se se expurgassent. Ex his fuerat Basilius Episcopus Ancyræ, qui Synodi locum ingressus professionis suæ libellum porrexit, omnem hæresim anathematizans, atque inter cetera ità asserens: *His, qui spernunt magisteria Sanctorum Patrum, & traditionem Catholicæ Ecclesiæ, prætendentes, & assumentes voces Arii, Nestorii, Euthychetis, & Dioscori, atque prohibentes, quod nisi de veteri, ac novo Testamento evidenter fuerimus edocti, non sequemur Doctrinas Sanctorum Patrum, neque Sanctarum Synodorum, atque traditionem Catholicæ Ecclesiæ, anathema.* Gratianus hæc verba paucis perstrinxit, atque initio can. 2. non Basilio eorumdem Auctori, sed potiùs Synodo ipsi Nicænæ tribuit. Quæ sequuntur in vers. *omnis Episcopus* habentur in Epis-

tola Tharasii Patriarchæ Constantinopolitani ad Joannem Presbyterum, & Anachoretam, quam Anastasius Bibliothecarius ad calcem septimæ Synodi inseruit. Ibi Tharasius Joannem in primis laudat, quòd rerum sacrarum studiis deditus diutissimè fuerit, deindè eumdem docet ea, quæ in Sancta Nicæna secunda Synodo pro Sacrarum Imaginum cultu constituta fuerant, ac subdit in eodem Concilio plures Monachos conquestos fuisse, quòd nonnulli Episcopi fuissent simoniacè ordinati, & nihilominùs Episcopales Sedes liberè tenerent. Quâ occasione Tharasius idem plura disserit, ut probet non solùm hujusmodi Episcopos perperàm ad Episcopalem Sedem conscendisse, verùm etiàm pòst pœnitentiam Episcopatu carere debuisse. Verba hæc sunt apùd Anastasium Bibliothecarium, ex quibus Gratianea lectio erit restituenda. *Omnis ergò Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus convictus, quòd per pecuniam manus impositionem dederit, vel acceperit, à Sacerdotio decidit. Fortassis autèm dicunt aliqui, quia pœnitentiam agimus pro peccato, & Deus ignoscit illud: Ità, & ego dico, quia & omnes agentes pœnitentiam Deus suscipit, & indulget per pœnitentiam peccata, quæ jam patrata sunt. Novi enim, & David adulterio depressum, & homicidio, sed actâ pœnitentiâ receptum, & Divino testimonio approbatum. Inveni David, inquit, filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, & Sancta David Prophetiæ testimonium habentia. Perspicuum ergò est, per pœnitentiam eum fuisse correctum. Sed iterùm novi, audisse illum à Deo: Non tu ædificabis mihi Domum, quia vir sanguinum es. Novi Manassem per confessionem ab impietate dimissum: novi & meretrices, & publicanos receptos per pœnitentiam: verùm nullum ex his in Sacerdotali dignitate numeratum, nisi fortè id antè Baptisma commiserit.* (In posterioribus hisce verbis adnotarunt Romani Correctores Gratiani erratum, qui Tharasii verba ità interpretatus est, ut contrariam illi omninò sententiam affingeret). *Novi & Monachos aliquot, cum in mundo essent, omni libidine conspurcatos, cum autèm solitariè viverent tamquàm faces in orbe resplenduisse, nullum tamèn ex his in Sacerdotem ordinatum. Quòd si autèm id semèl, atque iterùm factum est, non tamèn confestim Legem in Ecclesia præscribit. Scimus, Sanctam Mariam priùs meretricem fuisse, posteà factam continentem, non tamèn inter Diaconas relata est. Quorsùm verò hæc dico, cum veritatis sermonem cognoscam, & eum, qui à Divinis Apostolis initiatus est, audacter clamantem videam, quòd quicumque per pecuniam ordinatus est Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, alienus est à Sacerdotali dignitate; non enim Divini Spiritus gratia venditur.* (Referuntur hæc ad can. 28 ex Apostolicis, quos apùd Græcos traditum erat, à Clemente Romano Apostolorum discipulo editos fuisse.) *Caiphaicum hoc studium est, Simoniaca hæc machinatio, & aliena à Sacerdotali sanctificatione. In scortatione, aut adulterio si quispiam pòst Baptisma fuerit deprehensus, Divini canones illum ad Sacerdotium non admittunt,* (refertur & id ad can. 16., & 24. ex Apostolicis), *quin etiàm si quispiam promotus ad Sacerdotium tale aliquid fecerit, confestim ejicitur. Omnis igitùr vir, qui in pœnitentia perdurat, per bonitatem, & mansuetudinem Dei veniam peccatorum suorum obtinet, quemadmodùm etiàm in superioribus demonstravimus. Novatum autèm, & ejus impiæ hæresis asseclas anathematizo, utpotè qui injurius sit adversùs pœnitentiam, & mansuetudinem Dei elevet. Quare ejus opinionis sum, ut confitear recipiendum Episcopum per pecunias ordinatum, modò pœniteat; bonus enim Deus est in omnibus, & viscera ejus aperta sunt supèr omnem hominem pœnitentem, quem etiàm in regnum suum inducit. Sed quoniàm juxtà Divinum Apostolum Episcopus inculpabilis esse debet, qui propter pecunias aliquem ordinat, aut ab aliis ordinatur, alienus est à Sacerdotali dignitate, ut omnes novimus, quicumque Ecclesiæ alumni sumus.* Huic Tharasii traditioni consonat canon 5. ejusdem Nicæni Concilii, ubi, reprobatis simoniacis ordinationibus, ità subditur: *Si quis autem in ordinatione hoc quandoquè fecisse visus fuerit, fiat,*

ut

ut vult canon apostolicus, qui dicit : Siquis Episcopus per pecunias hanc sit dignitatem assequutus, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur & ipse, & qui ordinavit, & exscindatur omninò à communione, ut Simon Magus à me Petro. Et secundus canon Sanctorum Patrum, qui Chalcedone convenerunt, qui dicit : Si quis Episcopus pecuniis ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in emptionem deduxerit, & pecuniis ordinaverit Episcopum, vel Chorepiscopum, vel Presbiterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum, qui in Clero enumerantur, vel in pecuniis promoverit Œconomum, vel Defensorem, vel Paramonarium, (id est, Curatorem prædiorum Ecclesiasticorum) *vel omninò aliquem ex canone, turpis lucri gratiâ : qui ad hoc adgressus esse convictus fuerit, proprii gradus id faciat periculo ; & qui ordinatur ex ea ordinatione, vel promotione, quæ pretio dato instar mercaturæ facta est, nihil juvetur, sed sit alienus à dignitate, vel munere, seu curatione, quam pecuniis adsequutus est.* Ex his, atque ex superiùs relatis Tharasii verbis Gratianus sine ordine composuit versic. *Tharasius Patriarcha dixit* usquè ad illa verba, *qui per sæculares*, quæ referenda sunt ad can. 3. ejusdem Nicæni Concilii, suprà descriptum ad can. 7. dist. 63.

Can. 4. caus. 1. quæst. 7. ex variis primæ actionis Nicæni Concilii fragmentis compositus est, quem propterea non alitèr commodè expendi posse Romani Correctores observaverunt, quàm si integra eadem actio legentium oculis subjiciatur. Ne verò valdè prolixus alicui videar, neve aliàs à proposito meo recedam, perstringam paucis hujus actionis sententias, verba etiàm referens, quæ ad Gratiani canonem pertinent, & à quibus Gratianus paulispèr recessit ex interpretatione Anastasii Bibliothecarii. Ità exorditur: *Conveniente Sancta, & universali Synodo, quæ per divinam gratiam, & piam sanctionem eorumdem Deo confirmatorum Imperatorum congregata est in Nicæensium clara Metropoli Bithyniensium Provinciæ, id est, Petro Reverendissimo Archipresbytero Romæ Ecclesiæ, scilicèt Apostoli Petri, & Petro Reverendissimo Presbytero Monacho, & Abbate venerabilis Monasterii Sancti Sabbæ, istis, retinentibus locum Apostolicæ Sedis almi & Sanctissimi Archiepiscopi senioris Romæ Hadriani, Tharasio almo & Sanctissimo Archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, Joanne, ac Thoma Reverendissimis Presbyteris, Monachis, & Vicariis Apostolicarum Sedium Orientalis Diœceseos, Agapito Episcopo Cæsareæ Cappadociæ, Joanne &c.* Hic subjiciuntur nomina singulorum Episcoporum, aliorumque, qui ad Synodum convenerant, pòst quæ hæc sequuntur: *Reverendissimi Episcopi Siciliæ dixerunt : (hæc verba perperàm descripsit Gratianus.) Dignum ducimus, & per omnia huic Sanctæ, & universali Synodo conveniens esse perspicimus, ut, ad exquirendorum inchoationenem capitulorum Sanctissimus, & Summus, ac eximius Pastor, & Præsul Regiæ Constantinopoleos novæ Romæ proœmium faciat, & ostium verbo aperiat, & quæ congrua sunt, vociferando pronanciet. Sancta Synodus dixit: fiat secundùm postulationem Sanctissimorum Episcoporum.* Juxtà hæc exorsus est Tharasius, ac Concilii causas, & propositum palàm exposuit. Intereà verò ipsa Synodus permittendum censuit Episcopis, qui in controversia Sanctarum Imaginum à vera Fide defecisse videbantur, ut in Concilii locum ingrederentur, & pristinum locum recuperarent, si ab hæresi se recessisse profiterentur. Ex his tres fuerunt, Basilius Ancyræ, Theodorus Myrorum, & Theodosius Ammorii. Primus ità ex libello, quem secum professionis Fidei causâ adtulerat, legit Basilius Ancyræ: *Legislatio est Ecclesiastica canonicè tradita de sursum ab initio tàm à Sanctis Apostolis, quàm à successoribus eorum, Sanctis videlicèt Patribus nostris, atque Magistris, sed & Sanctis, & universalibus sex Synodis, seu localibus Conciliis, quæ hortodoxè collecta sunt, ut ab hæresi quacumque ad horthodoxam confessionem, & traditionem Catholicæ Ecclesiæ conversi in scriptis suam abnegent hæresim, & Fidem confiteantur horthodoxam.* Pòst quæ Basilius fidei professionem fecit, quâ præsertim fassus est, se & traditiones

Can. 4. caus. 1. q. 7.

Ecclesiasticas omnes, & præsertim Sacrarum Imaginum cultum suscipere. Eodem modo fidem professi sunt Theodorus Myrorum, & Theodosius Ammorii. *Quamobrèm* (*sunt verba in actione expressa*) *Tharasius Sanctissimus Patriarcha dixit : videtur vobis, ut recipiant Sedes suas? Reverendi Monachi dixerunt : Quemadmodùm susceperunt Sanctæ, & universales Synodi ex hæresi conversos, & nos suscipimus. Sancta Synodus dixit : Placet omnibus nobis ; & jussi sunt Reverendissimus Basilius Episcopus Ancyræ, & Theodorus Reverendissimus Episcopus Ammorii sedere in gradibus, & sedibus suis.* Pòst hos alii Episcopi quamplures ad Concilium adducti sunt ex iis, qui anteà Sacras Imagines execrati fuerant, qui pœnitentiam profitebantur omnes, atque ex ignorantia se Iconomachis favisse adserebant, allegantes pessimo aliorum improborum magisterio fuisse seductos. Quod audiens *Constantinus* (sunt verba hæc Synodi à Gratiano corrupta) *Sanctissimus Episcopus Constantiæ Cypri dixit : oportebat vos, cum essetis Episcopi, discendi nullam necessitatem habere, sed Magistros esse potiùs aliorum.* Se se rursùm excusabant conversi, ajentes se à malis Præceptoribus fuisse deceptos. *Tharasius Sanctissimus Patriarcha dixit : quoniàm quidem dixisti : malorum Magistrorum malas esse Doctrinas, Ecclesia ex malis Magistris Sacerdotes admittere non consentit.* Hinc excitata disputatio fuit, utrùm omnes istiusmodi Episcopi, & quâ ratione, recipiendi forent? Lecti sunt ad rem nonnulli canones, ex quibus tamèn Nicæni Episcopi nihil concludere potuerunt hæsitantes. Inter ceteros *Joannes* (sequuntur acta Concilii, à Gratiano relata) *Deo amabilis Vicarius Apostolici Throni orientis dixit : Hæresis separat ab Ecclesia omnem hominem.* Deindè alii canones numero plures lecti sunt, pòst quos ità Tharasius pronunciavit : *Jam plurimi Canonici libri & Synodici, atque paterni relecti sunt, & ex hæresi conversos docuerunt nos recipere, nisi fortè maligna in eis fuerit noxa reperta.* Hinc cœptum est in humaniorem sententiam propendere, ut scilicèt conversi Episcopi benignè reciperentur. Propenderunt inter ceteros Legati Sedis Apostolicæ. Nàm *Petrus Deo amabilis Presbyter*, (ità sequuntur acta Synodi) *& locum retinens Apostolicæ Cathedræ Hadriani Papæ Romæ, dixit : Hoc perspicuum est ; etenim Romæ, in exilio erat Macarius hæreticus à sexta Synodo missus, & quadraginta dies dedit ei spatium Sanctæ memoriæ Pater noster Papa Benedictus, & per singulos dies mittebat ad eum Bonifacium Consiliarium suum, & commonitoriis verbis docebat cum ex Divina Scriptura, & nunquàm voluit corrigi : Hoc autèm faciebat, ut persuaderet, & reciperet eum.* (Gratianus in postremis hisce verbis referendis multùm excessit, dum scripserit : *ut reciperet eum in ordine suo*). Rursùm alia exempla receptorum hæreticorum in Synodo proposita sunt : *At Tharasius Sanctissimus Patriarcha dixit : quid dicitis de Anatolio? Nonne Primas Sanctæ Synodi fuit? Et ecce à Dioscoro impio ordinatus est. Ergò & nos suscipimus eos, qui ab Hæreticis ordinati sunt, quemadmodùm Anatolius est receptus. Et rursùs : Verè vox Dei est ; quia non morientur filii pro Patribus, sed unusquisque suo peccato morietur, & quia ex Deo est consecratio.* Alia quamplura hic adjecta sunt ad rem eamdem confirmandam, quæ ità leguntur in actis Synodi : *Tharasius Sanctissimus Patriarcha dixit : Auditionem fecimus paternorum mandatorum. Quid ergò oportet? suscipitis ab Hæreticis ordinatos? Sancta Synodus dixit : etiàm Domine audivimus, & oportet suscipere. Tharasius Sanctissimus Patriarcha dixit : quin potiùs & plures eorum, qui in sexta Synodo consederunt, à Sergio, Pyrrho, Paulo, & Petro, præceptoribus videlicèt Hæreseos, unam voluntatem in Christo prædicantium, ordinati sunt, quoniàm hi vicisim Constantinopoleos thronum sortiti sunt, & à Petro, qui ex his novissimus eidem throno præsedit, usquè ad sextam Synodum anni plus non transierunt, quàm quindecim, & ipsi, qui intrà hoc tempus fuerunt, Thomas, & Joannes, & Constantinus Pontifices in præsignato tempore, id est, dum hi, qui Hæretici nominati sunt extitisse noscuntur, & propterèà non sunt improbati, per quinquaginta enim annos tùnc hæresis perduravit;*

sed

sed sextæ Synodi Patres ipsos quatuor anathematizaverunt, quamquàm ordinatio eorum essent. Sancta Synodus dixit: clarum est. Constantinus Sanctissimus Episcopus Cypri dixit: sufficienter ostensum est, honorabilissimi fratres, & de hoc, quia qui ab Hæreticis accedunt, suscipiendi sunt. Siquis autèm studio ad Hæreticum jerit, & susceperit Ordinationem, sine receptione sit. Ad hanc eamdem rem confirmandam edita est S. Basilii Epistola ad Nicopolitas, ubi asseritur eos rejiciendos esse, qui fuerint ab Hæreticis ordinati. Ad hæc *Tharasius Sanctissimus Patriarcha dixit: & ego execror eos, qui ob hujusmodi causam, & fidei destructionem sunt ordinati; & maximè, si Episcopi orthodoxi præsentes fuerint, à quibus poterant consecrari; sic enim est paternus sensus. Sin autèm Synodica promulgatio, & concordia Ecclesiarum causa orthodoxiæ facta fuerit, qui præsumpserit à prophanis Hæreticis ordinari, depositioni succumbet. Sancta Synodus dixit: hoc justum judicium.* Hæc est integra actio prima hujus Nicænæ Synodi paucis perstricta, atque ex interpretatione Anastasii eisdem verbis relata, in quibus à Gratiano valdè depravata, & intersecta laudatur.

Can. 3. caus. 9. q. 3. In canone 3. caus. 9. quæst. 3. exhibetur canon 11. ex Nicænis juxtà versionem Anastasii. Clariùs videntur interpretati fuisse alii ex Græcis exemplaribus. *Cum omnes divinos canones servare teneamur, eum quoquè, qui jubet œconomos esse in singulis Ecclesiis* (is est Canon 26. Concilii Chalcedonensis) *illæsum omninò servare debemus. Et si quidèm unusquisque Metropolitanus in sua Ecclesia œconomum constituit, benè habet; sin minùs Constantinopolitano Episcopo speciali auctoritate licebit œconomum in ejus Ecclesia præficere. Similiter & Metropolitanis, si qui eis subsunt Episcopi nolint in suis Ecclesiis œconomos constituere. Hoc ipsum autèm servari etiàm in Monasteriis oportet.*

Can. 19. caus. 12. q. 2. Can. 19. caus. 12. quæst. 2. consonat cum Græcis exemplaribus juxtà omnium interpretationem, dummodò claritatis ergò pro illis verbis, *nec si principibus*, legamus cum Anastasio, *nec sic principibus*, vel cum aliis recentioribus, *nec sic quidèm principibus.* Atque ut commodè quis hunc Canonem explicet, animadvertet prudens Interpres abusum octavi sæculi, quo nobilium favore facile erat ad dignitates Ecclesiasticas promoveri, non quidèm ex Ecclesiarum utilitate, sed potiùs pactione initâ inter nobiles, & promovendos, futurum, ut promoti nobilibus ipsis Ecclesiastica bona concederent. Intererat autèm Ecclesiarum, ne hujusmodi ordinationes fierent, quibus, simoniacâ promissione accedente, Ecclesiarum jura diminuebantur. Cum verò & de Principibus sermo instituatur in Canone, dicaturque irritam esse concessionem rerum Ecclesiasticarum, illis ab Episcopo factam memoratis ex causis, agnoverunt Nicæni Patres id sapientissimorum Principum voluntati congruere, qui, quemadmodùm illorum hæreditates capere noluerunt, à quibus litis promovendæ causa, & premendi adversarium, instituti fuissent, ità nec facilè recepissent ea bona, quæ sibi simoniæ causa fuissent concessa; dedecet enim non minùs simoniæ patrocinium, quàm calumniæ facultatem ex Principali Majestate capi, quemadmodùm edisserit Paulus in leg. penult. ff. de hæred. instituendis.

Can. 64. caus. 16. q. 1. Can. 64. caus. 16. quæst. 1. idem est cum Canone 4. ex Nicænis juxtà Anastasianam versionem, à qua minimè differunt, nisi verbo tenùs, aliorum interpretationes. Quædam tamèn omisit Gratianus, quæ in hoc loco arbitror describenda; etenim pòst illa verba: *Sed parentes filiis*, ità Anastasius sequitur: *Quisquis ergò propter exactionem auri, vel alterius cujuslibet speciei, aut propter proprium vitium inventus fuerit coercens à ministerio, vel sequestrans aliquem Clericorum, qui sub se degunt, aut venerabile templum claudens, ne in eo Dei ministeria celebrentur, ad insensatæ suam transmittens insaniam, insensatus veracitèr est, ac per hoc simili pœnæ eo subjecto convertatur dolor ejus in caput ejus, ut in transgressorem mandati Dei, & mandatorum Apostolicorum; præcipit enim & Petrus &c.*

Can.

Can. 21. caus. 18. quæst. 2. prout in recentioribus Gratiani Codicibus legitur, idem est cum Canone Nicæno juxtà interpretationem Anastasii, dummodo tamen pro particula *si* legatur *non* in illis verbis : *Adulterium enim intercipit cohabitationem. Non habeat aditus Monachus &c.* In reliquis observandæ sunt Romanorum Correctorum adnotationes.

Can. 21. caus. 18. q. 2.

Can. 5. caus. 19. quæst. 3. à Correctoribus Romanis ità restitutus est ad fidem optimorum exemplarium, ut nihil amplius desiderandum videatur. Consonat ille cum Anastasiana versione Nicæni Canonis 13. Verùm non desunt aliorum interpretationes Græcorum Codicum, juxtà quos paulò alitèr habentur priora Canonis verba, in quibus non præcipuè de ædibus Episcopalibus, aut monasticis sermonem institutum fuisse adpareat, sed potiùs de Ecclesiis, sive Templis ibi : *Quoniàm per eam, quæ fuit propter peccata nostra in Ecclesiis, calamitatem, sacrosanctæ quædam ædes à quibusdam viris arreptæ sunt, & Episcopatus, & Monasteria, & facta sunt communia diversoria &c.*

Can. 5. caus. 19. q. 3.

Can. 1. caus. 21. quæst. 1. consonat cum Can. 15. ex Nicænis, ac præsertim si cum eo Anastasii interpretationem conferamus. Ceterùm Romani Correctores nonnulla ad integram ejusdem Canonis lectionem utilia observarunt.

Can. 1. caus. 21. q. 1.

Petierant Græci in septima Synodo, ut quidam Canones in Pseudo-synodo Trullana editi confirmarentur, ii videlicèt, qui disciplinæ Ecclesiasticæ utiles videbantur. Hujusmodi visus erat Canon 27. ex Trullanis, relatus in Canone 2. caus. 21. quæst. 4. confirmatus propterea est in Can. 16. Nicæno, quem Gratianus descripsit in Can. 1. caus. 21. quæst. 4., cujus verba omninò consonant cum Anastasii interpretatione. Quòd si quæratur, quid significent ea verba, *epitimio tradi*, & *per epitimium corrigi*, dixerim nihil aliud illis exprimi, quàm pœnis Episcopo arbitrariis afficiendos esse, quemadmodùm deducitur ex aliorum interpretationibus, qui scripserunt *pœnis coerceri*. Porrò in Concilio Trullano pœna præfinita fuerat, quâ Clericus delinquens per unam hebdomadam ab officio suo suspendebatur.

Can. 1. caus. 21. q. 4.

Canon 18. caus. 22. quæst. 4. referendus est ad actionem 4. Nicænæ hujus Synodi. Ibi sacrarum imaginum causa versabatur; atque cum jam Episcopi omnes pro imaginum cultu stabiliendo sententiam suam declarassent, modos excogitabant, quo omnibus cultum eumdem suaderent, atque decernerent. Intereà mota controversia de illis fuerat, qui se nunquàm veneraturos sacras Imagines jurejurando spoponderant, & ad eam rem propositum fuit Sancti Patris Sophronii exemplum de Monacho quodam Olivetano, qui dæmoni roganti jurejurando promiserat de quadam B. Mariæ imagine non colenda, futurum enim sperabat, ut ampliùs à dæmone eo pacto non vexaretur, quemadmodùm & sponsionem acceperat. Verùm juramentum minimè implevit, laudatusque fuit, quòd seni cuidam Monacho indicaverit, atque eidem imagini cultum exhibere perseveraverit. His in Synodo lectis, ità sequitur ex Anastasii interpretatione : *Joannes reverendissimus Monachus Presbyter, & Vicarius Orientalium Pontificum, dixit : Et aliud significat sermo Patris nostri Sophronii, quia expedit ei, qui juravit magis perjurare, quàm omninò servare jusjurandum in destructionem venerabilium imaginum. Hoc autèm dicimus, quoniàm quidam hodiè excusant se propter juramentum. Tharasius Sanctissimus Patriarcha dixit : Quoniàm sciebat bonitatem Dei, quia pœnitentes suscipit, ideò disposuit transgredi impium juramentum. Et nùnc, qui in hæresi ista juraverunt, siquidèm aliud peccatum non fecerunt, rationabilis eis est excusatio, & non habent, quod dicant; nàm si in alia peccata incidunt, debent Deum placare, & obsecrare de remissione illiciti juramenti. Theodorus Sanctissimus Episcopus Subritensium dixit : Princeps Apostolorum Petrus negavit, sed actâ pœnitentiâ receptus est. Tharasius Sanctissimus Patriarcha dixit : Herodes non perjuravit, sed periit;*

Can. 18. caus. 22. q. 4.

at

at verò Petrus negavit cum juramento, deindè foràs egressus, & lacrymatus, salvus factus est. Omne quippè peccatum benignus Deus ignoscit, si ex tota anima quis penitentiam gesserit. Sancta Synodus dixit: Etiàm Domine, sic nos sancta Scriptura docet. Et pòst pauca: *Leo Sanctissimus Episcopus Phociæ dixit: Scriptum est, quia juramentum mendax ne diligatis, & hujus rei gratia mendax juramentum nostrum parvipenditur, tanquàm nullam fortitudinem habens.* Ex his & restituenda erit, atque emendanda lectio Gratiani.

Can. 28. de cons. dist. 3.

Canon 28. de cons. dist. 3. habetur in actione 6. ejusdem Nicæni Concilii, in qua refertur integrum Conciliabulum Iconomachorum, & analiticè refutatur sex Tomis, sive Opusculis, adversùs illud editis. In Tomo autèm 2. cum referretur illius Pseudosynodi sententia, quà Iconomachi Catholicos tanquàm Idolis servientes redarguebant, ità è contrario Nicæni Patres scripserunt. *Itaquè sanctas Imagines Christiani neque Deos nominarunt, neque spem salutis suæ in eis aliquandò habuerunt, neque ab illis expectant futurum judicium, nisi ad recordationem, & munimen eas habentes, & amore circa illarum Principalia flagrantes, has & amplexi sunt, & honorantèr adoraverunt; non tamèn divinæ his servitutibus, vel cultus officium impenderunt* (abesto calumnia) *sed neque aliis quibuslibet rebus.*

CAPUT XLIV.

De Concilio Compendiensi.

Hoc nomine laudatur apùd Gratianum tria hæc Capitula.

Can. 3. caus. 33. q. 1. varius in diversis exemplaribus.
Can. 3. caus. 33. q. 5. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.
His additur can. 4. caus. 6. q. 3. ex Capitulis Karlomanni anni 882.

SUperiùs, ubi egimus de Concilio Vermeriensi, animadvertimus Concilium Compendiense sæpiùs à Collectoribus can. nomine Concilii Vermeriensis fuisse laudatum. Illud est Compendiense Concilium anni 756. vel, ut aliis placet, anni 757. sub Paulo I. Pontifice Maximo, & Rege Pipino in Gallia in Diœcesi Suessoniensi in Compendio Palatio, quod nùnc *Compiegne* appellatur, celebratum, in quo Pipinus idem simùl cum Episcopis Regni, toto insupèr populo conveniente, interfuit. Hùc pertinet apùd Gratianum can. 3. caus. 33. q. 1. cujus verba habentur in can. 17. Concilii, ibi: *Siquis accepit mulierem, & habuit ipsam aliquo tempore, & ipsa fœmina dicit, quòd non mansisset cum ea, & ille vir dicit, quòd sic fecit, in veritate viri consistat, quia caput est mulieris. De muliere, quæ dicit, quòd vir suus ei commercium maritale non reddidit, Georgius consensit.* Hanc tamèn canonis editionem, quæ apùd Baluzium habetur, ego non satis integram arbitror, eidemque Gratianeam anteferendam esse. Quid enim illa verba posteriora significant: *De muliere, quæ dicit, quòd vir suus ei commercium maritale non reddidit, Georgius consensit?* Hæc omittuntur non solùm apùd Gratianum, verùm etiàm apùd Reginonem lib. 2. cap. 244. & Collectores Reginone posteriores. Quamobrèm ego reor, verba illa: *De muliere quæ dicit, quod vir suus ei commercium maritale non reddidit*, è margine in textum fuisse translata; fortè enim ad marginem adscripta fuerant, ut indicaretur, quænam materies ibidèm pertractaretur, quemadmodùm inscriptionibus canonis etiàm

Can. 3. caus. 33. q. 1.

in

in recentioribus Codicibus fieri solet. Excipienda fortè sunt postrema verba: *Georgius consensit*, quæ, sicut in aliis ejusdem Concilii Canonibus subjiciuntur, videlicèt 9. 11. 12. 13. & 18. ità potuerunt etiàm adjici in can. 17. Erat Georgius Romanus, & Episcopus à Summo Pontifice Stephano apùd Pipinum Apostolicus Legatus, quemadmodùm deducitur ex Epistolis Stephani Papæ ad eumdem Regem, qui cum aliis pluribus Gallicanæ Ecclesiæ Conciliis auctoritate Apostolicâ præsedisset, teste Hincmaro in Epist. 37. ad Rodulphum, & Frotarium Metropolitanos Aquitaniæ cap. 5. ità facilè Concilio huic Compendiensi præsidere potuit; ac propterea mirum videri non debet, si ad finem plurium canonum, in eadem Synodo definitorum, dicatur Georgius consensisse, quasi ad significandum, canones illos fuisse Apostolicâ auctoritate à Legato Pontificio confirmatos.

Can. 3. caus. 33. q. 5. In eodem Compendiensi Concilio cap. 3. legitur can. 3. caus. 33. quæst. 5. ubi tamèn pro illis verbis, *sine licentia* legendum est *sine comeatu*, quæ phrasis idem apùd Auctores medii ævi significabat ac placitum, sive, ut hodiè vulgò dicunt, licentiam.

Can. 4. caus. 6. q. 3. Posterioris sanè temporis est Concilium illud, ex quo Gratianus laudavit canonem 4. caus. 6. quæst. 3. est enim is ex Capitulis Karlomanni, editis anno 882. Tria ejusdem temporis Karlomanni Capitula constituta scimus coràm Episcopis Gallicanis: Primum apùd Carisiacum, alterum in Brollo Compendii, tertium in Palatio Vernensi, atque in postremis duobus de furto ac rapina actum est; quoniàm enim, uti dicitur in can. 6. tertii Capituli, plures erant, qui, dum venirent ad unius Episcopi Parochiam, vel ad *Curtem* Regis, vel in aliam Diœcesim aliena bona diripiebant, statutum fuit, ut liceret Episcopis, in quorum Diœcesi furtum admissum fuisset, illos raptores, licèt alteri Episcopo subjectos, pòst admonitionem excommunicare: hinc rogati sunt Episcopi omnes, ne molestè, aut gravitèr ferrent, subditos suos rapinas admittentes ità ab extraneis Episcopis excommunicari, quemadmodùm habetur in dicto can. 4. caus. 6. quæst. 3. qui hisce verbis exprimitur in can. 8. memorati tertii Capitularis: *Placuit nobis pro communi utiliter, & instanti necessitate, ut nullus Episcoporum graviter ferat, si ejus Parochianum pro hujusmodi causa depræ dationis alter Episcopus excommunicaverit.* Meliùs itaquè can. 4. Gratianeus laudandus erat nomine Capitulorum Karlomanni, aut nomine Concilii, in Vernis palatio celebrati, quàm Concilii Compendiensis: quamquàm tamèn in eo venia danda sit Gratiano, &, qui eum antecesserunt, Collectoribus, qui fortassè putaverunt Capitulum tertium Karlomanni in eodem loco editum fuisse, in quo editum fuerat secundum, ac propterea apùd Compendium in Broilo, ex quo Compendiensis Concilii nomen emersit.

APPENDIX.

De Can. 19. *caus.* 32. *q.* 7.

Quem nomine cujusdam Concilii Gratianus laudavit.

AD Concilium Compendiense anni 757. referendus est can. 19. caus. 32. quæst. 7. quem Gratianum memoravit nomine cujusdam Concilii, quin indicaret specialitèr, undenàm fragmentum hujusmodi excerpsisset. Habetur ille in canone octavo dicti Concilii Compendiensis his verbis: *Siquis homo habet mulie-*

mulierem legitimam, & frater ejus adulteravit cum ea, ille frater, vel illa fœmina, qui adulterium perpetraverunt, interim quò vivunt, nunquàm habeant conjugium. Ille, cujus uxor fuit, si vult, potestatem habeat accipere aliam. Probatum hoc Capitulum fuit auctoritate Pipini Regis, qui apùd Compendium, uti diximus, solemnia totius populi comitia indixerat; relatumque etiàm illud fuit in lib. 5. Capitularium cap. 21. in editione Parisiensi anni 1677.

CAPUT XLV.

De Capitulis Hadriani Papæ, quæ & aliquandò nomine Concilii Romani laudantur apùd Gratianum.

Modò nomine Capitulorum Hadriani Papæ, modò nomine Romani Concilii memoravit Gratianus sequentes Canones.

Can. 3. *caus.* 2. *q.* 3. *jungendus cum can.* 18. *caus.* 3. *q.* 6.
Can. 4. *caus.* 2. *q.* 3. *consonat etiàm cum can.* 75. *Eliberitano.*
Can. 40. *caus.* 2. *q.* 6. *consonat cum Francorum Capitularibus, & Ariani interpretatione.*
Can. 50. *caus.* 2. *q.* 7. *consonat cum l.* 41. *Cod. Theodos. de Episc. & Clericis.*
Can. 53. *caus.* 2. *q.* 7. *de servis potiùs, quàm de Monachis intelligendus.*
Can. 7. *caus.* 3. *q.* 5. *relatus inter Francorum Capitularia.*
Can. 16. *caus.* 3. *q.* 6. *ad meliora exemplaria redigendus.*
Can. 18. *caus.* 3. *q.* 6. *jungendus cum can.* 3. *caus.* 2. *q.* 3.
Can. 1. *caus.* 3. *q.* 7. *pertinet ad Epistolam Felicis Papæ, à Mercatore confictam.*
Can. 3. *caus.* 3. *q.* 11. *ex vetere interprete Codicis Theodosiani.*
Can. 4. *caus.* 4. *q.* 6. *jungendus cum can.* 1. *caus.* 3. *q.* 7.
Can. 1. *caus.* 5. *q.* 1. *consonat cum libris Francorum Capitularium.*
Can. 1. *caus.* 5. *q.* 3. *pertinet ad Epistolam Felicis Papæ, à Mercatore confictam.*
Can. 2. *caus.* 5. *q.* 3. *consonat cum Decretalibus Epistolis Mercatoris.*
Can. 1. *caus.* 5. *q.* 6. *relatus in Codicem Capitularium Francorum.*
Can. 5. *caus.* 5. *q.* 6. *referendus est ad leg.* 2. *Cod. Theodos. de petitionibus.*
Can. 2. *caus.* 6. *q.* 1. *consonat cum decretalibus Isidori Mercatoris.*
Can. 6. *caus.* 6. *q.* 1. *consonat cum sententiis Isidori Mercatoris.*
Can. 48. *caus.* 11. *q.* 1. *consonat cum sententiis Isidori Mercatoris.*
Can. 49. *caus.* 11. *q.* 1. *consonat cum sententiis Isidori Mercatoris.*
Can. 3. *caus.* 15. *q.* 4. *consonat cum pluribus capitibus Conciliorum mediæ ætatis.*
Can. 11. *caus.* 25. *q.* 1. *ex melioribus Codicibus emendandus.*

DUÆ vulgò exhibentur Collectiones Hadriano I. Pontifici Maximo tributæ. Prior appellatur: *Epitome Canonum, quam Hadrianus Summus Pontifex, hoc nomine primus, Carolo Magno Romæ obtulit anno Domini* 773. In hac in primis habentur sententiæ breviatæ canonum Apostolorum numero 45. deindè can. 24. Ancyrani, 15. Neocesareenses. 20. Gangrenses, 25. Antiocheni, 58. Laodiceni, 21. Sardicenses, 23. Carthaginenses, & alii ex diversis Africanis Conciliis numero 105. De hac Collectione sermo non est in præsentia, cùm ex ea nihil omninò habeamus apùd Gratianum. Posterior hoc nomine circumfertur: *Hadriani Papæ Capitula, quæ ex Græcis, & Latinis Canonibus, & Synodis Ro-*

manis, atque Decretis Præsulum Romanorum sparsim collecta sunt, & Ingilramno Mediomatricæ Urbis Episcopo Romæ à B. Hadriano Papa tradita, sub die 13. *Kalendas Octobres, indictione* 9. *quandò pro sui negotii causa agebatur.* Collectio hæc modò Romanum Hadriani Concilium, modò Hadriani Capitula, modò Hadriani Decretum apùd Gratianum dicitur. Verosimilius autèm est, quòd eruditissimi viri tradunt, reverà Hadriani illam non esse. Antonius Augustinus elegantissimas adnotationes eisdem Canonibus adjecit, sed de rei veritate visus est dubitasse, dum scripsit: *De Hadriani Papæ Decretis sumptis, ut ajunt, ex Græcis, & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis, atque Decretis Præsulum, ac Principum Romanorum, & traditis Ingelramno Mediomatricis Urbis Episcopo* 13. *Kalendis Octobris indictione* 9. *anno Christi* 785. *ut suspicor.* Alii non ab Hadriano elucubratam asserunt collectionem, & Ingelramno traditam; sed potiùs è converso ab Ingelramno factam, vel, ut ajunt, ab Agilramno, & Hadriano Pontifici oblatam. Sanè referunt, in quodam Codice MS. vetustissimo Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis hanc adesse cisdem Capitulis inscriptionem: *Incipiunt Capitula collecta ex diversis Conciliis, sive Decretis Pontificum Romanorum ab Agilramno Metensi Episcopo, & Hadriano Papæ oblata.* Natalis Alexander tom. 13. Histor. Ecclesiast. pag. 54. scribit, eumdem titulum præferre aliud MS. optimæ fidei, & venerandæ antiquitatis Monasterii Lætiensis. Prætèr horum MS. fidem ad hanc eamdem rem faciunt plures, & quidèm gravissimæ conjecturæ. Siquidèm, ut diximus, Hadrianus Papa jam pridèm Carolo Magno collectionem sacrorum canonum obtulerat, in qua tamèn nullum inseruit ex iis Decretis, quæ in hisce Capitulis continentur, imò nec ullum istorum Decretorum, sive Capitulorum fragmentum, sed tantummodò Codicem illum, quem Romana Ecclesia à Dionysio Exiguo acceperat. Porrò hæc collectio Capitulorum ut plurimùm constat ex monumentis apocryphis, videlicèt depromptis ex Isidoro Mercatore, quæ intererat Agilramni Romæ ad suæ causæ defensionem adferre. Quod facilè innuitur ex vulgata Capitulorum istorum inscriptione, in illis verbis: *Quandò pro sui negotii causa agebatur.* Etenim Agilramnus facilè noverat, sibi plurimùm favere Isidorianas merces, quam propterea collectas Pontifici Maximo obtulit, veluti Judici in causa sua. Atque etiàm exindè percipimus, quænam istiusmodi capitibus reverentia debeatur; licèt enim aut Hadriano Papæ accepta quodammodò esse potuerint, & in Francorum Capitularia redacta, tamèn ideò probata ab initio fuisse videntur, quòd creditum fuisset genuina, & germana in ipsis capita contineri, quemadmodùm in integra Isidori collectione. Quamobrèm eadem erit penès me collectionis hujus opinio, qualis est illorum canonum qui ab Isidori Mercatoris Codice in alias posterioris temporis collectiones fuere translati.

In capite 52. aliàs 48. hujus Collectionis leguntur can. 3. caus. 2. quæst. 3. & can. 18. caus. 3. quæst. 6. his verbis: *Qui crimen objicit, scribat se probaturum reverà, & ibi causa agatur, ubi crimen admittitur, ut qui non probaverit, quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipse patiatur.* Hæc eadem verba deprompta videntur ex Epistola, Fabiano Pontifici à Mercatore tributa, quemadmodùm constat, quotiès cum iis conferatur can. 1. caus. 3. q. 6. Relata hæc sunt in librum 7. Capitularium Francorum cap. 365. consonantque cum l. 11. Cod. Theodosiani de accusationibus, & inscriptionibus.

In cap. 62. aliàs 57. habetur can. 4. caus. 2. q. 3. his verbis: *Siquis Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam esse communionem.* Legunt alii: *Nisi in finem dandam ei non esse communionem.* Hic omninò consonat cum can. 75. Concilii Eliberitani, nec non cum can. 24. Concilii Arelatensis II. id est, cum can. 2. caus. 3. q. 10. Can. 4. caus. 2. q. 3.

Can.

Can. 40. caus. 2. q. 6.

Can. 40. caus. 2. quæst. 6. emendandus est capitulo 44. aliàs 41. his verbis : *Si quandò in causa capitali, vel in causa status interpellatum fuerit, non per procuratores, sed per ipsos est agendum.* Gratianus in inscriptione hujus can. habet: *Hadrianus Papa ait in Capitulis à se collectis* ; ex quibus adparet Gratianum, si ejus est hæc inscriptio, sensisse reverà hæc Capitula Hadriano Pontifici esse tribuenda. Eadem verba translata sunt in librum 7. Capitularium cap. 357. atque deprompta ex interpretatione Aniani ad titulum 35. lib. 5. sententiarum Pauli.

Can. 50. caus. 2. q. 7.

Quod nomine Romanæ Synodi descripsit Gratianus in can. 50. caus. 2. quæst. 7. habetur inter capitula Hadriani Papæ cap. 24. alias 22. his verbis: *Siquis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clerici apùd Episcopos, quia alibi non oportet, à qualibet persona fuerint accusati, quicumque fuerit ille, sive sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. Siquis verò circà hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturam infamiæ propriæ sustinere, ut damno pudoris, existimationis dispendio, discat sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari saltèm de cetero non licere, sed qualem fratri paraverat damnationem, talem in se suscipiat.* Hæc eadem verba leguntur in lib. 7. Capitularium cap. 438. atque jam Isidorus Mercator descripserat in Epistola ad Orientales, quam Sixto III. adtribuit. Fertur ibi Sixtus Papa accusatus fuisse à Basso de vi illata in virginem quamdam, quæ ut proponeretur accusatio, Concilium Romanum celebratum fuerat sub Valentiniano Augusto, ubi cum Bassus in probatione defecisset, rejectus est, & tanquam conviciator damnatus, undè suborta fuit occasio decernendi, ut unusquisque accusator teneatur ad eorum, quæ objiciat, probationem. Verba, Sixto III. tributa in ea Epistola, hæc sunt : *Scitote me criminari à quodam Basso, & injustè persequi. Quod audiens Valentinianus Augustus, nostrâ auctoritate Synodum congregari jussit, & facto Concilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus, licèt evadere satis aliter non potuissem, suspicionem tamèn fugiens, coràm omnibus me purgavi, me scilicèt à suspicione, & æmulatione liberans, sed non aliis, qui noluerint, aut spontè hoc non elegerint faciendo, formam exemplumque dans, cum scriptum sit : Siquis crimen objicere voluerit, scribat se priùs probaturum, & alibi : Criminatores adversùs doctorem nemo recipiat ; & iterùm : siquis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clerici apùd Episcopum à qualibet persona fuerint accusati, quicumque fuerit, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius generis persona, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit, docenda probationibus, monstranda documentis, se debere inferre.* Sanè Gratianus, & Collector Capitulorum Hadriani nonnulla ex his immutarunt, ac corruperunt : nisi fortè dicere velimus, verba Gratiani, aut alterius Collectoris referenda esse ad aliam Epistolam decretalem, falsò tributam Cajo Papæ ab Isidoro Mercatore, in qua hæc leguntur : *Siquis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clerici apùd Episcopo (quia alibi non oportet) à qualibet persona, quæ ritè accipienda est, fuerint accusati, quicumque fuerint, sive ille sit sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit probationis documenta se debere inferre.* Sunt hæc omnia apocrypha, atque à Mercatore conficta. Siquis potiùs optaverit ad meliores Codices sive capitulum Hadriani, sive Gratiani canonem redigere, opus erit in medium adferre legem 41. Codic. Theodos. de Episcopis, & Clericis anni 412. auctore Honorio Augusto his verbis : *Clericos non nisi apùd Episcopos accusari convenit. Igitùr, si Episcopus, vel Presbyter, Diaconus, & quicumque inferioris loci Christianæ legis minister apùd Episcopum (siquidem alibi non oportet) à qualibet persona fuerint accusati, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis intentionis arripiet, no-*

verit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre &c.

Can. 53. caus. 2. q. 7. Canon 53. caus. 2. quæst. 7. habetur in cap. 32. aliàs 29. Hadriani, in quo notanda est varietas lectionis; ubi enim Gratianus legit *interdici*, in eo capitulo habetur *intercidi*. Gratianus hoc caput de Monachis intellexit; cum tamèn non Monachorum, sed mortuorum fiat mentio, voce hac symbolicè usurpatâ. Ceterùm, si integer canon legatur, qualis habetur in cap. 440. Capitularium Francorum lib. 7. non de Monachis agi, sed de servis, ibidèm intelligemus; postquàm enim cautum est illic, ne servi accusent eos, cujus potestati subjiciuntur, hæc sequuntur: *Vocem enim funestam potiùs intercidi, quàm audiri, oportet. Eorum verò accusandi Sacerdotes, vel testificandi in eos, os obstruimus, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus*; quæ verba plurimùm consonant cum *leg.* 3. *Cod. Theodos. Ne prætor crimen Majest.* Refert hæc Gratianus idem in 3. parte quæst. 11. caus. 3.

Can. 7. caus. 3. q. 5. Nomine Synodi Romanæ, habitæ sub Hadriano, refertur can. 7. caus. 3. quæst. 5.; pertinet autèm ad caput 11. inter capitula, his verbis expressum: *Accusationes, & accusatores, atque ea negotia, quæ sæculares non adsciscunt leges, divina, ac synodica funditùs à Clericis repelli auctoritate censemus; quia indignum est, Superiores pati ab inferioribus, quæ inferiores ab eis pati despiciunt.* Hæc eadem verba relata sunt in librum 7. Capitularium cap. 307., & inter capitula Herardi Turonensis cap. 102.; ceterùm deprompta sunt ex pluribus Epistolis, quas Isidorus Mercator vetustissimis Pontificibus adscripsit, ex quibus Ingelramnus, uti diximus, fermè omnia sua Capitula excepit.

Can. 16. caus. 3. q. 6. Rursùs Romanæ Synodi nomine refert Gratianus can. 16. caus. 3. quæst. 6. Habetur autèm in pluribus Hadriani capitulis. In cap. 5. propè finem hæc leguntur: *Neminem ergò exhiberi de Provincia ad Provinciam, vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem judicis, ad quem fuerit appellatum, id est, ut actor sempèr rei forum sequatur.* Verba hæc deprompta fuerunt ex 2. Epistola, Felici Papæ à Mercatore tributa. In capite 9. apùd Hadrianum hæc habentur: *Salvo Romanæ Ecclesiæ in omnibus Primatu, manifestum est, quòd illa, quæ sunt per unamquamque Provinciam, ipsius Provinciæ Synodus dispenset, sicut in Nicæno constat decretum esse Concilio.* Videntur hæc deprompta fuisse ex can. 2. Concilii Constantinopolitani; ubi tamèn paulò alitèr eadem sententia exhibetur ibi: *Servatâ verò, quæ descripta est de gubernationibus, regulâ, manifestum est, quòd illa, quæ sunt per unamquamque Provinciam, ipsius Provinciæ Synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio.* Quæ Constitutio refertur ad can. 5. Concilii Nicæni, in quo tempora Provincialium Synodorum, ad dirimendas Ecclesiasticas controversias, definita fuerunt. Sequitur capitulum 10. in Collectione Hadriani his verbis: *Ultrà Provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur. Omnis accusatio intrà Provinciam audiatur, & à Comprovincialibus terminetur.* Jam animadverterunt Romani Correctores, apùd Gratianum adjecta fuisse verba illa, *nisi Prælatus sit, qui accusatur*, quæ apùd Hadrianum, imò & in antiquis Gratiani exemplaribus desiderantur; ut facilè suspicari possimus, à quodam studioso ad marginem primùm adposita fuisse juxtà receptam aut sui temporis, aut suæ Provinciæ disciplinam, è margine deindè in textum ipsum fuisse translata. Eadem sententia relata est in librum 6. Capitularium cap. 381. ibi: *Omnis accusatio intrà Provinciam audiatur, & à Comprovincialibus terminetur. Ultrà Provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur.*

Can. 5. caus. 3. q. 7. & can. 4. caus. 4. q. 6. In capite 5. apùd Hadrianum hæc habentur: *Sancta Synodus Romana dixit: hæc sunt, quæ deinceps propter malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam, & Ecclesiasticos indifferenter sæviunt viros, conservari firmissime volumus in sæcula. Siquis Episcopus &c.* & pòst multa: *Quòd si accusatorum personæ in judicio Episcoporum culpabiles*

les adparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias habuerint causas, non tamèn criminales, vel Ecclesiasticas; infamis enim persona nec procurator potest esse, nec cognitor. Postrema hæc verba nomine Sanctæ Romanæ Synodi retulit Gratianus in can. 1. caus. 3. quæst. 7., & in can. 4. caus. 4. quæst. 6. ibidèmque nomine Synodi Romanæ illa intelligitur, quam, affinxit Isidorus Mercator, tempore Felicis Papæ fuisse celebratam, cui tribuuntur illa eadem, quæ nupèr retulimus verba in Epist. 2. Felicis apùd eumdem Mercatorem.

Can. 3. caus. 3. q. 11. In capite 33. aliàs 31. apùd Hadrianum legitur can. 3. caus. 3. quæst. 11. eisdem omninò verbis, dummodò pro postrema illa voce, *professio*, scribamus, *confessio*. Relata hæc sunt in librum 7. Capitularium Francorum cap. 324., videnturque deprompta ex Epistola 2., quam Isidorus Mercator adscripsit Papæ Stephano, reverà autèm edita sunt à vetusto interprete Codicis Theodosiani ad legem 12. de accusation. & inscriptionibus, quæ in editis ejusdem Codicis exemplaribus legi ipsi subjecta est.

Can. 1. caus. 5. q. 1. Can. 1. caus. 5. quæst. 1. habetur in cap. 50., aliàs 46. apùd Hadrianum his verbis: *Qui in alterius famam in publico scripturam, aut verba contumeliosa confixerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur; & qui ea priùs invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.* Hic canon relatus est in caput 361. libri 7. Capitularium Francorum.

Can. 1. caus. 5. q. 3. In eodem capitulo 5. apùd Hadrianum incipiente *S. Romana Synodus dixit*, ex qua diximus depromptos fuisse can. 1. caus. 3. quæst. 7., & 4. caus. 4. q. 6. legitur can. 1. caus. 5. quæst. 3. eisdem omninò verbis, quæ habentur in Epistola 2. Felici I. Pontifici Maximo ab Isidoro Mercatore tributa.

Can. 2. caus. 5. q. 3. In capitulo 38. apùd Hadrianum hæc habentur: *In crimínalibus causis nec accusator, nisi per se, aliquem accusare potest, nec accusatus per aliam personam se defensare permittitur.* Retulit hæc Gratianus in can. 2. caus. 5. quæst. 3. & quidèm sæpissimè hæc sententia legitur inter Decretales Epistolas Mercatoris.

Quæ descripsit Gratianus in can. 1. caus. 5. quæst. 6. leguntur in cap. 41. aliàs 38. apùd Hadrianum; videnturque deprompta ex Epistola 2. Fabiano tributa, ex qua est can. 6. caus. 3. quæst. 1., relata autèm sunt à Benedicto Levita in lib. 7. Capitularium cap. 348. Can. 1. caus. 5. q. 6.

In capite 49. aliàs 45. apùd Hadrianum hæc leguntur: *Delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Delatores autèm sunt, qui invidiâ produnt alios.* Hic est can. 5. caus. 5. quæst. 6., ad quem ità ait Antonius Augustinus, cui & consonant Correctores Romani: *Non erat Hadriani hoc decernere, sed referre, quod in Codice Theodosiano scriptum fuerat, vel potiùs in epitome Constitutionum Constantini Imperatoris.* Referri debent hæc ad legem 2. Cod. Theodos. de petitionibus anni 319. Constantino auctore, cujus hæc sunt verba: *Comprimatur unum maximum humanæ vitæ malum, delatorum execranda penicies, & inter primos conatus in ipsis faucibus stranguletur, & amputata radicitùs invidiæ lingua vellatur, ità ut judices nec calumniam, nec vocem prorsùs deferentis admittant: sed, qui delator extiterit, capitali sententiâ subjugetur.* Antiquus autèm hujus legis interpres ità subdit: *Delatores dicuntur, qui aut facultates prodiderint alienas, aut caput impetierint alienum. Quicumque delator cujuslibet rei extiterit, in ipso proditionis initio à judice loci correptus continuò stranguletur, & ei incisa radicitùs linguat tollatur, ut, siquis proditor futurus est, nec calumnia, nec vox illius audiatur.* Hanc itaquè Imperatoriam Constitutionem paulò alitèr descripsit Ingelramnus, ex quo deindè translata est in librum 7. Capitularium cap. 360. Can. 5. caus. 5. q. 6.

Can. 2. caus. 6. q. 1. Can. 2. caus. 6. quæst. 1. legitur in cap. 21. aliàs 19. apùd Hadrianum, cujus priora verba hæc sunt: *Placuit, ut nullus servus, nullus libertus, nulla infamis persona Sacerdotem accuset. Omnes verò infames esse dicimus &c.* Hæ loquendi formulæ passim leguntur in Epistolis Isidori Mercatoris, inter ceteras exemplo

es-

esse posset Epistola Clementi tributa; cujus fragmentum est in cap. 5. caus. 6. quæst 1. Eadem verò Ingelramni verba translata sunt in Capitularia Francorum à Benedicto Levita lib. 7. capit. 437.

In capite 68. aliàs 64. apùd Hadrianum hæc legimus. *Qui crimen intendit,* Can. 6. caus. 6. q. 1. *agnoscendum est, si ipse antè non fuit criminosus, quia periculosa est, & admitti non debet rei adversùs quemcumque professio.* Et in fine capitis 72., alias 68. *Testes autem sine aliqua sint infamia, uxores & filios habentes, & omninò Christum prædicantes.* Ex his duobus fragmentis compositus est apùd Gratianum can. 6. caus. 6. q. 1., in quibus omnibus nemo non agnoscit manum, & stilum Isidori Mercatoris. Ut cetera omittam, unicum adferam fragmentum Concilii Romani, Sylvestro Pontifici adscripti, in quo can. 3. hæc leguntur: *Præsbyter autem nisi in* 44. *testimonia condemnabitur....Lector nisi (sicut scriptum est) in septem testimonia filios, & uxorem habentes, omninò Christum prædicantes, sicut datur mystica veritas.*

Can. 48. caus. 11. quæst. 1. habetur eisdem omninò verbis in cap. 35. apùd Hadrianum, aliàs 33. Rursùm hic Isidori Mercatoris sententiæ descriptæ fuisse videntur, quemadmodùm constat conferenti Epistolam 2. Julio Papæ, Epistolam 3. Fabiano, & Epistolam singularem Sixto III. adscriptam. Eadem autèm Ingilramni verba relata sunt à Benedicto Levita in librum 7. Capitularium Francorum cap. 332.

Can. 48. caus. 11. q. 1.

Rursùm omninò consonat cum can. 40. apùd Hadrianum Gratianeus can. 49. caus. 11. quæst. 1. Relatus quidèm est in librum 7. Capitularium cap. 347. verùm fragmenti illius origo ex Isidorianis Decretalibus erit repetenda, cum eadem propemodùm legantur sive apùd Julium I. in Epist 2., sive apùd Zephirinum in Epist. 1., sive apùd Eusebium in Epist. 3.

Can. 49. caus. 11. q. 1.

In cap. 64., aliàs 60. apùd Hadrianum legitur eisdem omninò verbis can. 3. caus. 15. quæst. 4., cujus sententia omninò consonat cum pluribus Conciliis diversarum Provinciarum, Tarraconensi I. can. 4., Matisconensi II. can. 1., Arelatensi IV. can. 16. Turonensi III. cap. 40., Moguntino cap. 37., & aliis benè multis. Junge caput 318. lib. 6. Capitularium Francorum.

Can. 3. caus. 15. q. 4.

In cap. ult. apùd Hadrianum hæc leguntur: *Itèm generali decreto constituimus, ut execrandum anathema, & velùt prævaricator Catholicæ fidei apùd Deum reus existat, quicumque Regum, vel Potentum deincèps canonum censuram in quocumque crediderit, vel permiserit violandam.* Ex his emendandus erit can. 11. caus. 25. q. 1. apùd Gratianum. In lib. 6. Capitularium Francorum cap. 322. ità potiùs legitur: *Hujus Constitutionis forma servetur, ut execrandum anathema fiat, & velùt prævaricator Catholicæ fidei sempèr à Domino reus existat, quicumque Regum deincèps canonis hujus censuram in quocumque crediderit, aut permiserit violandam.*

Can. 11. caus. 25. q. 1.

CA-

CAPUT XLVI.

De Capitularibus Francorum Regum, ac præsertim Caroli Magni.

Ecclesiasticis Conciliis accensendos arbitror jure optimo Conventus illos, quos Francorum Reges octavo, & sequenti sæculo cum Regni Proceribus, & sacris Antistibus unà congredientibus habuerunt. Ex his originem habent celebratissima Francorum Capitularia, ex quibus multa in sacrorum canonum Collectionibus recentioribus recitantur. Et quidèm, si unum Gratiani Codicem inspexerimus, innumera propemodùm capita in eo continentur, quæ ad hæc Francorum Capitularia sunt referenda. Illud tamèn vetustiorum Collectorum vel oscitantiâ, vel industriâ factum est, ut non omnia nomine Capitularium laudarentur, sed modò aliarum Gentium Conciliis, modò etiàm aliis Conciliis Galliarum vetustioribus, modò Pontificibus Maximis, modò Sanctis Patribus, aut Ecclesiasticis Scriptoribus adscriberentur. Inter ceteros hæc omnia turbavit Burchardus Vvormaciensis, qui cum scriberet apùd Germanos, quibus invisæ erant Res Francorum, in sua Collectione canonum à laudando Capitularium Francorum nomine abstinuit; sed quotiès aliquod Capitularium fragmentum sibi accommodum videbatur, illud quidèm non omittebat, sed aliis auctoribus tribuebat. Hujus rei argumento esse potest, quòd Burchardus in lib. 6. cap. 2. relaturus caput 15 lib. 4. Capitularium sub nomine Triburiensis Concilii omisit hanc clausulam, quæ habetur in eorumdem Capitularium exemplaribus *Secundum Capitulare Gloriosi Caroli Regis nostri*; & in lib. 2. cap. 82., ubi tantummodò nomen Capitularium illi excidit, addidit illum, quem referebat, canonem ab Episcopis, qui apùd Aquisgranum convenerant, fuisse probatum, quasi relaturus non fuisset, nisi Aquisgranensium Episcoporum auctoritas accessisset. Cur verò exemplis rem perspicuam demonstrem, cum sexcenta sint apùd Gratianum capita, quæ, aliis auctoribus tributa, omninò restituenda sunt Capitularibus, Gratiano errante ex Collectione Ivonis, & Ivone ex Collectione Burchardi? Hoc ipsum frequentissimè liquet in hoc meo Codice, & ex aliis, qui huic accedent, ubi persæpè eamdem animadvertere juvabit, ut singuli Gratiani canones suis reddantur auctoribus. Interea verò, cum aliqua fragmenta sint apùd Gratianum, quæ & ad Capitularia Francorum, præcipuè Caroli Mgni pertinent, eoque nomine expressè laudantur, illa hoc in capite collecta exhibebo, ac de more meo juxtà exemplarium optimorum fidem expendam. Sunt autèm sequentes canones.

Can. 3. *dist.* 19. *pertinet potiùs ad Concilium Triburiense anni* 895.
Can. 34. *dist.* 63. *in contrariam sententiam à Gratiano detortus.*
Can. 8. *caus.* 2. *q.* 3. *est potiùs Interpretis Codicis Theodosiani.*
Can. 37. *caus.* 11. *q.* 1. *dubiæ admodùm fidei, & forte à Benedicto Levita suppositus.*
Can. 59. *caus.* 16. *q.* 1. *ex optimis Capitularium exemplaribus emendandus.*
Can. 9. *caus.* 17. *q.* 4. *consonat cum Codicibus recentioribus Capitularium, & Concilio Moguntino.*
Can. 27. *caus.* 17. *q.* 4. *consonat cum pluribus Capitularium Codicibus.*
Can. 28. *caus.* 17. *q.* 4. *noni sæculi disciplinæ in Gallia conformis.*

Can.

Can. 14. *caus.* 22. *q.* 5. *jungendus cum can.* 12. *caus.* 22. *q.* 1., *& can.* 16. *caus.* 22. *q.* 5.
Can. 33. *caus.* 27. *q.* 2. *ex integris Capitularium Codicibus emendandus.*
Can. 104. *de cons. dist.* 4. *consonat cum Capitulari Ludovici Pii anni* 817.
Can. 126. *de cons. dist.* 4. *consonat cum Collectione Benedicti Levitæ.*
Can. 34. *de cons. dist.* 5. *est Concilii Moguntini anni* 813.

ANtequàm verò ad enumeratos hujusmodi canones Gratianeos accedamus, nonnulla generatim attingenda videntur de Capitularibus ipsis, & de eorumdem Collectionibus, ut deindè noverit unusquisque, & cujus auctoritatis ea capita sint, & ad quos Codices referenda. Nomen in primis Capitularium generale est, quod potissimùm ad varias simùl congestas leges designandas usurpari potest, ex eo quod leges eædem in diversa capitula distinctæ edi soleant, sive civiles sint, sive Ecclesiasticæ. Specialitèr tamèn eo nomine donatæ fuerunt Leges Caroli Magni, eoque exemplo Leges aliæ, quæ à Regibus Francorum sive antè, sive pòst Carolum editæ sunt: sic dicimus Capitularia Chlotari, Capitularia Dagoberti, Capitularia Karlomanni, Capitularia Pipini, Capitularia Ludovici Pii, & similia. Harum autèm legum, sive Capitularium condendorum hæc solemnitas erat, ut Rex quidèm conventum indiceret; convenirent autèm & Proceres Regni, & Episcopi universi, cum Abbatibus, uno verbo, iis omnibus, qui vel consilio Principem juvare possent, vel nomine populorum, Ecclesiarum, aut Monasteriorum, quibus præerant, consentirent. Convenientibus omnibus, ea omnia proponebantur, quæ ad rectum Imperii regimen, ad Ecclesiarum incolumitatem, animarum salutem, Monasteriorum institutionem, uno verbo, ad universam Rempublicam optimè administrandam pertinere videbantur: & quæ communi consensione, ac suffragio probata fuissent, vim legis obtinebant, atque Capitularium nomine palàm promulgabantur. Patent hæc manifestissimè ex Capitulis Caroli Calvi apùd Carisiacum anno 877., ex præfatione 2. Capitularis anni 813., ex præfatione Capitularis anni 779., & ex multis aliis locis. Videatur Franciscus Florens in dissert. Juris Canonici. Aliquandò tamèn contingebat, non in publicis conventibus edi Capitularia, sed privatim, ubi scilicèt Episcopi, & Regni Proceres in comitatu Principis adessent, maturoque consilio discussis illis, quæ ad Regni, Ecclesiarumque utilitatem plurimùm conducerent, quidpiam definiebant consensu, & populis servandum pro opportunitate exhibebant; erat enim præsertim apùd Carolum Magnum tanta legum optimarum condendarum sollicitudo, ut etiàm noctu, dum in cubili cubaret, capiti pugillares supponeret, si quidpiam utile (ut fieri in lectulo solet) in mentem veniret, adnotaret, ne memoriâ laberetur, uti scribit Joannes Aventinus in annalibus Bojorum lib. 4. Hinc unusquisque facilè percipere potest, quantum fuerit apùd omnes ergà hujusmodi Capitularia obsequium, & reverentia. Præterquamquòd enim multa in illis continebantur Ecclesiæ utilia, usu erant recepta apùd omnes, & ad illa, velùt ad sacras Leges, appellabatur: Episcopi omnes illa eadem in Conciliis suis vel laudabant, vel renovabant: Collectores canonum ex illis suos Codices exornabant, ac locupletabant: ut nihil aptius videretur, quàm Capitularium leges in medium proferre, per quas omnibus ferè causis, atque negotiis consulebatur. Ipsi etiàm Summi Pontifices frequentèr magnam se Capitularium rationem habere professi sunt: imò fertur Leo IV. ad Lotharium Imperatorem ità scripsisse: *De capitulis, vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumque Prædecessorum irrefragabiliter custodiendis, & conservandis, quantum volu-*

luimus, & valemus, Christo propitio & nùnc, & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur ; & si fortassè quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem. Atque hæc eo usquè maximè apùd Occidentales fermè omnes vera fuerunt, quò Francorum Imperium viguit ; eo tamèn discusso nonnullis in locis & à Francorum legibus recesum est, novæque inductæ peculiares consuetudines.

Antè annum 827. Capitularia Regum Francorum nondùm in unum volumen redacta fuerant, sed in diversis schedulis, vel membranis continebantur. Primus Ansegisus Abbas quatuor libris complexus est nonnulla Capitularia Caroli Magni, & Ludovici Pii, quæ Collectio statim magnæ fuit auctoritatis, præsertim ex eò, quòd idem Ludovicus Pius illam probaverit, & quodammodò suam fecerit, eamdemque dein laudare perrexerint sequentes Principes. Cum verò Ansegisus plurima omisisset utilia, quæ à Pippino, & Karlomanno fuerant constituta, Benedictus quidam Levita Moguntiensis tres alios libros composuit, in quibus, quæ in prioribus deerant, palàm exhibuit circà annum 845.; & quidèm initio duæ istæ Collectiones tamquàm diversa volumina, & opuscula habita sunt ; paulatim verò factum est, ut simùl jungerentur, & Collectio Benedicti Collectioni Ansegisi accederet, atque ità primus Benedicti liber quintus liber Capitularium appellaretur. Porrò Benedictus non sempèr integra Capitularium loca descripsit, sed sæpissimè eorum fragmenta nullo ordine temporis servato, imò etiam adnexuit loca quædam Sacræ Scripturæ, quibus scilicèt auctores Capitularium usi fuerant : addit aliquandò canones quorumdam Conciliorum, decreta Pontificum Romanorum, fragmenta Codicis Theodosiani ex interpretatione Aniani, fragmenta legum Visigothorum, Salicæ, Ripuariorum, & Bajuvariorum. Ansegisi, & Benedicti studia imitati postèà sunt nonnulli Gallicani Episcopi, Herardus Turonensis, & Isaac Lingonensis, qui & Collectionem breviorem Capitularium composuerunt, ut plurimùm ex Codice Benedicti Levitæ depromptorum. Pòst memoratos septem Capitularium libros accesserunt additiones quatuor, quarum auctorem credidit Sirmondus in notis ad Capitularia fuisse eumdem Benedictum Levitam, quod tamèn valdè incertum est apùd eruditos.

Et quidèm istarum Collectionum fragmenta sæpissimè retulerunt in Codices suos Collectores canonum posterioris ætatis, Regino, Burchardus, licèt suppresso Capitularium nomine, uti diximus, Ivo, & Gratianus ; sed pòst inventam Typographicam artem nonnulli curarunt, ut integra hujusmodi Capitularia ederentur, diverso tamèn ordine. Primus edidit Vitus Amerpachius anno 1545. apùd Alexandrum Vissehornum Typographum Ingolstadiensem, qui tamèn pauca Francorum Capitularia collegit. Recudit hunc Codicem Busæus Maguntiæ anno 1602. ad calcem Epistolarum Hincmari, & Goldastus in Collectione Constitutionum Imperialium. Cum verò in hoc Codice desideraretur Collectio Ansegisi, & Benedicti, has anno 1548. Joannes Tilius Meldensis Episcopus Parisiis edi curavit. Hac editione, quæ tamèn adhùc imperfecta erat, nisi sunt (nec enim aliâ uti poterant) Correctores Romani in emendando Gratiani decreto. Eamdem Tilii editionem pòst annos quadraginta complevit, atque edidit Petrus Pithæus, vir de literaria Republica optimè meritus. Sed sive Tilius, sive Pithæus & plurima omiserunt, & nonnulla interpolarunt, quemadmodùm recentiores Collectores observaverunt. Prætereà anno 1557. alia prodiit editio Basileæ, in qua præter nonnulla Principum Capitularia habetur Collectio Ansegisi, cujus tamèn quartus liber plurimùm mutilus est, atque imperfectus. Vir clarissimus Petrus de Marca Stephanum Baluzium Tutelensem excitavit, ut no-

vam Capitularium Collectionem, eamque absolutam adornaret, quod vir eruditus perfecit collatione plurium manuscriptorum; quæ ipse enumerat in præfatione suæ editionis Parisiensis anni 1677., quam duobus tomis exhibuit; in priore scilicèt, postquàm juxtà ordinem temporum Capitularia veterum Regum Francorum exposuerit ab anno 554. ad annum 837., jubjecit septem Capitularium libros, cum quatuor additionibus, prætereà & Capitula Isaacci Lingonensis, & Herardi Turonensis. In posteriore tomo edidit posteriorum Principum Capitularia nonnulla ab anno 844. ad annum 900. & ampliùs. Pòst hæc plurimas veteres formulas ex variorum Auctorum Codicibus expressit unà cum adnotationibus eruditorum virorum, & suis, adjiciens demùm nonnulla veterum monumenta, quæ eatenùs inedita fuerant, bono illorum, qui sacras literas colunt, & res Ecclesiasticas. Observanda erant hæc omnia, ut pateret, ad quos demùm Codices referenda hodiè sint Gratiani fragmenta.

Can. 3. dist. 19. in Capitularibus Regum Francorum, hùc usquè editis, minimè reperitur; sed potiùs habetur eisdem verbis in Concilio Triburiensi anni 895. can. 30. juxtà editionem Labbei. Fortè autèm Capitularium nomine inscribi potuit, quia in illis nonnulla habentur similia. Hinc in lib. 7. cap. 244. ità legitur: *Jubemus, ut ità omnes divinis, & apostolicis constitutionibus serviatis, ut in nullo patiamini pia canonum decreta violari. Præcipimus etiàm, ut nulli fas sit sine status sui periculo vel Divinas Constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare*; quæ verba Benedictus Levita non ex Capitularibus deprompsit, sed potiùs ex Synodo Romana cap. 1. Hilari Papæ. Itèm in cap. 390. ejusdem libri, quod pertinet ad Capitula Caroli, in Theotonis villa firmata anno 805. hæc leguntur: *Volumus, atque præcipimus, ut omnes suis Sacerdotibus tàm majoris ordinis, quàm & inferioris, à minimo usquè ad maximum, ut summo Deo, cujus vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant; nàm nullo pacto agnoscere possumus, qualitèr nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, & suis Sacerdotibus inobedientes apparuerint; aut qualitèr nobis obedientes, nostrisque ministris, ac legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei causis, & Ecclesiarum utilitatibus non obtemperant.* Quomodocumquè tamèn evenerit, ut hic Canon Capitularibus Caroli Imperatoris tribueretur, illud certum est jam tempore Ivonis hoc fragmentum Capitularium nomine inscriptum fuisse, quemadmodùm constat ex parte 5. Decreti cap. 50.: ceterùm apùd Ivonem non legitur, quemadmodùm apùd Gratianum in illis verbis: *Quare servanda est cum mansuetudine humilitas*, sed hoc modo: *Quare servanda est cum mansuetudine humanitas*; quæ sanè lectio plurimùm à Gratiani sententia recedit. Et quidèm hæc fuit Gallicanorum Antistitum doctrina, atque prudentia, ut, si quid à Sede Apostolica proficisceretur, quod ipsis quoquomodò molestum videretur, humanitèr tolerarent. Inter Epistolas Ivonis Carnotensis habetur Epist. 236. scripta à Diamberto Senonensi Archiepiscopo, Ivone Episcopo Carnotensi, VValone Parisiensi Episcopo, Joanne Aurelianensi Episcopo, ceterisque Episcopis Ecclesiæ Senonensis, & directa ad Joannem Lugdunensem Episcopum, in qua hæc leguntur: *His Catholicorum Patrum terminis contenti, quæ possumus, secundùm decreta Patrum, salvo vinculo pacis, corrigere volumus; quæ autem corrigere non possumus, usquè ad messem, si necesse sit, Domino docente tolerare decrevimus. His verbis excusatos nos credimus, quòd à laceratione Domini Papæ linguas nostras reprimimus, & siquid contrà sententiam suam, suorumque Prædecessorum fecisse videtur, filiali charitate excusamus.* Hùc pertinere videtur etiàm, quod ait idem Ivo Carnotensis in Epistola 233. ad Enricum Abbatem, ubi, postquàm nonnulla de Constitutionibus Pontificum Maximorum attigit, ità subdidit: *Hæc de proposita quæstione respondeo Majorum sententiis non præjudicans* (arbitror autèm nomine *Majorum sententiarum* intel-

Can. 3. dist. 19.

tellexise Ivonem Triburiensem hunc Canonem) *quæ paci Ecclesiæ consulant, & ædificationi.*

Can. 34. dist. 63. Can. 34. dist. 63. habetur eisdem verbis in lib. 1. Capitularium cap. 78. in editione Parisiensi anni 1677. Gratianus illum laudat nomine libri *Capitularium Caroli, & Ludovici, Imperatorum.* Rectè; etenim his verbis significatur Collectio Ansegisi, qui, ut diximus, quatuor libris duorum eorumdem Principum Capitularia complexus est. Prætereà ejusdem capitis verba jure tum Carolo, tum Ludovico Imperatoribus tribui possunt; etenim habentur in primis in Capitulari Caroli Magni Aquisgranensi anni 803. in cap. 2. deindè repetita sunt in Capitulari Ludovici Pii anni 816. cap. 2., imò etiàm translata sunt in leges Longobardicas lib. 2. tit. 51. cap. 5. quod argumento est, disciplinam, quæ ibidèm traditur, nono & decimo sæculis generatim in Occidente fuisse receptam. Gratianus, postquàm canonem Capitularium descripsit, quo tradebatur, ut Episcopi *per electionem Cleri, & populi secundùm statuta Canonum ..... eligerentur*, subdit, ex Constitutionibus his deprehendi inter cetera electionem Clericorum tantummodò esse; atque exindè occasionem sibi oblatam ratus est, ut quæreret, nùm pertineret ad solos Clericos Ecclesiæ Matricis, an verò etiàm ad eos, qui aliis Ecclesiis, locisve religiosis præfecti sunt? Concluditque, omnes rejiciendos ab electione esse, qui inter Clericos Matricis Ecclesiæ non numerarentur. Nescio sanè, quomodò Gratianus pòst dictum canonem 34. hæc inferre potuerit; quomodò enim eo Canone Clerici plures excludi poterant, quo expressè nec populus excludebatur? Cavere maximè debet studiosus quislibet ab hujusmodi Gratianeis argumentis, ac definitionibus, agnoscens exindè Collectorem, qui aliquandò contrariam recèns descriptis canonibus sententiam subjecit, non veritus asserere, eamdem ex præcedentibus canonibus deduci.

Can. 8. caus. 2. quæst. 3. apùd Gratianum cum hac epigraphe laudatur: *in libro Capitularium cap.* 175. Ivo paulò alitèr in parte 16. Decreti cap. 251. *Ex libro* 9. *Capitularium cap.* 20. verba autèm Canonis apùd Ivonem hæc sunt: *Si quem pœnituerit accusasse criminaliter, & inscriptionem fecisse de eo, quod probare non potuerit, si ei cum accusato innocente convenerit, invicèm se absolvant. Si verò judex eum, qui accusatus est, criminosum esse cognoverit, & inter reum, & accusatorem factum per corruptionem consensum de colludio pœnam excipiat legibus constitutam. Abolitionem, invito reo, postquàm fuerit officii custodiæ traditus, intra dies* 30. *accusatori petenti dari permittimus; pòst hoc tempus, nisi reus consentiat, censemus non esse tribuendum.* Ab his sanè paulispèr dissonat Canon Gratianeus. Ceterùm jam Antonius Augustinus in Dialogo 10. lib. 2. de emendat. Gratiani observavit hunc Can. referendum esse ad interpretationem Theodosiani Codicis incerti Auctoris, ità scribens: *Quod apùd Gratianum ità inscribitur, undè in lib. Capitulorum* 175. *legitur, si quem pœnituerit &c. ex Interprete Codicis Theodosiani sumptum est, lib.* 9. *tit. de abolitionibus, Constitutione* I. *quæ* II. *est in Codice Justiniani.* Itaquè ex hoc Interprete ità emendandus erit Canon Gratianeus: *Si quem pœnituerit accusasse criminaliter, & inscriptionem fecisse de eo, quod probare non potuerit, si ei cum accusato innocente convenerit, invicèm se absolvant. Si verò Judex eum, qui accusatus est, criminosum esse cognoverit, & inter reum, & accusatorem per corruptionem de absolutione reatus convenerit, is, qui reus probatur, remoto conludio, pœnam excipiat legibus constitutam.* Ex his autèm ego facilè suspicor, nonnullos fuisse pòst Benedictum Levitam, qui ejusdem Benedicti studia imitari voluerint, ac prætèr septem Capitularium libros alios adjecerit; nonum enim librum Capitularium non solùm apùd Ivonem in memorato loco, sed etiàm in aliis locis egomet commemoratum vidi apùd Auctores decimi, vel undecimi sæculi. Quoniàm verò Benedictus Levita in suis libris Capitularium non tantùm capita

Can. 8. caus. 2. q. 3.

Francorum retalerat, sed & alia bene-multa, inter cetera deprompta ex Interpretibus Codicis Theodosiani, ità novorum librorum editor non dubitavit Interpretum eorumdem sententias in unum Codicem cum aliis Francorum capitibus jungere, quod occasionem edidit Ivoni, ut primus hunc, de quo agimus, canonem ex Interprete Theodosiani Codicis depromptum, Capitularium nomine inscriberet.

Can. 37. caus. 11. q. 1.

Canon 37. caus. 11. quæst. 1. legitur in lib. 6. Capitularium cap. 366. in editione Parisiensi 1677. his verbis: *Volumus, atque præcipimus, ut omnes, Ditioni nostro Deo auxiliante subjecti, tàm Romani, quàm Franci, Alemanni, Bajuvarii, Saxones, Turingii, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Longobardi, Vuascones, Beneventani, Gothi, & Hispani, ceterique nobis subjecti omnes, licèt quocumque videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex sextodecimo Theodosii Imperatoris libro, capitulo videlicèt undecimo ad interrogata Ablavii Ducis illi, & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra capitula pro lege tenenda consultu omnium fidelium nostrorum, tàm Clericorum, quàm & Laicorum posuimus, lege cunctis perpetua tenenda, id est, quicumque litem habens, sive possesor, sive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum corriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ legis Antistitis, illicò sine aliqua dubitatione, etiamsi aliqua pars refragatur, ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim, quæ in judicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat, & promit sanctæ religionis auctoritas. Omnes itaquè causæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur; nec liceat ulteriùs retractari judicium, quod Episcoporum sententiis deciderit. Testimonium etiàm ab uno licèt Episcopo prohibitum omnes judices indubitanter accipiant; nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine conscientia mentis inlibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquandò censuimus, hoc perpetuâ lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes; ut miseri homines, longis, ac penè perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel à cupiditate perpera maturo fine discedant. Quidquid itaquè de sententiis Episcoporum clementia nostra censuerat, etiàm & hac sumus lege complexi, gravitatem tuam, & ceteros pro utilitate omnium in perpetuum observare conveniat.* In hoc Canone tria videntur conjuncta Gratiani capita; videlicèt Canones 35. 36. & 37. caus. 11. quæst. 1. De Canonibus 35. & 36. nihil hic specialitèr dixero, de quibus sermo commodiùs instituetur suo loco. Tantùm disseram de Canone 37., quo nihil aliud præcipitur, quàm recipiendam esse Constantini legem, in Codice Theodosiano expressam lib. 16. tit. 12. de Episcopali judicio. Sanè non desunt Viri eruditissimi, qui arguunt Benedictum Levitam, quòd hujusmodi Capitulare inseruerit inter Capitularia Francorum, quod tamèn in nullis Capitularibus legitur. Refero hùc verba Antonii Augustini in lib. 2. de emendat. Gratiani dial. 11. ità scribentis: *Caroli esse hoc caput ego dubito, cum liber sextus Benedicti Levitæ sit, qui Caroli, Ludovici, & Lotharii capita collegit, ab Ansegiso prætermissa, neque distinxit singula, cujus essent. Si nolis fidem habere Anselmo, & Gratiano hoc dicentibus, ego te aliis probationibus non convincam, nisi fortè multitudine nominum urgearis, qui Carolo potiùs, quàm ceteris subditos se esse patiantur, Romani, Franci, Alemanni, Bajuvarii, Saxones, Thuringii, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Longobardi, Vascones, Beneventani, Gothi, & Hispani.* His vir eruditus videtur illudere Benedicto Levitæ, quem de apocrypho monumento accusat, vel ex eo, quòd curaverit Benedictus magno nominum apparatu leges à se suppositas, & confictas edere, ut legentes crederent verè ad Carolum Imperatorem pertinere. Ego sanè cum Antonio Augustino plurimùm etiàm dubito; neque enim

enim facilè arbitrari possum, Ansegisum, qui primus Caroli Magni, & Ludovici Pii capitula edidit, hoc capitulum omisisse, quod tamèn maximi momenti est, & Benedicto Levitæ describendum quasi ex residuis reliquisse; neque enim Ansegisus poterat illud capitulum ignorare, quod ad tot populos missum fuerat, quot ibidèm describuntur. Præterea Jacobus Gothofredus jam ipse demonstravit, eam legem Constantini, quæ legitur in codice Theodosiano, & ad quam refertur hoc Capitulare, apocryphum esse, & falsò Constantino tributam, ut propterea verosimile sit, hoc Capitulare simùl cum eadem lege uno, eodemque tempore deceptorum, seu falsariorum operâ prodiisse. Demùm si hoc Capitulare una cum aliis conferamus, statim agnoscemus, longè diversam in aliis esse methodum, rationemque scribendi, ac publicam legem faciendi, quàm quæ in hoc eodem capitulo habeatur. Porrò his nihil obstantibus, postquàm apùd Gratianum relatum fuit istud Capitulare, visum est, quamdam auctoritatem habere, nec ex eo dubitarunt, qui Decretalia ediderunt, inter eadem inserere, & quasi optima sacræ vetustatis monumenta proponere, cap. 13. de judiciis, quod quidèm duodecimi, aut decimi tertii sæculi Viris etiàm studiosissimis concedendum est, quibus in promptu non erat codicum exemplaria consulere, quemadmodùm præsertim pòst inventam typographicam artem recentioribus licuit.

Can. 59. caus. 16. q. 1. Canon 59. caus. 16. quæst. 1. qui apùd Gratianum laudatur *ex lib. 1. capitulorum Caroli, & Ludovici Imperatorum cap.* 85. legitur in lib. 1. Capitularium cap. 77. memoratæ editionis Parisiensis, conditusque est in Capitulari Aquisgranensi Caroli Magni anni 803. & in alio Capitulari Aquisgranensi Ludovici Pii anni 816. cap. 1. his verbis: *Quia juxtà Sanctorum Patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; ideò cuique non solùm habita conservare, verum etiàm multa, Deo opitulante, conferre optamus. Tamèn ut ab Ecclesiasticis de non dividendis rebus illius suspicionem dudùm conceptam penitùs amoveremus, statuimus, ut neque nostris, neque filiorum & Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram, vel Progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, nullam penitùs divisionem, aut jacturam patiantur.*

Canon 9. caus. 17. quæst. 4. editus est in Concilio Moguntino anni 813. cap. 39. Porrò Concilio Moguntino auctoritas accessit Caroli Magni; etenim Carolus idem Imperator, pòstquàm accepisset anno 813. plura celebrata fuisse Episcoporum Concilia, Moguntinum, Turonense, Rhemense, & Cabilonense, illorum omnium acta rursùm in solemnibus Episcoporum, Procerumque comitiis discussit, & quæ rectæ disciplinæ consona visa sunt, confirmavit, cetera Episcoporum consilio aut immutavit, aut moderatus est. Itaquè, quod spectat ad canonem 8. Moguntinum, qui idem est cum dicto can. 9. caus. 17. quæst. 4. valdè dubitaverim, utrùm à Carolo Magno, ejusque Consiliariis in novo consessu confirmatus fuerit; etenim Ansegisus Collector Capitularium Caroli Magni in quatuor suis libris omisit, quem fortè non omisisset, tanquàm caput non exigui momenti. Sed Benedictus Levita illum retulit in suum librum 1. qui est liber 5. Capitularium cap. 155. his verbis: *Reum confugientem ad Ecclesiam nemo abstrahere audeat, neque indè donare ad pœnam, vel ad mortem, ut honor Dei, & Sanctorum ejus conservetur. Sed Rectores Ecclesiarum pacem, ac vitam, ac membra eis obtinere studeant. Tamèn legitimè componant, quod iniquè fecerunt.* Auctor additionum eadem descripsit in additione 3. cap. 30. Herardus Turonensis Archiepiscopus paucis idipsum perstrinxit in suis capitulis cap. 129. ibi: *De reis, ad Ecclesias, vel ad earum atria confugientibus, ut indè non abstrahantur.* Ex quibus facilè intelligimus, paulatim Moguntinum canonem moribus obtinuisse, postquàm privati homines in suas collec-

Can. 9. caus. 17. q. 4.

lectiones eumdem referre cœperunt; incertum autèm esse, nùm ab initio publicâ auctoritate firmatus fuerit.

Can. 27. caus. 17. q. 4. Canon 27. caus. 17. quæst. 4. editus est in Capitulari 2. Caroli Magni anni 803. can. 1. his verbis: *Qui subdiaconum occiderit, tercentos solidos componat; qui Diaconum, quadringentos; qui Presbyterum sexcentos; qui Episcopum, nongentos; qui Monachum, quadringentis solidis culpabilis judicetur.* Ansegisus eadem retulit in lib. 3. cap. 25. itèm Benedictus Levita in lib. 5. cap. 261. & in lib. 6. cap. 291. Habetur præterea in lege Ripuariorum tit. 36. apùd Isaacum Lingonensem tit. 2. cap. 5. demùm confirmatus est in Concilio Troslejano anni 909. can. 13.

Can. 28. caus. 17. q. 4. Canon 28. caus. 17. quæst. 4. habetur apùd Benedictum Levitam in lib. 6. Capitularium cap. 90. eisdem verbis, si in postremis ità legamus: *publicam pœnitentiam gerat.* Isaac Lingonensis eadem retulit in sua capitula tit. 2. cap. 8. idemque confirmavit memoratum Concilium Troslejanum in dicto can. 13. Atque ut clariùs adpareat, quænam fuerit noni sæculi disciplina in Gallia, quod attinet ad dictos can. 27. & 28. caus. 17. quæst. 4. memorabo etiàm Concilium, apùd Theodonis villam tempore Ludovici Pii Imperatoris celebratum anno 821. in quo nonnulla Capitula edita sunt, & Imperatori proposita anno sequente, ut confirmarentur, quæ appellantur Capitulare Triburiense, unà cum decreto Imperatoris ibi subjecto: ità legitur: *Constituimus, ut, si quis Subdiaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, pœnitentiâ canonicâ pœniteat, & tercentos solidos Episcopo componat; & si mortuus fuerit, juxtà id quod canones præcipiunt, pœniteat, & quadringentos solidos Episcopo componat. Si Diaconum quis calumniatus fuerit, & convaluerit, pœniteat secundùm can. & quadringentos solidos Episcopo componat. Si non convaluerit, juxtà præcepta Synodalia pœniteat, & sexcentos solidos componat. Si Presbyterum quis malè tractaverit, secundùm ejus Episcopi sententiam pœniteat, & nongentos solidos Episcopo componat. Si autèm mortuus fuerit, ut Synodus dijudicaverit, pœniteat, & mille ducentos solidos Episcopo componat. Et si quis Episcopo insidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonestaverit, pœniteat secundùm canonum statuta, & Presbyteri occisi triplicem compositionem cum justitiis, quæ in superiori capitulo scriptæ sunt, & confirmatæ esse videntur, componat. Si quis per industriam Episcopum occiderit, juxtà id, quod apùd Theodonis Villam à XXXII. Episcopis decretum est, & quod ibi à nobis, & Primatibus totius Galliæ, & Germaniæ benignâ conlaudatione conlaudatum est, & subscriptum, pœniteat, & pecuniam à nobis concessam viduatæ Ecclesiæ persolvat.* Quæ omnia demonstrant, non diù perseverasse pœnam præstitutam in dicto can. 27. caus. 17. quæst. 4. sed pòst breve tempus exasperatam fuisse, ità fortè exigente ejusmodi flagitiorum frequentiâ.

Can. 14. caus. 22. q. 5. Can. 14. caus. 22. quæst. 5. jungendus primùm erit cum can. 16. eadem causâ, & quæstione, quem Gratianus inscripsit nomine Cornelii Papæ; itèm cum can. 12. caus. 22. quæst. 1. quem Gratianus laudavit nomine Hieronymi: deindè hæc omnia fragmenta referenda erunt ad Capitulare Aquisgranense Caroli Magni anni 789. ubi hæc leguntur cap. 62. *Itèm habemus in lege Domini præcipiente: Non pejerabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, neque assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Ideò omninò admonendi sunt omnes diligenter, ut caveant perjurium, non solùm in sancto Evangelio, vel in Altari, seu in Sanctorum reliquiis, sed & in communi loquela; quia sunt aliqui, qui per charitatem, & veritatem jurant, & cavent se à juramento nominis Dei, & nesciunt, quod idem est Deus, quod charitas, & veritas, dicente Joanne Apostolo: quia Deus charitas est. Itèm ipse Dominus in Evangelio: Ego sum via, & veritas. Ideò, qui in veritate, & charitate jurat, in Deo jurat. Itèm cavendum est, ne pharisaicâ superstitione aliquis plus aurum honoret, quàm Altare, ne dicat ei Dominus: Stulte, & quid est majus, aurum, an Altare, quod sanctificat aurum? Sed & nobis honestum videtur, ut qui in Sanctis*

tis habet jurare, hoc jejunus faciat, cum omni honore, & timore Dei, & sciat se rationem radditurum Deo unusquisque vestrum, ubicumquè sit, sive intrà Ecclesiam, sive extrà Ecclesiam. Et ut parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare, sicut Gunebodigni faciunt. Et qui semèl perjuratus fuerit, nec testis sit pòst hæc, nec ad Sacramentum accedat, nec in sua causa, vel alterius jurator existat. Hoc integrum caput relatum est ab Ansegiso in librum 1. Capitularium cap. 61. cui etiàm consonat lib. 2. legum Longobardarum tit. 55. cap. 22. Posteriora ejusdem capitis verba paulò alitèr leguntur in Capitulari Francofordiensi Caroli Magni cap. 43. ubi ità legitur: *De eorum testibus canonica sit observatio, & parvuli non trahantur ad Sacramentum, sicut Guntbadingi faciunt.* Mihi placet legere cum Pithæo pro illis verbis: *Sicut Gunebodigni*, vel *Gunthadingi faciunt* ità legere: *Sicut Gundebada lege viventes*; quæ verba idem Vir eruditus asserit haberi in vetustissimis exemplaribus legum Longobardarum, in quibus diximus hoc idem caput insertum fuisse. Porrò Gundebadus Rex Burgundionum legem condiderat, quæ ab ejus nomine *Gundebada* appellata est, juxtà quam Burgundiones cum exteris in judiciariis causis communionem habere non poterant; hinc nemo extraneus aut ad Burgundionem accusandum, aut contrà Burgundionem testimonium dicendum admittebatur. Cum verò aliquandò opus esset testibus, qui ex illorum gente non aderant, sed commodè ex exteris haberi poterant, potiùs, quàm exteros accirent, parvulos suos ad testimonia ferenda adigebant, ut per ipsos controversia omnis sæpè sæpiùs exploraretur. Hanc Gundebadæ legis sententiam exhibet S. Agobardus Lugdunensis Episcopus, qui sæculo 9. floruit in sua Epistola de lege Gundobada ad Ludovicum Imperatorem ibi: *Quæ utilitas est propter Gundobadam legem, cujus Auctor est homo hæreticus, & fidei catholicæ inimicus* (cujus legis homines sunt perpauci) *ut non possit super illum testificari alter etiàm bonus christianus? Ex qua re oritur res valdè absurda, ut, si aliquis eorum in cœtu populi, aut etiàm in mercato publico commiserit aliquam pravitatem, non coarguatur testibus, sed sinatur pejerare, tanquàm non fuerint, per quos veritas posset agnosci.*

Can. 33. caus. 27. quæst. 2. editus est in Capitulari Aquisgranensi Ludovici Pii anni 816. in can. 24. his verbis: *De desponsatis puellis, & ab aliis raptis ità in Concilio Ancyritano capitulo decimo legitur: Desponsatas puellas, & pòst ab aliis raptas placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis inlata constiterit. Proindè statutum est à sacro Conventu, ut raptor publicâ pœnitentiâ mulctetur: raptæ verò, si sponsus eam recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quòd si & ipsa consensit, simili sententiæ subjaceat. Quòd si ipsi pòst hæc se conjungere præsumpserit, utrique anathematizentur.* Ansegisus hunc canonem retulit in librum 1. Capitularium can. 99. dictæ editionis Parisiensis, Isaac Episcopus Lingonensis inter suos can. lib. 5. cap. 4. & Benedictus Levita in caput 183. lib. 7. Capitularium dictæ editionis: imò & redactus ille fuit in leges Longobardicas lib. 1. tit. 3. cap. 12. confirmatusque in Concilio Troslejano anni 909. can. 8.

Can. 33. caus. 27. q. 2.

Canon 104. de cons. dist. 4. ex illis est, qui sunt constituti in Capitulari Aquisgranensi Ludovici Pii anno 817. convenientibus Abbatibus unà cum Monachis, ad reformandam monasticam disciplinam. Sunt autèm ibidèm capita 72. de quibus Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi ità habet lib. 1. cap. 16. *Ludovicus Imperator, qui cognominatus est Almus, vel Sanctus, hujus Caroli filius, quarto Imperii anno Aquisgrani in palatio cum plurimis totius Franciæ Abbatibus, religiosisque Monachis conventum faciens, utilissima nostri ordinis observationi septuaginta, & duo generalia capitula constituit, quæ ità ferè omnia apùd nos, ac si B. Benedicti regula, observantur.* Itaquè inter hæc capitula, de Monachis constituta, legitur numero 16. memoratus canon 104. his verbis: *Ut sibi*

Can. 104. de cons. dist. 4.

sibi compatres commatresve non faciant, neque osculentur. Videantur, quæ ad hanc rem superiùs observavimus ad can. 103. de cons. dist. 4.

Can. 126. de cons. dist. 4. Can. 126. de cons. dist. 4. habetur in Collectione Capitularium Benedicti Levitæ, sive hodiè in lib. 6. Capitularium cap. 77. his verbis: *Quòd in Sabbato Sancto Paschæ, vel in Sabbato Pentecostes, si qui velint aquam consecratam ad aspersionem in domos suas recipere, antè chrismatis infusionem accipiant.* Eadem verba retulit inter suos canon. Isaac Lingonensis tit. 11. cap. 11. Herardus autèm Turonensis in suis capitulis ità scribit cap. 52. *Ut qui aquam consecratam vult accipere in Sabbato Sancto, vel Pentecoste, antè infusionem chrismatis sumat: Nàm illa chrismatis mixtio ad regenerandos pertinet.*

Can. 34. de cons. dist. 5. In Concilio Moguntino anni 813. can. 9. editus est canon 34. de cons. dist. 5. Benedictus Levita illum retulit in Capitularia Francorum, habeturque hodiè juxtà memoratam Parisiensem editionem in lib. 5. Capitular. cap. 185. his verbis, ex quibus emendandus in aliquibus erit Gratianus. *In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici Clerici canonicè viant, observantes divinæ Scripturæ doctrinam, & documenta Sanctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel Magistri eorum incompositè agere præsumant. In unoquoque Episcopatu ut simùl manducent, & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit. Vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, in suo claustro maneant, & singulis diebus mane prima ad lectionem veniant, & audiant, quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundùm canones Magistris suis faciant.*

APPENDIX.

De Canonibus, Concilii Lugdunensis nomine à Gratiano relatis.

Quamquàm antè Gratianum in Lugdunensi Civitate quamplura Concilia celebrata fuerint, quæ tamèn Lugdunensis Concilii nomine à Gratiano referuntur, ad Concilia Lugdunensia minimè pertinent, sed potiùs ad Capitularia Francorum; ac propterea hic commodè Gratianeos hujusmodi canones expendendos censui. Sunt autèm sequentes.

Can. 19. caus. 35. q. 2. pertinet ad capitularia Francorum apùd Benedictum Levitam.
Can. 1. de cons. dist. 3. pertinet ad Concilium Moguntinum anni 813.
Can. 122. de cons. dist. 4. ex additionibus Capitularium Francorum.

QUOD autèm omnia hæc fragmenta Lugdunensi Concilio adscribantur ex Burchardi Collectione profectum est, qui, ut superiùs animadvertebam, Francorum Capitularium capita non Capitularibus ipsis, sed aliis Auctoribus tribuebat. Hujusmodi est can. 19. caus. 35. quæst. 2. qui habetur in cap. 130. lib. 6. Capitularium Parisiensis jam pluriès memoratæ editionis his verbis: *Christiani ex propinquitate sui sanguinis usquè ad septimum gradum connubia non ducant, neque sine benedictione Sacerdotis, qui antè innupti erant, nubere audeant.* Eadem fermè habentur in cap. 327. ejusdem libri: *Ut Christiani ex propinquitate sui sanguinis connubia non ducant, nec sine benedictione Sacerdotis nubere audeant.* Rursùs in cap. 408. ejusdem libri paulò alitèr eadem habentur: *Ne Christiani*

Can. 19. caus. 35. q. 2.

ex propinquitate sui sanguinis connubia ducant, nec sine benedictione Sacerdotis cum virginibus nubere audeant, neque viduas absquè suorum Sacerdotum consensu, & connibentia plebis ducere præsumant.

Can. 1. dist. 3. de cons.

Canon 1. dist. 3. de cons. pertinet ad Collectionem Capitularium Ansegisi, sive spectemus caput 158. lib. 1. sive caput 35. libri 2. In dicto capite 158. ità legitur: *Hæ sunt festivitates in anno, quæ per omnia venerari debent: Natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangelistæ, Innocentium, Octavas Domini, Epiphaniæ, Octavas Epiphaniæ, Purificatio Sanctæ Mariæ, Pascha dies octo, Letania major, Ascensio Domini, Pentecosten, S. Joannis Baptistæ, Sancti Petri, & Pauli, Sancti Martini, Sancti Andreæ*; & in cap. 35. lib. 2. *Festos dies in anno celebrare sanximus, hoc est, diem Dominicum Paschæ cum honore, & sobrietate venerari: simili modo totam hebdomadam illam observare decrevimus, diem Ascensionis Domini pleniter celebrare. In Pentecoste similiter, ut in Pascha. In Natali Apostolorum Petri, & Pauli diem unum, Nativitatem Sancti Joannis Baptistæ, Assumptionem B. Mariæ, Dedicationem S. Michaelis, Natalem S. Rhemigii, Sancti Martini, Sancti Andreæ. In Natali Domini dies quatuor, & Octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem Sanctæ Mariæ; & illas Festivitates Martyrum, vel Confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque Parochia Sanctorum Martyres requiescunt.* Postremus hic canon idem omninò est cum canone 36. Concilii Moguntini, sub Carolo Magno habiti anno 813. ubi tamèn pòst illa ultima verba: *Martyres requiescunt*, ità adjectum est: *Similiter etiàm Dedicationem Templi.* Ego arbitror, canonem, in Moguntino Concilio editum, non statim vires suas obtinuisse, quemadmodùm nec alia plura Concilii ejusdem capita, quæ cum allata fuissent coràm Carolo Imperatore inter solemnia Episcoporum omnium Comitia non in omnibus confirmata fuerunt; ac proindè verosimile est, statim eos tantùm dies festos fuisse propositos servandos, qui habentur in dicto cap. 158. lib. 1. licèt paulatim additi deindè fuerint dies festi Moguntini, postquàm Moguntini Concilii canones apùd Collectores relati sunt in Codices can. uti apùd Reginonem lib. 1. cap. 377. Itèm additi etiàm fuerunt recentioribus temporibus nonnulli dies festi, quemadmodùm descripti sunt apùd Gratianum in dicto can. 1. de cons. dist. 3. etenim Burchardus, & Ivo cum canonem Moguntinum describerent, eos prætereà dies adjecerunt, qui suis temporibus servabantur, & sic canones ediderunt, ex quibus deindè & Gratianus adauctum canonem expressit. Itaquè certum est, non unam, eamdemque sæculis 9. & 10. fuisse servatam in ea re disciplinam; scimus enim, apùd Herardum Turonensem, & in aliis Capitularibus modò plures, modò pauciores dies Festos enumeratos fuisse, quemadmodùm liquet ex cap. 2. cap. 61. cap. 94. 95. & 97. ejusdem Herardi, & ex capite 189. lib. 6. Capitularium. Adnotare tamèn non omittam modum quemdam peculiarem, qui in nonnullis locis servabatur in Festorum celebrationibus, & deducitur ex quodam Concilio Adrisphach apùd Reginonem in lib. 1. cap. 378. his verbis. *Festos dies celebrare sancimus, id est, diem Paschæ, similiter feria secunda, tertia, quarta, & quinta. Antè Missam licentia sit arandi, & seminandi, hortum, vel vineam excolendi, & sepem circumcludendi. Ab alio verò opere cessare decrevimus. Pòst Missam autèm ab opere vacare. Pentecosten similiter, ut in Pascha. Sancti Laurentii, Kalendis Novembribus omnium Sanctorum, similiter Dedicationes Ecclesiarum.*

Can. 122. de cons. dist. 4.

Canon 122. de cons. dist. 4. habetur eisdem omninò verbis in additione 3. Capitularium Francorum cap. 7. ubi tamèn pro verbo illo, *acceperit*, legitur *accipit*, eadem retentâ sententiâ.

APPENDIX II.

De can. 11. *caus.* 36. *q.* 2. *nomine Concilii Aquisgranensis laudato.*

NOmine Concilii Aquisgranensis unum tantummodò fragmentum apùd Gratianum inscribitur, videlicèt canon 11. caus. 36. quæst. 2. cui inscriptioni causam dedit Burchardus, qui, ut diximus, fragmenta Capitularium aliis auctoribus tribuit. Itaquè dictus can. 11. pertinet ad Capitularia Francorum; etenim in cap. 395. libri 7. ità legitur: *Placuit, ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, ut eas nullatenùs habeant uxores, quamvis eis postmodùm conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialitèr cum consensu Parentum suorum acceperint. Siquis autèm uxorem habere voluerit, canonicè, & legalitèr eam accipiat, & non rapiat; qui verò eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, nunquàm eam uxorem habeat; sed propinquis suis eam legalibus reddat, & in triplo plenum bannum dominicum componat, & insuper canonicè publicam pœnitentiam gerat, ad quod omnes unâ voce clamaverunt, dicentes: ista omnes firmitèr tenere volumus, & in perpetuum ab omnibus confirmari optamus.* Hæc eadem retulit Isaac Lingonensis in tit. 5. cap. ult. & paucis perstrinxit Herardus Turonensis in suis capitulis cap. 110. ibi: *Qui rapiunt fœminas, vel furantur, vel seducunt, licèt ipsis, & Parentibus conveniat, eas uxores non habeant.* Idem rursùs canon, qualis in Capitularibus habetur, confirmatus est in Concilio Troslejano anni 909. can. 8.

Sic Gratiani canones suis auctoribus restituto, non est prætermittenda disputatio, cui causam exhibere videtur Gratianus in iis, quæ subjicit pòst eumdem canonem 11. caus. 36. quæt. 2. ait enim: *Hæc auctoritas non præjudicat, auctoritati Hieronymi, maximè cum illa testimonio Divinæ legis nitatur.* Quid ergò? Agnoscit Gratianus can. 11. oppositum esse can. 8. quem nomine S. Hieronymi laudat, aitque ex sententia Hieronymi raptorem posse matrimonio conjungi cum rapta, quotiès criminis canonicam egerit pœnitentiam: alitèr autèm visum esse Aquisgranensibus Patribus, qui senserunt nullo unquàm tempore posse raptum cum rapta conjugio copulari; deindè Gratianus idem hæc, quæ adversantia videntur, conciliaturus, concludit, sententiam Hieronymi præferendam esse sententiæ Patrum Aquisgranensium, quia Hieronymus Sacris Literis nititur, quasi Patres Aquisgranenses Sacris eisdem Literis adversentur. Oh præclaram *discordantium canonum concordiam*! Est quidèm sententia Gallicanorum Antistitum communi omnium suffragio probata, cum dictum fuerit: *Ista omnes firmitèr tenere volumus, & in perpetuum ab omnibus conservari optamus.* Est hæc sententia, ut diximus, in Concilio Troslejano confirmata, ad quod plures ex Episcopis convenerant. Nescio propterea, quomodò Gratiano id excidere potuerit, ut hoc plurium Synodorum judicium Sacris Literis contrarium esse sentiret. Ego sanè, cui maximè cordi est, & esse debet, Sanctos Patres in Concilia legitimè convenientes maximè venerari, ubi eorum sententias ità legero, ut adversariæ sententiis aliorum Patrum videantur, profiterer potiùs in extrema difficultate me illorum assequi non posse voluntatem ex tenuitate ingenii, quemadmodùm me exemplo suo sapientissimo docet Augustinus in can. 5. dist. 9. Ceterùm non erat valdè difficile, Aquisgranensium apùd Gratianum Episcoporum mentem saniùs interpretari, salvâ Hieronymi sententiâ, & Sacris literis debito honore.

Itaquè operæ pretium erit, tradere in primis Juris principia, & originem, quod olim viguit, posteàque invaluit inter raptores, & raptas, deindè ad idem jus & Hieronymi, & Capitularium fragmenta exigere. Cum in matrimoniis con-

contrahendis non tantùm contrahentium puellarum consensus requiratur, sed etiàm consensus Parentum juxtà regulas Juris Romanorum apertissimas, quæ naturali honestati valdè conveniunt, apùd omnes excultas gentes reprobatus semper fuit puellarum raptus, sive invitis puellis iisdem fuerit factus, sive eisdem quidèm consciis, sed repugnante parentum voluntate. Rapientium autèm non sempèr eadem indicta fuit pœna. Sacri quidèm canones anathema raptoribus sempèr dixerunt, etiàm sæculis Ecclesiæ antiquissimis can. 1. caus. 26. quæst. 2. sed an conjugia hujusmodi consisterent, non explicarunt. Imperatores Justiniano antiquiores gravissimis quidèm pœnis coercuerunt puellarum raptores, sed nullibi hujusmodi matrimonium non consistere pronunciarunt, præsertim ubi raptarum posteà consensus accesisset; quemadmodùm liquet ex lib. 9. tit. 24. Codicis Theodosiani. Primus Justinianus pœnas raptus exasperavit, & quidèm initio illorum, quicumque Deo dedicatas Virgines abduxissent; l. 54. Cod. de Episc. & Cleric. deindè generatim illorum, qui quascumque rapuissent etiàm Deo non sacratas, l. un. Cod. de raptu Virginum; & quidèm non tantùm raptores Virginum, ac Viduarum omnes voluit capitali supplicio afficiendos, verùm etiàm facultatem omnem denegavit raptis, quâ raptores suos aliquandò in maritos exposcerent, §. 1. dictæ legis unicæ, Novella 143. & 150. videbatur enim hic puellæ consensus, aut desiderium, extortus blanditiis raptoris, atque etiàm hac facultate non denegatâ facilè raptores inducebantur ad raptum, rati se blanditiis curaturos apùd puellas, quas adamabant, ut aliquandò consentirent, quemadmodùm apùd Romanos veteres jam contigisse fertur in raptu Sabinarum. Atque hæc Justiniani disciplina integra perduravit usquè ad Gratiani tempora; neque enim intermedio tempore reperire possumus aut generalem Principum legem, vel receptum Ecclesiæ canonem, ex quo quidpiam ex adverso deducatur. Prodiit tandèm Gratianus, qui cum retulisset diversa fragmenta, (apùd Veteres enim agnovit receptum, ut raptores possent aliquandò raptis conjungi, deindè observavit apùd Recentiores hanc facultatem raptoribus denegatam), statim, propositâ distinctione inter raptorem pœnitentem, & non pœnitentem, ratus est omnia veterum capita se conciliasse, quemadmodùm tradit ad calcem canonis 7. & 11. caus. 36. quæst. 2. atque eò progressa est Gratiani doctrina, ut sine discrimine posteà recepta fuerit apùd Collectores Decretalium cap. 7. de raptoribus, ex quo emersit novum jus generale in tota fermè occidentali Ecclesia, donèc moderamen acceperit in Concilio Tridentino ses. 24. cap. 6. de reform. Matrim.

Hisce per varias temporum series brevi digestis, atque præjactis, non erat sanè cur improbaretur à Gratiano doctrina, quam nomine Aquisgranensium Patrum descripserat in dicto can. 11., eo prætextu, quòd Hieronymi sententiæ adversaretur, & Hieronymus Sacrarum Literarum auctoritati inniteretur. Florebat enim Hieronymus eo tempore, quo nondùm prodierant Justiniani Constitutiones multò recentiores, quo propterea nondùm erant omninò interdictæ nuptiæ inter raptorem, & raptam. Aquisgranenses autèm Episcopi, aut quivis alii auctores ejusdem canonis 11. proponantur, jam diù agnoverant Imperiales leges usu assiduo receptas, quibus propterea morem gerere non dubitarunt. Non ergò Aquisgranenses Patres, aut quivis alii canonum auctores Hieronymo adversantur, sed unusquisque juxtà recepta suorum temporum jura disseruerunt.

Atque, ut hæc res penitiùs enucleetur, paucis expendam integram quæstionem 2. Gratiani; ipse enim plura ibidèm capita adfert, non vetera tantùm, sed & Justiniano recentiora, quibus distinctionem suam confirmare conatur. Quæritur initio, nùm raptor

purgato (per pœnitentiam arbitror ex iis, quæ inferiùs adjicit) rapinæ vitio possit raptam uxorem sibi jungere. Ad hæc adfert in primis canonem 1. Chalcedonensem, sed parùm adpositè, cum nihil aliud in eo legatur, quàm Clericos raptores deponendos esse, Laicos verò anathematizandos; de conjugio autèm posteà contrahendo, vel non contrahendo ne verbum quidèm habeatur. Nihil amplius legitur in can. 2., qui nomine Symmachi Papæ inscribitur. Quod dicitur in can. 3. ex Constitutione Joviniani Imperatoris, ad Sacras tantummodò Virgines pertinet, quarum conditio à conditione ceterarum in hac specie est omninò diversa. In can. 4. repetitur sententia Concilii Chalcedonensis in can. 1. relata de anathemate raptoribus infligendo, quod ipsum habetur in can. 5., & 6. His nihilominùs putavit Gratianus se *evidenter* demonstrasse, raptorem non posse raptam sibi matrimonio jungere. Prosequitur autèm his verbis: *vitia autèm, cum per pœnitentiam purgata fuerint, nomina eorum abolentur*; atque id ostendit ex can. 7., ubi nihil aliud habetur, quàm illud apùd Deum fallacem ampliùs non dici, qui per pœnitentiam mendacii culpam delevit. Generalia hæc sunt, & quæ ad rem minimè pertinere possunt. Exemplo esse potest crimen homicidii, ab adultero, & adultera admissum matrimonii causâ adversùs maritum. Hujusmodi sanè scelus ità punitur, ut perpetuò interdictum dicatur conjugium inter hujusmodi nuptiarum justarum temeratores. Nùm hac in re etiàm Gratianus similitèr disseret, ut, peractâ pœnitentia, nomen homicidarum, & adulterorum deletum fuerit? Sed progreditur Gratianus, & adfert Hieronymi auctoritatem in can. 8. An hic canon reverà Hieronymi sit, non est hujus loci disquirere: Tantùm hoc in loco animadvertam, adferri ibidèm exemplum virginis violatæ, quæ matrimonio jungenda sit cum violatore, quod refertur ad præcepta legis veteris in Deuteronomio cap. 22. ibi: *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit qui dormivit cum ea, Patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Itaquè species hæc propositæ quæstioni minimè convenit, cum aliud sit puellam rapere matrimonii causâ, aliud puellæ pudicitiam stupro attentare: & reverà, ubi de raptu quæratur, dubitatio erat apùd Gratianum, utrùm raptor raptam possit in uxorem habere; ubi de stupro sermo fiat, juxtà Deuteronomii sententiam quæri posset, non utrùm stuprator defloratam virginem posset, sed an teneretur uxorem habere, quod Hieronymus, aut quisquis alius Auctor asserebat. Gratianus igitur, qui ad calcem canonis 11. hanc Hieronymi, ut ait, sententiam, vult ideò Aquisgranensis Concilii Patribus prævalere, quòd Sacris Literis nitatur, longè à proposito distat; nec Aquisgranenses Patres, aut Hieronymo, aut Sacris Literis adversari demonstrat; quod si demonstraret, etiàm conaretur tradere non tantùm posse, sed & omninò debere raptores raptis puellis jungi, sive pœnituerit eos flagitii, sive non, cum de obligatione ducendi in Deuteronomio constitutum fuerit, quin ulla pœnitentiæ subsequentis ratio habeatur. Quò verò pertinet can. 9. qui apùd Ambrosium legitur in Apologia David cap. 8.? Singulares ille continet observationes, & ad exemplum minimè pertrahendas. Totus erat ibi Sanctus Mediolanensis Antistes, ut Davidem defenderet ab accusationibus plurium, qui ejusdem adulterium reprehendebant, præsertim verò Davidis pœnitentiam allegans, per quam illum omnem delicti sui maculam delevisse ipsæ etiàm Sacræ literæ abundè testantur. Porrò cum insigne Davidicæ pœnitentiæ argumentum adpareat in Psalmo 50., in hoc totus constitit Ambrosius, ut in eo perfectissimam, absolutamque pœnitentiam demonstraret. Inter cetera,

vel

vel ex ipso numero Psalmi, qualis est quinquagesimus, lusit, asserens, quinquagesimum numerum perfectionem remissionis significare, quod & illustravit exemplo veteris anni Jubilæi, qui per singulos annos quinquaginta revolvebatur: itèm exemplo quinquaginta dierum Paschalium, ex quibus ad maximum, & supremum Pentecostes gaudium devenitur; Pòst quæ ità subdidit Sanctus Doctor: *Deniquè & puellæ Pater illius, quæ vim concubitus nulli desponsata pertulerit, quinquaginta didragmata argentea accipiet* (legit Gratianus: *quinquaginta drachmas argenteas* juxtà vulgatum recentiorem Sacræ Scripturæ textum, cum Ambrosius versionem septuaginta Interpretum sequutus fuisset, qualis eo tempore in usu erat) *ipsa autèm in conjugio permanebit.* Itaquè Ambrosius respexit hoc in loco laudatum caput 22. Deuteronomii, ut deduceret, perfectam paternæ injuriæ puragtionem fieri per numerum quinquagesimum didrachmarum, eaque similitudine uteretur, ad defendendum Davidem, quod in Psalmo quinquagesimo maximæ pœnitentiæ signa ipse ostendisset. At, quod exindè argumentum trahere possit Gratianus ad rem suam, facilè unusquisque conjiciet. Demùm Gratianus putavit, distinctionem suam probari posse ex Concilio Meldensi, cujus fragmentum retulit in can. 10. Verùm ipsemet Gratianus jam agnovit in eodem canone describendo, se sibimet ipsi contradicere, cum animadverterit ad calcem ejusdem canonis statutum fuisse in eodem Meldensi Concilio, ut ne pòst pœnitentiam quidèm raptori liceret raptam uxorem sibi sociare. Quamobrem jure concludere poterimus, quàm perperàm Gratianus, qui nullam rationem, aut notitiam veteris novæque disciplinæ habere potuit, & utriusque discrimina intelligere, nonnulla & veterum, & recentiorum Patrum fragmenta ad eam expendendam quæstionem adduxerit, in qua fassus est expressè se à canonibus Conciliorum Meldensis, & Aquisgranensis, ut ipse ait, recessisse eo prætextu, quòd vellet veterum Patrum sententiis, quas apprimè non expenderat, adhærere.

CAPUT XLVII.

De Concilio Cabilonensi.

Ex Concilio Cabilonensi, Cabilone ad Ararim in Provincia Lugdunensi celebrato, vulgò *Chalon*, plura fragmenta retulit Gratianus; non quidèm ex illo, quod celebratum fuit sub Canderico Lugdunensi Archiepiscopo anno 650., in quo viginti canones editi sunt, sed potiùs ex eo, quòd Cabilonense secundum appellatur; & sunt, quæ sequuntur.

Ex Concilio Cabilonensi II.

- *Can.* 8. *dist.* 81. *falsò adcriptus Concilio Moguntino.*
- *Can.* 3. *dist.* 94. *ferè consonat cum integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 106. *caus.* 1. *q.* 1. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 3. *caus.* 10. *q.* 1. *idem est cum can.* 38. *caus.* 16. *q.* 7.
- *Can.* 7. *caus.* 10. *q.* 3. *paulò emendandus ex integris Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 46. *caus.* 16. *q.* 1. *falsò adscriptus Concilio Moguntino.*

Can.

Can. 38. caus. 16. q. 7. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.

Can. 42. caus. 16. q. 7. falsò adscriptus Concilio Moguntino.

Can. 5. caus. 20. q. 3. idem est cum can. 42. caus. 16. q. 7.

Can. 8. caus. 29. q. 2. ex receptis Longobardorum legibus explicandus.

Can. 4. caus. 30. q. 1. consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.

Can. 72. de cons. dist. 1. ex vulgatis Concilii exemplaribus emendandus.

Adjiciuntur.

Can. 1. dist. 18. pertinet ad Concilium Bracarense anni 563.

Can. 43. caus. 16. q. 1. est potiùs Concilii Aquisgranensis, aut Moguntini.

Can. 21. caus. 35. q. 2. emendandus ex canonibus Conciliorum Moguntini, & Vvormaciensis.

Can. 4. caus. 36. q. 2. pertinet ad Capitulare Aquisgranense anni 816.

Can. 50. de cons. dist. 1. pertinet ad Capitulare Theodulphi Aurelianensis.

CElebratum est Concilium Cabilonense II. jussu Caroli Magni Imperatoris anno 813.; ut enim maximum fuit hujus Principis studium in consulendo rebus Ecclesiasticis, frequentissimos cum Episcopis, & Regni sui Proceribus conventus habebat. Quam ob rem ipse eodem anno 813. plura curavit, ut fierent Concilia. Sunt, præter Cabilonense memoratum, Concilium Moguntinum, Rhemense, Turonense, & Arelatense. In Synodo hac Cabilonensi sexaginta sex canones habentur, quorum plures legimus apùd Gratianum.

Can. 8. dist. 81. Hùc refertur in primis can. 8. dist. 81., qui apùd Gratianum nomine Moguntini Concilii inscribitur, quemadmodùm etiàm Ivonem, & Burchardum, apùd quos fortè Cabilonenses, ac Moguntini canones in eodem Codice descripti esse poterant, quod eodem anno, & in eisdem Provinciis Gallicanorum, & sub eisdem Imperatoris auspiciis, ac mandato editi essent. Habetur autèm in cap. 40., ubi constitutum est, Clericos à proprio gradu depositos Laicorum more vivere non debere, ne scilicèt pœna adversùs illos inflicta in dissolutos mores, atque intemperantiam detorqueatur. Quamobrèm jam illâ ætate receptum fuisse adparet, quod & hodiè apùd nonnullos viget, ut Clerici pœnitentiæ causâ vel in Monasteriis includerentur, vel in Clericorum congregationes reciperentur, apùd quos scilicèt regularis vita servaretur, quales erant sæculo nono vel Cathedrales, vel Collegiales Ecclesiæ, ad quas referenda sunt illa verba, *in Monasterium, aut Canonicam regularem mittantur*, quemadmodùm habetur apùd Gratianum, qui paulispèr immutabit verba ipsa Concilii; nàm in integris Concilii exemplaribus ità potiùs legitur: *in Monasterio, aut canonico, aut regulari mittantur.*

Can. 3. dist. 94. Ad coercendam quorumdam Archidiaconorum avaritiam, qui Episcopi nomine lustrantes universam Diœcesim, uti mos erat, Parochis census annuos imponebant, & quidèm gravissimos, editus est in hoc Cabilonensi Concilio canon 15. relatus apùd Gratianum in can. 3. dist. 94., ubi pro verbis illis: *censum exigunt*, legendum est: *census exigunt*, itèm pro illis, *juxtà Apostoli sententiam* legendum est: *juxtà Petri Apostoli sententiam*, ut referantur ad Epistolam 1.

S.

S. Petri cap. 5., in qua hæc de Episcopis leguntur: *Neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Eadem etiàm ratione in canon. 17. ejusdem Synodi Episcopis ipsis interdictum est, ne annuos census à Sacerdotibus suis exigerent.

In can. 16. ejusdem Concilii habe-
Can. 106. caus. 1. q. 1. tur can. 106. caus. 1. quæst. 1., ubi Gratianus nonnulla omisit, quæ ità supplere juvabit ex integris Concilii exemplaribus: *Quidam fratres dixerunt, consuetudinis antiquæ fuisse in eorum Ecclesiis, ut pro balsamo emendo ad Chrisma faciendum, sive pro luminaribus Ecclesiæ concinnandis, binos, vel quaternos denarios Presbyteri darent; undè omnes uno consensu statuimus, ut, sicut pro dedicandis Basilicis &c.* Hic sequuntur, quæ legimus apùd Gratianum.

Can. 3. caus. 10. q. 1. In can. 3. caus. 10. quæst. 1. non verba ipsa Concilii habentur, sed potiùs sententia, quam jam Ivo perstrinxerat in cap. 211. parte 3. sui Decreti ità scribens: *Ex Cabilonensi Concilio cap. 1. In Sancto Cabilonensi Concilio decretum est, ut omnes Ecclesiæ cum dotibus suis, & decimis, & omnibus rebus suis in Episcopi proprii potestate consistant, atque ad ordinationem suam semper pertineant.* Porrò verba Concilii habentur in can. 42., quem retulit Gratianus in can. 38. caus. 16. q. 7. Ceterùm non desunt quamplura ejusdem ferè temporis Concilia, in quibus eadem omninò constituta cernuntur, ut minimè dubium adpareat, hoc fragmentum Gallicanis noni sæculi Patribus maximè convenire. Memorabo inter cetera Concilium Turonense III. ejusdem anni 813. ubi can. 16. hæc leguntur: *Ut decimæ, quæ singulis dabuntur Ecclesiis, per consulta Episcoporum à Presbyteris ad usum Ecclesiæ, & pauperum summâ diligentiâ dispensentur.* Itèm Concilium Moguntinum ejusdem anni 813., cujus nomine Gratianus aliquandò ipsos Cabilonenses canones retulit; nàm in eo ità legitur can. 8. *Ut Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas providere, regere, gubernare, atque dispensare secundùm canonum auctoritatem, volumus.* Jungi his poterit Concilium Aurelianense I. can. 17., Capitularia Francorum lib. 1. cap. 143., lib. 5. cap. 45., & cap. 182., & alibi passim.

Jam superiùs observavimus ex can. 3. dist. 94. coercitam fuisse à Cabilonensibus Patribus quorumdam Archidiaconorum avaritiam, qui, ubi Diœcesim lustrarent, à viris Ecclesiasticis census annuos exigebant. Eamdem sollicitudinem ostenderunt Patres Cabilonenses in compescenda quorumdam Episcoporum, aut Metropolitanorum tyrannide, quam idemtidèm exercebant cum sui ordinis injuria. En canonem 14., qui à Gratiano relatus est in can. 7. caus. 10. quæst. 3. *Cavendum sanè est, ne, cum Episcopi Parochias suas peragrant, quamdam non solùm ergà subditos, sed ergà socios tyrannidem exerceant, ne (quod absit) cum charitate, sed quadam judiciariâ invectione stipendia ab eis exigant. Observandum etiàm modis omnibus, ut siquandò &c.* Glossographi ad hunc canonem nomine subditorum Laicos, nomine sociorum Clericos intelligunt: non videtur contemnenda hæc interpretatio. Sed fortè accommodum magis alicui esse poterit, si nomine subditorum intelligamus fideles omnes, sive Clericos, sive Laicos Episcoporum potestati & regimini commissos, at nomine fratrum intelligamus alios Coepiscopos, atque ità canonem hunc non de Episcopis tantùm Diœcesim suam, sed & de Metropolitis Provinciam suam lustrantibus, editum fuisse, dicemus.

Can. 7. caus. 10. q. 3.

Rursùm Gratianus in can. 46. caus. 16. quæst. 1. nomen inscripsit Concilii Moguntini, cum tamèn ille canon pertineat ad can. 19. hujus Concilii Cabilonensis, qui ità legitur in vulgatis Concilii exemplaribus: *Questi sunt prætereà quidam fratres, quòd essent quidam Episcopi, & Abbates, qui decimas non sinerent dari Ecclesiis, ubi illi coloni Missas audiunt. Proindè decrevit sacer iste Conventus, ut Episcopi, & Abbates de agris, & vineis, quæ ad suum, vel fratrum stipendium habent decimas ad Ecclesias suas deferri faciant; fami-*

Can. 46. caus. 16. q. 1.

miliæ verò eorum ibi dent decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt. Mihi editio Gratiani emendatior videtur.

In aliquibus Gratiani exemplaribus can. 38. caus. 16. quæst. 7. depromptus dicitur ex Concilio Coloniensi II. cap. 42., at ibidèm facile est agnoscere Typographorum erratum; etenim pro Concilio *Coloniensi* scribendum est: *Cabilonense*. Reverà in dicto Cabilonensi Concilio eadem omninò verba habentur cap. 42., quæ etiàm relata sunt in additionem 3. Capitularium Francorum can. 64. in editione Parisiensi anni 1677.

Can. 38. caus. 16. q. 7.

Quod observavimus ad can. 8. dist. 81., & ad can. 46. caus. 16. quæst. 1., id quoquè evenit in can. 42. caus. 16. quæst. 7., quem Gratianus ex Concilio Moguntino laudavit, licèt potiùs laudandus fuisset ex Concilio Cabilonensi, de quo agimus. Cum autèm Gratianus idem paucis perstrinxerit, aut ab aliis perstrictam retulerit sententiam Cabilonensis can. 7. eamdem hic integram exhibebo, qualis in vulgatis Concilii exemplaribus habetur. *Constituit sanè sacer iste Conventus, ut Episcopi, sive Abbates, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes quoslibet homines illectos circumveniendo totunderunt, & res eorum tali persuasione non solùm acceperunt, sed potiùs subripuerunt, pœnitentiæ canonicæ, sive regulari, ut puta, turpis lucri sectatores subjaceant. Hi verò, qui, vanis promissionibus illecti, vel quibuslibet machinationibus persuasi, mentis inopes effecti, rerum suarum Domini esse nescientes, comam deposuerint, in eo, quod cœperunt, perseverare cogantur. Res namquè, quæ ab illectis, & negligentibus datæ, ab avaris, & cupidis non solùm acceptæ, sed raptæ noscuntur, hæredibus reddantur, qui dementiâ parentum, & avaritiâ incentorum exhæredati esse noscuntur. Si verò, nescientibus Episcopis, aut Abbatibus, ministrorum quilibet, videlicèt in Clero, hoc fecisse convincantur, Episcopi, & Abbates desidiâ, illi verò rapacitate, & avaritiâ judicentur. Hoc verò, quod quisque Deo justè, & rationabiliter de rebus suis offert, firmiter Ecclesia tenere debet.* Eadem rursùm Gratianus minùs integra descripsit in can. 5. caus. 20. quæst. 3., quem prætereà falsò inscripsit Concilio Moguntino.

Can. 42. caus. 16. q. 7. & can. 5. caus. 20. q. 3.

In can. 30. ejusdem Concilii Cabilonensis legitur can. 8. caus. 29. quæst. 2., cujus verba omninò consonant cum integris Concilii exemplaribus. Meretur tamèn hæc definitio non injucundas observationes. Dicitur enim ibi, matrimonia servorum à dominis dissolvi non posse, dummodò tamèn inter servos fuerit *legalis conjunctio*, & *dominorum voluntas* accesserit. Quænam porrò esse potest hæc legalis conjunctio, cum liquidò constet Romanis legibus servorum conjugia nunquàm fuisse probata? Prodeunt hùc sequioris temporis Interpretes, atque velùt è tripode pronunciant, hoc esse unum ex pluribus, quæ inter Jus Civile, & Jus Ecclesiasticum intercedunt, discriminibus, ut quæ servorum conjunctio legalis non dicitur Jure Romano inspecto, talis appelletur Ecclesiasticis legibus, quas hac in re Romanis prævaluisse asserunt, arg. cap. 1. de conjugio servorum. Mihi nunquàm placere potuerunt hujusmodi utriusque Juris imagines, quibus unum alteri idemtidèm adversari, & contradicere exhibeatur; præsertim cum apprimè noverim, pòst Christianos Imperatores Jus Ecclesiasticum eorumdem Imperatorum legibus fuisse firmatum, & inter ipsos civilium legum Codices productum, ac promulgatum, quemadmodùm patet ex pluribus Constitutionibus, quæ in duodecim libris Codicis Justinianei habentur, ut omittam Codicem Theodosianum, & ex Novellis ejusdem Justiniani: quòd si ad posteriora tempora descenderimus, video in Conciliis Hispanorum ut plurimùm Principes ipsos civilium legum conditores edendis sacris Canonibus auctoritatem suam impertiisse: idipsum deindè præstiterunt Imperatores Francici, quemadmodùm frequentissimè ex hùc usquè dic-

Can. 8. caus. 29. q. 2.

dictis agnoscimus, ut omninò inverosimile videatur, eosdem Principes, qui hinc civiles leges edebant, aliàs Ecclesiasticis legibus in publicis Episcoporum Comitiis ferendis intererant, sibi metipsis fuisse adversatos. Cum itaquè potiùs *sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuventur*, uti scribit Lucius III. in cap. 1. de novi operis nunciatione, jure dixero in hisce servorum conjugiis nunquàm sacros canones aliam, & diversam disciplinam sequutos fuisse ab ea, quam ipsæmet Romanorum leges exigerent. Etenim ex iis, quæ civili Romanorum jure constituta fuerunt, aut prohibita, alia ità constituta sunt, ut omninò probarentur, atque omnes ejusdem juris effectus obtinerent; alia è converso ità prohibita, ut damnarentur, & aliquandò etiàm gravissimis pœnis coercerentur; alia demùm nec omninò probata, nec omninò rejecta, sed in mera naturalis juris simplicitate relicta sunt, ut salva in eisdem esse debeat naturalis honestas, & fides sine juris positivi privilegio. Romani veteres, singulari quodam jure gaudentes, quo ab aliis gentibus secernerentur, quasdam induxerunt in suis actibus solemnitates, sine quibus actus non legitimus esset, etiamsi aliàs honestus atque ex naturali æquitate consisteret, nec legi adversaretur. Hæc omnia facilè agnoscimus in diversis pactionum qualitatibus; alias enim pactiones contractuum nomine appellari voluerunt, easque actionibus peculiaribus concessis ad effectum perduci : alias bonis moribus adversantes omninò damnarunt: alias nudas & simplices dixerunt, denegatis actionibus, sed agnitâ in ipsis quadam obligatione naturali, quæ si non servaretur, salva omninò fides, & honestas minimè videbatur. Atque ut à proposita conjugiorum materie non discedam, erant apùd Romanos conjugia omninò justa, ea videlicèt, quæ juxtà solemnitates omnes Juris celebrantur; alia prorsùs irrita, quæ scilicèt inter consanguineos contrahebantur ; alia demùm, quæ consistebant intrà limites naturalis honestatis, & quidèm tanquàm conjugia à Romanis habebantur, licèt omnes Juris effectus non haberent, quemadmodùm contingebat in nuptiis Virorum Clarissimorum, qui ignobilem uxorem duxissent; aut, quemadmodùm Eruditissimis Viris placet, in nuptiis filiorum-familias sine consensu patris contractis, in quibus, non legitima quidem, sed tamèn justa uxor appellabatur, in qua & adulterii crimen admissum veris adulterii pœnis coercebatur. Itaquè, etiamsi apùd Romanos veteres inter servos conjugia omninò probata non fuerint, non tamèn erant prohibita, sed alio, non quidèm prorsùs legitimo, honesto tamèn contubernii nomine appellabantur, quô significaretur, virum & uxorem non sacrorum, & familiæ, quæ solis Romanis Civibus erant concessa, se domus communionem habere. Quæ si vera sunt, etiàm salvis Civilis Juris regulis apùd víros Ecclesiasticos conjugia servorum poterant haberi tanquàm vera conjugia, quæ ad Sacramenti rationem elevarentur; cum Sacramentum à Christo Domino institutum fuerit non peculiaritèr in matrimonio juxtà omnes Romanorum leges celebrato, sed in matrimonio, quod legibus minimè improbaretur, seu in quo servaretur honestas naturalis ex legum præscripto; eadem fermè ratione, quâ jusjurandum, quod ad religionem pertinet, irritum prorsùs habetur, si inhonestæ pactioni adjectum fuerit, & prorsùs à legibus improbatæ, firmat tamèn pactiones, quæ, licèt legitimis actionibus destituantur, naturalem tamèn obligationem pariunt, & nudæ, seu simplices appellantur.

Ut verò propiùs ad Cabilonensem canonem adcedam, qui non juxtà vetera Romanorum principia, sed juxtà leges noni sæculi interpretandus erit, observandum est, in proposita conjugiorum à servis contractorum materie ex Longobardorum moribus invaluisse, ut firma rataque haberentur, & prorsùs indissolubilia servorum ancillarumque conjugia; dummodò consentientibus domi-

nis celebrata proponerentur. Hinc conjugia isthæc quamdam formam Longobardorum legibus acceperunt, undè & *legitima* appellari potuerunt. Porrò de his est titulus 12. libri 2. legum Longobardorum, atque inter ceteras Constitutiones hæc legitur num. 11. *Ut conjugia servorum non dirimantur, si servi dominos habuerint, sed in uno conjugio servi permanentes dominis suis serviant, sic tamèn, ut ipsum conjugium legale sit, & per voluntatem dominorum suorum juxtà Evangelium: quod Deus conjunxit, homo non separet.* En igitùr & in hac lege sermonem fieri de *conjugio legali*, & *per voluntatem dominorum* contracto, quæ sanè significant apùd Longobardos, quorum mores nono sæculo receptissimi erant, conjugia servorum legalia, seu legitima appellata fuisse, quotiès dominorum consensus accessisset: quamquàm tamèn, si dominorum voluntas ab initio desideraretur, adhùc consisterent intrà fines naturalis honestatis, licèt non omninò legibus probata: hinc in lege 10. eodem titulo consensus dominorum in conjugiis servorum appellatur *convenientia*, quod sanè nomen non propriè necessitatem inducit, ut actus consisteret, sed meram legalem solemnitatem; & ibidèm statuitur eum, qui fornicatus fuerit cum ancilla servo nupta, etiàm sine domini voluntate, adulterii reum esse. Habemus ergò perspicuam Cabilonensis canonis sententiam, quâ definitum est, neminem ampliùs posse dissolvere conjugia servorum legitima, quibus scilicèt accessit dominorum consensus. Quid verò si ageretur de conjugio servorum, cui domini non consenserint. Nihil hac in specie peculiariter statuunt Cabilonenses Patres; sed, si argumentum à contrario, ut vocant, sensu quidpiam hic valere potest, concludendum videretur, ea conjugia dissolvi posse ex mente Concilii Cabilonensis. Non improbaverim ego hujusmodi doctrinam, quotiès ità intelligamus, ut domini possint quidèm illorum conjugia dirimere quoàd certos effectus, ubi scilicèt aliquid juri dominico detraheretur; non verò quoàd ipsum matrimonii vinculum, quod etiàm in naturali quodam jure consistit, & Divinis institutionibus, ac Sacramentali benedictione confirmatur.

De Can. 4. caus. 30. quæst. 1. nihil est, quod specialitèr disseram. Habetur ille eisdem verbis in can. 3. ejusdem Concilii Cabilonensis. Can. caus. 30. q. 1. 4.

Adversùs recentiores hæreticos plurimum facit canon 72. de consecr. dist. 1. quo facilè ostenditur, justas fidelium animas corporibus exutas pœnis purgatoriis expiari, quotiès non Deo legitimis pœnitentiis junctæ corpori satisfecissent; in eo enim capite non tantùm id definitum habemus, sed & antiquissimæ Sanctorum Patrum traditioni accepto fertur. Integra hic describam verba Cabilonensis canonis 39. cum Gratianus ab illis aliquantispèr recesserit. *Visum præterea nobis est, ut in omnibus Missarum solemnitatibus pro defunctorum spiritus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, quâ non pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur, ità nimirùm nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solemnibus fundantur. Antiquitùs hunc morem igitùr Sancta Ecclesia tenet, ut & in Missarum solemnitatibus, & in aliis precibus Domino Spiritus quiescentium commendet, dicente B. Augustino: non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritu mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana, & Catholica societate defunctis, etiàm tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeatur pia mater communi.* Can. de cons. dist. 2. 72.

His observavimus Canones Concilii Cabilonensis II. Supersunt adhùc aliquot fragmenta, à Gratiano adscripta Concilio Cabilonensi, quæ tamèn in nullo hujusmodi Concilio ex editis reperiuntur, ad alios autèm potiùs auctores pertinere noscuntur. Ex his est Canon 1. dist. 18. qui referendus est ad Concilium Bracarense anni circitèr 563. in quo pòst capita 17. fidem spectantia, subjecta sunt alia ad reformationem disci- Can. dist. 18. 1.

ciplinæ pertinentia, atque inter hæc numero 6. ità legitur : *Item placuit, ut, conservato Metropolitani Episcopi Primatu, ceteri Episcoporum secundùm suæ ordinationis tempus alius alio sedendi deferat locum.* Huic Constitutioni consonant plures aliorum Conciliorum Canones. Etenim in Concilio Carthaginensi anni 402. similis omninò sententia legitur, relata in Codicem canonum Ecclesiæ Africanæ num. 86. ibi : *Illud scimus inviolatè sempèr mansisse Ecclesiasticam disciplinam, ità ut nullus fratrum Prioribus suis se aliquandò auderet anteponere, sed officiis charitatis id sempèr exhibitum est Prioribus, quod ab insequentibus gratantèr sempèr acciperetur...Communis hæc causa est... ut unusquisque nostrum ordinem sibi decretum à Deo cognoscat, & posteriores anterioribus deferant, nec, eis inconsultis, aliquid agere præsumant...Universi Episcopi dixerunt : hic ordo & à Patribus, & à majoribus servatus est, & à nobis Deo propitio servabitur, salvo etiàm jure Primatus Numidiæ, & Mauritaniæ.* Itèm in Concilio Toletano IV. canone 3. ubi sermo est de Provinciali Concilio, ità legitur : *Episcopi secundùm ordinationis suæ tempora resideant.* Eadem habentur apùd Gregorium Magnum in Epist. 114. ad Siagrium lib. 7. ibi : *Episcopos secundùm ordinationis suæ tempus, sive ad considendum in Concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua attendere loca decernimus, & suorum sibi prærrogativam ordinum vindicare.* Consonat prætereà S. Augustinus in Epist. ad Victorium, & Hincmarus Epist. 6. cap. 16. ibi : *Inter Episcopos hæc conditio regularis servatur, ut qui priùs fuerit ordinatus, prior habeatur.* Qua de causa dictum fragmentum Gratiani Cabilonensi Concilio inscriptum fuerit, prorsùs ignoro, nisi fortè suspicari liceat, apùd Collectores ad marginem adscriptum olim fuisse nomen Concilii Carthaginensis, ut referretur ad sententiam dicti Canonis Carthaginensis suprà descripti; Amanuenses autèm pro Carthaginensi Concilio, ex vocum similitudine deceptos, Cabilonense legisse, eoque nomine canonem literis designasse.

Canon 43. caus. 16. quæst. 1. apùd Gratianum tribuitur Concilio Cabilonensi, apùd Ivonem Concilio Moldensi his verbis : *Ut Ecclesiæ antiquitùs constructæ nec decimis, nec ullâ possessione priventur, ità ut novis Oratoriis tribuantur.* At neque Ivo, neque Gratianus auctorem germanum canonis indicarunt. Habetur ille in Capitulari Aquisgranensi anni 819. num. 19. eisdem verbis, quæ leguntur apùd Gratianum, ideò autèm fortè ex Concilio Cabilonensi laudatus, quia Aquisgranensis conventus eodem anno habitus fuerit, quo Concilium Cabilonense, & simùl in eodem Codice jungi potuerint & Aquisgranenses, & Cabilonenses canones, ut alii pro aliis facilè acciperentur. Relatum est idem fragmentum in lib. 2. Capitularium cap. 36. librum 5. cap. 157. legitur prætereà in Concilio Arelatensi VI. anni 813. can. 20. & in Concilio Moguntino ejusdem anni can. 41.: atque hinc etiàm fieri potuit, ut Gratianus Cabilonense pro Moguntino Concilio adscripserit, quemadmodùm aliàs egit in can. 8. dist. 81. can. 46. caus. 16. quæst. 1. & in can. 5. caus. 20. quæst. 3. nisi fortè suspicari quispiam velit, ideò à Gratiano memoratum ibidèm fuisse Concilium Cabilonense, ut indicaretur in eo nonnulla similia constituta fuisse, videlicèt in can. 2. qui idem est cum can. 46. caus. 16. quæst. 1. Qualicumque autèm Concilio tribuatur hujusmodi sententia, illud certum est, eam cum disciplina Gallicanæ Ecclesiæ seculo nono, pluriès confirmata congruere. Can. 43. caus. 16. q. 1.

Can. 21. caus. 35. quæst. 2. refertur apùd Gratianum nomine Concilii Cabilonensis; in quo tamèn nihil aliud habetur de gradibus cognationum, nisi generatim observandum esse, quod jam de illis in aliis Conciliis constitutum fuerat. Hinc in can. 28. Concilii Cabilonensis II. hæc leguntur : *Interrogaverunt nos quidam de adfinitate propinquitatum, & in quibus gradibus matrimonia jungenda sint; quibus ad canones currere præcepimus, & quod in eis continetur, hoc ab eis in negotio, sicut in ceteris, observari debere.* Cabilonenses autèm Can. 21. caus. 35. q. 2.

tèm Patres, ut arbitror, respexerunt ad id, quod pridèm ipsi constituerant eodem anno in Concilio Moguntino, in quo canone 54. hæc statuta sunt: *Contradicimus quoquè, ut in quarta generatione nullus ampliùs conjugio copuletur: ubi autèm pòst interdictum factum inventum fuerit, separetur.* Hic sanè idem est cum dicto canone 21. Gratianeo, quem, licèt Cabilonensi Concilio tributum, meliùs Moguntino adscribemus. Depravata autèm fuit à Gratiano editio canonis in illis verbis: *in quarta, vel in quinta, sextaque generatione*; etenim Concilium Moguntinum in quarta tantummodò generatione matrimonia contrahi interdixerat; nec, si in sexta generatione interdicenda putaverat, opus erat expressè in quarta, & quinta, uti apùd Gratianum scribitur, prohibere. Hanc prætereà Gratiani lectionem improbat Concilium Wormaciense anni 868. in quo etiàm eadem sententia habetur in can. 78. his verbis: *Contradicimus quoquè, ut in quarta generatione nullus ampliùs conjugio copuletur: ubi autèm pòst interdictum factum inventum fuerit, separetur.* Nulla sanè ibi mentio fit quintæ, vel sextæ generationis. Video tamèn, undenàm profecta fuerit Moguntini canonis immutatio, videlicèt à Benedicto Levita, Capitularium Francorum Collectore, qui relaturus inter Capitularia lib. hodiè 5. cap. 166. eumdem canonem Moguntinum, aliàs verò agnoscens non eamdem in omnibus Provinciis servatam fuisse graduum disciplinam, ità Canonem scripsit: *Contradicimus quoquè, ut in quarta, vel quinta, sextaque generatione nullus ampliùs conjugio copuletur. Ubi autèm pòst interdictum factum inventum fuerit, separentur.*

Canon 4. caus. 36. quæst. 2. falsò adscriptus fuit à Gratiano Concilio Cabilonensi. Potiùs laudandus erat ex Capitulari Ludovici Pii, in Aquisgranensi Palatio edito anno 816. in quo hæc habentur can. 23.: *De puellis raptis, necdùm desponsatis, ità in Concilio Chalcedonensi, ubi DCXXX. Patres adfuerunt, cap. 38. habetur: Eos, qui rapiunt puellas sub nomine simùl habitandi, cooperantes, & conhibentes raptoribus, decrevit Sancta Synodus, si quidèm Clerici sunt, decidant gradu proprio; si verò Laici, anathematizentur. Quibus verbis apertè datur intelligi, qualiter hujus mali Auctores damnandi sunt, quandò participes, & conhibentes tanto anathemate feriuntur, & quòd juxtà canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenùs possunt.* Hæc verba eadem propemodùm sunt cum Gratianeis. Atque eumdem canonem retulit Ansegisus in lib. 1. Capitularium cap. 98. & Benedictus Levita in lib. 7. cap. 183. editionis Parisiensis anni 1677. Confirmarunt eamdem sententiam Patres Concilii Troslejani anni 909. in can. 8. & Patres Concilii Wormaciensis anni 868. in Canone 77.

Canon 50. de cons. dist. 1. falsò adscriptus est Concilio Cabilonensi, & potiùs referendus est ad Capitulare Theodulphi Aurelianensis, edito primùm à Baronio, deindè verò à Sirmondo, à quo tributum est anno 797. ibi autèm can. 38. hæc leguntur: *Solent plures, qui se jejunare putant, mòx ut signum audiunt, ad nonam manducare; qui nullatenùs jejunare credendi sunt, si antè manducaverint, quàm vespertinum celebretur officium: concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, sive vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam convenire non valeat, æstimatâ vespertinâ horâ, completâ oratione suâ, jejunium absolvere debet.*

Can. 4. caus. 36. q. 2.

Can. 50. de cons. dist. 1.

CA-

CAPUT XLVIII.

De Concilio Turonensi.

Concilio Turonensi duo hæc fragmenta tribuuntur apùd Gratianum.

{ *Can. 22. caus. 23. q. 5. ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
{ *Can. 11. dist. 18. fortè pertinet ad Capitulare Aquisgranense anni 789.*

PLura apùd Conciliorum Collectores memorantur Concilia Turonensia, ità dicta ab oppido Galliæ, quod alii Turonem, alii Turonicam, alii à S. Martino Turonensi Martinopolim appellarunt. Hoc tamèn in loco non aliud laudandum occurrit, quàm quod vulgò tertium dicitur, celebratumque est anno 813. sub Carolo Magno Imperatore eodem tempore, quo diximus celebratum esse Concilium Cabilonense, & Moguntinum; etenim tùm, cùm in Turonem convenissent & Episcopi numero plures, & Abbates, & universi Clerici, quæ emendatione digna videbantur in disciplina Ecclesiastica, quinquaginta & uno capitibus complexi sunt, eademque Carolo Magno exhibuerunt confirmanda, ità scribentes: *Hæc nos in Conventu nostro ità ventilavimus, sed quomodò deincèps Piissimo Principi nostro de his agendum placebit, nos fideles ejus famuli libenti animo ad nutum, & voluntatem ejus parati sumus.* Inter hæc capita, quæ Imperatori proposita fuerunt, num. 41. habetur can. 22. caus. 23. quæst. 5. qui ità restituendus erit ex integris Concilii exemplaribus: *Incestuosi, Parricidæ, Homicidæ multi apùd nos, heu proh dolor! reperiuntur: sed aliqui ex iis Sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, quos oportet per sæcularis potentiæ disciplinam à tam prava consuetudine coerceri, qui per salutifera Sacerdotum monita noluerunt revocari; quorum aliquos jam excommunicavimus. Sed illi hoc parvipendentes in eisdem perdurarunt criminibus. Quamobrèm vestra decernat mansuetudo, quid de talibus deincèps agendum sit.* Hic canon integer relatus est ab Ansegiso inter Capitularia Francorum lib. 1. cap. 43. quod sanè indicio est, illum fuisse omninò probatum, confirmatumque. Clariùs autèm in lib. 6. Capitularium cap. 71. & apùd Isaaccum Lingonensem tit. 4. cap. 5. legitur: *De incestuosis, & parricidis, ut canonicè coerceantur, sicùt de illo judicatum est, qui materteræ suæ filiam stupravit, ut conjugium ultrà non repetat, & militiæ cingulum derelinquat, & aut Monasterium petat, aut si foris remanere voluerit, tempora pœnitentiæ secundùm canones plenitèr exsolvat.* Porrò Turonensem canonem valdè perstrictum primus descripsit Burchardus, adimens ea, quæ ad Caroli Imperatoris confirmationem referebantur, veritus, ne Germanos offenderet, apùd quos scribebat, si fortè quidpiam attingeret, quod quoquo modo ad veterum Francorum Capitularia pertineret. Ex Burchardo mutilatum fragmentum Ivo retulit, & demùm ex Ivone Gratianus.

Can. 22. caus. 23. q. 5.

Duobus in locis tanquàm ex Turonensi Concilio hæc verba describit Gratianus: *Episcopus non debet Abbatem cogere ad Synodum ire, nisi aliqua rationabilis causa existat*; videlicèt in can. 11. dist. 18. & pòst can. ultimum caus. 18. quæst. 2. Sequutus est Gratianus Burchardum, & Ivonem, qui eadem laudant ex cap. 11. Concilii Turonensis. In omnibus Conciliis Turonensibus, quæ hùc usquè edita sunt, hoc fragmentum desideratur, imò in Concilio Turonensi II. anni 567. statuitur, omnes ad Episcoporum Concilia vocetos convenire debere *sine cujuslibet excusatione personæ, & nullius occasione velaminis.* Dicam in hac re candidè, quod sentio. Duplicem iste canon interpretationem habet. Primùm ità intelligi commodè potest, ut Abbas non deberet cogi accedere ad Synodum sine justa causa,

Can. 11. dist. 18.

ne

ne à solitudine invitaretur ad Civitates, neve in rebus Ecclesiasticis pertractandis curam gerere teneretur, cujus conditio erat in recessu latere, & orando Monachos instruere verbo, & exemplo; atque hac ratione non dubitaverim, cum disciplina 6. sæculi, & sequentium convenire dictum canonem; etenim tùm nihil magis, aut pressiùs Episcopis indictum est, quàm ne Monachos, aut eorum Abbates à solitaria vita revocarent, quemadmodùm ex plurimis Gregorii Magni Epistolis luculentèr eruitur: imò, si hæc vera sunt, suspicor originem ejusdem canonis profectam fuisse ex Capitulari Aquisgranensi Caroli Magni anni 789. in quo hæc leguntur cap. 23. *Monachos verò, qui sunt per singulas Civitates, & Provincias, Episcopis subditos esse, & quietem diligere, & jejuniis esse intentos, & orationibus, & in illis locis observare, in quibus sæculo renunciasse videntur. Nequaquàm autèm Ecclesiasticis, vel sæcularibus rebus communicare, nec importunitatem inferre, desertis propriis Monasteriis, nisi fortè quæsiti fuerint propter causam necessariam à Civitatis Episcopo.* Postrema hujus canonis verba plurimùm consonant cum Gratiani fragmento; quamobrèm fortè Burchardus ejusdem Aquisgranensis Capitularis sententiam, uti aliàs præstitit, paucis perstrinxit, editque nomine Concilii Turonensis, ut à nomine Capitularium more suo abstineret. Burchardum verò sequuti facilè fuerunt Ivo, & Gratianus. Altera canonis interpretatio esse potest, quâ asseratur, jam tùm Monachos, & præsertim Monachorum Præfectos, sive Abbates fuisse à potestate Episcoporum exemptos ità, ut nec vocati ad Concilia pergere tenerentur; atque in hac specie nemo poterit canonem hunc tanquàm genuinum agnoscere, nisi qui ignoraverit tempora, ex quibus Monachorum privilegia, & exemptiones initium habuerunt, idemque simùl ignoraverit undecimo, & duodecimo sæculo plura Monachos ipsos confixisse quasi veterum monumenta, ut tandèm Episcoporum potestatem exeuterent; verùm hæc commodiùs, & fusiùs alibi. Tantùm hic adferam fragmentum Concilii Aurelianensis I. anni 511. in can. 19. ibi: *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant....qui semèl in anno in loco, ubi Episcopus elegerit, acceptâ vocatione conveniant.*

CAPUT XLIX.

De Conciliis Moguntinis.

Plura sunt apùd Gratianum fragmenta, quæ ipse nomine Concilii Moguntini laudavit. Verùm sive Gratianus, sive Gratiano anteriores Collectores, Ivo, & Burchardus, nomine Concilii Moguntini usi persæpè fuerunt etiàm in describendis aliorum Conciliorum canonibus, quemadmodùm superiùs jam animadverti in cap. 47. ubi de Concilio Cabilonensi. In quatuor itaquè classes distributa exhibebo Gratiani fragmenta, quæ Moguntino Concilio tribuuntur; illa in primis, quæ ex Concilio Cabilonensi II. exceperat; at de istis hic nihil deindè subjiciam, cum suo loco exposita fuerint; secundò capita Concilii Monguntini anni 813. tertiò capita alterius Monguntini Concilii anni 847. demùm illa, quæ ex variis auctoribus deprompta fuerunt, & Moguntinorum Conciliorum nomine inscripta.

Canones, Moguntino Concilio tributi. { *Can.* 8. *dist.* 81. / *Can.* 46. *caus.* 16. *q.* 1. / *Can.* 42. *caus.* 16. *q.* 7. / *Can.* 5. *caus.* 20. *q.* 3. } *potiùs pertinent ad Concilium Cabilonense II. anni* 813.

Can.

Ex Moguntino Concilio anni 813.
- *Can. 2. dist. 76. ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
- *Can. 18. caus. 13. q. 2. ex aliis Codicibus emendandus.*
- *Can. 37. caus. 16. q. 7. in pluribus Capitularium locis confirmatus.*
- *Can. 37. de cons. dist. 1. ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*

Ex Moguntino Concilio anni 847.
- *Can. 30. caus. 13. q. 2. consonat præterea cum Concilio VVormaciensi anni 868.*
- *Can. 24. caus. 17. q. 4. varius in diversis exemplaribus.*
- *Can. 8. caus. 18. q. 2. ex ipsius Conciliis exemplaribus emendandus.*

Adjiciuntur.
- *Can. 7. caus. 2. q. 7. videtur Ecclesiasticæ 9. & 10. sæculi disciplinæ adversari.*
- *Can. 65. caus. 11. q. 3. pertinet ad Concilium Toletanum IV. anni 633.*
- *Can. 42. caus. 16. q. 1. pertinet ad Concilium apùd Confluentiam anni 922.*
- *Can. 7. caus. 16. q. 6. conformis est disciplinæ medii temporis.*
- *Can. 6. caus. 16. q. 7. consonat vulgatæ noni & decimi sæculi doctrinæ.*
- *Can. 7. caus. 16. q. 7. pertinet ad Capitulare Ludovici Pii anni 829.*
- *Can. 5. caus. 30. q. 1. referendus ad Rhabanum in Epist. ad Heribaldum.*
- *Can. 20. caus. 32. q. 7. consonat Conciliis Moguntinis anni 813. & anni 847.*
- *Can. 21. caus. 32. q. 7. pertinet ad Concilium Vermeriense anni 752.*
- *Can. 102. de cons. dist. 4. pertinet ad Concilium Parisiense 6. anni 829.*

De Concilio Moguntino anni 813.

CElebratissimum est inter Concilia Moguntina, ità dicta à Moguntia Civitate Germaniæ, illud, quod celebratum fuit tempore Caroli Magni sub Richolpho Archiepiscopo anno 213. ubi, eodem Imperatore patrocinante, sex suprà quinquaginta Ecclesiasticæ disciplinæ capita constituta sunt, eidemque, ut confirmarentur, exhibita, quemadmodùm dicitur in Epistola synodica ad eumdem missa à Patribus ejusdem Concilii, quæ hodiè ipsius Concilii actis præfixa est. Nùm ea omnia à Carolo Magno reverà confirmata fuerint, nihil certi adparet. De istis canonibus, qui apùd Gratianum referuntur, quoàd fieri poterit, investigabimus.

Et primùm quod attinet ad canonem 2. dist. 76. is habetur in can. 34. ejusdem Concilii his verbis: *Constituimus, ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio observentur, id est, in mense Martio hebdomada primâ, & feriâ quartâ, & sextâ, & Sabbato veniant omnes ad Ecclesiam horâ nonâ cum litaniis ad Missarum solemnia. Similiter in mense Junio hebdomadâ secundâ, feriâ quartâ, & sextâ, & Sabbato jejunetur usquè ad horam nonam, & à carne ab omnibus abstineatur. Similiter in mense Septembrio hebdomadâ tertiâ, & in mense Decembrio hebdomada, quæ fuerit plena antè vigiliam Natalis Domini, sicùt est in Romana Ecclesia traditum.* Ex his emendare, ac supplere juvabit Gratiani fragmentum, paucis, & veluti compendio verborum perstrictum. Cum autèm eadem verba Can. 2. dist. 76.

re-

relata fuerint à Benedicto Levita inter Capitularia lib. 5. cap. 151. juxtà editionem Parisiensem anni 1677. facilè conjicere possumus, canonem hunc usu fuisse receptum.

Can. 18. caus. 13. q. 2. Canon 18. caus. 13. quæst. 2. legitur in can. 52. ejusdem Concilii, ubi, si fides est vulgatis Concilii exemplaribus habenda, pro illis verbis *intrà Ecclesiam*, legitur: *infrà Ecclesiam*; quod idem significat, ac propè Ecclesiam, id est, in atrio, vel in porticu Ecclesiæ, quemadmodùm, in more fuisse illis temporibus, ex aliis Conciliorum monumentis facilè ostendi posset. Qualiscumque verò lectio recipiatur, illud certum est, hunc integrum canonem non fuisse probatum generalitèr: etenim eodem anno 813. quo Episcopi Regiâ etiàm auctoritate freti plurima constituerant, ad eorum confirmationem celebratum est Capitulare, editum in 1. tomo Capitularium Parisiensis editionis anni 1677. pag. mihi 501. ubi numero 20. hæc leguntur: *Ut mortui non sepeliantur in Ecclesia, nisi Episcopi, vel Abbates, vel fideles, & boni Presbyteri.* Nullus itaquè ibi sermo est de fidelibus Laicis, imò nec de Clericis, aut Ministris Presbytero inferioribus, quos omnes extrà Ecclesiam, non in Ecclesia, tumulari licebat. Fateor tamèn deindè, cum Collectores canonum Moguntinum canonem retulerint, & Capitulare non ampliùs attenderint, facilè receptum fuisse, ut, præter Abbates, & Presbyteros, etiàm fideles Laici in Ecclesiis sepelirentur, præsertim verò pòst Decretum Gratiani, cujus capita sæculo 12. tanquàm fons & exemplar disciplinæ optimæ, ac probatissimæ observabantur.

Can. 37. caus. 16. q. 7. Canon 37. caus. 16. quæst. 7. habetur eisdem omninò verbis in can. 29. Concilii ejusdem Moguntini: & quidèm Imperatoris auctoritate accedente confirmatus est; etenim in superiùs memorato Capitulari anni 813. ità legitur: *Ut Laici Presbyteros non ejiciant de Ecclesiis, nec alios mittere præsumant.* Similis quoquè sententia relata est ab Ansegiso in lib. 1. Capitularium cap. 84. his verbis: *Statutum est, ut sine auctoritate, vel consensu Episcoporum Presbyteri in quibuslibet Ecclesiis nec constituantur, nec expellantur. Et si Laici Clericos probabilis vitæ, & doctrinæ Episcopis consecrandos, suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nullâ qualibet occasione eos rejiciant.* Et rursùm relata sunt apùd Benedictum Levitam in lib. 5. cap. 87. cum quo etiàm conferri posset caput 98. cum aliis similibus permultis.

Can. 37. de cons. dist. 1. Canon 37. de cons. dist. 1. legitur in can. 51. Concilii Moguntini his verbis: *Deincèps verò corpora sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre sine consilio Principis, vel Episcoporum, & Sanctæ Synodi licentia.* Opportunum sanè decretum, quô obviam iri debebat populariibus animorum motibus in translationibus Sanctorum Corporum celebrandis; etsi enim ex pietate illæ ut plurimùm fieri soleant, aliquandò tamèn seditionibus, ac jurgiis occasionem præbent, ut propterea non nisi gravissimo seniorum consilio fieri queant. Utrùm verò ille canon expressè fuerit Imperiali lege probatus, non satis constat, nisi fortè eo referre velimus, quod dicitur in memorato Capitulari confirmationis anni 813. cap. 28. *Ut inquiratur diligenter de faidosis hominibus, qui solent incongruas commotiones facere, tàm in Dominicis diebus, quamque & aliis solemnitatibus, sicuti & in feriaticis diebus. Hoc omninò prohibendum est, ne fac ere præsumant.*

De Concilio Moguntino anni 847.

Ad exemplum Concilii Moguntini anni 813. videtur omninò celebratum aliud Concilium Moguntinum anni 847. Indixit illud Rhabanus Moguntiæ Archiepiscopus Lotharii Imperatoris auctoritate, quemadmodùm ex Epistola synodica ejusdem Concilii facilè constat, & quidèm ut lapsa disciplina Ecclesiastica repararetur, præsertim in ea parte, quæ Ecclesiarum, & Clericorum honorem spectabat. Deindè in canone ultimo

Con-

Concilii legitur, Episcopos ad Imperatorem Synodi acta misisse, petentes, *ut ejus auctoritate firmarentur, & siquis adversarius illis existere voluisset, prævalere non permitteretur.* Nùm verò omnia Concilii acta, & constitutiones probatæ fuerint à Lothario, ac confirmatæ, non constat. De capitibus Gratianeis peculiariter inquiram.

Can. 30. caus. 13. q. 2. Ad hanc Synodum pertinet canon 30. caus. 13. quæst. 2. qui eisdem omninò verbis legitur in can. 27.: cum autèm confirmatus eisdem etiàm verbis fuerit in can. ultimo Concilii VVormaciensis anni 868. & medio 10. sæculo in Collectionem primùm Reginonis, deindè in alias relatus fuerit, facilè conjicio, canonem eumdem fuisse ab initio probatum, deindè generali consuetudine ab omnibus receptum.

Can. 24. caus. 17. q. 4. In eodem Concilio can. 23. legimus can. 24. caus. 17. quæst. 4. ubi qualis sit verborum varietas ex aliis Codicibus jam Romani Correctores observaverunt. Porrò de jurejurando liberorum hominum recipienda erit lectio illa, quæ habet *cum duodecim*, non illa, quæ habet *cum septuaginta duobus*; etenim olim apùd Francos, & Germanos solemne erat, ut ingenui coràm duodecim jurarent, quemadmodùm constat ex Capitulari Dagoberti Regis anni 630. cap. 24. ibi: *Si aliquis homo in mortem Ducis consiliatus fuerit .... si jurare voluerit, cum duodecim juret in Ecclesia.* Itèm de duodecim Juratoribus mentio fit in Capitulari Caroli Magni anni 798. cap. 61. in lib. 3. Capitularium cap. 23. & in lib. 1. legum Longobardarum tit. 25. num. 75. De purgatione servorum per ferrum candens in gravissimis delictis, & in levioribus per aquam fervidam sexcenta sunt & legum publicarum, & canonum Ecclesiasticorum medii temporis monumenta. Utrùm verò canon iste fuerit Lotharii auctoritate confirmatus, minimè constat, nec ausim fidentèr asserere.

Can. 8. caus. 18. q. 2. Ad hoc idem Concilium Moguntinum pertinere videtur can. 8. caus. 18. quæst. 2. non quòd eadem verba in Synodo habeantur, sed quòd ex verbis Synodi à Collectoribus sit elucubratus. Etenim in Concilio hoc Moguntino can. 16. quemadmodùm & in Concilio Cabilonensi anni 813. can. 57. hæc habentur: *Abbatissa, quæ in civitate Monasterium habet, nequaquàm de Monasterio egrediatur, nisi per licentiam Episcopi sui, aut qui ejus vices obtinet, nisi fortè Regali jussione cogatur; & si quandò foràs pergit, de sanctimonialibus, quas secum ducit, curam, & vigilantiam habeat, ut nulla eis detur peccandi licentia, sive occasio. Sed & cum pergit, in Monasterio talem in vice sua constituere debet, quæ de Sanctimonialium animabus curam, & vigilantiam gerat.* Quod itaquè in Concilio Moguntino de Abbatissa specialiter constitutum fuerat, aliquis ex Collectoribus ad Abbates protraxit, aliisque verbis sententiam perstringens Moguntino Concilio adtribuit. Jam verò nonnulla de hoc eodem canone attigi, ubi de Conciliis Toletanis ad can. 43. caus. 16. quæst. 7. Non omittam etiàm animadvertere, hunc canonem legi in Pœnitentiali Theodori Cantuariensis, quem edidit Jacobus Petitus Parisiis anno 1677. cap. 6. pag. 6. tom. 1. his verbis: *Abbas potest pro humilitate cum permissione Episcopi locum suum derelinquere; tamèn fratres eligant sibi Abbatem de ipsis, si habent; sin autem, de extraneis.*

De aliis Canonibus, Moguntini Concilii nomine laudatis.

Plura prætereà, & sub Rhabano, & sub aliis Moguntinis Episcopis celebrata fuere Concilia ad firmandam Ecclesiasticam disciplinam; eorumdem tamèn acta vel omninò, vel in parte deperierunt, uti viri eruditi, & rerum antiquarum solertissimi investigatores testantur. Hinc fortè evenit, ut plura capita apùd Collectores can. Conciliis Moguntinis adscribantur, quorum tamèn exemplaria in præsens desiderantur. Curabo nihilominùs, ut Gratianeos canones, qui supersunt, quoàd fieri potest

ad ea, quæ habemus, edita monumenta exigam, ut in re perobscura non nihil luminis adferatur.

Can. 7. caus. 2. q. 7. Quod Gratianus refert in can. 7. caus. 2. quæst. 7. videtur Auctorem habere mediæ ætatis, videlicèt octavi, vel noni sæculi, quemadmodùm indicat verbum illud *attestimoniare*, quod non nisi illis temporibus in usu fuit, in nullo autèm ex editis Moguntinis Conciliis legitur. Romani Correctores monuerunt, in vetustis Gratiani exemplaribus non haberi, sed eo titulo legi apùd Burchardum in lib. 16. cap. 7. Ego verò de Burchardi fide plurimùm dubito, aliis in locis expertus, quotiès ille & falsa nomina fragmentis inscripserit, & canonum sententias aliis verbis retulerit, atque immutaverit; præsertim quòd aliam fuisse, & contrariam sæculi decimi consuetudinem agnoscam ex collectione Capitularium Benedicti Levitæ, qui in lib. 7. cap. 211. hæc refert: *Omnes Episcopi in tertia sessione adclamaverunt: Sanè dignum est, ut, sicut Sacerdotes, vel Clericos sua in accusatione, vel sæcularibus judiciis Laici non recipiunt, ità ipsi Sacerdotum, vel Clericorum accusationibus, seu Ecclesiasticis negotiis, nisi sponte, non recipiantur; quoniàm inconveniens est, ut hi, qui hos respuunt, ab his recipiantur.* Ex quibus adparet, sæculo nono, & decimo illud moribus fuisse receptum, ut Presbyteri non admitterentur ad testimonium ferendum in judiciis Laicorum; quod eo magis servari decebat, ubi ageretur de Parocho, & Parochianis: & quidèm hujus disciplinæ duplex esse poterat ratio. In primis enim videtur Parocho maximè indignum, ut subditos suos in publicis judiciis persequatur accusationibus, vel testimoniis, quibus plebis odia in se torqueat, quemadmodùm ex hujusmodi officiis ut plurimùm evenire solet. Præsertim verò eâ ratione minuitur, aut interit omninò fiducia illa, quâ unusquisque Plebanus secreta animi sui, præsertim occasione Sacramentalis pœnitentiæ, pandit, quamobrèm & sæculo nono constitutum scimus, ne Sacerdotes ea panderent accusationis causâ, quæ pœnitentium confessione noverant, uti habetur in Capitulari Caroli Magni anni 813. can. 27. ibi: *Ut hoc inquiratur, si de partibus Austriæ verum est, quod dicunt, an non, quod Presbyteri de confessionibus accepto pretio manifestent latrones.* Quid quod verò apùd veteres Patres probatissimum est, ad Clericorum officia prorsùs pertinere, ut Clerici apùd Principes, & Judices publicos intercederent pro reis, si aliàs Presbyteris præceptum fuit, ut plebejos suos *& accusare, & attestimoniare possent*? Altera ratio, & quidèm gravior, ob quam Presbyteri, sive Parochi ab accusationibus, & testimoniis ferendis arceri debebant, ea est, ne aliquandò contingeret illos ad certamina provocari; etenim sæculo octavo & sequentibus receptum fuerat in judiciis, ut quotiès testes adducerentur, quorum alii aliis adversarentur, singulare certamen inire deberent, ut illius testimonium prævaleret, qui vicisset. Id perspicuè constat ex monumentis illius ætatis, & præsertim ex legibus Longobardorum. Quamobrèm facilè concludimus, quàm procùl ab hujusmodi judiciis, & testimoniis recedere debuerint Clerici, præsertim Sacerdotes, quibus pugnæ, & certamina singularia prorsùs interdicebantur. Hinc Rhemensis Hincmarus in suis Capitulis apùd Reginonem in lib. 1. de Ecclesiast. disciplinis cap. 214. scribebat: *Summoperè etiàm quisque Presbyter caveat, sicut de statu suo vult gaudere, ut non quacumque occasione parem suum, aut alium quemlibet ad iram, aut rixam, multò minùs ad pugnam*, (qualis eo tempore inter testes fieri solebat) *vel ad cædem aliquo modo irritet, vel provocet, nec provocatus ad hoc quisquam prosiliat.* Hæc si vera sunt, non video, quomodò Burchardus non solùm asserere potuerit nomine Concilii Moguntini, Presbyteros facultatem habere accusandi, & testimonium ferendi adversùs plebejos suos, verùm etiàm eosdem gradus sui periculo subjacere, si accusare, vel testimonium dicere negligant. Porrò, si quis

Bur-

Burchardum excusare, vel defendere malit, dicere poterit, voluisse illum exemplo probare, quod generatim statutum fuerat in Capitulari 2. Caroli Magni anni 803. can. 11. ibi: *Optimus quisque in pago, vel Civitate in testimonium adsumatur, & cuivis, contrà quem testimoniare debet, nullum crimen possit indicere,* quæ verba etiàm legerat in lib. 3. Capitularium cap. 32. itèm in lib. 5. cap. 282. ratus enim est; non alium intelligi posse nomine optimi cujusque, in pago, vel Civitate degentis, quàm Presbyterum, cui animarum cura commissa fuerit: vel etiàm dici posset, Burchardum legisse in Capitulis Hincmari Rhemensis editis anno 857. num. 1. pertinere ad unumquemque Sacerdotem in sua Parochia, ut, si quispiam fidelis publicum aliquod, & capitale crimen admiserit, adeat ille statim criminis reum, eumdemque ad pœnitentiam invitet coràm Decano, & Compresbyteris suis agendam: deindè quidquid actum fuerit, Episcopo renunciet; quod Burchardus nomine accusationis, & testimonii ferendi significare potuit: ideò autèm Moguntini Concilii nomine retulit, quòd à Capitularium nominibus abstinendo in sua Collectione decrevisset.

Can. 65. caus. 11. q. 3. Verba can. 65. caus. 11. quæst. 3. duobus in locis habentur in Collectione Ivonis, & primùm in parte 5. cap. 367. deindè in parte 6. cap. 237., priore tamèn in capite laudatur nomine Concilii Toletani, & in posteriore nomine Concilii Moguntini. Verior est prior inscriptio; non enim illa in ullo ex Conciliis Moguntinis leguntur, sed potiùs in Concilio Toletano IV. anni 633. can. 28.; ubi tamèn observanda est aliquorum Codicum varietas, ubi enim aliqui, & Gratianus legunt: *in secunda Synodo*, legunt alii: *in sancta Synodo*. Hujus porrò fragmenti sententia consonat cum vetustissima disciplina, juxtà quam à sententiis Episcoporum, aut Metropolitarum ad judicium Synodi Provincialis provocabatur. Quod autèm ibi statuitur, ut, qui depositi sunt, dum restituuntur ad pristinum gradum, sacra Symbola de manu Episcopi ræcipiant, eo minimè pertinet, ut novâ indigeant ordinatione, sed ut novis cæremoniis significetur eorumdem restitutio, eodem modo, quo in depositione, sive degradatione solemni Clericorum Symbola ab eisdem Episcopali imperio auferuntur, non ut Sacer Ordo deleatur in anima, qui perpetuò manet, sed cæremoniali quadam formulâ, quâ significatur, Clericum depositum ordinis sui officio fungi ampliùs non posse.

Can. 42. caus. 16. q. 1. Can. 42. caus. 16. quæst. 1. falsò à Gratiano laudatur nomine Concilii Moguntini, imò & ipse Gratianus hoc Concilii Moguntini nomen non satis fidentèr adscripsisse videtur, cum in fine quæstionis 1. causa 13. eadem verba relaturus scribat, se *ex quodam Concilio* deprompsisse. Est hic can. 8. Concilii, apùd Confluentiam celebrati anno 922. ubi eadem omninò verba leguntur. Est autèm locus *Confluentes* ad Rhenum, qui limes est Occidentalium, & Orientalium Francorum. Celebratum fuit Concilium illud à pluribus Episcopis, præsentibus Carolo Franciæ, & Henrico Germaniæ Regibus, atque inter Episcopos plures subscripsit Herigerius Moguntinus Archiepiscopus; quòd fortè occasionem præbuit Collectoribus, ut canonem hunc Concilio Moguntino tribuerent. Et quidèm, quod in hoc canone constitutum est, maximè convenit disciplinæ Ecclesiasticæ sæculi noni, aut decimi, quo scilicèt tempore Laici quamplures facultates Ecclesiasticas, & decimas diripiebant, præsertim qui donatores illarum fuerant, autumantes licitè se posse repetere, quod jam juri Ecclesiastico addixerant. Huic rei simile argumentum habemus in Capitularibus Lotharii Imperatoris apùd Olonam, relatis in tom. 2. Capitularium Francorum editionis Parisiensis anni 1677. pag. 322., ubi cap. 17. hæc leguntur: *Volumus, ut res, quæ à liberis personis locis Deo dicatis conferuntur, liceat sibi usumfructum,*

& ordinationem earumdem rerum, si aliter sibi placuerit, reservare. Si aliter eas non ordinaverit, ità maneant, sicut priùs datæ fuerint.

Can. 7. caus. 16. q. 6. Non dubito, sententiam can. 7. caus. 16. quæst. 6. ad aliquod Moguntinum Concilium pertinere ex iis, quæ superiùs cum viris eruditissimis deperdita fuisse animadvertimus. Ceterùm, quod ibi dicitur, conforme omninò est disciplinæ Ecclesiasticæ mediæ ætatis, ab eo scilicèt tempore, quò Monasteria plurima in Occidente haberi cœperunt, usquè ad tempora exemptionum, & privilegiorum Monasticorum. Tria ibidèm definita colligimus: Primum, ut si Abbas peccaverit, ab Episcopo corrigeretur. Alterum, ne eâ occasione bona, & possessiones Monasterii sibi Episcopus vindicaret. Tertium, ut Abbatem delinquentem Episcopus in aliud Monasterium amandaret sub potestate alterius Abbatis constituendum. Omnes hujusmodi sententias legimus, & quidèm integras in Conciliis mediæ ætatis. Quod spectat primam, est in Concilio Aurelianensi I. anni 511. can. 19. his verbis expressus: *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant; & siquid extrà regulam fecerint, corrigantur.* Ad secundam pertinet can. 51. Concilii Toletani IV. anni 633., ubi concessa quidèm Episcopis est facultas animadvertendi in Abbates delinquentes, minimè verò usurpandi Monasterii bona, cum jam bona Monachorum delinquentium addici ipsi Monasterio debere jam statuisset idem Concilium Aurelianense dicto can. 19. Videatur can. 1. caus. 18. quæst. 2. Quod demùm Abbas delinquens de Monasterio removeatur, & alteri Abbati in Monasterio subdatur, colligitur ex disciplina Concilii Suessionensis II. anni 853. can. 5., ubi narratur plures Abbates jussu Rothadi Suessionum Episcopi *depositos esse, & separatim in Monasteria sui ordinis longè distantia relegatos.*

Can. 6. caus. 16. q. 7. Canon 6. caus. 16. quæst. 7. fusiùs apùd Ivonem recensetur in parte 3. cap. 199., falsò tamèn ex Concilio Moguntino. Siquis autèm integrum fragmentum apùd Ivonem legerit, facilè liquebit, idem caput non alicujus Concilii esse, sed potiùs privati cujusdam Interpretis, qui decimarum jura, & onera ex variis veteris legis capitibus, & symbolis illustrare voluerit. Ceterùm ideò Moguntini Concilii nomine laudari potuit, quia Moguntina ipsa Concilia quamplura eamdem decimarum materiem prosequuta sunt, quemadmodùm constat ex Gratianeo can. 2. caus. 16. quæst. 2., qui legitur tum in can. 38. Concilii Moguntini anni 813., tum in can. 10. Concilii Moguntini anno 847., tum demùm in Concilio Moguntino anni 888. cap. 17. (de hoc canone disseram, ubi de Urbano II., cui Pontifici in editionibus Gratianeis ob Palearum adjectionem tributus fuisse videtur). Illud certissimum est, sæculo 8., & 9. Viros Ecclesiasticos pressiùs hanc decimarum materiem pertractasse; cum enim illarum jura ex avaritia Laicorum quorumdam ab Ecclesiis raperentur, cogebantur nonnulli decimarum onus & ab antiquissimo Dei judicio auspicari, eamdem rem variis symbolis, & mysticis figuris exornantes. Referam ad hanc rem unum caput 14. Concilii Forojuliensis anni 791. his verbis expressum: *De decimis, vel primitiis, salvis scilicèt allegoricarum rerum mysticis Sacramentis, nihil melius puto docere, quàm quod scriptum est in Malachia Propheta, dicente Domino: Inferte omnem decimam in horreum meum* &c. Itaquè decimarum præceptum variis Veteris Testamenti figuris exornatum proponebatur: illud inter cetera adferri solebat, decimas exsolvi debere in memoriam decem plagarum, pòst quas Deus populum Israelis ab Judæorum tyrannide liberavit: Illùc referebant, quod dicitur in cap. 14. Geneseos, Abrahamum à victoria redeuntem opimorum spoliorum decimas quasi munus Melchisedeco obtulisse; itèm quod dicitur in cap. 28. de Jacobo in Mesopotamiam abeunte, qui Deo se decimas

præ-

præstiturum spopondit, si redeunti ad patrem res prosperè omninò, felicitèrque cessisset. His sanè consonat dictus canon 6. caus. 16. quæst. 7.

Can. 7. caus. 16. q. 7. Canon 7. caus. 16. quæst. 7. laudandus potiùs erat nomine Capitularium Francorum; legitur enim in Capitulari VVormaciensi Ludovici Pii anni 829. num. 7. his verbis: *De decimis, quæ dare populus non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est, ne fiat. Et si quis contemptor fuerit inventus, & nec Episcopum, nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur; ceteri verò distringantur, ut vel inviti Ecclesiæ restituant, quæ voluntarie dare neglexerunt.* Hæc eadem relata sunt in librum 5. Capitularium cap. 101., itèm in additionem 4. cap. 101., & 167., nec non inter leges Longobardorum ex lege Ludovici in lib. 3. tit. 3. de decimis cap. 8.. Burchardum verò primum fuisse, qui pro Capitularium nomine voluerit potiùs inscribere nomen Concilii Moguntini, vel alterius cujuslibet, nemo miratur, quià Capitularibus Francicis memorandis sibi proposuerat abstinendum.

Can. 5. caus. 30. q. 1. Canon 5. caus. 30. quæst. 1. laudatur *ex Concilio Moguntinensi in claustro Basilicæ S. Albani.* Istud sanè est illud Concilium, quod superiùs celebratum diximus anno 813. Verùm, sive verba ipsa Gratianei fragmenti consideraverimus, quæ responsionem interroganti factam exhibent, sive canonem 55. dicti Concilii Moguntini, facilè constabit, hanc ipsam Gratiani sententiam non integram Concilio eidem tribui posse. Verba Moguntini Concilii in can. 55. relata inter Capitularia Francorum lib. 5. cap. 167., & apùd Reginonem lib. 2. cap. 196. hæc sunt: *Nullus igitùr proprium filium, vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium, vel filiam ad confirmationem tenuerit: ubi autèm factum fuerit, separentur.* Hæc quidèm consonant cum fragmento Gratiani, cujus tamèn integrum exemplar quærendum est apùd Rhabanum in Epistola ad Heribaldum, qui in cap. 20. Heribaldo Alcedronensi Episcopo de diversis quæstionibus interroganti inter cetera ità respondet: *De eo verò, quod interrogavi, si ille, qui filiolam suam, quam de sacro fonte baptismatis suscepit, & de eo, qui concubuit cum commatre sua spiritali, & de illo, qui filium suum baptizavit, & cujus uxor eum de fonte suscepit, si posteà in tali copulatione permanere possent, omninò illicitum esse judicamus. Nàm in Concilio Moguntiensi cap. 55. de talibus scriptum est: Nullus proprium filium, aut filiam à fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem suam suscipiat uxorem, nec illam, cujus filium ad confirmationem duxerit: Ubi autèm factum fuerit, separentur.* Hæc itaquè sunt, quæ Rhabanus Moguntinus Archiepiscopus ex Moguntino Concilio respondebat. Burchardus, ceterique Collectores privato auctori caput inscribere detrectarunt: sed quoniàm & de Moguntino Archiepiscopo agebatur, & de eo, qui Moguntini Concilii canonem referebat, fragmentum ipsum Moguntino Concilio tribuerunt; &, quod pejus est, propè finem aliis omninò verbis, & sententiis contrà fidem Collectore dignam involverunt.

Can. 20. caus. 32. q. 7. Pòst nupèr memorata verba Rhabani Moguntini Archiepiscopi ad Heribaldum ità sequitur in eadem Epistola: Itèm in Synodo Moguntiensi cap. 56. *Si quisquam viduam uxorem duxerit, & posteà cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, aut siqua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio, tales copulationes anathematizari, & disjungi præcipimus, nec unquàm ampliùs conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri.* Hæc referenda sunt ad canonem ultimum Concilii Moguntini anni 813., ubi eadem omninò leguntur, consonantque cum cap. 168. lib. 5. Capitularium Regum Francorum. Paulò alitèr quidèm, sed admodùm similis sententia legitur in Concilio Moguntino anni 487. can. 29. his verbis: *Siquis viduam uxorem duxerit, & posteà cum filiastra sua fornicatus fue-*

fuerit, seu duobus sororibus nupserit, aut siqua duobus fratribus nupserit, seu cum patre; item siquis relictam fratris, quæ pœnè priùs soror extiterat, carnali conjunctione violaverit; siquis neptem in conjugium acceperit; siquis novercam, aut nurum suam duxerit; siquis consobrinæ suæ impudicè se sociaverit, vel relictæ, sive filiæ avunculi, aut patris filiæ, vel privignæ suæ concubitu pollutus, vel hujusmodi conjunctionis attactu maculatus fuerit; eos disjungi, & ulteriùs nunquàm conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri volumus. Ex utroque duorum Moguntinorum Conciliorum canone conditus est, & elucubratus apùd Gratianum can. 20. caus. 32. quæst. 7., qui propterea rectè nomine Moguntini Concilii laudatus est, quemque ideò ex dictis emendare juvabit.

Can. 21. caus. 32. q. 7.

Quasi ex eodem Moguntino Concilio subjicitur apùd Gratianum canon 21. caus. 32. quæst. 7. Immemor autèm videtur Gratianus, se jam eadem verba retulisse nomine Concilii Aurelianensis in can. 30. caus. 27. quæst. 2. Fortè quispiam ex Collectoribus fragmenta hujusmodi referens ex Epistola Rhabani Moguntini Archiepiscopi, in qua multa similia habentur, Moguntino Concilio se posse adscribere existimavit; nàm in dicto capite 20. Epistolæ Rhabani ad Heribaldum hæc præterea habentur: *Item in Synodo Moguntinensi de incestis conjugiis scriptum est: Siquis fornicatus fuerit cum duabus sororibus, vel cum noverca sua, vel cum sorore sua..... nunquàm conjugio copuletur.* Hæ itaquè cum plurimum adfinitatis habeant cum Gratiani verbis in dicto can. 21., & reverà Concilii Moguntini fuerint, teste Rhabano Moguntino Archiepiscopo, occasionem præbuerunt Collectoribus, ut illa ipsa verba nomine Moguntini Concilii referrent. Ceterùm habentur illa eadem in Concilio Vermeriensi anni 752. can. 12. ubi ità legitur: *Qui dormierit cum duabus sororibus, & una ex illis anteà uxor fuerit, nullam ex illis habeat, nec illa adultera soror, nec ille vir, qui cum illa adulteravit, illos unquàm accipiant.* Qui primus hunc canonem paulò aliter, retentâ tamèn sententiâ, expressit, fuit Regino in lib. 2. de Ecclesiast. discipl. cap. 215. ibi: *Qui dormierit cum duabus sororibus, & una ex illis anteà uxor fuerit, nullam ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri unquàm conjugio copulentur.* Reginonis editionem sequuti sunt Collectores recentiores, & inter ipsos Gratianus.

Can. 102. de cons. dist. 4.

Sententiam canonis 102. de cons. dist. 4. alio in loco Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo vindicabo. Sed quoniàm Ivo, Burchardus, & Gratianus constantissimè illam tribuunt Moguntino Concilio, curandum arbitror, ut quoquo modo Concilio Moguntino tribui potuisse conjiciam. Anno 829. Imperator Ludovicus Pius quatuor Episcoporum Concilia celebrari mandavit, primum Moguntiæ, alterum Parisiis, tertium Lugduni, postremum Tolosæ; quibus peractis, voluit, ut Episcopi omnes, qui in quatuor ista Concilia ex diversis Provinciis jam convenerant, rursùm convenirent in Parisiensem, unà simùl confirmaturi, quod sejuncti constituissent. Hinc celebratum est Concilium illud, quod Parisiense sextum appellant, in quo plura Capitula edita sunt in tres libros divisa, quæ sanè à Collectoribus tribui pro lubito potuerunt Moguntino Concilio, quemadmodùm & Parisiensi, vel Lugdunensi, vel Tolosano, cum canones Parisiensis Concilii iidem essent cum Canonibus Moguntinis, Lugdunensibus, & Tolosanis. Itaquè in lib. 1. can. 7. Concilii Parisiensis hæc leguntur: *A quibusdam, quamvis fides Christi inhiantèr expetatur, aliter tamèn agitur, quàm divina auctoritas testetur...quia illi in sua sponsione aliquos de sacrosancto Fonte suscipiunt, nec fidei, nec baptismatis Sacramento sunt instructi, & idcircò eos, quos suscipiunt, & secundùm sanctorum Patrum documenta docere debuerant, erudire nequeunt. Quod ad negligentiam Sacerdotum, nec non & auditorum pertinere dubium non est. In hoc quippè facto, de quo agitur, quantum à Religione Christiana digressum sit, ignorari fas non est.* Deindè in cap. 54. ejusdem Con-

Concilii hæc statuuntur: *Quòd hi, qui fidem Christi expetunt, & provectæ ætatis existunt, priusquàm ad baptismum accedant, instruendi sint & fidei, & baptismatis Sacramento, nec non & illi, qui alios de sacro fonte suscipiunt, quique ad percipiendum S. Spiritus donum coràm Pontificibus pro aliis Patroni existunt, intelligere debeant, & vim tanti Sacramenti, & quid pro aliis spoponderint, jam in præcedentibus Capitulis dictum est. Illos tamèn in hoc Capitulo specialiter ab his officiis removendos judicamus, qui propter reatum suum publicâ sunt pœnitentiâ mulctati; videlicèt ut nec alios de Sacri Fontis baptismate suscipiant, nec etiàm ad percipiendum S. Spiritus donum aliorum Patroni coràm Pontificibus existant, donèc per dignam pœnitentiæ satisfactionem reconciliationem mereantur.* Caput istud inter Capitularia Francorum relatum est lib. 6. cap. 182.; Mihi autèm verosimile videtur, recentiores Collectores, qui Gratiano auctores extiterunt, voluisse ejusdem capitis sententiam perstringere in dicto can. 102., cujus definitionis ratio optima est, cum susceptores, qui pro baptizandis, aut confirmandis apùd Ecclesiam quodammodò fidejubent, pollicenturque se operam daturos, ut baptizati, confirmatique in fide recta perseverent, ipsi præcipuè firmi omninò in fide esse debeant. Non omitto etiàm hoc in loco canonem 47. Concilii Moguntini anni 813. quippè & in eo jam agnoscitur dicti Parisiensis Concilii ratio, ibi: *Deindè præcipimus, ut unusquisque compater, vel proximi spiritales Filios suos catholicè instruant.* Sed hæc verosimilia sunt. Clariùs ejusdem fragmenti auctorem indicabo, cum de Theodori Cantuariensis capitibus agendum erit.

CAPUT L.

De Concilio Meldensi.

Persequor Gallicanorum Episcoporum Concilia, quæ nono Ecclesiæ sæculo numero plura celebrata sunt, curantibus præ ceteris piissimis Francorum Regibus, qui res Ecclesiasticas fovebant plurimùm, ac promovebant. Est ex illis Concilium Meldense, cujus hæc sunt capita apùd Gratianum.

Can. 3. *caus.* 1. *q.* 2. *confirmatus in Capitulari Caroli Calvi.*
Can. 17. *caus.* 1. *q.* 7. *ab initio non omninò probatus.*
Can. 5. *caus.* 6. *q.* 1. *pertinet ad Capitulare Karlomanni anni* 882.
Can. 32. *caus.* 7. *q.* 1. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 41. *caus.* 11. *q.* 3. *confirmatus in Capitulari Caroli Calvi.*
Can. 6. *caus.* 23. *q.* 8. *confirmatus in Capitulari Caroli Calvi.*
Can. 1. *caus.* 28. *q.* 2. *est potiùs Concilii Triburiensis anni* 895.
Can. 10. *caus.* 36. *q.* 2. *non confirmatus in Capitulari Caroli Calvi.*
Can. 18. *de cons. dist.* 1. *pertinet potiùs ad Capitularia Francorum.*
Can. 7. *de cons. dist* 5. *pertinet potiùs ad Concilium Parisiense* 6.

PRopè medium noni sæculi conquerebantur Episcopi Gallicani, quòd Ecclesiastica bona à Laicis usurpata detinerentur, atque eorum eò difficilior recuperatio videbatur, quò potentiores erant illi, qui possessionem habebant. Videbatur, opus esse solemni Concilio, quod, primùm annuente Carolo Calvo Francorum Rege, celebratum est anno 745. apùd Meldam vulgò *Meaux*, quo con-

convenerunt unà cum suis suffraganeis numero pluribus tres Archiepiscopi, VVenilus Senonensis, Hincmarus Rhemensis, & Rodulphus Bituricensis. Et quidèm ibi in primis renovata sunt quamplura capita in præcedentibus Galliæ Conciliis edita, quæ scilicèt propter temporum inopportunitatem exequutioni demandari eo usquè non potuerant. verùm ob nonnulla locorum, & rerum adjuncta, nondùm perfecto negotio, dissoluta Synodus est, & demùm sequente anno 846. rursùm Episcopis concessum fuit convenire in Parisiensem Urbem, ubi plurima capita constituta fuerunt numero 80., omnia propemodùm eo pertinentia, ut res, & bona Ecclesiarum Viris Ecclesiasticis de manibus Laicorum ereptæ restituerentur; sed parùm felici exitu. Etenim nonnulli Proceres Regni, quibus ingens ex rebus Ecclesiasticis conflatum Patrimonium jam diù fuerat, canonum exequutionem ut impedirent, totis viribus contenderunt, præsertim opem, & subsidium Principis implorantes, qui, ne gravissimis contentionibus Reipublicæ perniciosis occasio præberetur, optimum duxit, non omnia Concilii Meldensis, sive Parisiensis decreta exequutioni demandari, nonnullis tantummodò probatis, ac confirmatis. Hinc in editione Capitularium Parisiensi anni 1677. tom. 2. tit. 7. habetur Capitulare Caroli Calvi, in Villa Sparnaco celebratum, ubi proponitur, relata fuisse in solemnibus Comitiis capitula illa, quæ Episcopi Gallicani quamplures in diversis Conciliis anni 846. ediderant. *Oblata sunt eidem Principi, sicut ipse jusserat, collecta ad relegendum in Sparnaco Villa Rhemensis Ecclesiæ. Et quia factione quorumdam motus est animus ipsius Regis contra Episcopos, dissidentibus Primoribus Regni sui ab eorumdem Episcoporum ammonitione, & remotis ab eodem Concilio Episcopis, ex omnibus illis capitulis hæc tantùm observanda, & complacenda sibi collegerunt, & Episcopis scripto tradiderunt, dicentes non amplius de eorum capitulis acceptasse, quàm ista, & ista se velle cum Principe observare.* Itaquè non indiscriminatim ab initio recepti fuerunt singuli Meldenses canones, sed perpauci, ii scilicèt, quos Carolus Calvus in suo Capitulari comprehendit, ac confirmavit; quod operæ pretium erit observare Gratianea fragmenta expositurus, ut confirmata capitula à non confirmatis secernantur. Non tamèn inficias iverim non multo pòst, aut omnes omninò, aut ferè omnes Meldenses canones usu fuisse receptos, vel quòd eo collinearet Episcoporum fermè omnium anxia sollicitudo, non patientium bona Ecclesiastica apùd Laicos diutiùs remanere, vel quòd Collectores canonum indiscriminatim canones omnes Meldenses posteà in suos Codices retulerint, & tamquàm regulas communitèr servandas omnibus proposuerint.

In cap. 43. hujus Concilii Meldensis habetur canon 3. caus. 1. quæst. 7., cujus priora verba ità legenda sunt ex integris Concilii exemplaribus: *Cavendum est, & summoperè præcavendum, ac per virtutem Christi Sanguinis interdicendum &c.* Pro illis verbis: *atque consensoribus*, legunt aliqui: *atque censoribus*; sed minùs aptè, ut arbitror: etenim *consensorum* nomen optimè accipitur pro Episcopis illis, qui simùl Coepiscopos ordinant: & Consensores dicuntur, vel quia unà cum Episcopo ordinante consentiant, vel quia unà in ordinatione consideant; quam interpretationem exigere videntur posteriora illa verba: *Consensoribus, seu ordinatoribus.* Demùm pro illis postremis verbis: *aut per submissam personam*, legunt alii: *aut per emissam personam*; Quæcumque autèm lectio in hac parte recipiatur, parum, aut nihil interesse videtur. Porrò hic canon ex illis est, qui à Carolo Calvo in solemnibus Comitiis receptus est, ac confirmatus, uti constat ex memorato Capitulari numero 43. Can. 3. caus. 1. q. 7.

Canon 17. caus. 1. quæst. 7. habetur in canone 64. ejusdem Concilii his verbis: *Raptores Virginum, & viduarum, qui etiam posteà voluntate parentum eas quasi* Can. 17. caus. 1. q. 7.

si desponsantes sub dotalitii nomine in conjugium duxerunt, publicæ pœnitentiæ subigantur, & pòst publicam pœnitentiam, proùt prævideriṫ Episcopus, peractam, ne in pejus corruant, iterùm convenientes, de cetero eleemosynis, & ceteris quibusque religiosæ, & salvificæ conversationis actionibus inservire procurent, usquequò ab opere conjugali ex consensu se valeant abstinere. Filii verò ex hujusmodi vituperabili conjunctione antè conjugium etiàm minùs laudabile procreati, ad Ecclesiasticam dignitatem nullo modo provehantur; nec de tali conjugio generati Ecclesiasticis ordinibus applicentur, nisi fortè eos aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet. Duo in hoc integro canone continentur. Primum ad raptorum pœnitentiam pertinet, alterum ad filios eorumdem. Illud quidèm confirmatum fuit à Carolo Calvo in memorato Capitulari num. 67. his verbis: *Qui sanctimoniales Virgines, vel Viduas rapiunt, & progressu etiàm criminis in conjugium sumunt, publicæ pœnitentiæ juxtà modum, quem prævideriṫ Episcopus, subigantur; ipsæ verò locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum religionis redire cogantur. Uterque autèm sine ulla spe uxoriæ copulationis perennitèr maneat. Si autèm, quod absit, conjugia iterare præsumpserint, acriori subdantur vindictæ, & ampliùs propellantur. Quòd si fortè obedire monitis salutaribus non voluerint, anathematizentur.* De filiis verò, ex eo improbato conjugio progenitis, ne verbum quidèm habetur. Usu tamèn & in hac parte receptus fuisse videtur hic canon, postquàm Regino illum laudare integrum cœperit in lib. 1. cap. 415. & 416. & in lib. 2. cap. 159. quem deindè sequi non dubitarunt posteriores canonum Collectores.

Can. 5. caus. 6. q. 3. Canon 5. caus. 6. quæst. 3. non est Concilii Meldensis, sed potiùs pertinet ad Capitulare Karlomanni anni 882. apùd Vernis Palatium editum cap. 6. Errati causa hæc fuit. Gratianus fragmentum descripsit ex Ivone, Ivo ex Burchardo, qui primus Concilii Meldensis nomen inscripsit. Fortè enim Burchardus id præstitit ex industria, ut à referendis Francorum Capitularibus abstineret, quod, uti sæpè diximus, maximè animadvertit idem Collector. Fortè autèm id præstitit ex quadam oscitantia, cum fragmenta non ex integris Conciliorum exemplaribus describeret, sed ut plurimùm ex antiquioribus fragmentorum collectionibus, præsertim verò ex Codice Reginonis. Porrò Regino hoc idem, de quo agimus, fragmentum laudaverat in lib. 2. cap. 290. cum hac epigraphe: *ex eodem*, quæ significabat referendum esse caput ad Capitulare Karlomanni, ex quo exceperat caput præcedens, scilicèt 289. Verùm in capite 289. nulla alia erat inscriptio, quàm hæc: *unde supra*, quam referebat Burchardus ad nonnulla præcedentia capita, videlicèt cap. 282. 283. 284. & 285. quæ ex Francorum Capitularibus deprompta fuerant. Burchardus id non animadvertit, sed putavit illa, *unde supra*, pertinere ad inscriptionem canonum immediatè præcedentium, sive 287. & 288. quæ referebantur nomine Concilii Meldensis, proindèque non dubitavit, & dictum canonem 290. Concilio eidem Meldensi inscribere. Sic restitutâ inscriptione, exigendus erit ad fidem integrorum exemplarium Gratianeus idem canon, cujus verba aliquantisper depravata fuerunt, atque ità legendum: *De illis autèm, qui infrà Parochiam beneficia, & alodum* (alodum dicebatur, quod avitum, aut paternum erat, liberum ab omni nexu) *non habent, & alterius Episcopi Parochiani sunt, & dum ad curtem pergunt, aut de loco ad locum iter faciunt, rapinas, & depræḍationes infrà Parochiam faciunt, placuit nobis, ut si ità propè Episcopum, ut ei depræḍatio illorum nota fieri possit, antequam Parochiam ejus exeant, mittat strenuum, & prudentem Presbyterum, qui suâ vice rationabiliter illos ad emendationem vocet. In quo superior modus compositionis, & emendationis servabitur, si vocati venire noluerint. Si verò vocationem, atque admonitionem Episcopi superbè contempserint, simili sententiâ excommunicationis feriantur, quâ & illi, qui infrà Parochiam res, aut beneficia habent, & insupèr excommunicentur, ne extrà*

Parochiam exeant, antequàm superiùs statuta adimpleant. Quorum excommunicatio seniori illorum, & proprio eorum Episcopo significanda est, ne eos recipiant, antequàm illùc redeant, ubi rapinam fecerunt, ibique plenitèr emendentur.

Can. 32. caus. 7. quæst. 1. legitur in canone 30. Concilii Meldensis; verùm in posterioribus verbis Gratiani canonis sententia depravata videtur; etenim pòst illa verba, *canonica ergò definitio conservetur*, nihil aliud sequitur in integris Concilii exemplaribus; proindèque verba illa Gratiani: *hoc est, ut utraque careat*, adjecta sunt recentioris cujuspiam manu, qui explicare voluerit canonicam illam definitionem, ad quam Meldensis constitutio referebatur. Minùs rectè tamèn; etenim nomine canonicæ constitutionis illa potiùs intelligenda videtur, quam ediderunt Nicæni I. Concilii Patres in can. 23. caus. 7. quæst. 1. ubi cautum legimus, non ut Episcopus in proposita specie utraque Ecclesiâ careat, sed potiùs, ut ad primam, quam spontè deseruit, Ecclesiam revertatur. Canon iste confirmatus videtur à Carolo Calvo in memorato Capitulari cap. 47.

Can. 41. caus. 11. quæst. 3. habetur in eodem Meldensi Concilio can. 56. juxtà emendationem Romanorum Correctorum. Probatus autèm fuit à Carolo Calvo in suo Capitulari, superiùs memorato, numero 56. Notanda in hoc capite est distinctio inter privationem communionis Ecclesiasticæ, & anathema. Etenim hoc in loco privare Ecclesiasticâ communione non idem significat, quod removere ab omnium fidelium cœtu, sed alicujus superioris gradus Ecclesiasticæ communionis participem in aliam Ecclesiasticæ communionis speciem, sive in inferiorem gradum dejicere, quemadmodùm si Presbyter à Presbyteri gradu deponatur, Diaconorum tantùm muneribus illi concessis, aut eo ad laicam solummodò communionem admisso.

Can. 6. caus. 23. quæst. 8. legitur in can. 37. Concili Meldensis, idemque verbis confirmatus in dicto Capitulari Caroli Calvi num. 37. si tamèn pro illis verbis: *arma militaria non sumant*, legamus: *arma non sumant.*

Can. 1. caus. 28. quæst. 2. minimè legitur in Concilio Meldensi: Potiùs autèm pertinet ad Concilium Triburiense anni 895. can. 39. ubi similia fermè leguntur, ibi: *Synodus Romana ait, quòd non dimittenda sit uxor pòst Baptismum, quæ habita est & antè Baptismum; in Baptismo solvuntur crimina, non tamèn legitima conjugia.* Qualis fuerit apùd veteres hujusmodi disputatio, & quid Romanis placuerit, commodiùs dicam ad interpretationem canonum 1. 2. 3. & 4. dist. 26.

Can. 10. caus. 36. q. 2. habetur eisdem verbis in can. 65. Concilii Meldensis, dummodò principio ità legerimus: *Hi autèm necdùm eas, quas rapuerant &c.* Cujus canonis sententiam, & Patrum Meldensium mentem rectè assequutus est Gratianus, dum illum ità expendit, ut permitteretur conjugium non quidèm inter raptorem & raptam ex indulgentia, sed inter raptorem & aliam quamcumque pòst raptæ mortem, vel è converso. Videtur autèm Gratianus idem parvipendisse ejusdem canonis auctoritatem, dum potiùs subdendum existimavit canonem Aquisgranensis Concilii in can. 11. quem suprà considerare juvabit, ad quem plura ad hanc rem tradidit. Non est in hac parte, cur Gratianum quis reprehendat; etenim canon Meldensis tùm demùm auctoritatem habere debet, ut ibi dicitur: *quandò in omnium aures hæc fuerit constitutio promulgata.* At hujusmodi promulgatio sequuta non est, cum in Capitulari Caroli Calvi non fuerit confirmatus. Tantùm hæc dicuntur num. 67. *Qui sanctimoniales virgines, vel viduas rapiunt, & progressu etiàm criminis in conjugium sumunt, publicæ pœnitentiæ juxtà modum, quem præviderit Episcopus, subigantur: ipsæ verò locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum Religionis redire cogantur. Uterque autèm sine ulla spe uxoriæ copulationis perenniter maneant. Si autèm, quod absit, conjugia iterare præsumpserint, acriori subdantur vindictæ, & ampliùs propel-*

pellantur. Qui si fortè obedire monitis salutaribus non voluerint, anathematizentur. Et in cap. 68. *De his, qui sponsas alienas rapiunt, vel consensu Parentum accipiunt, antiqua & Synodalis sententia observetur* (Arbitror, hæc referri ad canonem 4. causa 36. quæst. 2. de quo jam egimus suo in loco). *Quòd & si fortè in Ecclesia eventus talis reperiri dignoscitur, ut pro salutis, & Religionis competentia humanius quiddam debeant tractare Pontifices, sicùt canonica, ut eisdem verbis utamur, docet auctoritas, quia prior quidèm, inquiens, definitio durius, posterior autèm quiddam tractavit humanius, nullo modo ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor sine publica transeat pœnitentia, & sponso legalitèr mulctam componat. Quòd si hæc obedire renuerit, sine ulla refragatione anathematizetur: fautores verò illius juxtà modum culpæ Episcopali decreto pœniteant. Si verò, quod non optamus, quis de gradu Ecclesiastico talibus nuptiis se consensorem, vel inventorem manifestè prodiderit, à gradu proprio repellatur. Et si verisimilibus exindè suspicionibus fuerit propulsatus, & canonicè nequiverit adprobari, secundùm Sanctorum Patrum statuta se purgare cogatur.*

Can. 18. de cons. dist. 1.

Canon 18. de cons. dist. 1. in Concilio Meldensi minimè legitur: Apùd Ivonem laudatur nomine Concilii Aurelianensis I. cap. 45. sed nec in eodem Concilio habetur: Similitèr apùd Burchardum. Verùm potiùs legitur in Capitularibus Regum Francorum apùd Ansegisum lib. 1. cap. 144. ibi: *ut Ecclesiæ, vel Altaria meliùs construantur*, & in cap. sequenti: *ut Ecclesiæ, vel Altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur*, Hæc Capitula Regino Prumiensis sine ulla Capitularium inscriptione descripsit in cap. 30. lib. 1. his verbis: *Ecclesiæ, vel Altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur; & superflua Altaria destruantur de Ecclesia.* Cum autèm caput 28. ejusdem Reginonis laudaretur nomine Concilii Meldensis, fortè exindè evenit, ut quæ sequebantur in dicto capite 30. eidem Meldensi Concilio ex posteriorum Collectorum oscitantia adscriberentur.

Falsò præterea nomine Concilii Meldensis laudatur can. 7. de cons. dist. 5. cujus verba potiùs leguntur in Capitularibus Francorum in additione 2. cap. 6. editionis Parisiensis anni 1677. Excerptum autèm fuerat idem caput ex Concilio Parisiensi VI. anni 829. imperante Ludovico Pio celebrato, in quo cap. 33. ità legitur: *Perlatum est ad nos, quòd in quibusdam Provinciis plerique Episcopi pòst perceptionem cibi, & potus soleant per impositionem manuum tradere Spiritum Sanctum, quod tam excellenti ministerio prosùs non convenire, & in deinceps fieri non debere omnibus bonis visum est. Quoniàm credibile est, & auctoritas Ecclesiæ ità se habet, ut, sicut Apostoli unanimes existentes, Deumque collaudantes, & benedicentes, ità nimirum jejunantes accipere meruerunt Paracletum Spiritum Sanctum; eosque non nisi jejunos, sicut eorum acta docent, aliis eum tradidisse manifestum est. Sicùt enim Baptismus, excepto infirmorum causâ, non nisi à jejunis celebratur Sacerdotibus, ità etiàm traditio Spiritus Sancti, exceptâ præmissâ causâ infirmorum, non nisi à jejunis celebranda est Pontificibus. Dignum quippè est, ut Pontifices Christi primùm jejunando, & orando in cordibus suis donum præparent Spiritui Sancto, & sic per impositionem manuum ceteris fidelibus eum tradant orando. Sicùt autèm duobus temporibus, Pascha videlicèt, & Pentecoste, Baptismus, ità etiàm traditio Sancti Spiritus per impositionem manuum fidelibus tradatur: exceptis videlicèt, ut dictum est, infirmis, & mortem periclitantibus, quibus, sicùt Baptismatis gratiâ succurrendum, ità incunctanter donum Spiritus Sancti est tradendum.* Ex his supplere juvabit Gratiani fragmentum, in quo perstricta est ejusdem Parisiensis canonis sententia.

Can. 7. de cons. dist. 5.

APPENDIX I.

De canone 1. *caus.* 35. *q.* 2. *quem Gratianus ità inscripsit* : Gregorius Papa in Synodo Meldensi.

MInimè consonant tempora Concilii Meldensis, & tempora Gregorii Papæ, nec ulla ratio esse potest, cur Gratianus canonem 1. caus. 35. quæst. 2. tribuere debuerit Gregorio Papæ in Synodo Meldensi. Romani Correctores observarunt, apùd Burchardum, Ivonem, & Pannormiæ Auctorem memorari Concilium Meldense; apùd Magistrum autèm, & Polycarpum memorari Gregorii Papæ decreta. Dubius Gratianus utrumque adscripsit & Gregorii, & Meldensis Concilii nomen. Rursùm observant iidem Romani Correctores, facilè contingere potuisse, ut Gregorii decretum in aliquo Meldensi Concilio referretur, in quo de ea re ageretur, atque exindè prodierit Gratiani inscriptio. Non est hæc observatio improbanda; etenim in Epistola, quæ Gregorio Magno tribuitur, ad Felicem Messanensem, habetur usquè ad septimum gradum cognationis matrimonia impediri. In Concilio autèm Meldensi anni 845. can. 66. ubi de virginum raptoribus agitur, memoratur Gregorius. Fortè igitùr quis potuit fragmentum, quod retulit Gratianus Gregorio tribuere, & Gregorium ità laudare, quasi diceret, Gregorium illum esse, cujus decreta in Concilio Meldensi probata fuerant. Ceterùm fragmentum istud nullo modo tribui potest temporibus Gregorii Magni; quemadmodùm commodiùs ostendam ad can. 2. caus. 35. quæst. 8. etenim non nisi pòst obsoletas in Italia Romanas leges illud vigere cœpit, ut pòst septimam demùm generationem conjugia contraherentur. Potiùs id tribuemus temporibus Gregorii III. qui Epistola 1. ad Bonifacium Archiepiscopum cap. 5. ità scribit : *Progeniem verò suam unumquemque ad septimam generationem observare decrevimus.* Atque hæc disciplina sæculo 9. 10. & 11. viguit, quemadmodùm constat ex cap. 432. libri 7. Capitularium, ibi : *Nullus fidelium usquè ad finitatis lineam, id est, usquè ad septimam progeniem consanguineam suam ducat uxorem, vel eam quoquo modo incesti macula polluat.* Et ex Concilio Romano sub Nicolao II. anni 1059. can. 11. ibi : *Ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat usquè ad generationem septimam, vel quousquè parentela cognosci poterit.*

APPENDIX II.

De canonibus, nomine Concilii Mediomatricis à Gratiano laudatis.

Hoc nomine duo fragmenta apùd Gratianum habemus.

Can. 4. *caus.* 10. *q.* 2. *est potiùs Concilii Meldensis.*
Can. 44. *caus.* 12. *q.* 2. *est potiùs Concilii Meldensis.*

COncilia, quæ appellantur Mediomatricis, aliàs etiàm dicuntur Metensia ab urbe Mediomatricis in Gallia, vulgò *Metz.* Hinc factum est ex quadam nominum similitudine, ut canones Meldensis Concilii aliquandò inscripti fuerint Concilio Metensi primùm, deindè Concilio Mediomatricis; quemadmodùm enim facile erat nomen Metensis pro Meldensi scribere, ità posteà facile

cile fuit Collectoribus, ut pro nomine Metensis scriberetur Mediomatricis. Itaquè id contigit in duobus illis Canonibus, à Gratiano relatis, videlicèt in can. 4. caus. 10. quæst. 2. legitur ca-
Can. 4. caus. 10. q. 2. non 22. Meldensis Concilii, qui dicitur jam editus anteà fuisse in Synodo Belluacensi (quamobrem apùd Burchardum, & Ivonem idem fragmentum nomine Concilii Belluacensis laudatur) his tamèn verbis, ex quibus Gratiani fragmentum restituere juvabit : *Precaria autèm à nemine de rebus Ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus Ecclesiæ in suo tantùm qui dederit nomine, si res proprias, & Ecclesiasticas usufructuario tenere voluerit. Si autèm res proprias ad præsens dimiserit, ex rebus Ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo tantùm quis nomine sumat, quia sic eas quemque tractare oportet, ut alienarum dispensatorem, non propriarum largitorem; & à nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus, propriè Deo, & Sanctis illius dicatis, cum ratio, & usus obtineat, neminem, qui non vult, contrà utilitatem, & rationem præstitum de proprio facere beneficium. Præcepta autèm regalia supèr precariis Ecclesiasticis fieri nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit. Quoniàm præcepta in jure Ecclesiastico firmare indignum judicet necesse est Majestas Regia, nisi ab Ecclesiastico Rectore petantur. Idem autèm Custos Ecclesiæ solertissimè caveat, ne, sui ordinis, & Ecclesiasticæ communionis forte immemor, contrà auctoritatem præceptum Regium pro quacumque assentatione fieri petat; qui etsi fecerit, non audiatur. Si autèm & obtinuerit, Regia discretione, & Episcopali judicio idem rescindatur, & petitor injustus pro Principis injusta suggestione dignè corripiatur, & precariæ secundùm antiquam consuetudinem, & auctoritatem de quinquennio in quinquennium renoventur.* Et in canone 23. *Ut commutationes rerum Ecclesiasticarum valdè caveantur, & subtilissimè, si aliquo modo fieri debent, inspiciantur.* Nupèr descriptum can. 22. Concilii Meldensis probavit, confirmavitque Carolus Calvus in Capitulari anni 846. cap. 22. eisdem verbis. De Precariarum contractu non est, cur hoc in loco quidpiam adjiciam, vel quòd superiùs jam nonnulla de illis dixerim, vel quòd passim apùd Interpretes de eisdem abundè disseratur. Videatur Gonzalezius ad titulum Decretalium de precariis. Postrema autèm Gratiani verba, de commutationibus rerum Ecclesiasticarum, & mancipiorum non faciendis, videntur deprompta ex Capitulari Suessionensi ejusdem Caroli Calvi anni 853. in quibus num. 12. hæc habentur : *Ut missi nostri omnibus per illorum missaticum denuncient, ne commutationes rerum, vel mancipiorum quilibet Prælatus earumdem rerum Ecclesiasticarum sine licentia, & consensu nostro facere præsumat, neque mancipia Ecclesiastica quisquam, nisi ad libertatem, commutet : videlicèt, ut mancipia, quæ Ecclesiastico dabuntur, in Ecclesiæ servitute permaneant, & Ecclesiasticus homo, qui commutatus fuerit, perpetuâ libertate fruatur*

Can. 44. caus. 12. quæst. 2. eisdem omninò verbis legitur in can. 21. Concilii Meldensis, qui & confirmatus est à Carolo Calvo in memorato Capitulari anni 846. can. 21.
Can. 44. caus. 12. q. 2.

APPENDIX III.

De canonibus Concilii Belluacensis.

Can. 5. caus. 10. q. 2. confirmatus in Concilio Meldensi.
Can. 121. de cons. dist. 4. pertinet potiùs ad Capitula Theodori Cantuariensis.

AD idem Meldense Concilium referendum omninò erat Concilium Belluacense, in urbe scilicèt Belluacensi, vulgò *Beauvais*, celebratum anno 845.

uno

uno mense antè Concilium Meldense. Uti enim superiùs observaveram, jam plura antè Concilium Meldense Episcoporum celebrata fuerant in Galliis Concilia, ut tandèm aliquandò bona Ecclesiastica, quæ à Laicis detinebantur, Ecclesiis restituerentur, irrito tamèn conatu, cum Potentum plurium improbitas, atque avaritia obsisteret. Ex his fuit Synodus Belluacensis, cujus canones statim vim suam explicare non potuerunt; sed tandèm, ubi confirmati sunt quamplures in Meldensi Concilio, & à Carolo Calvo in suo Capitulari anni sequentis, maximam habuerunt in illis Provinciis auctoritatem. In vulgatis Concilii Meldensis editionibus referuntur canon 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. & 24. quasi ex capitibus habitis in Synodo Belluacensi, inter quos est canon 22. superiùs integrè descriptus ad can. 4. caus. 10. quæst. 2. Nemo autèm non vidèt eo etiàm pertinere canonem 5. eadem causâ, & quæstione. Quicumque cupit formulas, quibus Precariæ veteres aut constituebantur, aut singulis quinquenniis renovabantur, observare, videat formulas Marculfi in appendice num. 27. & 41. Bignonium formulâ 20. & Lidembrogium formula 19. Can. 4. caus. 10. q. 2.

Adjiciendus hic esset canon 121. de cons. dist. 4. utpotè qui apùd Gratianum Concilio Belluacensi tribuitur. Verum non est alicujus Belluacensis Concilii, sed potiùs Theodori Cantuariensis; quamobrèm commodiùs, ubi de Theodori capitibus agendum erit, hoc ipsum fragmentum expendam. Can. 121. de cons. dist. 4.

CAPUT LI.

De Concilio apùd Sanctum Medardum.

Duo sunt hujus Concilii fragmenta apùd Gratianum.

Can. 9. caus. 2. q. 1. consonat cum actione I. Concilii.
Can. 17. caus. 22. q. 5. ad integra Concilii exemplaria exigendus.

CONcilio Suessionensi, in Monasterio Sancti Medardi in Gallia celebrato, causam dedit præcipuam Hincmarus Rhemensis Episcopus. Cum enim tempore Ludovici Imperatoris jam diù Sede Rhemensi privatus fuisset Ebbo Hincmari prædecessor, deindè operâ Ludovici ejusdem restitutus, plures in eadem Ecclesia ordinaverat. Verùm, cum rursùs ab Archiepiscopatu dejectus esset sub Carolo Calvo Rege, & in ejus adhùc viventis locum substitutus Hincmarus, dubitari cœpit de ordinatione Clericorum, ab Ebbone facta. Intereà mortuus est Ebbo anno 851. & tùm Hincmarus cœpit vehementiùs ordinatos ab Ebbone Clericos insequi, quousquè celebratum Concilium estanno 853. in quo & Carolus Calvus Rex interfuit, & quinque Provinciarum Episcopi ultrà tringinta, cum Abbatibus, & Clericis pluribus. Octo actionibus confecta res fuit, in quibus causa Clericorum eorumdem discussa abundè fuit, editique sunt canones tresdecim, Regiâ auctoritate etiàm confirmati, quorum aliqui ad easdem Clericorum, vel aliorum singulares causas attinent, alii ad disciplinam Ecclesiasticam generalitèr stabiliendam.

In actione 1. hujus Concilii habetur canon 9. caus. 2. quæst. 1. Convocatâ enim Synodo, nunciatum est Clericos plures Rhemenses adesse, qui in Synodum convenire exoptabant. Hincmarus, qui inter Episcopos sedebat, petiit, ut recitarentur illorum nomina, ex quibus adparuit, quatuor esse Canonicos Can. 9. caus. 2. q. 1.

cos Rhemensis Ecclesiæ, & plures alios Monachos, Synodus, & Princeps facultatem ingrediendi fecerunt, quos ingressos, ac rogantes, ut ex benignitate in ordinibus ab Ebbone susceptis reciperentur, interrogavit Hincmarus, utrùm libellum reclamationis, aut postulationis haberent? Cum autèm respondissent, se præ manibus nullum habere libellum, *Hincmarus Archiepiscopus dixit*, (sunt verba in eadem actione descripta) *Legum Ecclesiasticarum consuetudo, & auctoritas talis est, ut in causis gestorum semper scripturam requirant &c.* quæ habentur in dicto can. 9. Hinc iidem Clerici statim libellum conscripserunt, & Synodo porrexerunt. Quid in hac causà definitum fuerit, ex integris Concilii actis patet; ad rem autèm nostram nihil interest illud adferre. Tantùm dixero hæc idem caput referri in Gregorii IX. Decretalibus, & quidèm nomine Concilii habiti apùd S. Medardum, sed pro Hincmaro scriptum est : *Ignarus Episcopus.*

Can. 17. caus. 22. q. 5. Canon 17. caus. 22. quæst. 5. pertinet ad caput 10. ejusdem Concilii, ubi hæc leguntur : *Et ut in locis sacratis diebus dominicis, vel aliis solemnitatibus, judicia publica non exerceantur : neque enim fas esse ibi reos puniri, ubi respectu divinæ reverentiæ misericordiam consensu fidelium consequuntur.* Carolus Calvus in suo Capitulari, in quo ejusdem Concilii capita confirmavit, clariùs hanc eamdem sententiam expressit numero 8. his verbis : *Ut missi nostri Comitibus, & omnibus Reipublicæ Ministris firmiter ex verbo nostro denuntient, atque præcipiant, ut à quarta feria antè initium Quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria usquè pòst octavas Pasquæ mallum*, (erat mallum publicum auditorium judiciale, causâ litium dirimendarum, & quidèm graviorum, *vel placitum publicam, nisi de concordia, & pacificatione discordantium, tenere præsumant. Similiter etiàm à quarta feria antè Nativitatem Domini usque pòst consecratos dies observent, necnon & in jejuniis quatuor temporum, & in Rogationibus simili observatione eosdèm feriatus dies venerari omnimodis studeant.* Hæc sanè sive Episcoporum, sive Regis sententia nihil exprimit de jurejurando, quemadmodùm exprimitur apùd Gratianum. Primus expressit Regino in sua collectione lib. 2. cap. 319. ubi Concilii Suessionensis apùd Sanctum Merdardum canonem referre volens nonnulla adjecit his verbis : *Ut Missi nostri Comitibus, & omnibus Reipublicæ Ministris firmiter ex verbo nostro denuntient, ut à feria quarta antè initium Quadragesimæ usquè pòst octavas Paschæ mallum publicum, nisi de concordia, & pacificatione, tenere præsumant, neque aliquis juret. Similiter etiàm à quarta feria antè Nativitatem Domini usquè pòst consecratos dies observent, necnon & jejuniis quatuor temporum, & in Rogationibus. Nullus etiàm in dominico die placitum teneat, aut Sacramentum juret.* Ex Reginone rursùm paulò alitèr idem fragmentum descripserunt posteriores Collectores, in ea præsertim parte, quam Regino idem adjecerat, ex recentioribus Collectoribus alitèr descripsit Gratianus, quàm in integris Concilii exemplaribus habeatur.

CA-

CAPUT LII.

De Conciliis Eugenii II. & Leonis IV. Pontificum Maximorum.

Duo Romana Concilia, quorum primum est Eugenii II. anno 826. alterum Leonis IV. anno 853. celebrata, hic simùl exhibeo ideò, quòd prius à posteriore confirmatum fuerit, imò in posteriore nonnulla adjecta fuerint priori, quasi minùs integro, & non ex omni parte ad Ecclesiasticam disciplinam stabiliendam absoluto. Gratianus illorum nomine sequentes canones retulit.

Can. 12. *dist.* 37. *est Eugenii Papæ, cui nonnulla ex Leone adjicienda sunt.*
Can. 1. *dist.* 72. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
Can. 6. *dist.* 79. *pertinet ad Capitulare Romanum anni* 824.
Can. 7. *dist.* 81. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 22. *dist.* 81. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 3. *caus.* 5. *q.* 3. *perperàm Anacleto Papæ tributus.*
Can. 3. *caus.* 12. *q.* 1. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 27. *caus.* 12. *q.* 1. *varius in diversis exemplaribus.*
Can. 18. *caus.* 12. *q.* 2. *apocryphus, sed disciplinæ* 9. *sæculi conveniens.*
Can. 2. *caus.* 14. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 62. *caus.* 16. *q.* 1. *consonat cum canone Eugenii, & Leonis.*
Can. 33. *caus.* 16. *q.* 7. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
Can. 9. *caus.* 20. *q.* 1. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 4. *caus.* 21. *q.* 4. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
Can. 31. *caus.* 27. *q.* 1. *jam à Romanis Correctoribus restitutus.*
Can. 23. *caus.* 27. *q.* 2. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 30. *de cons. dist.* 2. *falsò tributus Clementi Papæ.*

ANNO 826. Ludovico, & ejus filio Lothario imperantibus, celebratum est Romæ ab Eugenio II. sexaginta, & amplius Episcoporum Concilium, præter Presbyteros, & Diaconos plures, in quo constituti sunt canones 38. ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam. Eosdem canones confirmavit in alio Romano Concilio totidèm ferè Episcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum Leo IV. qui & aliqua ipsismet Eugenianis canonibus adjecit, & ipsum canonum numerum, ac sententias adauxit ità, ut canones 42. recenseantur, præter acta depositionis Anastasii Presbyteri, ut vocant, Cardinalis, cui & Lotharius Imperator unà cum Pontifice Maximo subscripsisse fertur. De hac Leonis IV. Synodo ità scribit Anastasius Bibliothecarius in ejusdem Pontificis vita: *Volens itaque, sicut & factum est, ex priscis auctoritatibus novam Christo juvante normam proponere, qualiter unusquisque eorum vitam castam, & sobriam duceret, & Deo, cui semper irreprehensibiliter famulatum debemus impendere, in omnibus complaceret, tunc demùm Sancti ei Spiritus gratiâ revelante unà cum consilio Serenissimorum Lotharii, & Ludovici Imperatorum anno Imperii eorum* 5. *&* 37. *atque Pontificatus jam dicti Præsulis* 7. *mense Decembris die* 8. *indict.* 11. *sanctam, & venerandam in Ecclesia B. Petri Apostoli Synodum congregavit, in qua non tam ipse Catholicus, & Apostolicus Vir, quamque & alii cum eo* 67. *Episcopi resederunt. Ex quibus quatuor Episcopi ab Imperatoribus destinati Joseph Eporegensis, Nortingus Brixiensis, Petrus Spoletinus, & alius Petrus Arretinus... Et tunc coràm omnibus quadraginta, & duo Capitula, quæ profectò ad salutem, & lucrum omnium Christianorum hominum pertinere noscuntur, per Diacones Sanctæ, & universalis Ecclesiæ le-*

legi præcepit, quæ etiàm Capitula, ut in futurum ab omnibus illibata serventur, pòst cetera decreta Pontificum in sanctis canonibus jussit adscribi, quatenùs omnes Episcopi, hujus auctoritatis exemplum antè oculos habentes, & suos possint meliùs instruere, & erudire subjectos. Ex his omnibus adparet, facile fuisse Collectoribus canonum duo hæc Concilia Eugenii, & Leonis ità confundere, ut unum pro altero sæpissimè laudaretur, aut unum utriusque Pontificis nomine, quemadmodùm, ut de ceteris sileam, contigit apùd Gratianum, qui modò Concilium Leonis memorat, modò Concilium Eugenii, modò Concilium Eugenii, & Leonis.

Ex Synodo Eugenii II. laudatur can. 12. dist. 37. Is est can. 34. Concilii Eugeniani, hisce verbis expressus. *De quibusdam locis ad nos refertur, non Magistros, neque curam inveniri pro studio literarum. Idcircò in universis Episcopis, subjectisque plebibus, & aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omninò cura, & diligentia habeatur, ut Magistri, & Doctores constituantur, qui studia literarum, liberaliumque artium, ac sancta habentes dogmata, assiduè doceant, quia in his maximè divina manifestantur, atque declarantur mandata.* His Leo IV. ista adjecit: *Et si liberalium artium Præceptores in plebibus, ut assolet, rarò inveniuntur, tamèn divinæ Scripturæ Magistri, & Institutores Ecclesiastici officii nullatenùs desint; qui & annualitèr proprio Episcopo de ejusdem actionis opere sollicitè inquisiti debeant respondere. Nàm qualitèr ad divinum utilitèr cultum aliquis accedere possit, nisi justâ instructione doceatur.* Liquet sanè ex his, quanta fuerit tum Eugenii, tum Leonis provida sollicitudo, ut Clerici edocerentur, ex quorum scientia optimum universæ Ecclesiæ regimen plurimùm pendet, præsertim verò ex studio rerum sacrarum, quod omninò etiàm in plebibus, sive in villulis colendum esse decreverunt.

Can. 12. dist. 37.

Nomine Leonis Papæ refertur canon 1. dist. 72. qui legitur inter canones Concilii Eugeniani, à Leone confirmati, num. 18. cujus integra verba hæc sunt: *Episcopus subjecto sibi Sacerdoti, vel alii Clerico, nisi ab alio postulatus, dimissorias non faciat, ne ovis quasi perdita, aut errans inveniatur: sed per consensum unius in alterius inveniatur ovili. Et ne falsæ ut veræ credantur, & veræ ut falsæ suspicentur, universalis Pontificis, aut Imperialis, vel Metropolitani bullâ eas roborari oportet.* Coercita est hoc in loco Clericorum quorumdam vagandi licentia, quos à Diœcesi abesse vetitum erat, nisi ab alio Episcopo advocati fuissent; cum enim Clericus de una, cui olim sese perpetuò devinciebat, in aliam Ecclesiam transferri non posset, nisi utilitate ecclesiastica urgente; quisnam de ea fidem facere posset, nisi Episcopus quispiam translationem Clerici postularet? Ex hoc prætereà canone, arbitror, originem habuisse formulas illas literarum, quas appellant vulgò *Legalizationes*, ad evitandas fraudes falsariorum; prudentissimum enim est, vel Pontificum, vel Principum, sive Magistratuum, qui Principalem auctoritatem exercent, testimoniis unamquamque Epistolam roborari.

Can. 1. dist. 72.

Quod sub nomine Concilii Leonis IV. legitur apùd Gratianum in can. 6. dis. 79. frustrà inquireretur vel in Synodo Leonis, vel in Synodo Eugenii, sive vulgatas Conciliorum editiones observemus, sive Breviarium canonum, ad easdem Synodos pertinentium, cui Luitprandi nomen inscriptum est. Ego arbitror in vetusto aliquo codice, quod apùd Gratianum fragmentum legitur, adnexum fuisse Synodo Eugenii, & Leonis; non quòd in eodem Concilio editum fuerit, sed quòd similia quædam constituta fuerint tempore Eugenii Papæ II. in atrio B. Petri Apostoli à Lothario Imperatore, quæ appellantur Capitulare Romanum anni 824. & duobus annis antè dictam Synodum Romanam Eugenii. Duo extant hujus Capitularis exemplaria in editione Parisiensi anni 1677. Capitularium Francorum tomo 2. pag. 317. & seq. atque in primo exemplari ità legitur num 3. *In electione autèm Romani Pontificis nullus sive liber, sive servus*

Can. 6. dist. 79.

præsumat aliquod impedimentum facere, sed illi solummodò Romani, quibus antiquitùs concessum est constitutione Sanctorum Patrum, sibi eligant Pontificem. Quòd si quis contrà hanc nostram constitutionem facere præsumpserit, exilio tradatur. In altero exemplari eodem num. 3. hæc habentur: *Volumus, ut in electione Pontificis nullus præsumat venire neque liber, neque servus, qui aliquod impedimentum faciat illi, exceptis solummodò Romanis, quibus antiquitùs fuit consuetudo concessa per constitutionem Sanctorum Patrum eligendi Pontificem. Et siquis contrà hanc jussionem nostram facere præsumpserit, in exilio tradatur.* Eadem constitutio legitur in lib. 3. Legum Longobardarum tit. 11. §. 3. Hinc autèm videtur desumptus dictus can. 6. dist. 79. & Concilio Eugenii, & Leonis adjectus, non quidèm eisdem verbis, sed ad Amanuensis arbitrium paulò alitèr descriptâ sententiâ.

Can. 7. & 22. dist. 81. Nomine Eugenii Papæ referuntur canones 7. & 22. dist. 81. qui habentur in can. 14. & 15. ejusdem Concilii Eugeniani. Verba canonis 14. hæc sunt: *Sacerdos etenim, aut quivis alius in Ordinem Ecclesiasticum provectus, si in eo scelere inveniatur, quo abjiciendus existat, depositus providentiâ Episcopi benè proviso loco constituatur, ubi peccata lugeat, & ulteriùs non committat.* Verba canonis 15. hæc sunt: *Si quispiam Sacerdotum, id est, Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel etiàm Subdiaconus de quacumque fœmina crimine fornicationis suspicatus, pòst primam, secundamque, & tertiam admonitionem Metropolitani, vel alterius Episcopi, aut ejus, cui subjacere videtur, inveniatur fabulari cum ea, aliove modo conversari, canonicè judicetur. Quapropter unusquisque Episcopus in tali re studiosè, ac diligenter curam habere debet, ne Ecclesia Christi à propriis possit sordidari Ministris; quia, cum propriam uxorem habere non permittitur, maximè ab omni fœmina est abstinendus.* Ex his manifestè liquet, quantùm Gratianus corruperit hanc sententiam, qui primùm nullam fecit de Episcopis mentionem, deindè pœnam excommunicationis Clericis ex suspicione criminis infligendam voluit, fœminas verò canonicè judicandas, contrà quàm in ipso Concilii canone habeatur. Quamobrèm etiàm adparet, quàm distent à germana canonis interpretatione Glossographi, & Interpretes, qui ad eumdem canonem adnotaverunt, *fœminam ratione delicti fieri de foro Ecclesiæ*; cum de sententia adversùs fœminas proferenda ne verbum quidèm in canone ipso legatur; quod enim de fœminis Gratianus dicendum voluit, ut canonicè judicentur, in ipso Concilio de Clericis dicitur, quos canonicè judicari, idem significat, ac è proprio gradu dejici, quotiès criminis rei probati fuerint; neque enim Clericis juxtà sacrorum canonum disciplinam infligi potest pœna excommunicationis; sed primùm deponendi sunt, laicâ illis communione concessâ: tùm demùm autèm excommunicandi, cùm in crimine, cujus causâ jam pridèm depositi fuerint, sint pertinaces. Hæc porrò omnia observanda erunt ab eo, qui aptè, appositèque interpretari voluerit capitulum 2. de cohabitat. Clericor. & Mulierum.

Can. 3. caus. 5. q. 3. Ad idem Eugenii Concilium referendus erit canon 3. caus. 5. quæst. 3. cui Gratianus Anacleti Papæ nomen inscripsit. Legitur ille eisdem verbis in can. 19. ipsius Concilii Romani, quo consultum est Ecclesiarum utilitatibus, ne scilicèt occasione rerum temporalium minimè distraherentur Episcopi à gravioribus Ecclesiæ negotiis; quod aliàs fieri neutiquàm poterat, nisi præciperetur Episcopis eisdem, ut per Advocatum temporalium rerum curam gererent, excepto tamèn crimine publico, in quo nemo juxtà leges per procuratorem agere potest, sed potiùs expedit in persona propria excipere, atque accusantibus respondere.

Can. 3. caus. 12. q. 1. Optimè emendarunt Correctores Romani inscriptionem canonis 3. caus. 12. quæst. 1. etenim habetur ille in Synodo Eugenii, à Leone confirmata can. 7. ubi hæc habentur: *Necessaria etenim res exiscit, ut juxtà Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis ecclesias-*

siasticis vacent. Itaque omnibus unum sit refectorium, ac dormitorium, seu cetera officinæ ad usus Clericorum necessariæ. Ministri verò pòst Episcopum supèr eos tales eligantur, quorum vita, atque doctrina illos potiùs exornent, quàm dehonèstent. Renovarunt heic Pontifices Maximi veterem Clericorum disciplinam, quam primùm Sancti Episcopi Eusebius, & Augustinus in Cathedralibus Ecclesiis instituerant.

Can. 27. caus. 12. q. 1. Canon 27. caus. 12. quæst. 1. habetur in canone 16. ejusdem Concilii, in quo non omnia omninò consonant exemplaria. Vulgati codices ità habent: *Nulli Episcoporum liceat res immobiles de subjectis plebibus* (Gratianus legit: *res mobiles, aut immobiles &c.* Antonius Augustinus lib. 2. de emendatione Gratiani dial. 1. monet, in aliquibus codicibus legi: *liceat res mobiles de subjectis plebibus*, in aliis etiàm legi: *liceat res de subjectis plebibus*), *seu aliis piis locis in proprio usu habere, ne majores enormitèr locupletentur, aut minores tali facto pauperiores inveniantur. Contrà agens canonicâ auctoritate coarctandus existat.* Legit Gratianus: *coarctatus existat.* Antonius Augustinus in relato loco asserit, in aliquibus codicibus haberi: *canonicâ auctoritate coerceatur.* In hac codicum varietate non inutile erit adferre lectionem Breviarii ejusdem Synodi, editi ab incerto Auctore, cui nomen Luitprandi tribuitur, in canone 16. ibi: *Ut nulli Episcoporum liceat res immobiles de subjectis plebibus, aliisque piis tollere locis, ne in tali facto pauperes inveniantur. Contrà agens canonicâ auctoritate coarctandus existat.*

Can. 18. caus. 12. q. 2. Aliud refert Gratianus decretum Leonis IV. quod in ejus Concilio editum adfirmat in canone 18. caus. 12. q. 2. Non habetur illud in vulgatis Concilii exemplaribus, non in canonibus Eugenii, non in adjectionibus Leonis; sed potiùs confictum est ab eo, qui Synodi ejusdem Romanæ acta, & canones breviavit sub nomine Luitprandi. Hic, postquàm 42. capitula Romanæ ejusdem Synodi exposuit, subjecit paucis, quid definitum fuerit in causa Anastasii Presbyteri Cardinalis, quem Leo Papa damnavit, & sacerdotali honore privavit: rursùs verò duos canones ad disciplinam ecclesiasticam pertinentes addidit (cum tamèn superiùs quadragesimum secundum caput *ultimum capitulum* appellasset) his verbis concludens: *Itèm in eadem Synodo monuit, & apostolicâ auctoritate præcepit, ut unusquisque Episcopus &c... Itèm in eadem irrefragabiliter affirmando instituit, ut nullus Episcoporum, vel Sacerdotum rem sui tituli usurpare, aut alienare præsumat: qui autèm hoc fecerit, canonicam sine dubio subeat ultionem.* Non est itaquè dubitandum, hùc pertinere memoratum Gratiani fragmentum, quemadmodùm patet ex utriusque capitis collatione; illud autèm ab eodem incerto Auctore fuisse confectum ex plurium Conciliorum ejusdem sæculi sententia, deindè Leoni IV. adtributâ; nihil enim pressiùs urgeri potuit eo tempore, quàm Ecclesiarum bona semèl quæsita penès easdem Ecclesias remanere debere, cum audax Laicorum quorumdam avaritia nonnulla ex cisdem bonis occupasset, partim vi, aut fraudibus, partim ex improvida plurium Episcoporum, & Sacerdotum liberalitate.

Can. 2. caus. 14. q. 2. In can. 13. ejusdem Romani Concilii legitur canon 2. caus. 14. quæst. 2. his tamèn verbis. *Quamquàm Sacerdotum testimonium credibilius habeatur, tamèn ipsi in sæcularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis Instrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si enim eventa causa aliquid viderint*, (hic alitèr legitur apùd Gratianum), *aut audierint, ubi nullæ idoneæ sæcularium inveniantur personæ, ne veritas occultetur, & malus ut bonus existimetur, in providentia proprii sit Episcopi, ut aut coràm se, & competentibus judicibus, aut alitèr veritatem honorificè attollant.*

Can. 62. caus. 16. q. 1. In canone 26. Concilii Eugeniani hæc habentur: *Nulli liceat Episcoporum à subjecto Sacerdote, vel aliquolibet Clerico, & piis locis dationes ultrà statuta Patrum exigere, aut superposita in angariis inferre. Sed, cum sit optimus prospector, ità prospiciat, ut universa sibi oves commissæ à se maximè alan-*

tur, atque in necessitatibus adjuventur, quàm inliciti exactis dationibus opprimantur. Leo IV. in sùa Synodo hæc addidit: *Quia Dominus pascere, & docere nos docuit, & omnibus ministrare, non terrenis lucris, vel avaritiis delectari.* Ex his omnibus tum Eugenii decreto, tum Leonis adjectione descripsit Gratianus canonem 62. caus. 16. quæst. 1.

Can. 33. caus. 16. q. 7. Canon 33. caus. 16. q. 7. habetur in can. 21. Concilii Eugeniani, ex quo nonnulla sunt adjicienda ad fragmenti Gratianei integritatem, his verbis: *Monasterium, vel Oratorium canonicè constructum à dominio constructoris invitè non auferatur; liceatque illi id Presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius Diœceseos, & bonæ auctoritatis dimissoria, cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare, ità ut ad placita, & ad justam reverentiam ipsius Episcopi obedienter Sacerdos recurrat.* Hæc erant constituta in Synodo Eugenii. Leo IV. ista adjecit: *Si verò superbiâ elatus, vel aliquolibet modo à proprii se subtrahere maluerit mandatis Episcopi, canonicis eum decernimus ultionibus subjacere.* Exhibetur his imago quædam jurispatronatus, quale erat nono Ecclesiæ sæculo apùd Fundatores Monasteriorum.

Can. 9. caus. 20. q. 1. In canone 32. Concilii Eugeniani legitur canon 9. caus. 20. quæst. 1., his verbis. *Sicùt enim, qui Monasteria elegerunt, à Monasteriis egredi non permittuntur, ità hi, qui inviti sine justæ ostensionis crimine Monasteriis sunt intromissi, nisi volentes, non teneantur; quia, quòd non petunt, non observant. Ideòque tales considerandi sunt maximè peccata committere, quàm plangere, sicut decreto Sanctissimi Leonis Papæ manifestisimè continetur.* Duplici de causa quispiam sæculo 8., 9., & sequentibus Monasterium ingrediebatur, vel scilicèt propriâ, liberaque voluntate, ut indulgeret pietati, atque humilitati; vel necessitate ad pœnitentiam admissorum criminum peragendam. Propterea contigit aliquandò, ut quis de crimine per calumniam accusaretur, quin tamèn accusator quidpiam demonstrasset, & nihilominùs ob subortam gravem suspicionem accusatus in Monasterio includeretur invitus, & reluctans. Quamobrèm Eugenius decrevit, neminem *sine justæ ostensionis crimine*, id est, sine apertissima probatione criminis, de quo fuerit accusatus, esse Monasterio tradendum. Eidem canoni hæc addidit Leo IV. *Verùm etiàm, qui spontè ad talem devotionem pervenerit, & postmodùm ad nuptias, vel ad militias devolvitur, publicæ satisfactionem pœnitentiæ gerat intentiùs, ut ad perfectionem redire non diffidat.*

Nomine Leonis Papæ in Synodo Romana laudatur canon 4. caus. 21. q. 4. Can. 4. caus. 21. q. 4. legitur autèm in cap. 12. Synodi Eugenianæ, cujus hæc sunt verba, ex quibus supplendus erit, atque emendandus Gratianus: *Sacerdotes itaquè, qui ad debita, & opportuna officia Ecclesiis indifferenter adesse debent, fœnore aliquo, aut venatione, vel aliqua aucupatione, rusticoque ministerio omninò non occupentur. Quia sine ornatu Sacerdotali extrà domos eos apparere non convenit, ne ut aliquis sæcularium injurias patiantur. Sed ea solummodò, quæ per Patres constituta videntur, observent. Contrarius deniquè inventus, aut deincèps desinat, aut canonicæ subjaceat disciplinæ.*

Canon 31. caus. 27. quæst. 1. referendus est ad can. 29. Concilii Eugenia- Can. 31. caus. 27. q. 1. ni, juxtà quem jam Romani Correctores Gratianum emendaverunt: etiamnùm tamèn posteriora canonis verba desunt; nàm pòst illa: *castè observent*, ità sequitur: *Contra autèm turpes inventæ providentiâ Episcopi emendentur.* Sic se se habet canon integer Eugenianus, cui aliqua addidit Leo IV. ibi: *Secundùm culparum, vel peccatorum differentiam pœnitentia moderetur, & ipsarum cœnobiis doctrina, & institutio ad similitudinem virorum maneat Monasteriorum; quia, quamvis in sexu dispares sint, in humilitate sine status differentia concordant.*

Canon 23. caus. 27. quæst. 2. habetur in can. 36. Concilii Eugeniani, Can. 23. caus. 27. q. 2. ubi pro illo postremo verbo *solvitur* legitur *solvatur.* Explicavit uberiùs eumdem canonem Leo IV., qui isthæc adjecit: *Utraque enim pars consentiens, & magis*

gis alter ex illis divini amoris, quàm humani ardens, ut in castitate maneret, divortium miserit, & postmodùm pollicitationem propriam non observaverit, ad restrictam mentiens pœnitentiam redigatur.

Can. 30. de cons. dist. 2. Falsò inscriptum fuit nomen Clementis Papæ canoni 30. de cons. dist. 2., qui potiùs legitur in hoc Eugenii II. Concilio can. 33., quibus hæc adjecit Leo IV. *Et sicuti discretè in Ecclesia singula videntur exposita, ità virorum pars, & mulierum partibus suis contenta sit; & seculares, ne peccent, cum justificari desiderant, à prohibitis abstinere videantur; nec inter sacros cancellos ordinibus debitos, nisi permittente Episcopo, adtentent accedere.* Similia quædam constituta sunt in Concilio Turonensi II. can. 4., & Capitulari anni 744. can. 6., undè & caput 279. libri 7. Capitularium Francorum.

CAPUT LIII.

De Concilio Ticinensi.

Jam à Romanis Correctoribus jure tributum est Ticinensi Concilio, quod Gratianus Anastasio Papæ tribuisse videtur, videlicèt:

(*Can. 56. caus. 16. q. 1. est unum ex Capitibus, Ludovico Imperatori propositis.*

CElebratum est hoc Concilium in Ticinensi Civitate, quam vulgò *Papiam*, seu *Pavia*, appellamus anno 855., cum ibidèm moraretur Ludovicus Imperator. Synodi ordo hic fuit: Episcopi simùl convenientes perscrutati primùm sunt, quænam potissimùm disciplinæ ecclesiasticæ capita reformatione indigerent, eaque communi consensu colligentes descripserunt. Deindè eadem obtulerunt Imperatori, confirmationem regularum, quas proposuerant, postulantes. Ludovicus singula capita, ab Episcopis sibi proposita, Proceribus, & Ministris suis aperuit, pluraque ex illis novis editis decretis confirmavit, juxtà Episcoporum petitionem; aliqua verò ex eisdem silentio prætermisit. Inter illa capita, quæ Episcopi proposuerant, hoc legitur: *In sanctis canonibus præfixum est, ut decimæ juxtà Episcopi dispositionem distribuantur. Quidam autem Laici, qui vel in propriis, vel in beneficiis suas habent Basilicas, contemptâ Episcopi dispositione, non ad Ecclesias, ubi Baptismum, & prædicationem, manus impositionem, & alia Christi Sacramenta percipiunt, decimas suas dant, sed vel propriis Basilicis, vel suis Clericis pro suo lubitu tribuunt. Quod omnimodis divinæ legi, & sacris canonibus constat esse contrarium. Undè vestram potestatem, ut eos corrigatis, expetimus. Sacra docet auctoritas, ut publicè peccantes publicæ pœnitentiæ subjiciantur.* Hic est Gratiani can. 56. caus. 16. quæst. 1. Nihil ad hæc specialitèr constat respondisse Ludovicum, qui tantùm generalitèr decrevit, Ecclesiarum Rectores liberè suis privilegiis uti posse: in fine etiàm cavit, se aliquod temporis spatium ad correctionem indulgere illis, qui se se non emendaverint, pòst quod, si negligentes fuerint, graviores pœnas minitatur, ibi: *Nostrâ mansuetudine, ut corrigantur, quantulumcumque largimur spatium, quo quique neglecta emendare valeant, destinaturi pòst modicum legatos strenuos emendata inquirere. Qui verò negligens repertus fuerit, propriis honoribus nostro privabitur judicio.*

CA-

CAPUT LIV.

De Concilio, quod dicitur apùd Tansiacum.

Hoc nomine inscribitur.

(*Can. 55. caus. 12. q. 2. potiùs inscribendus nomine Concilii apùd Carisiacum.*

CORruptam esse inscriptionem can. 55. caus. 12. quæst. 2. nemo est, qui dubitet, dummodò idem fragmentum legat apùd antiquiores Collectores. Ivo in parte 3. cap. 235. ità inscribit: *Ex Concilio apùd Carisiacum cap.* 3. Eodem modo Burchardus in lib. 3. cap. 134. Prætereà Regino Prumiensis in lib. 1. cap. 370. ità habet: *Ex Capitulis apùd Carisiacum*: neque verò adeò difficilè evenire potuit, ut pro voce *Carisiacum* Amanuensium oscitantiâ *Transiacum* scriberetur. Editam habemus Synodum Episcoporum Gallicanorum, & quidèm quamplurium, apùd Carisiacum anno 868. Verùm nihil aliud in ea tractatum adparet ex editis actis, quàm de causa cujusdam VVilleberti Presbyteri Turonensis: fortè canones in illa conditos hodiè desideramus. Non est tamèn contemnenda Reginonis auctoritas, qui sub finem noni sæculi floruit, videlicèt propè tempora Concilii Carisiaci, quem propterea præsumendum non est aliquid ausum fuisse in affingendis novis canonibus, de quibus facilè redargui potuisset à suis. Hoc idem caput relatum est nomine Concilii apùd Carisiacum inter Capitularia Francorum, ad tempora Ludovici II. Imperatoris ad annum 867. in editione Parisiensi anni 1677. tom. 2. pag. 364. num. 12.

Si cui verò hæc non omninò placerent, adhùc ille suspicari posset, pro Concilio *apùd Tansiacum* legendum esse Concilium *apùd Tusiacum*, ità dictum à Villa Tusiaco in Territorio Tullensi sita, in qua anno 860. celebratum est Concilium, quod vulgò appellant Tullense II. Porrò inter Capitularia Caroli Calvi ad annum 865. referuntur nonnulla Capitula nomine Conventus apùd Tusiacum; & pòst illa ad annum 868. alia subjiciuntur in Compendio edita, inter quæ num. 12. hæc leguntur: *Ut missi nostri omnibus per illorum missaticum denuntient, ne commutationes rerum, vel mancipiorum quilibet Prælatus earumdem rerum ecclesiasticarum sine licentia, vel consensu nostro facere præsumat, neque mancipia ecclesiastica quisquam, nisi ad libertatem commutet. Videlicèt, ut mancipia, quæ pro ecclesiastico dabuntur, in Ecclesiæ servitute permaneant, & ecclesiasticus homo, qui commutatus fuerit, perpetuâ libertate fruatur.* Hæc porrò verba plurimùm consonant cum illis, quæ retulit Gratianus in dicto can. 55., quæque quis facilè tribuere potuit Concilio *apùd Tusiacum*, vel corrupto nomine *apùd Tansiacum* ob conjunctionem, quam in codicibus habere potuerunt acta Tusiaci cum actis Compendii. Non omittam, eadem constituta fuisse in Conventu Suessionensi apùd S. Medardum sub eodem Carolo Calvo anno 853. num. 12. Adde etiàm caput 1. Concilii Tullensis II. apùd Tusiacum, nupèr memorati, in quo generalitèr constitutum est, ut res Ecclesiasticæ perpetuò remanere debeant penès Ecclesiam, nec possint aliquandò à Laicis per vim, aut fraudem vindicari.

CA-

CAPUT LV.

De Concilio VVormatiensi.

Concilio VVormatiensi tribuuntur apùd Gratianum sequentes canones.

Can. 50. *dist.* 50. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 23. *caus.* 2. *q.* 5. } *Simùl jungendi, & ex disciplina medii temporis*
Can. 26. *caus.* 2. *q.* 5. } *explicandi.*
Can. 44. *caus.* 16. *q.* 1. *pertinet ad Capitulare Caroli Magni anni* 804.
Can. 25. *caus.* 23. *q.* 8. *consonat cum Capitularibus Regum Francorum.*
Can. 16. *caus.* 33. *q.* 2. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 17. *caus.* 33. *q.* 2. *ex vulgatis Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 18. *caus.* 35. *q.* 2. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 93. *de cons. dist.* 2. *pertinet potiùs ad Francorum Capitularia.*

CEleber est ille Episcoporum Conventus, quem habitum ferunt tempore Hadriani II. Pontificis Maximi, & Ludovici II. Imperatoris anno 868. in Civitate VVormatiæ, intrà Palatinatum Rheni constituta sub Archiepiscopatu Moguntino. In præfatione Concilii testantur Antistites, se jussione Ludovici Regis congregatos fuisse, & ad tractanda Ecclesiastica negotia generale Concilium celebrasse. Generalis autèm Concilii nomine intellexerunt Nationale, ad quod convenerunt tres Archiepiscopi, Salzburgensis, Moguntinus, & Hammaburgensis, unà cum Episcopis septemdecim, & septem Abbatibus. Ibidèm facta juxtà morem Conciliorum fidei professione, plures canones editi sunt, ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam, vel confirmandam pertinentes. Verùm de ordine canonum, eorumdemque numero non una est omnium eruditorum, aut Collectorum sententia. Qui enim in iis colligendis versati sunt, agnoverunt in diversis Codicibus diversum ordinem, ut testantur inter ceteros Severinus Binius, & Labbeus. Ego sequar vulgarem editionem, utpotè quam in re admodùm dubia uti meliorem Viri eruditissimi habuerunt. Unum tamèn interèa necessariò erit observandum in numero canonum; licèt enim ii numerentur usquè ad 80., non omnes tamèn in omnibus Codicibus habentur; sed tantùm 44. priores; atque posteriores ceteros ad idem VVormatiense Concilium pertinere non posse, facilè deducitur ex eo, quòd in posterioribus 36. multa constituta legantur, quæ in prioribus 44. habentur: Hinc nonnullis placuit duo VVormatiensia Concilia affingere, quorum alterum celebratum fuerit anno 858., tribuendo priori 44. canones, posteriori 36. Verùm hæc omnia facilè demonstrari non possunt, & vix tamquàm verosimilia habenda sunt.

In canone 29. ex vulgatis VVormatiensibus canonibus habetur can. 50. dist. 50., ubi in postremis verbis hæc leguntur: *Et sub ipsa, nemine valente penitùs adjuvare, suppresus est, incisor arboris homicidæ procùl dubio non est comparandus.* Can. 50. dist. 50.

Simùl jungendi sunt can. 23., & 26. caus. 2. quæst. 5., licèt in diversis Concilii VVormatiensis canonibus habeantur, videlicèt in canonibus 10., & 15. Can. 10. hic est: *Si Episcopo, aut Presbytero causa criminalis, hoc est, homicidium, adulterium, furtum, & maleficum imputatum fuerit, in singulis Missam celebrare* (legunt alii: *Missam tractare*), *& secretam publicè dicere, & communicare debet, & de singulis sibi imputatis innocentem reddere.* Can. 23. & 26. caus. 2. q. 5.

Quòd

Quòd si non fecerit, quinquennio à liminibus Ecclesiæ extraneus habeatur, sicut antiqui canones instituerunt. Canon 15. ità exprimitur: *Sæpè contingit, ut in Monasteriis furta perpetrentur, & qui hæc committunt ignorentur. Idcircò statuimus, ut quandò ipsi fratres de talibus se expurgare debeant, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse Abbas præceperit, præsentibus Fratribus; & sic in ultima Missæ celebratione pro expurgatione sua Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi percipiant, quatenùs ità inde innocentes se esse ostendant.* Multò alitèr hunc canonem retulit Regino Prumiensis in cap. 276. lib. 2. ibi: *Sæpè contingit, ut in Monasteriis furta perpetrentur. Idcircò statuimus, ut, quandò ipsi Fratres de talibus se purgare debent, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, præsentibus Fratribus. Et sic, expletâ Missâ, omnes communicent in hæc verba: Corpus Domini sit tibi ad probationem hodiè.* Burchardus legit: *sit mihi ad probationem hodiè*, quam lectionem sequutus est Gratianus. Ex causa horum duorum canonum nonnulli fidentèr asseruerunt, Concilium VVormatiense non esse omninò ab Ecclesia probatum: imò & in Conciliorum editionibus recentioribus idem Concilium ità appellarunt: *Concilium VVormatiense Provinciale, ex parte reprobatum.* Afferunt ad hanc rem S. Thomam 3. parte q. 8. art. 6. ad 3., Bellarminum lib. 2. de Conciliis cap. 8., & Possevinum in Apparatu Sacro. Verùm honestiùs, mihi videtur, de VVormatiensibus Episcopis disserendum esse, neque illinc eam sumi posse occasionem, ut quidpiam ad eorumdem injuriam inferatur, dummodò prudens quispiam ad medii temporis receptas consuetudines respexerit. Nemo ignorat, medio tempore, id est, à sæculo 8. usquè ad undecimum, vel duodecimum, judiciorum formas, communi consensione receptas, fuisse plurimùm asperas in ea parte, in qua de eruenda aut à testibus, aut ab accusatoribus, aut à reis veritate ageretur. Purgationes illæ vulgares per ferrum, laminasque candentes, aut per aquam frigidam, aut etiàm, ut ajebant, per campiones in mallo, omnibus perspectissimæ sunt; & quidèm tùnc erant communi Provinciarum usu receptæ, atque Ecclesiarum cæremoniis consecratæ. Formula habetur in tomo 2. Capitularium Francorum editionis Parisiensis anni 1677. pag. 655. & seq. Imò & dum Missa à Sacerdote celebraretur, solebat Sacerdos idem reum interrogare hoc modo: *Adjuro te per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum & per veram Christianitatem, quam suscepisti, & per Sanctas Reliquias, quæ in ista Ecclesia sunt, & per baptismum, quo te Sacerdos regeneravit, ut non præsumas nullo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecisti, aut consensisti &c.* Pòst quam admonitionem, si accusatus ad suscipiendam Eucharistiam nihilominùs accessisset, Sacerdos sacram Eucharistiam porrigendo ajebat: *Corpus hoc, & Sanguis Domini Nostri Jesu Christi sit tibi ad probationem hodiè.* Hunc morem tempore etiàm Gregorii VII. viguisse testatur Lambertus Schafnaburgensis ad annum 1077., referens, Gregorium eumdem Pontificem Maximum celebratâ Missâ Regem evocasse ad Altare, & manu præferentem Corpus Dominicum, cum multa prolocutus esset de sua innocentia, hæc demùm addidisse: *Ut satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce Corpus Dominicum, quod sumpturus ero, in experimentum mihi hodiè fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus suo me hodiè judicio vel absolvat objecti criminis suspicione, si innocens sum, vel subitaneâ interimat morte, si reus. Hæc & alia, ut solemne est, præfatus verba terribilia, quibus Deum causæ suæ æquissimum judicem, & innocentiæ assertorem adesse præcabatur, partem Dominici Corporis accepit, & comedit.* Habemus præterea perspicuum ejusdem rei argumentum in Capitulari Ludovici Pii Imperatoris Aquisgranensi anni 817. cap. 64., quod ad Monachos pertinet ibi: *Ut de furto incerto oratio, & excommunicatio à Corpore, & Sanguine Christi fiat, quousquè culpabilis confiteatur.* Quæ cum ità sint, nihil esse videtur, quod VVormatiensibus Epis-

co-

copis objiciatur, dum juxtà disciplinam suorum temporum sanxere, eum, qui de crimine furti suspectus est, præsertim si Monachus sit, Eucharistiæ perceptione esse purgandum; Talis enim erat apùd illos Antistites Monachorum sui temporis existimatio, ut neminem ad Eucharistiam accessurum putarent, nisi qui fuisset objecti criminis expers. Sanè apùd omnes sive Sacræ, sive Civilis prudentiæ Conditores difficillimum fuit eam rationem invenire, quâ à reis, vel de crimine suspectis, veritas excutiatur. Et quidèm inter Laicos homines ad id invecta aliquandò fuere duella, in proletariis etiàm hominibus ferri candentis, & aquæ frigidæ probatio, unà cum susceptione sacræ Eucharistiæ. In Clericis autèm, aut Monachis res dubitationem maximam sempèr habuit, quemadmodùm constat ex Capitulari Aquisgranensi Caroli Magni anni 803. cap. 7., & ex lib. 7. Capitularium Francorum cap. 281. Aliquandò autèm visum est constituendum, illos sese jurisjurandi Sacramento purgatos exhibere, aliquandò productis testibus Consacerdotum commendabilibus. Cur etiàm alia ratio haberi non poterat, qualis erat Eucharistiæ susceptio? Video quidèm Sacerdotes, ac Monachos, eà ratione probatos, expositos fuisse periculo gravissimi sacrilegii, dum fortè etiàm criminis rei Eucharistiam suscipere minimè dubitassent. Verùm, si ideò is purgationis modus omittendus fuisset, omittendus alter modus fuisset purgandi se per jusjurandum, ne facilè in perjuria Rei prolaberentur. In rebus hisce difficillimis, qualis est admissio criminum, vel purgatio, aliquod incommodum, & aliquandò gravissimum suboritur, quod tamèn cum publica utilitate compensatur. Sive enim perjurium, sive sacrilegium reo pertinaci nocet, nec tanta esse debet Majorum cura, ut, ne reus quispiam in majora scelera se spontè præcipitem agat, communem omnium utilitatem despiciant, præsertim cum aliâ ratione consuli nequeat. Reverà, si etiàm recentiores Tribunalium usus consideraverimus in reis, sive de crimine gravitèr suspectis torquendis; quis non videt, & in illis non nihil asperum, & rigidum contineri, dum aliquandò & noxii contumaces absolvi necesse est, innocentes è contrario delicatiores, & equuleorum impatientes quandoquè damnari? Quamquàm tamèn & in hac ratione adhùc Tribunalia consistunt, sive quòd alia non supersit, sive quòd ea Reipublicæ læsæ quodammodò satisfiat. Apparet igitùr, non omninò improbanda esse memorata Vvormatiensis Concilii decreta; licèt enim ægrè ferre non debeamus, si quispiam dixerit, constitutiones hujus generis hodiè in usu ampliùs non esse, mutatâ in hac parte disciplinâ; displicet tamèn audire quosdam ità de veteribus Conciliis loquentes, ut eorum doctrinam penitùs improbent, quasi prudentiæ, ac rationi contrariam. Diversa est sicùt Provinciarum, ità & temporum disciplina, & sempèr peculiares extiterunt constituentibus non contemnendæ rationes, quemadmodùm & in Civili Republica diversa est legum omnium ratio, nec est, cur Justinianus contemnat Theodosium, vel Constantinum.

Canon 44. caus. 16. quæst. 1. minimè legitur inter canones Concilii Vvormatiensis. Sed quoniàm Burchardus, & Ivo eumdem laudant ex canone 6. Concilii Vvormatiensis, in quo notant Correctores Romani nonnulla similia legi, ideò subjiciam verba ejusdem canonis 6. ibi: *Multi contrà canonum constituta Ecclesias, quas ædificaverint, & ab Episcopo postulaverint consecrari, dotem, quam eidem Ecclesiæ contulerint, ad Episcopi ordinationem putant non pertinere, quod factum & in præterito displicet, & in futuro prohibetur. Ergò omnia secundùm constitutionem antiquam jura Ecclesiarum ad Episcopi ordinationem, & potestatem pertineant.* Verùm non est canon Concilii Vvormatiensis, quem aut Gratianus, aut Ivo, aut Burchardus descripserunt. Potiùs id referendum erit ad Capitulare Caroli Magni anni 804. edi- Can. 44. caus. 16. q. 1.

tum ad Salz; etenim cap. 3. ibidèm hæc leguntur : *Quicumque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare unà cum consensu, & voluntate Episcopi, in cujus Parochia fuerit, licentiam habeat. Verumtamèn omninò providendum est, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter hanc occasionem nullatenùs suam justitiam, aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur.* Hæc sanè verba eadem sunt cum fragmento Gratiani, licèt alîus Concilii nomine inscribatur, quod erratum ex Collectione Reginonis occasionem habuit; etenim apùd Reginonem in lib. 1. cap. 23. laudatur canon 3. Concilii Vvormatiensis, deindè in cap. 24. laudantur Capitularia Francorum; in cap. autèm 25. & 26. in quo habetur illud Gratiani fragmentum, hæc adjicitur inscriptio: *Ex Eodem*, quam Burchardus non retulit ad cap. 24. & 25. sed potiùs ad cap. 23. Vvormatiense, quare & cap. 25. nomine Vvormatiensis Concilii inscribere non dubitavit: nisi dicere velimus, eumdem Burchardum ex industria Vvormatiense Concilium memorasse, ut à Capitularibus Francorum abstinuisse videretur, quemadmodùm sæpiùs jam animadvertimus.

Canon 25. caus. 23. quæst. 8. legi- Can. 25. caus. 23. q. 8. tur in canone 50. Concilii Vvormatiensis his verbis : *Sancitum est, unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque alio servitio adtribuatur* (mansus dicebatur ager duodecim jugerum), *& Presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter Ecclesiasticum. Et si amplius aliquod habuerint, indè senioribus suis debitum servitium impendant.* Ceterùm, cum dixerimus canones Vvormatienses, qui pòst quadragesimum quartum sequuntur, suspectæ fidei esse, hic consistendum non est, nec sufficere videtur, ad edita Concilii Vvormatiensis exemplaria hunc canonem exegisse. Habetur ille prætereà apùd Reginonem in lib. 1. cap. 24. ubi laudatur potiùs nomine Capitularium Francorum. Sanè eisdem omnino verbis legitur apùd Ansegisum in lib. 1. Capitularium cap. 85. cum quo consonat canon 10. in Capitulari Ludovici Pii anni 816. ità caput 11. tit. 37. in Capitularibus Caroli Calvi, & demùm Concilium Troslejanum cap. 6.

Tutiùs tribuuntur eidem Vvormatiensi Concilio canones 16. & 17. caus. 33. quæst. 2. habentur enim in canonibus 33. & 34. Vvormatiensibus. Et quidèm canon 16. omninò consonat cum dicto canone 33. verùm canon 17. Gratianeus ità ex canone 34. Vvormatiensi erit emendandus. *Siquis cum commatre spiritali fuerit fornicatus, usquè ad dignam pœnitentiam anathematis percutiatur ictibus. Similiter & illum percutere promulgamus, qui cum ea, quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa, quam antè Episcopum tenuerit, cum sacro Chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetravit scelus; legitimam autem, si habuerit, non dimittat uxorem.* Can. 16. & 17. caus. 33. q. 2.

De canone 18. caus. 35. quæst. 2. nihil est, quod specialitèr observandum existimem. Legitur ille eisdem omninò verbis in can. 32. ex Vvormatiensibus. Can. 18. caus. 35. q. 2.

Canon 93. de cons. dist. 2. à Burchardo primùm nomine Concilii Vvormatiensis laudatur, quem deindè more suo sequuti sunt Ivo, & Gratianus. Burchardus autèm errandi occasionem ceteris præbuit, quod abstinendum sibi proposuerat à recitando nomine Capitularium Francorum, ad quæ hic idem canon referendus erat. Reverà Ansegisus Abbas in sua Collectione Capitularium lib. 1. cap. 155. ità habet : *Ut Presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, ut quandò quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.* Regino Prumiensis in lib. 1. cap. 69. eisdem omninò verbis refert hunc canonem, hac adjectâ inscriptione : *Ex Capitulis Synodalibus*; quâ arbitror laudari quædam Capitula Synodalia, quæ suis Clericis proposuit sæculo 9. quidam Vvalterius Episcopus Aurelianensis, edita recèns apùd Labbeum Tom. 10. Venetæ editionis pag. 69. ubi in fine capitis 7. hæc leguntur : *Et* Can. 93. de cons. dist. 2.

ut semper Eucharistiam Presbyter habeat paratam, ut quandò quis infirmatus fuerit, aut parvulus agrotaverit, statim eam communicet, ne sine viatico moriatur.

CAPUT LVI.

De Synodo octava, & nona.

Hisce nominibus Concilii octavi, vel noni descripti sunt apùd Gratianum sequentes Canones.

Ex Concilio VIII.
- *Can.* 7. *dist.* 22. *consonat cum interpretatione Anastasii Bibliothecarii.*
- *Canon* 22. *dist.* 54. *potiùs tribuendus S. Isidoro Hispalensi.*
- *Can.* 1. *dist.* 63. } *Simùl jungendi, atque ad integra Concilii*
- *Can.* 2. *dist.* 63. } *exemplaria exigendi.*
- *Can.* 4. *dist.* 90. *tribuendus potiùs S. Basilio.*
- *Can.* 5. *dist.* 90. *tribuendus S. Basilio, & S. Isidoro.*
- *Can.* 9. *caus.* 1. *q.* 1. *ad sententias S. Basilii referendus.*
- *Can.* 7. *caus.* 5. *q.* 6. *ad sententias S. Isidori referendus.*
- *Can.* 28. *caus.* 11. *q.* 3. *idem est cum can.* 18. *caus.* 11. *q.* 3.
- *Can.* 77. *caus.* 11. *q.* 3. *tribuendus Sancto Isidoro, vel etiam S. Basilio.*
- *Can.* 13. *caus.* 12. *q.* 2. *ad integra Constantinopolitani Concilii exemplaria exigendus.*
- *Can.* 7. *caus.* 26. *q.* 7. *consonat cum sententiis S. Basilii.*
- *Can.* 8. *caus.* 26. *q.* 7. *consonat cum sententiis S. Basilii.*
- *Can.* 9. *caus.* 26. *q.* 7. *consonat cum sententiis S. Basilii.*
- *Can.* 10. *caus.* 26. *q.* 7. *consonat cum sententiis S. Basilii.*
- *Can.* 11. *caus.* 26. *q.* 7. *consonat cum sententiis S. Basilii.*
- *Can.* 22. *caus.* 27. *q.* 2. *consonat cum sententiis S. Basilii.*
- *Can.* 1. *de pœnit. dist.* 2. *consonat cum sententiis S. Basilii.*
- *Can.* 25. *de cons. dist.* 2. *consonat cum sententiis, S. Basilio adtributis.*

Ex Concilio IX.
- *Can.* 1. *caus.* 20. *q.* 1. *ad sententias S. Basilii referendus.*
- *Can.* 4. *caus.* 20. *q.* 2. *ad sententias S. Basilii referendus.*

HOC in capite ideò jungenda duxi, quæ à Gratiano memorantur tum octavæ, tum nonæ Synodi nomine, quia canones, nono Concilio adscripti, ad nonum Concilium minimè pertinent, sive, quod vulgò dicitur, Lateranense I. Generale, & in nonnullis Gratiani Codicibus non nona, sed octava Synodus in illorum inscriptionibus legatur. Imò & illud etiàm contingit, ut, sicùt nonnulla alia capita Synodo octavæ apùd Gratianum tributa, Synodi octavæ reverà non sunt, sed potiùs S. Basilii Cæsareensis cognomento Magni, ità quoquè vulgata Capitula nomine Synodi nonæ ad Sancti ejusdem Basilii opera referenda sint. Præmittenda hæc sunt generalitèr, ac præterea explicanda est occasio, ex qua memorata Concilii octavi & noni capita Basilio potiùs sunt tribuenda. Arbitror ego, id profluxisse ex oscitantia Amanuensium, qui non satis inscriptionum literas consideraverunt; fortè enim Basilii nomen de more breviatum in mss.

Codicibus fuerat hoc modo : *Bsius* : hinc qui legerent, aut in alios Codices transponerent, pro litera B. legerunt vel scripserunt num. 8. & pro sequentibus literis *Sius* legerunt *Sinodus*, sive *Synodus*. Quod etiàm alicubi evenit in voce *Isidorus*, quæ cum valdè similis in mss. Codicibus videri posset nupèr descriptis literis, occasionem etiàm dedit, ut pro nomine Isidori Hispalensis octavæ Synodi nomen inscriberetur in illis fragmentis, quæ sunt ejusdem Isidori. Itaquè nemo mirari debet, si in sequentibus frequentissimè aut Basilio, aut Isidoro adscripsero, quæ Synodo octavæ, vel nonæ (quæ, ut diximus, in pluribus Codicibus octava dicitur) tribuntur.

Intereà verò quædam de octava Synodo generatim dicenda sunt, ut ad interpretationem, vel descriptionem illorum canonum, qui reverà ejusdem sunt, quoquomodò parati, instructique accedamus. Octava Synodus appellatur quarta Constantinopolitana, sub Hadriano II. Pontifice Maximo celebrata anno 869. Sedebat in Patriarchatu Constantinopolitano vir prudentia, ac Sanctitate insignis Ignatius, cui plurimùm invidebat Gregorius Syracusanus cum aliis perpaucis Episcopis, atque his favebat Senator, & à Secretis Imperatoris laicus quidam nomine Photius, qui privato potissimùm studio ducebatur adversùs Ignatium, futurum aliquandò sperans, ut, eo à Patriarchali dignitate dejecto, ipsemet Patriarchalem sedem ascenderet. Hinc animos fidelium ab Ignatii communione avertere cœpit, variis criminibus, quæ ex arbitrio affingebat, Ignatium accusans : imò & animum Michaelis Imperatoris adeò circumvenit, ac concitavit, ut facilè præsidium obtinuerit ad Ignatium ab Episcopatu deturbandum, ac dejiciendum. Itaquè Imperiali fretus auctoritate, itèm emendicatis plurium Episcoporum suffragiis, adjuvante Gregorio, superiùs memorato, voti sui compos factus est Photius, qui Ignatium damnavit, è sede removit, atque in exilium misit, seseque in ejus locum motâ seditione intrusit. Concitavit hæc res universum propemodùm Orientem; plures enim, quibus perspecta erat Ignatii integritas, atque virtus, non potuerunt non obsistere callidis Photii, & ceterorum Ignatio invidentium, artibus, atque calumniis. Verùm quousquè Michael Imperium rexit, parùm valere potuerunt proborum querimoniæ : tanta erat Imperatoris ergà Photium gratia, atque benevolentia. Postquàm tamèn Michaeli successit in Imperio Basilius, visa est Ignatii causa Patronum habere; etenim Imperator ipse controversiam omnem in Concilio ad id celebrando dirimendam voluit, & Ignatium, si æquum visum fuisset, restituendum. Itaquè, consentiente Hadriano II. Pontifice Maximo, universalis Episcoporum omnium, præsertim Orientalium, celebrata Synodus est in Urbe Constantinopolitana; in qua pòst sedulam facti discussionem damnatus est Photius unà cum ceteris, qui Photio adhæserant, & Ignatius restitutus in propriam dignitatem. Quid pòst Ignatii mortem de Photio contigerit, hujus loci non est investigare; nihil enim exindè deduci potest ad assequendam commodam interpretationem Canonum Constantinopolitanorum, de quibus in præsentia agendum est. Illud monebo, hujus Synodi Constantinopolitanæ acta latinè jam haberi edita operâ Anastasii Bibliothecarii, qui præsens in eodem Concilio interfuerat, eaque ad Pontificem Maximum direxerat. Quâ verò ratione interpretationem hanc suam Anastasius ipse confecerit, idem tradit in Epistola ad Hadrianum his verbis : *Interpretans hanc sanctam Synodum, verbum è verbo, quantum idioma Latinum permisit, excerpsi; nonnunquàm verò, manente sensu, constructionem Græcam in Latinam necessariò commutavi,* Extat etiàm hodiè apùd nos editus Græcus Synodicorum actorum textus, verùm non satis integer, fortè à recentioribus Græcis schismaticis corruptus, ac depravatus, ex quo profluxisse arbitror, Græcos Canones ab Anastasianis plurimùm

mùm dissonare, etiàm in ipsomet numero; etenim apùd Anastasium habentur 27., cum tamèn in Græca editione 14. tantummodò recenseantur.

In hoc Constantinopolitano Concilio canone 21. legitur canon 7. dist. 22. & quidèm in editione Anastasii Bibliothecarii; frustrà enim eum canonem à Græcis quæreremus, qui tantùm, ut diximus, quatuordecim habent. Hunc canonem dubitandum non est ad Photii damnationem pertinere, qui, cum adhùc esset *mundi potens*, sive Laicus, Senator, & à Secretis Imperatoris, adversùs Ignatium Patriarcham ità pugnavit, ut eum à Sede Patriarchali dejecerit ambitus causâ: hinc pòst verba ejusdem canonis ità sequitur apùd Anastasium: *Quod & nuper Photius fecit, & multò antè Dioscorus.* Can. 7. dist. 22.

Canon 22. dist. 54. ex illis est, quos ex octava Synodo Gratianus laudavit: reverà tamèn S. Isidoro tribuendus est juxtà ea, quæ superiùs diximus. Itaquè Isidorus in cap. 19. Regulæ Monachorum eadem ferè tradidit his verbis: *Abbati, vel Monacho Monasterii servum non licebit facere liberum; qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non debet. Nàm, sicùt sæculi leges sanxerunt, non potest alienari possessio, nisi à proprio domino, ità & omne, quod in Monasterio in numero ingreditur, sub testimonio accipiendum.* Can. 22. dist. 54.

Ad Canonem 22. Constantinopolitani Concilii juxtà interpretationem Anastasii referendus est canon 1. & 2. dist. 63. hoc ordine legendus: *Promotiones, atque consecrationes* (hæc leguntur in dicto can. 2. propè medium) *Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione, ac decreto Episcoporum Collegii fieri, Sancta hæc, & universalis Synodus definit, & statuit, atque jure promulgat, neminem Laicorum Principum, vel Potentum semèl inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, vel cujuslibet Episcopi, ut videlicèt inordinata hic, & incongrua fiat confusio, vel contentio; præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum, vel ceterorum Laicorum habere conveniat, sed potiùs silere, ac attendere sibi, usquequò regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si verò quis Laicorum ad concertandum, & cooperandum ad Ecclesiam invitatur, licèt hujusmodi cum reverentia, si fortè valuerit, obtemperare se adscribentibus; taliter enim sibi dignum Pastorem regulariter ad Ecclesiæ suæ salutem promoveat.* Hic finem habet dictus canon 2. cujus verba quædam jam Gratianus retulerat in can. 1. Pòst hæc autèm in Concilio hæc sequuntur, quæ spectant ad eumdem canonem 1. apùd Gratianum: *Quisquis autèm sæcularium Principum, & Potentum, vel alterius dignitatis Laicus adversùs communem, ac consonantem, atque canonicam electionem Ecclesiastici Ordinis agere tentaverit, anathema sit, donèc obediat, & consentiat in hoc, quod Ecclesia de electione, ac ordinatione proprii Præsulis se velle monstraverit.* Hic Canon ità expressus pertinet, uti liquet perspicuè, ad Photii ordinationem: in Canonibus autèm Græcis hodiè non habetur. Quæ verò leguntur apùd Gratianum in principio dicti canonis 2. ad Synodum minimè pertinent, sed potiùs continent brevem quamdam, & historicam narrationem, ex actis Concilii Constantinopolitani depromptam, ex qua Collector canonum indicare voluit adjuncta illorum temporum, quibus Concilium ipsum fuit celebratum. Can. 1. & 2. dist. 63.

Canones 4. & 5. dist. 90. sunt ex illis, qui ex S. Basilio deprompti sunt, & ex errato Amanuensium octavæ Synodo sunt adscripti. Itaquè canon 4. legitur in libello de Institutis Monachorum, Sancto Basilio tributo, apùd Lucam Holstenium in Codice Regularum aucto, editoque Parisiis anno 1684. ubi interrogatione 71. ità legitur: *Si autem obediens quis murmuret? Resp. Apostolo dicente: omnia facite sine murmuratione, & hæsitationibus: alienus sit à Fratrum unitate, qui murmurat, & opus ejus abjiciatur. Manifestum enim est, ille, qui talis est, quia infidelitate ægrotat, & certam futuræ spei fiduciam non gerit.* Et in cap. 93. *Si verò etiàm quis murmuret propter escam, quæ ergà eum sen-* Can. 4. & 5. dist. 90.

ten-

tentia servabitur? Ea, quæ circà illos, qui murmuraverunt in deserto; dicit enim Apostolus: Ne murmuraveritis, sicùt quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. Quoniàm verò de hoc Basilii libro nonnulli sunt, qui admodùm dubitent, utrùm germanum sit Basilii opus, nec ne, similia proferam ex libro Basilii Regularum fusiùs disputatarum cap. 29. ibi: *Ceterùm, siquis murmurasse, aut plus æquo extulisse se animadversus fuerit, hujus opus nequaquàm cum illorum commisceri operibus debet, qui humiles sint, spirituque contriti; neque id ullo modo in pietatis veræ Cultorum usus erogari. Siquidèm, quòd altum est hominibus, id abominabile est apùd Deum, eoque magis, quod hac de re est præceptum Apostoli, qui quidem sic dicit: Neque murmuraveritis, sicùt quidam murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Itèm quædam leguntur similia in Regulis brevioribus ejusdem Basilii cap. 39. & 133. Versiculus autèm *juxtà mensuram* in dicto can. 4. Gratianeo referendus erit ad sermonem 1. Basilii de institutione Monachorum, in quo hæc habentur: *Qui in culpa aliqua deprehensi fuerint, ad magnitudinem delicti pœnæ etiàm modus accommodatur.* Et infrà: *Qua in re, qui erit communis disciplinæ moderator, is cum magnitudine culpæ pœnam etiàm commetietur.* Postrema hæc S. Basilii verba videntur quoquè esse perstricta in vers. *qui contentiosus* can. 5. dist. 90. quemadmodùm priora ejusdem canonis verba videntur perstricta ex sententiis S. Isidori Hispalensis in Regula Monachorum cap. 17. ubi de Monacho delinquente hæc statuuntur: *Si contentiones, vel rixas amaverit, si manifestum convicium fratri intulerit, si personam innocentem falsò crimine maculaverit....Hæc, & his similia juxtà arbitrium Patris diuturnâ excommunicatione purganda sunt, & flagellis emendanda, ut, qui gravius peccasse noscuntur, acriori severitate coerceantur, consideratis tamèn personis, qui sunt humiles, quive superbi.* In Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino, nonnulla his similia habentur nomine Concilii Moguntini descripta, in cap. 9. tit. 6. his verbis: *Siquis murmurans extiterit, videat, ne pœnam murmurantium incurrat, de qua Apostolus dicit: neque murmuraveritis, sicùt quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore; juxtà mensuram, opusque peccati, quia in hoc sententia Apostoli plenitèr declaratur, Sacerdotis judicio pœniteat.* Et in cap. 10. *Siquis contentiones, vel rixas amaverit, vel manifestum convicium fratri intulerit juxtà arbitrium Prioris, vel Rectoris, modumque peccati diuturnâ expietur pœnitentiâ.*

Prætereà etiàm ad Sancti Basilii sententias, ab incauto Gratiano tributas octavæ Synodo, referendus erit canon 9. caus. 1. quæst. 1. Est ille breviarium, sive compendium quoddam Epistolæ Basilii ad Episcopos sibi subjectos, quam Græcam, & Latinam Beveregius edidit in Tom. 2. Pandectarum Juris Canonici can. 91. Verba Basilii, quæ cum Gratiani fragmento congruere videntur, hæc sunt: *Ajunt quidam, nonnullos vestrum accipere pecunias ab iis, qui ordinantur....Siquis pòst hanc meam Epistolam tale quid fecerit, ab altaribus quidem, quæ hic sunt, recedet: quæret autèm, ubi donum Dei emens possit vendere.* Romani Correctores observarunt, similia tum in septima Synodo legi, tum in aliis Ecclesiasticis monumentis. Nil dubito. Apertissimæ sunt, ac frequentissimæ adversùs Simoniacos sacrorum Canonum pœnæ, vel pœnarum comminationes, quibus res sacras ementibus, vel vendentibus muneris exercitio interdicitur. Can. 9 caus. 1 q. 1.

Ad regulas S. Isidori Hispalensis etiàm pertinere canonem 7. caus. 5. quæst. 6. perspicuum est, licèt octavæ Synodo adscribatur. Isidori verba sunt in cap. 17. Regulæ Monachorum, quæ hoc in loco repetere supervacaneum arbitror, cum illa eadem jam retulerim ad canonem 5. dist. 90. Can. 7 caus. 5 q. 6.

Itidèm Sancto Isidoro tribuendum esse canonem 28. caus. 11. quæst. 3. idem Gratianus profiteri debet, suamque oscitantiam agnoscere, quippè qui eadem verba nomine Isidori Hispalensis retulit in can. 18. eadem causâ, & quæstione. De hoc autèm fragmento suo in loco fusiùs dis- Can. 28 caus. 11 q. 3.

disseremus, ubi de Sancto Isidoro agendum erit, & de dicto canone 18. ne bis eadem sint in hoc opere observanda.

Can. 77. caus. 11. q. 3. Ad eumdem Isidorum prætereà pertinet canon 77. caus. 11. quæst. 3. licèt Synodi octavæ nomine relatus. Etenim Sanctus Hispalensis Antistes in lib. 3. Sententiarum, sive de Summo Bono cap. 55. ità de testibus scribit: *Erit autem ille apùd Deum condemnatus, qui adversùs innocentem falsum testimonium vel dicit, vel dicentibus credit. Nàm non solùm ille reus est, qui falsum de alio profert, sed & is, qui citò aurem criminibus præbet.* Eadem fermè sententia legitur apùd Basilium in Regula, quam ab Holstenio editam superiùs dixi, cap. 121. his verbis: *Si is, qui consentit alterius peccato, etiam ipse peccati reus est? Resp. Hæc sententia est manifesta ex verbis Domini, quibus ait ad Pilatum, dicens: qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.*

Can. 13. caus. 12. q. 2. Canon 13. caus. 12. quæst. 2. habetur reverà in canone 15. Constantinopolitani Concilii, de quo hic potissimùm agimus, juxtà editionem Anastasii Bibliothecarii, quamquàm in Græcis Codicibus penitùs desideretur. Romani Correctores nonulla adjecerunt ad ejusdem fragmenti integritatem, nondum tamèn perfectam descripserunt canonis ipsius sententiam; etenim pòst illa verba postrema Gratianei canonis, *Ecclesiæ Monasterium*, hæc ex Anastasio adjicienda sunt, quæ immediatè subsequuntur: *Si verò de propriis rebus, aut de aliis quibusdam conventionibus, habeat, id secundùm propriam potestatem, & voluntatem omni vitâ suâ, & pòst finem vitæ dimmittat, & conferat hoc quiscumque voluerit, non tamèn sæculare diversorum fiat.* Si causam, sive occasionem scisciteris hujus definitionis, eamdem aperiam, ex ipso Anastasio Bibliothecario acceptam. Photius, postquàm ejecto Ignatio in Patriarcham receptus est, ut sibi plurium benevolentiam conciliaret, sese munificum exhibuit; hinc, ut scribit Anastasius in Epistola ad Hadrianum, *persuasit Imperatori, præcipere neminem testamentum facere, vel per alterius, nisi per Photii manus, eleemosynas erogare; quod non ob aliud adinvenit inventor malorum, nisi ut, cum acciperet, & erogaret substantias divitum, proprias à minùs curiosis erogasse putaretur, ac per hoc à cunctis quasi dapsilis, & munificus amaretur.* Quamobrèm facilè credimus, Photium eumdem quamplura Ecclesiarum bona distribuisse, ut eâ ratione plures sui amatores, suorumque ausuum Patronos quæreret, quæ optima fuit Constantinopolitanis Patribus occasio decernendi, ne Episcopi res, & bona Ecclesiastica in alios usus, quàm in usus pios converterent. Cum verò in hoc Canone *salariorum Ecclesiasticorum* mentio fiat, necessarium erit animadvertere cum Antonio Augustino in lib. 2. de emendat. Gratiani dialogo 7. mendum irrepsisse, non enim legendum est *salaria*, sed potiùs *solatia*; quo nomine vocabantur certæ præstationes, quæ pro solo apùd veteres pendebantur; de quibus præstationibus intelligunt Viri Eruditi legem 2. §. *Siquis nemine*, ff. ne quid in loco, & l. 13. ff. qui potiores in pignore.

Can. 7. 8. 9. 10. & 11. caus. 26. quæst. 7. omnes ex fragmentis, & sententiis Sancti Basilii relati sunt, licèt octavæ Synodo tributi fuerint apùd Gratianum; & in primis canon 7. ità legendus erit ex Regulis brevioribus ejusdem Basilii pro Monachorum institutione cap. 106. Adamo Fumano interprete. Præponitur interrogatio. *Cujusmodi in fratrum familia utendum est animadversionibus ad revocandos in rectam viam, qui peccant?* Subsequitur responsio: *Pro judicio suo Antistites tempus, modumque considerabunt, ratione habita cum ætatis, & corporis, tum animi habitus, & dissimilitudinis peccati.* Hùc etiàm, unusquisque facilè agnoscet, referendum esse canonem 8. nisi hunc repetendum quispiam velit ab ea regula, quam nomine S. Basilii editam diximus ab Holstenio, in qua cap. 194. hæc leguntur: *Qualibus correptionibus uti oportet inter fratres ad emendationem eorum, qui delinquunt? Resp. Hoc sit in judicio positum eorum, qui præsunt, vel quanto tempore, vel quali modo corripi debeant, quia ætas, & eruditio multùm habeat*

Can. 7. 8. & 9. 10. & 11. caus. 26. q. 7.

beri facit differentiam pœnitentiæ. Can. 9. legitur tum in Regulis brevioribus cap. 8. ibi: *Quomodò suscipi debet, quem verè pœniteat? Quemadmodùm Dominus docuit, cum dixit, quòd convocat amicos, & vicinos dicens: Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat*; tum etiàm in Regula, superiùs memorata, ab Holstenio edita in cap. 27. ibi: *Pœnitentem ex corde quomodò oportet suscipi? Resp. Sicut Dominus ostendit, cum dicit, quia convocavit amicos, & vicinos dicens: Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quam perdideram.* Can. 10. inter Regulas breviores Basilii ità legitur cap. 5. *Quomodò debet aliquis pœnitentiam agere de singulis peccatis, & cujusmodi fructus ostendere dignos pœnitentiæ? Nimirùm similem illius animum induerit, qui dixit: iniquitatem odio habui, & abominatus sum, & ea præstiterit, quæ scripta sunt in sexto Psalmo, & aliis plerisque; & si ea fecerit, quæ pro alio, qui peccaverat, facta ab iis fuisse Apostolus testatur, qui secundùm Deum contristati fuerant. Ecce enim, inquit, hoc ipsum secundùm Deum contristatos esse vos, quantam in vobis operatum est sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam, in omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio; & sicut Zaccheus commissa peccata contrariis rectè factis compenset.* Cum his sanè plurimùm consonare videtur Gratianus, cujus eadem verba junctis adnotationibus Correctorum Romanorum leguntur in regula, ab Holstenio edita, & Basilio tributa cap. 28. Canon 11. sententiam Basilii exhibet, quæ habetur in cap. 9. Regularum breviorum ibi: *Adversùs eum, qui obstinatè pergat peccare, quo modo erimus animati? Eo nempè, quo Dominus jussit, cum dixit: Si autèm Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, & Publicanus; & ut Apostolus docuit, cum scripto reliquit: ut subtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam accepistis à nobis.* In memorata autèm Holsteniana Regula cap. 28. hæc leguntur: *Ergà eum, qui non pœnitet pro peccato, qualiter esse debemus? Resp. Sicùt præcepit Dominus dicens: Sit tibi, sicùt Gentilis, & Publicanus, & sicut Apostolus docuit, dicens: subtrahite vos ab omni Fratre inquietè ambulante, & non secundùm traditionem, quam tradidimus vobis.*

Canon 22. caus. 27. quæst. 2. laudatur quidèm apùd Gratianum nomine octavæ Synodi. Verùm meliùs Ivo, aliique Collectores nomen Basilii Episcopi eidem fragmento inscripserunt. Reverà Basilius in Regulis Monachorum, fusiùs pertractatis, cap. 12. hæc habet: *Atque ii etiàm, qui matrimonio conjuncti ad hujusmodi vitæ genus accedunt, percontandi sunt, nùm consentiente altera parte hoc faciant ex præcepto Apostoli. Vir enim, inquit ille, sui corporis potestatem non habet. Et si hoc ità ab ipsis fieri compertum sit, tum, multis adhibitis testibus, admitti debet, qui accedit. Siquidèm nihil est, quod Dei jussis potius haberi debeat. Si verò dissidens sit altera pars, & assiduè usquè ex adverso cum altera contendat, quod videlicèt minùs sollicita sit, quomodò placeat Deo, hic ea convenit meminisse, quæ dicta sunt ab Apostolo: In pace autèm vocavit nos Deus; & sic parendum præcepto Domini, qui dixit: Siquis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, non potest meus esse discipulus: Neque enim est, quod haberi antiquius debeat, quàm ut Dei jussis pareatur. Ceterùm nos plerosque novimus sæpè, qui ex intenta oratione, assiduoque jejunio ad finem, quem optabant, vitæ cum castitate pervenerunt; quippè cum Dominus videlicèt eos, qui usquequaque sunt obstinati, sæpè numero etiàm per corporalem necessitatem adigat sensim, ut rectò alterius partis judicio consentiant.* Can. 22. caus. 27. q. 2.

Canon 1. de pœnit. dist. 2. ex octava etiàm Synodo laudatur apùd Gratianum; sed rursùm hic tribuendus jure optimo erit Basilio Cæsareensi; vel si verba spectemus, quæ consonant cum sententia Basilii juxtà interpretationem Ruffini, vel si sententiam ipsam, qualis apùd alios Interpretes exprimitur, atque inter ceteros apùd Adamum Fumanum in editione Antuerpiana cap. 289. ibi: *Quem peccati alicujus penituit, is si in illud idem denùò relapsus sit, quod faciet? Responsio. Quòd, qui semèl pœnitentiam egerit, demùò idem peccatum commiserit, hoc argumento est, illum* Can. 1. de pœn. dist. 2.

illum primam causam peccati illius funditùs non extirpasse, à qua veluti à quadam radice alia ejusdem generis opera pullulare necesse sit. Nàm, quemadmodùm siquis, relictâ radice, ramos arboris alicujus velit excisos, nihilominùs radix manens alios similes illis protrudit; sic, quoniàm peccata sunt quædam, quæ nascendi principium in se ipsis non habent, sed aliundè originem ducunt, necesse est prorsùs, siquis esse ab illis liber velit, is ut causas primas peccatorum illorum stirpitùs tollat; veluti corrixatio, & invidia, non ex se ipsis nascuntur, sed ab radice appetitus gloriæ pullulant; qui enim humanam gloriam magni facit, is ex æmulatione ei obtrectat, quem in gloria esse animadvertit, aut à quo in eo superari se videt, invidet. Quocircà, qui semèl se ipsum invidiæ, contentionisque condemnarit, is si in eadem ipsa denuò vitia relapsus sit, utiquè intelligat, gravi se, ac penitùs insito cupiditatis gloriæ morbo, principe scilicèt invidiæ, æmulationisve causâ laborare. Nimirùmque ipsum convenit contrariâ ratione, nempè humilitatis exercitationibus (humilitatis autèm exercitatio in rebus contemptioribus exercitatio est) gloriæ morbum curare, ut, hoc modo affectionem illam humilis animi adeptus, deincèps in ea, quæ antè diximus esse cupiditatis gloriæ germina, non incidat, atque in singulis istiusmodi peccatis simili modo.

Can. 25. de cons. dist. 2. Prætèr hæc etiàm canon 25. de cons. dist. 2. videtur depromptus ex Regula S. Basilii, quam edidisse Holstenium diximus; & primò quidèm similis sententia legitur, sed brevior, in cap. 65. his verbis: *Usquè ad quem modum obedire oportet eum, qui placandi Deo implere regulam cupit? Resp. Apostolus ostendit proponens nobis obedientiam Domini, qui factus est, inquit, obediens usquè ad mortem, mortem autèm crucis, & prædixit: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu.* Fusior tamèn, magisque consentanea Gratiani fragmento est sententia capitis 133. his verbis expressa. *Quali timore, fide, vel affectu percipere debemus Corporis, & Sanguinis Christi gratiam? Resp. Timorem quidèm docet nos Apostolus dicens: Qui manducat, & bibit indignè judicium sibi manducat, & bibit. Fidem verò edocet nos sermo Domini dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis dabitur, hoc facite in meam commemorationem.* Et infrà: *Sed & Apostolus dicens: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usquè ad mortem, martem autem crucis. Cum ergò anima fidem habet his dictis, & considerat magnificentiam gloriæ ipsius, & admiratur nimietatem humilitatis, quomodò tantus, ac talis obediens fuit Patri usquè ad mortem pro nostra vita, puto, quia provocari possit ad affectum, & dilectionem ipsius, & Dei Patris, qui unico Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum.* Et infrà: *Talem ergò affectum, & fidem præparare debet in animo suo is, qui de pane, & calice Domini percipit.*

Duo adhùc supersunt Gratiani fragmenta, quæ in vulgatis exemplaribus nonæ Synodo, in nonnullis octavæ, tribuuntur. Verùm utrumque ad S. Basilii sententias, uti diximus, referendum est. Et quidèm in primis can. 1. caus. 20. quæst. 1. consonat cum cap. 15. Asceticæ Basilii, sive Regularum fusiùs disputatarum, ubi hic titulus præsefertur: *Cui ætati permittendum sit, ut se ipsum quisquam Deo consecret, & quandò virginitatis professio firma reputari debeat?* Et infrà: *Tùnc demùm ad virginitatis professionem accedendum est, tamquàm jam solidum, & ex animi sententia, & proprio judicio pòst justam rationis perfectionem factam, postquàm & præmia, & supplicia vel rectè agentibus, vel delinquentibus juxtà factorum rationem à justo Judice parantur.* In eodem capite hæc leguntur: *Arbitramur, omnem primævam ætatem appositam esse ad susceptionem accidentium, ità ut orphanos nostra sponte, ut secundùm zelum Job Patres simus orphanorum: Eos verò, qui sub parentibus sunt, ab ipsis parentibus oblatos, adjunctis multis testibus suscipiamus, ne demus occasionem, qui occasionem quærunt, & omne os loquentium adversùs nos blasphemiam obstruatur.* Nemo non videt hæc illa esse, quæ retulit Gratianus in can. 4. caus. 20. quæst. 2. nomine Synodi nonæ.

Can. 1. caus. 20. q. 1.

Can. 4. caus. 20. q. 2.

APPENDIX.

De Pseudosynodo Photiana.

SUbjicere hoc in loco juvat fragmentum, quod nomine Synodi Constantinopolitanæ Gratianus edidit in can. 45. caus. 7. quæst. 1. Pertinet illud ad eamdem Ignatii, & Photii causam, quæ in Synodo Constantinopolitana generali 8. discussa fuerat. Etenim, postquàm Ignatius in Patriarchatu obiisset, Photius sententiâ Synodi octavæ à sede, quam vi, & fraude invaserat, dejectus, cœpit rursùs totis viribus contendere, ut vacantem dignitatem recuperaret, atque ità, ut non tàm novum Episcopatum adquireret, quàm antèà adquisitum retinere videretur. Hinc Synodum in Urbe Constantinopolitana celebrasse fertur in Templo S. Sophiæ, ad quam unà cum 383. Episcopis convenisse Gratianus refert Legatos Joannis VIII. Pontificis Maximi, Petrum Presbyterum Cardinalem, Paulum Anconitanum Episcopum, & Eugenium Episcopum Ostiensem. Res prosperè cessit Photio, qui restitutus est in Episcopatum Constantinopolitanum, imò & curavit, ut octavæ Synodi memoria aboleretur, nomen dando Synodi octavæ huic novæ Synodo à se celebratæ, & nonnulla definire conatus adversùs sancta Ecclesiæ dogmata, quod attinet ad processionem Spiritus Sancti à Filio. Porrò Joannes VIII. Pontifex Maximus acta hujus Synodi non rescidit in ea parte, in qua restitutio Photii continebatur; ne fortè diro & acerrimo schismati jam concitato occasionem novam dare videretur; at illa in ceteris capitibus penitùs reprobavit, quemadmodùm constat ex ejusdem Epist. 251. ad Basilium, & 250. ad Photium data: reprobarunt etiàm recentiores Pontifices Maximi, & Ecclesia universa, ut mirum profectò eruditis videatur, Gratianum non dubitasse fragmentum hujus Synodi referre in Codicem suum, & honorificè de eadem Synodo præfari. Ecquidèm canon 45. caus. 7. q. 1. nihil exhibet Orthodoxæ fidei contrarium, imò neque disciplinæ Ecclesiasticæ adversatur, dum ibidèm definitum adparet, Episcopos semèl Monasticam vitam amplexos non posse ampliùs ad Episcopalem sedem redire. Intereà verò quis non videt hac in re virus pessimum latere, Photio auctore, qui voluit in hoc canone Ignatium, licèt vitâ functum, quoquo modo damnare, & sic sententiam Synodi VIII. generalis evertere? Siquidèm Ignatius Constantinopolitanus Patriarcha cum vi esset dejectus, aut fraude per Photium, in Monasterium se se receperat, non animo se se addicendi Monasterio, sed potiùs, ut ibidèm procùl à molestiis Photianis quietam vitam duceret, & tranquillam: at, cum optima se se obtulit occasio, curavit, ut restitueretur in Episcopatum, ut superiùs jam diximus. Photius verò, qui sedem occupaverat, id ægrè tulit, proindèque pòst mortem Ignatii nihil antiquius habuit, quàm demonstrare, Ignatium non potuisse ampliùs in dignitatem amissam restitui, rationem afferens, quòd jam Monasterio se addixisset. Receptum quidèm erat, Episcopos, semèl ad Monasteria migrantes, tamquàm in loca publicæ pœnitentiæ, non posse revocari, quemadmodùm ne Sacerdotes, si quandò publicæ pœnitentiæ semèl addicti fuissent. At hæc ratio in Ignatio parùm valebat, qui aliis de causis in Monasterium se se receperat. Verba dicti canonis 45. Romani Correctores sive græcè, sive latinè integra retulerunt, ut nihil amplius hodiè in hac parte desiderandum sit. Unum hic adjiciendum est, tantam in hoc capite fidem habitam esse Gratiano, ut quamplures hoc idem caput, quasi Synodi octavæ generalis sententiam agnoverint: imò & in cap. 11. de renunciatione Innocentius III. arbi-

Can. 45. caus. 7. q. 1.

tra-

tratus fuerit, caput illud pertinere ad Concilium Constantinopolitanum I. sive generale II. quod est, ut ipse ait, *unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur.*

CAPUT LVII.

De Concilio Agrippinensi.

Nomine Concilii Agrippinensis inscribitur sequens Canon apùd Gratianum.

(*Can. 28. de cons. dist. 1. ad Capitularia Francorum potiùs referendus.*

A Coloniâ Agrippinâ, propè Cenomanum sitâ, nonnulla ibidèm celebrata Concilia Agrippinensia, aliàs Coloniensia, appellantur. Et quidèm tria hujus nominis apùd Collectores Conciliorum habemus; primum anni 336. in quo Euphratas Coloniæ Agrippinæ Episcopus damnatus est tamquàm hæreticus, quòd Christum Deum esse negaverit: secundum anni 843. in quo nonnulla utilia Ecclesiasticæ disciplinæ capita sunt constituta: postremum anni 887. in quo itidèm plurima edita habemus ad disciplinam Ecclesiasticam reformandam, aut stabiliendam. Quod autèm à Gratiano refertur nomine Concilii Agrippinensis ad nullum ex illis pertinere potest; potiùs enim pertinet ad Regum Francorum Capitularia, in quorum Collectione apùd Benedictum Levitam lib. 5. cap. 111. hæc leguntur: *Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet. Sed si apta videtur ad consecrandum, indè evulsa corpora, & rasis, vel lotis lignis ejus, reædificetur. Si hæc consecrata priùs fuit, Missas in ea celebrare licet, si tamèn fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt.* Porrò Benedictus Levita hoc videtur descripsisse ex Theodoro Cantuariensi, quod & suo in loco ostendam, ubi de eodem Theodoro sermo erit instituendus. Primus nomine Concilii Agrippinensis eadem verba retulit Burchardus VVormatiensis in lib. 3. cap. 38. ex ea, ut suspicor, ratione, quòd idem Collector, ut persæpè alibi monui, sibi proposuerit abstinendum à nominandis Francorum Regum Capitularibus, utpotè quæ non satis erant accepta apùd Germanos, inter quos Burchardus ipse scribebat. Burchardum deincèps sequuti sunt recentiores Collectores, atque inter ipsos Gratianus. Quòd si tamèn conari velimus, ut quomodocumquè ad aliquod ex Conciliis Agrippinensibus Gratiani fragmentum referamus, ego indicarem Concilium Agrippinense memoratum anni 887. cujus observationis causâ hoc peculiari capite, arbitratus sum, mihi disserendum esse de Canonibus Gratianeis, ex Concilio Agrippinensi laudatis; quandoquidèm commodiùs de dicto canone 28. de cons. dist. 1. disseruissem, ubi superiùs agebam de Francorum Capitularibus. Itaquè in dicto can. 28. apùd Gratianum dicitur, non posse in Ecclesia nos defunctis infidelibus communicare; quod sanè contingeret, quotiès in eo loco dedicaremus Ecclesias, in quibus tumulata jacent infidelium cadavera. At ferè similis sententia habetur in memorato Concilio Agrippinensi anni 887. can. 3. ubi etiàm fit mentio Capitularium Francorum; postquàm enim statutum est, abominabiles omnibus esse debere quorumdam criminum reos, ità subjicitur: *Talium enim scelerum patratoribus, sicùt in Capitularibus Gloriosissimorum Imperatorum Caroli, & Ludovici continetur, nisi pòst puram, & pu-*

blicam pœnitentiam, & per Ecclesiæ satisfactionem, & per impositionem manus Episcoporum nec vivis, nec mortuis communicare debemus. Hæc conjectura gravior ex eo redditur, quòd Ivo laudat idem fragmentum ex Concilio Agrippinensi *cap.* 3. & numerus capitis 3. optimè refertur ad verba nupèr memorati Concilii Agrippinensis.

CAPUT LVIII.

De Concilio Nannetensi.

Concilio Nannetensi adscribuntur hi Canones apùd Gratianum.

Can. 5. *dist.* 24. *ferè consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 7. *dist.* 44. *pertinet potiùs ad Capitula Hincmari Rhemensis.*
Can. 8. *dist.* 44. *pertinet potiùs ad Capitula Hincmari Rhemensis.*
Can. 9. *dist.* 44. *pertinet potiùs ad Capitula Hincmari Rhemensis.*
Can. 2. *dist.* 91. *pertinet potiùs ad Capitula Hincmari, & regulam S. Benedicti*
Can. 5. *caus.* 9. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
Can. 35. *de cons. dist.* 5. *idem est cum can.* 7. *dist.* 44.

Additur. (*Can.* 15. *caus.* 13. *q.* 2. *nomine Varensis Concilii à Gratiano laudatus.*

NAnnetum Urbs ad Ligerim Episcopalis sub Turonensi Episcopatu sita est. In ea vulgò celebratum dicunt Concilium anno 890. tempore Formosi Papæ. Alii ab hac vulgari traditione recedunt, eamdem Nannetensem Synodum referentes potiùs vel ad annum 656. vel ad annum 658. Alii, inter utramque opinionem incerti, duo hujus nominis Concilia celebrata fuisse dixerunt, alterum anno 890. alterum anno 656. vel 658. Res meo judicio valdè obscura est, & quam nemo, nisi divinando, adsequi potest. Illud tamèn certum est, duos Concilii Nannetensis canones, videlicèt tertium, & undecimum, relatos fuisse in librum 7. Capitularium Francorum; quamobrèm visum est multis, tempora hujus Concilii definire antiquiora Benedicto Levita, qui circà annum 845. Collectionem Capitularium fecerat, uti diximus superiùs. Prætereà certum est, Flodoardum lib. 2. cap. 7. referre Concilium quoddam Nannetense, quasi anno circitèr 660. celebratum. Sanè, si canones 20. quos hodiè editos habemus, tamquàm ejusdem Concilii Constitutiones perpenderimus, non erit difficile illos agnoscere tamquàm septimi Ecclesiæ sæculi disciplinæ plurimùm conformes, ut propterèa non repugnet illos sæculi septimi Episcopis adtribuere. Conjicere autèm juvat eamdem Synodum Provincialem esse, cum in ea plura tradantur, quæ generatim ab Episcopis sint servanda, quod sanè indicat plures in eodem Concilio Episcopos interfuisse.

In canone 11. hujus Concilii habetur can. 5. dist. 24.; ubi tamèn animadvertendum est, pro illis verbis, *eligere debet Sacerdotes*, in vulgatis exemplaribus legi: *Dirigere debet Sacerdotes.* Can. 5. dist. 24.

Canon. 7. dist. 44. eisdem verbis nomine Concilii Nannetensis etiàm habetur in can. 35. de cons. dist. 5. Verùm Concilii Nannetensis reverà non est, quemadmòdùm nec canones 8., & 9. eadem dist. 44. istorum canonum originem ego pandam, simùlque causas aperiam, Can. 7. 8. & 9. dist. 44. & can. 35. de cons. dist. 5.

riam, ex quibus à Collectoribus Nannetensi Concilio tributi fuerint. De Gratiano, aut Palearum auctore nihil aliud dixero, quàm utrumque sequutum esse anteriores Collectores, Ivonem, & Burchardum, qui primus eosdem canones Nannetensi Concilio adscripsit. At Burchardus errávit ex eo, quòd, eadem fragmenta ex Collectione Reginonis excipiens, canonum inscriptiones non satis intellexit. Habentur eadem capita apùd Reginonem in lib. 1. de Ecclesiast. Discipl. cap. 213., 215. & 216. cum hac epigraphe: *Undè suprà*; cum autèm in cap. 207. Regino memorasset Concilium Nannetense, putavit Burchardus ad idem Concilium Nannetense cetera, quæ sequebantur, referenda esse; falsò tamen: Nàm verba Reginonis *undè suprà* de Capitulis Hincmari Rhemensis Episcopi erant intelligenda, ex quibus præcedentia capita Regino ipse deprompserat. Porrò apùd Hincmarum Rhemensem integra habemus illa omnia Capitula, quæ descripsit Gratianus in dictis canonibus 7., 8., & 9. Quæ ut clariùs designentur, dicam, apùd Hincmarum in prima parte Capitulorum, quam Presbyteris suæ Parochiæ observandam tradidit anno 852. cap. 14. eadem legi verba, quæ apùd Gratianum habentur in can. 7. dist. 44., sive can. 35. de cons. dist. 5.; pòst quæ, paucis interjectis, subjiciuntur verba can. 8. dist. 44.; quorum omnium ut integra habeatur sententia, verba eadem Hincmari describam: *Ut nullus*, ait ille, *Presbyterorum ad anniversariam diem, vel trigesimam tertiam*, (legunt alii separatim: *Trigesimam, tertiam*) *vel septimam alicujus defuncti, aut quacumque vocatione ad Collectam Presbyteri convenerint, se inebriare præsumat, nec precari in amore Sanctorum, vel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se alienâ precatione ingurgitare, nec plausus, aut risus inconditos, & fabulas inanes ibi ferre, aut cantare præsumat: nec turpia joca cum urso, vel tornatricibus antè se facere præsumat: nec larvas dæmonum, quas vulgò talamascas dicunt, ibi anteferre consentiat, quia hoc diabolicum est, & à sacris Canonibus prohibitum: sed cum honestate, & religione prandeat, & ad tempus ad suam Ecclesiam redeat. Summoperè etiàm quisque cayeat, sicùt de statu suo vult gaudere, ut non quacumque occasione aut parem suum, aut alium quemlibet ad iram, & rixam, vel contentionem, quanto magis ad pugnam, vel ad cædem aliquo verbo irritet, seu provocet; nec provocatus ad hoc quisque prosiliat; quia in talibus comessationibus, & potationibus, sicùt religiosi faciunt, semper se immiscet diabolus. Quandò autèm convenerint Presbyteri ad aliquod convivium, Decanus, aut aliquis Prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat. Et tùnc secundùm suum ordinem consideant, alter alterius honorem portantes, & per vicissitudines cibum, & potum benedicant, & aliquis de illorum Clericis aliquid de sancta lectione legat, & pòst refectionem similiter sanctum hymnum dicant ad exemplum Domini, & Salvatoris, ac Discipulorum ejus, sicut illum in cœna fecisse legimus. Et sic se contineant omnes Presbyteri in omni loco, maximè in talibus, ne, sicùt dicit Apostolus, vituperetur ministerium nostrum.* Ità describendi erant Gratianei canones septimus, & octavus. Canon autèm nonus habetur in capite sequenti, id est, 15. apùd Hincmarum eisdem omninò verbis. Quibus sanè canonibus improbata est nonnullorum Clericorum intemperantia, cui ut plurimùm duplex præberi solebat occasio. In primis occasio erat funerum, in quibus tamquàm religiosis actibus Clerici jam tùm interesse consueverant, atque in eis aliquandò mentiebantur, ajentes se pro defunctis orare, cum tamèn immodicè potiùs se se ingurgitarent cibis, & potibus, nonnullas etiàm superstitiones intermiscebant, sicilicèt larvas assumebant ursorum, aliorumque animalium, quibus fortè Stygias potestates repræsentarent, insuper & larvas dæmonum, quas *talamascas* appellabant; idque non solùm die funeris, verùm etiam die anniversario, trigesimo, septimo, & tertio. Inter ceteros trigesimi diei observatio valdè tùnc erat in usu, usquè ad quem funera protrahe-

hebantur, quemadmodùm deducitur ex Capitulis Herardi Episcopi Turonensis anni 858., in quibus hæc leguntur cap. 58. *Ut exequiæ mortuorum cum luctu secreto, & cordis gemitu fiant, & Psalmos ignorantes Kyrie eleison ibi canant, & ut 30. diebus amici, & parentes pro eis agant.* Altera occasio Clericis præbebatur ex eo, quòd solerent singulis menstruis Kalendis in unum convenire, de rebus communibus acturi, & de Ecclesia universa, quo tempore apùd singulos Parochos alternatim manentes, gravamen hospiti inferebant. Utrique autèm abusui remedium adferre voluit Hincmarus, apprimè noscens, quantum & ad commune omnium exemplum, & ad Clericorum ipsorum profectum prodesse valeat cibi, & potus continentia. Non omittam tamèn hoc in loco animadvertere, cum his omnibus aliquo modo convenire posse sententiam Concilii Nannetensis, qualis habetur in can. 15. ibi: *De collectis, vel confratriis, quas consortia vocant, sicùt verbis monuimus, & nùnc scriptis expressè præcipimus, ut tantum fiat, quantum rectum ad auctoritatem, & utilitatem, atque ad salutem animæ pertinet. Ultrà autèm nemo nec Sacerdos, neque fidelis quisquam in Parochia nostra progredi audeat. Id est, ut in omni obsequio religionis, videlicèt in oblatione, in luminaribus, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemosynariis, & ceteris pietatis officiis. Pastos autèm, & comessationes, quas divina auctoritas vetat, ubi & gravedines, & indebitæ exactiones, & turpes, ac inanes lætitiæ, & rixæ, sæpè etiàm, sicùt experti sumus, usquè ad homicidia, & odia, & dissensiones accidere solent, adeò penitùs interdicimus, ut, qui contrà hoc Decretum agere præsumpserit, si Presbyter fuerit, vel quilibet Clericus, gradu privetur; si Laicus est, aut fœmina, ab Ecclesia usquè ad satisfactionem separetur. Conventus autèm talium confratrum, necesse si fuerit ut simùl conveniant, aut fortè aliquis contrà parem suum discordiam habuerit, quem reconciliari necesse sit, & sine conventu Presbyterorum, & ceterorum esse non possit, pòst peracta illa, quæ Dei sunt, & Christianæ Religioni conveniunt, & pòst debitas admonitiones, si contigerit, ut veræ charitatis, & fraternæ invicèm consolationis omnes ad refectionem conveniant, sic talia fieri permittimus, ut, servatâ modestiâ, & temperantiâ, & sobrietate, pacisque concordiâ, sicùt decet fratres, in ædificationem fraternitatis, & laudem, & gloriam Dei, & gratiarum actiones fiant. Et hoc omninò caveatur, quod Salvator ait: Videte, ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate. Qui voluerint, Eulogias à Presbytero accipiant, & panem tantùm frangentes, singulos accipiant biberes, & nihil amplius contingere præsumant; & sic unusquisque ad sua cum benedictione Domini redeat.*

Quod evenisse diximus in canonibus nupèr memoratis, ut ex minùs solerti Reginonis lectione Concilio Nannetensi tribuerentur, quæ potiùs ad Hincmari Rhemensis Capitula pertinebant, idipsum evenit in can. 2. dist. 91. Auctor Palearum Ivonem sequutus est, & Burchardum; Burchardus verò referens eumdem canonem, illum adscrisit Nannetensi Concilio, quòd legerit illum apùd Reginonem in cap. 208. lib. 1. de Eccles. Disciplinis, putans ex eodem Concilio Nannetensi depromptum, ex quo Regino caput præcedens laudaverat. Verùm oportet potiùs illum inquirere inter Capitula Hincmari, apùd quem legitur num. 9. his verbis: *Manè, matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ canendo, primam, tertiam, sextam, nonamque persolvat; ità tamèn ut posteà horis competentibus, juxtà possibilitatem, aut à se, aut ab Ecclesiasticis publicè compleatur. Deindè, peractis Missarum solemniis, & fessis infirmis visitatis, ad opus rurale, & quod sibi competit, exeat jejunus, ut iterùm necessitatibus peregrinorum hospitum, sive diversorum commeantium, infirmorum quoquè, atque defunctorum succurrere possit, usquè ad statutam horam pro qualitate temporis, & opportunitate.* Hæc ad Presbyteros referuntur, de quibus in præcedentibus Capitulis Hincmarus egerat. Quæ autèm apùd Gratianum sequuntur in vers. *Prophetâ dicente*, potiùs habentur in Regula S. Benedicti cap. 16., & meliùs disjunc-

Can. 2. dist. 91.

juncto capite referenda fuerant ab eo, qui Gratianea fragmenta numeralibus notis distinxit; quemadmodùm distinguuntur apùd Ivonem in parte 6. cap. 181. & 182. Quicumque verba hujusce canonis considéraverit, facilè dignoscet, tùnc temporis nondùm instituta fuisse Beneficia Ecclesiastica, qualia habemus in præsentia, Clericos autèm adhùc in communione constitisse.

Potiùs pertinet ad Concilium Nan-
Can. 5. caus. 9. q. 2. netense canon 5. caus. 9. quæst. 2., etenim in can. 2. illius Concilii ità legitur: *Ut nullus Presbyter alterius Parochianum* (legunt alii: *Plebejanum*), *nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.* Eadem etiàm leguntur in Capitularibus Francorum lib. 1. cap. 147. in editione Parisiensi anni 1677. Emendanda propterea erit Gratiani editio, in qua fit mentio de Diaconis, quorum præcipuè non erat curam animarum gerere, & alienigenas suscipere, vel rejicere. *Placiti* nomen idem significabat, quod tribunal Judicis competentis; statim ac enim quis abs Judice publico vocatus à sua Ecclesia discessisset, & venisset ad aliam, in qua situs erat Judex, justam omninò causam habebat, ex qua in alienam Parochiam reciperetur.

Can. 15. caus. 13. q. 2. Ex Amanuensium, aut Typographorum oscitantia factum arbitror, ut pro nomine Concilii Nannetensis adscriptum fuerit nomen Concilii Varensis in can. 15. caus. 13. quæst. 2. Habetur iste in cap. 6. Nannetensis his verbis. *Præcipiendum secundùm canonum auctoritatem, ut de sepulchris, & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant, nisi fortè, qui sepelitur, vivens jusserit Ecclesiæ, in cujus atrio sepelitur, de suis aliquid tribuere, aut etiàm pòst mortem illius, quibus commissum est ejus eleemosynam facere, de rebus illius aliquid dare sponte voluerint. Tamèn nullatenùs à Presbyteris illis aliquid exigatur, sive ab illis, qui locis, & vicis præsunt. Prohibendum etiàm secundùm majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenùs sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut extrà Ecclesiam.* (Meliùs Harduinus legit: *aut in porticu, aut in exhedris Ecclesiæ.*) *Infrà Ecclesiam verò, aut propè Altare, ubi Corpus Domini, & Sanguis conficitur, nullatenùs habet licentiam sepeliendi.* Jam superiùs hoc in libro memini me tradidisse, vetustum fuisse morem, quo defunctorum cadavera non in Ecclesia quidèm, sed vel in atrio, id est, in spatio vacuo, quod remansit ex solo, in quo ædificata Ecclesia fuit, vel in porticum, sive loco deambulationi apto, quemadmodùm sunt claustra Ecclesiarum, & Monasteriorum hodierna, vel exhedra tumulabantur. Tumulari autèm in exhedris dicebantur, quorum cadavera intrà muros Ecclesiæ recondebantur, quemadmodùm nostra hac ætate quandoquè etiàm fieri videmus, præsertim ubi agitur de cadaveribus Virorum Illustrium, & de Ecclesia optimè meritorum, quorum cadaveribus infigi solent etiàm simulacra, vel lapides ad honestissimas inscriptiones accommodati.

CAPUT LIX.

De Concilio Triburiensi.

Concilii Triburiensis canones, qui à Gratiano memorantur, in duplicem classem commodè distribuendi sunt; vel enim in eorum numero habentur, quos exhibent vulgatæ Triburiensis Concilii editiones, vel in eisdem vulgatis editionibus desiderantur : sunt autèm sequentes.

Ex vulgata editione Concilii Triburiensis.

- *Can.* 51. *dist.* 50. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 4. *caus.* 2. *q.* 5. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 15. *caus.* 2. *q.* 5. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 6. *caus.* 13. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 14. *caus.* 13. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus, atque emendandus.*
- *Can.* 31. *caus.* 13. *q.* 2. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 16. *caus.* 16. *q.* 1. *idem est cum can.* 6. *caus.* 13. *q.* 2.
- *Can.* 36. *caus.* 16. *q.* 7. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 7. *caus.* 17. *q.* 4. *ad integros Concilii Codices exigendus.*
- *Can.* 20. *caus.* 17. *q.* 4. *potiùs referendus ad Capitularia Francorum.*
- *Can.* 26. *caus.* 17. *q.* 4. *potiùs referendus ad Capitularia Francorum.*

Ex vulgata editione Concilii Triburiensis.

- *Can.* 6. *caus.* 20. *q.* 1. *ad integra Concilii exemplaria exigendus.*
- *Can.* 2. *caus.* 20. *q.* 2. *ad integra Concilii exemplaria exigendus.*
- *Can.* 1. *caus.* 20. *q.* 4. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 11. *caus.* 27. *q.* 1. *referendus potiùs ad Decreta Siricii.*
- *Can.* 12. *caus.* 27. *q.* 1. *referendus potiùs ad canones Chalcedonenses.*
- *Can.* 13. *caus.* 27. *q.* 1. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 14. *caus.* 27. *q.* 1. *referendus potiùs ad Decreta Gelasii.*
- *Can.* 31. *caus.* 27. *q.* 2. *ad integros Concilii Codices exigendus.*
- *Can.* 32. *caus.* 27. *q.* 2. *ad integros Concilii Codices exigendus.*
- *Can.* 7. *caus.* 30. *q.* 3. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 4. *caus.* 30. *q.* 4. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 4. *caus.* 31. *q.* 1. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*

Can. 44. *de cons. dist.* 1. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
Can. 2. *dist.* 54. *à Reginone Concilio Triburiensi adscriptus.*
Can. 105. *caus.* 1. *q.* 1. *à Reginone Concilio Triburiensi adscriptus.*
Can. 43. *caus.* 11. *q.* 3. *à Burchardo primùm Concilio Triburiensi adscriptus.*
Can. 7. *caus.* 12. *q.* 5. *pertinet potiùs ad Novellas Justiniani Imperatoris.*
Can. 25. *caus.* 17. *q.* 4. *à Reginone Concilio Triburiensi adscriptus.*
Can. 15. *caus.* 18. *q.* 2. *consonat cum disciplina octavi sæculi.*
Can. 4. *caus.* 23. *q.* 8. *à Burchardo primùm Concilio Triburiensi adscriptus.*
Sequuntur alii
Can. 7. *caus.* 29. *q.* 2. *à Burchardo primùm Concilio Triburiensi adscriptus.*
Can. 5. *caus.* 31. *q.* 1. *referendus ad Concilium Meldense.*
Can. 24. *caus.* 32. *q.* 7. *referendus ad Concilium Vermeriense.*
Can. 6. *caus.* 34. *q.* 1. *referendus ad canonum Triburiensium sententias.*
Can. 8. *caus.* 34. *q.* 1. *referendus ad canonum Triburiensium sententias.*
Can. 9. *caus.* 34. *q.* 1. *referendus ad Concilium Compendiense.*
Can. 10. *caus.* 34. *q.* 1. *jungendus cum can.* 6. *caus.* 34. *q.* 1.
Can. 12. *de cons. dist.* 1. } *Simùl jungendi, & ad Moguntinum Concilium referendi.*
Can. 30. *de cons. dist.* 1. }

ANno Domini 895. in Regia Villa, cognomento *Triburia*, non longè à Moguntiaco supèr Rhenum, celebratum fuit Concilium Nationale Germanorum, in quod non solùm Archiepiscopi tres, Moguntinus, Agrippinensis, & Trevirensis, aliique novemdecim numero Episcopi convenerunt, verùm etiàm alii numero multi Regni Proceres, & Abbates Monasteriorum, sub Arnulpho Rege, qui Viris Ecclesiasticis in unum congredientibus maximam contulit potestatem, imò & ipsam auctoritatem Regiam in exequendis canonibus, qui definiendi essent, spopondit, ut & fides, & disciplina Ecclesiastica magis magisque firmaretur, atque iis capitibus, in quibus lapsa videbatur, restauraretur. *Considerans enim idem Sapientissimus Rex* (sunt verba præfationis ejusdem Concilii) *profundæ mentis intuitu abundantem in se Sancti Spiritus gratiam, quia quos repleverit ardentes in se, pariter & loquentes facit de se, anno Incarnationis Jesu Christi Domini Nostri* 895., *Regni verò sui* 8., *indictione* 13., *mense Majo, ejusdem S. Spiritus instinctu, & Primatum suorum consultu, venit in Villam Regiam, videlicèt Triburiam, in terra Francorum consistentem, cum Episcopis infrà conscriptis, Abbatibus, & omnibus Regni Principibus, nec non convenientibus Ecclesiasticorum, & Sæcularium innumeris turbis, quatenùs infatigabili perseverantia Divina, & humana tractarentur, atque emergentia mala comprimerentur, ut eo liberiùs Sancta Dei Ecclesia suo potiretur honore.* Ex quibus verbis liquidò adparet, quænam fuerit hujus Concilii ratio, & qualis auctoritas; etenim Concilii rationes optimæ sunt, incrementum videlicèt fidei, & disciplinæ Ecclesiasticæ reformatio, auctoritas autèm maxima ob utriusque potestatis sive Regiæ, sive Sacerdotalis concursum, atque ex conventu plurium Provinciarum. Vulgatæ Concilii hujus editiones exhibent canones 58.; sed verosimilius est, multò plures fuisse ibidèm constitutos, aut saltèm multò plura Ecclesiasticæ disciplinæ capita discussa, & pertractata; cum vel ipsi contemporanei

Scriptores multos ex Triburiensibus canonibus exhibeant, qui in vulgatis editionibus minimè continentur. Inter hos memorandus est Regino Prumiensis Abbas, quem probabile est eidem Concilio interfuisse, aut saltèm paulò pòst absolutum Concilium Triburiense scripsisse, & quidèm propè Triburiam degentem: etenim Triburia non procùl à Prumio, ubi Regino scribebat, sita erat; quamobrèm Regino idem non nisi maxima cum impudentia retulisset quasi ex Concilio Triburiensi, quod in illo minimè fuerat constitutum: ipse tamèn multo plura capita Triburiensia laudavit, quàm in vulgatis Concilii Codicibus reperiantur. Huic gravissimæ conjecturæ robur addit, quod in vulgata Concilii hujus editione dicitur antè canonum 58. descriptionem, ibi: *& peractis Divinæ Majestati precibus, inclinantes se corâm pii Principis adstantibus Missis* (Episcopi) *gratificantes, & Magno Principi laudes persolventes, dehinc recto ordine consederunt, & prævio Sancto Spiritu, quædam Capitula magis necessaria ex canonicis institutionibus subscripserunt.* Quibus verbis sanè intelligimus, non omnia, quæ in Concilio pertractata sunt, communi Episcoporum subscriptione fuisse confirmata, sed tantùm *quædam Capitula magis necessaria*, ac proindè multa alia adhùc capita superesse, quibus Episcopi non subscripserunt, quæ quidèm ea sunt, quæ apùd Reginonem in libris de Ecclesiasticis Disciplinis benè multa continentur. Quamobrem istis fidem, si non integram, saltèm plurimam, tamquam à contemporaneo Auctore descriptis, minimè denegabimus. Et quoniàm de Reginone contemporaneo Auctore sermonem habeo, non omittam, quod ipse ait de eodem Concilio in lib. 2. suorum Chronicorum his verbis: *Anno Dominicæ Incarnationis* 895. *Synodus Magna celebrata est apùd Triburias contra plerosque sæculares, qui auctoritatem Episcopalem Abbatibus Monasteriorum residentes plurima Decreta super statum Sanctæ Ecclesiæ scripto roboraverunt.* Quicumque autèm Triburiensis Concilii canones in medium profe-

rantur, certissimum est, in illis plures sententias intextas fuisse ex Epistolis Decretalibus Isidori Mercatoris: Erat enim tùnc maximo in pretio Collectio Isidoriana, & facilè Episcopi in suis canonibus Synodicis Isidorianas sententias inserere delectabantur.

De Canonibus Gratiani, qui extant in vulgata Concilii Triburiensis editione.

Jamdiù animadverterunt Correctores Romani, can. 51. dist. 50. legi in can. 36. inter vulgatos Triburienses, sed *copiosiùs*; ex quo proindè necessarium est ejusdem fragmenti verba supplere. *Si contingat duos fratres simùl arborem succidere, sive in sylva, sive quocumque loco, & cadente arbore alter alteri, fuge, vel cave, dixerit, & ipse stans, sive fugiens subtùs ipsam arborem devenerit, & mortuus fuerit, superstes frater innocens de morte defuncti dijudicetur; quia non voluntate, non incuria illius, non denique consensu, nec ullo suo mortem incurrit reatu, sed dum ambo insisterent operi necessario, incautus, & insperato casu arboris depressus est, nemine prorsùs adjuvare valente. Hanc eandem statuimus definitionem de ceteris similibus, sive cognatis, sive nulla proximitate conjunctis. Istam definitionem tenuere Patres nostri Apostolici Viri; ideò eorum exemplas sequentes per futura tempora inviolabilem eam custodimus, & posteris nostris sequendam transmittimus, quia grave peccatum est, & nostro ministerio contrarium, innocentem opprimere, & securum crimine scienter criminosum habere. Quidam de sapientibus ait: Premit insontes debita sceleri noxia pœna, justusque tulit crimen iniqui.* Can. 51. dist. 50.

Canon 4. caus. 2. quæst. 5. paulò alitèr legitur in Can. 21. Triburiensi, ibi: *Siquis Presbyter contrà Laicum, vel Laicus contrà Presbyterum aliquam habet querimoniæ controversiam, Episcopo regente sine personarum acceptione finiatur, & Laicus præjuramento, si necesse sit, constringatur; Presbyter verò vice præjuramenti per Sanctam Consecrationem interrogetur, quia Sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Manus enim, per quam Corpus, &* Can. 4. caus. 2. q. 5.

& Sanguis Christi conficitur, juramento polluetur? Absit, cum Dominus in Evangelio Discipulis suis, quorum vicem nos indigni in Sancta gerimus Ecclesia, dicat: Nolite omninò jurare; sit autèm sermo vester: est, est, non, non: Quod autèm his abundantius est, à malo est. Non dixit: quod amplius est, malum est, sed à malo, id est, à malo homine, de cujus incredulitate cogimur jurare. Ut enim in quadam homilia B. Bedæ Presbyteri legimus, si fortè nos incautiùs jurasse contigerit, quod scilicèt observatum pejorem vergat in exitum, liberè illud mutandum noverimus salubriori consilio.

Can. 15. caus. 2. q. 5. Canon 15. caus. 2. quæst. 5. referendus commodè erit ad canonem 22. ex vulgatis Triburiensibus; ubi tamèn hæc leguntur paulò alitèr, quàm apùd Gratianum habeatur: *Siquis fidelis libertate notabilis aliquo crimine, aut infamia deputatur, ut atur jure, juramento se excusare. Si verò tanto, talique crimine publicatur, ut criminosus à populo suspicetur, & propterea superjuretur, aut confiteatur, & pœniteat, aut Episcopo, vel suo Misso discutiente, per ignem candenti ferro cautè examinetur.* Canonem hunc primus in suam Collectionem canonum retulit Regino Prumiensis, quem in ipso Triburiensi Concilio interfuisse verosimile admodùm est; verùm non eadem verba descripsit, sed hæc, retentâ sententiâ, in lib. 2. cap. 302. *Nobilis homo, vel ingenuus, si in Synodo accusatur, & negaverit, si eum fidelem esse sciunt, juramento se expurget: Si anteà deprehensus fuerit in furto, atque perjurio, ad juramentum non admittatur; sed, sicùt qui ingenuus non est, ferventi aqua, & candenti ferro se expurget.* Burchardus Vvormatiensis hæc eadem verba, qualia erant apùd Reginonem, descripsit in lib. 16. cap. 19., imò etiàm quidpiam ipse adjecit; pro illis enim, *cum juramento se expurget*, ità expressit: *cum duodecim ingenuis se expurget*; itèm pro illis, *atque perjurio ad juramentum*, scripsit: *aut perjurio, aut falso testimonio ad juramentum.* Hinc facilè agnoscitur, qua de causa canon Gratiani vel cum ipso Concilii canone, vel cum capite Reginonis minimè consonet, Burchardo scilicèt auctore, à quo Gratianus fragmentum excepit, propterea emendandum vel ex ipso Triburiensi canone, vel ex Reginone, qui germanam Concilii sententiam exposuisse præsumitur.

Can. 6. caus. 13. q. 2. Canon 6. caus. 13. quæst. 2. ità supplendus erit ex can. 15. Triburiensi. *Restat propter instantem, quæ tùnc maxima occurrit, necessitatem, ubicumquè facultas rerum, & opportunitas temporum suppetat, sepulturam morientium apùd Ecclesiam, ubi sedes est Episcopi, celebrari. Si autèm hoc propter itineris longinquitatem, aut adjacentem alicujus inopportunitatis difficultatem impossibile videatur, expectet eum terra sepulturæ suæ, quo Canonicorum, aut Monachorum, sive Sanctimonialium Congregatio Sancta communitèr degat, ut eorum orationibus Judici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quòd si & hoc ineptum, & difficile æstimetur, ubi decimam persolvebat vivens, sepeliatur mortuus.*

Can. 14. caus. 13. q. 2. Canon 14. caus. 13. quæst. 2. legitur in Can. 16. Triburiensi, cujus hæc sunt verba: *Abhorrendus, & Christianis omnibus devitandus, mos iniquus subrepsit, sepulturam mortuis debitam sub pretio vendere, & gratiam Dei venalem facere, cum hoc nusquàm sub Evangelica gratia meminerimus nos invenisse, vel legisse. In Ecclesiastico namquè libro scriptum est: mortuo non prohibeas gratiam, sciens, quia omnes moriemur. Et item: Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertuntur. Quid terra terram vendis? Memento, quoniàm terra es, & in terram ibis, & quoniàm mors tibi futura est, appropiat, & non tardat. Recordare, quoniàm non hominis est terra, sed, ut Psalmista commemorat: Domini est terra, & qui habitant in ea. Si terram vendis, invasione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepisti à Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omninò Christianis, terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare. Nisi fortè proximi, & amici defuncti, propter nomen Domini, & redemptionem animæ viri, gratis aliquid donare velint.* Ex his & supplendus erit Gratiani canon, atque emendandus.

Can. 31. caus. 13. q. 2.

Canon 31. caus. 13. quæst. 2. ab auctore Palearum, nullo adjecto auctoris nomine, apùd Gratianum laudatur; sed apùd Gregorium IX. in cap. 2. de furtis Triburiensi Concilio inscribitur. Romani Correctores observaverunt, nonnulla similia legi in cap. 31. Triburiensi. Verba hujus Canonis referam, ex quibus Gratiani fragmentum suppleatur, atque emendetur. Ajunt Triburienses Patres: *Statuimus, & judicamus, ut, siquis pòst hæc Evangelica, & Apostolica, atque Prophetica verba, & definitionem pacatissimæ Synodi inventus fuerit furtum, aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem mereatur incurrere, nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare: & eleemosyna pro eo data in memoriam Clericorum nec Pauperum veniat, sed execrabilis sordescat. B. Augustinus de talibus horribilem profert sententiam dicens: Nemo te pòst mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti. Si autèm ille fur, vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se Mysteriis Sacrosanctis habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque & Sacerdoti, comite vitâ, emendationem morum, & actuum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam.* Hunc Canonem ità descriptum primus aut corrupit, aut corrumpendi occasionem dedit Regino Prumiensis, apùd quem ità legitur in cap. 94. lib. 2. Ex Concilio Triburiensi: *Fures, & Latrones, si in furando, & prædando occidantur, visum est pro eis non orandum; si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.* Facile est in vetustis Reginonis Codicibus verba illa, quæ hodiè leguntur: *vel Diacono*, breviata fuisse hoc modo *Do vel Duo*, quæ significarent *Deo*, *vel Domino*, quemadmodùm in Triburiensi Concilio legitur: at, qui Codicem Reginonis, & breviatos characteres non intellexit, facilè potuit in illis verbis legere *Diacono*, præter quàm in ipso Concilio legatur, in quo nulla Diaconi mentio habetur. Atque erratum hoc sequutus est Burchardus, & ex Burchardo Gratianus, & ex Gratiano etiàm Collector Decretalium in dicto cap. 2. de furtis, in quo Interpretes non levem controversiam agitant, quasi ex eo deduci videatur, delictorum confessionem æquè Diacono, ac Presbytero fieri posse; quæ sanè difficultas penitùs evanescit, si ad integra Concilii Triburiensis exemplaria eumdem Triburiensem Canonem exegerimus.

Can. 15. caus. 16. q. 1.

Canon 16. caus. 16. quæst. 1. testante eodem Gratiano, idem est cum canone 6. caus. 13. quæst. 2. cujus sententiam integram jam superiùs descripsi ex canone 15. Concilii Triburiensis.

Can. 36. caus. 16. q. 7.

In can. 36. caus. 16. quæst. 7. referre volebat Gratianus can. 32. Concilii Triburiensis, cujus tamèn verba paulò alitèr in vulgatis Concilii exemplaribus exprimuntur, ibi: *Quæcumque Ecclesia à compluribus cohæredibus sit obsessa, concordi unanimitate undiquè procuretur, ne propter aliquas disceptationes servitium Dei minuatur, & cura populi irreligiosè agatur: Si verò contingat, pro ea comparticipes dissidere, & sub uno Presbytero nolle eam procurare, & propterea jurgia, & contentiones tàm inter ipsos, quàm inter Clericos incipiant frequentare, quia juxtà Apostolum servos Dei non oportet litigare, Episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura honorificè collocet eas, atque ejusdem Ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea, ut Sacrum ministerium nullus celebret in ea, antequàm concordi unanimitate unum omnes eligant Presbyterum, qui idoneus sit Sacrosanctum locum procurare, & Populo Dei utilitèr præesse. Hanc autèm habeant auctoritatem Episcopi, ut in nullis Ecclesiis nec constituantur Presbyteri, nec expellantur, illis inconsultis, & non consentientibus. In Epistola B. Papæ Clementis legitur: Attendendum summoperè est omnibus Presbyteris, & reliquis Clericis, ut nihil absquè Episcopi proprii licentia agant, non utiquè missas sine ejus jussu quisquam Presbyterorum in sua Parochia agat. Similitèr & reliqui Populi, majores scilicèt, & minores, per ejus licentiam, quidquid agendum est, agant. Animæ verò eorum ei creditæ sunt; ideò omnia ejus consilio agere debent, & eo inconsulto nihil.* Sic

res-

restitutus est Triburiensis canon, quem primò paucis perstrinxerat Regino in lib. 1. de Ecclesiasticis Disciplinis cap. 242. deindè Burchardus in lib. 3. cap. 40. ac pòst eos Gratianus in dicto can. 36. & tandèm Gregorius IX. in cap. 2. de Jurepatronatus. Quædam his ferè similia leguntur in legibus Longobardorum lib. 3. tit. 1. cap. 44. ibi: *De Ecclesiis, quæ inter cohæredes divisæ sunt, considerandum est, quatenùs si secundùm nostram providentiam & ammonitiones Episcopi ipsi cohæredes eas tenere voluerint, & honores faciant: Si autèm hoc contradixerint, ut in Episcopi potestate maneat, utrùm eas ità custodire permittat, aut reliquias exinde auferat, & ubi ad nostrum beneficium Ecclesiæ pertinentes ità divisæ fuerint inventæ, & ut describantur, & nobis enuntientur.*

Can. 7. caus. 17. q. 4.

Quæ refert Gratianus in canone 7. caus. 17. quæst. 4. jam Regino eisdem verbis descripserat tamquàm canonem Concilii Triburiensis in lib. 2. cap. 37. & ex Reginone describere non dubitarunt Burchardus, & Ivo. Verùm ibidèm non legitur integra, sed paucis perstricta Triburiensium canonum sententia. Eo enim pertinent Triburienses canones quartus, & sextus. Quartus ità exprimitur: *Siquis Presbyter* (quod absit, quia Sacerdos altissimi Dei est) *vulneratus, vel quibuslibet injuriis, & contumeliis dehonestatus evaserit, & supervixerit, tota compositio persolvatur Presbytero. Si autèm articulo mortis præventus obierit, pretium VVeregeldi* (id est, compositionis, juxtà usum loquendi Longobardorum) *tripartità partiatur divisione, id est, altari, cui ordinatus fuerat, pars una; Episcopo, in cujus Diœcesi erat, altera; tertia parentibus, de quibus ortus fuerat. Si verò in atrio Ecclesiæ aliquid ex istis Presbytero factum fuerit, supradicto modo Presbytero, & pro Presbytero solvatur. Sed quia, ut Hilarus Papa omnibus Episcopis per diversas Provincias in Epistola sua scribit: injuria Sacerdotum, & Ecclesiarum sacrilegium est: sacrilegium in atrio factum altari, & Domino ejusdem loci persolvatur &c.* Rursùm in can. 6. hæc leguntur: *Siquis temerarius atrium Ecclesiæ e vaginato gladio præsumptuosè intraverit, sacrilegium facit, & idcircò sacrilegium in atrio Domini factum sacrilegii more altari, & Domino persolvatur. Dominus dicit in Evangelio: Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt &c.* Hæc jam clariùs constituerat Ludovicus Pius Imperator in suo Capitulari anni 819. cap. 1. non enim Triburienses Patres legem novam hac in re ipsi pronunciarunt, sed potiùs Imperatoriæ legi jam dictæ hujusmodi canones conformarunt. Statuit Ludovicus: *Siquis aut ex levi causa, aut sine causa, hominem in Ecclesia interfecerit, de vita componat. Si verò foris rixati fuerint, & unus alterum in Ecclesiam fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, si facti hujus testes non habuerit, cum duodecim conjuratoribus legitimis per Sacramentum adfirmet, se defendendo eum interfecisse, & pòst hæc sexcentos solidos ad partem Ecclesiæ, quam illo homicidio polluerat, & insuper bannum nostrum solvere congatur: is verò, qui interfectus est, absque compositione jaceat; ac deindè interfector secundùm judicium canonicum congruam facinori, quod admisit, pœnitentiam accipiat. Si proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrùm hoc sponte, ac se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur; si autèm non fuerit, dominus ejus, juxtà quod VVirigildus illius est, ad Ecclesiam persolvat, aut eum, si voluerit, eidem Ecclesiæ tradat... Si in atrio Ecclesiæ, cujus porta reliquiis Sanctorum consecrata est, hujusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur, vel componatur. Si verò porta Ecclesiæ non est consecrata, eo modo componatur, quod in atrio committitur, sicùt componi debet, quod in immunitate violata committitur.*

Can. 20. caus. 17. q. 4.

Canon 20. caus. 17. quæst. 4. emendandus erit ex can. 20. Triburiensi, in quo hæc leguntur: *Siquis irreverens, timorem Domini postponens, in servos ejus sævire præsumpserit, quos ipse præ ceteris peculiari singularitate sibi segregavit, & coronæ suæ similitudinem tradente Apostolorum Principe gestare fecit, & servos suos dici, & esse voluit sortemque illorum se constituit, sicùt de eis scriptum est, loquente ipso Domino: Ego hæreditas eorum: Dominus hæreditas mea*

est;

est ; siquis , ut diximus , ullum eorum , quocumque ordine consecratum , cæsis vulneribus , vel quibuscumque injuriis angustaverit, jubeat eum Dominus Episcopus per bannum à se impositum ante se venire , & advocet cognitorem , & adjutorem Comitem , & constringat protervum Episcopus auctoritate canonicâ : ut eidem Clerico , cui contrà divinas , & humanas leges contumelias ingessit, justam , & debitam persolvat compositionem, & Comite agente persolvat bannum Regibus debitum. Si verò , agente protervia , venire contempserit , justitiæque consentire detrectaverit , agantur super eum omnia , quæ suprascripta sunt in secundo , & tertio Capitulo, nisi iterùm veniat , & justitiæ concordet. Si canonem Gratianeum cum hoc Triburiensi canone conferamus, agnoscemus statim unius sententiam à sententia alterius plurimùm discrepare ; etenim quod in Concilio Triburiensi de Clericis statutum est, qui ibidèm speciales Dei servi appellantur , in fragmento Gratianeo ità legitur, quasi de servis laicorum dominio subjectis editum fuerit. Verùm, ut rem hanc candidè aperiam , ego arbitrarer , canonem Gratianeum reverà ad Triburiense Concilium non pertinere ; non possum enim percipere tantam potuisse esse Collectoris audaciam , ut tam diversam sententiam Triburiensis canonis ipse reddiderit , præsertim quòd noverim cum aliis , & alterius auctoris, canonibus Gratianeum canonem consonare. Referendus ille erit ad Capitularia Regum Francorum , in quibus lib. 5. cap. 337. editionis Parisiensis anni 1677. hæc leguntur : *Siquis homo contumax , vel superbus , timorem Dei , vel reverentiam Ecclesiarum non habuerit , & fugientem servum suum , vel quemlibet persequutus fuerit , vel de Ecclesia , vel de porticu ejus per vim abstraxerit , & Deo honorem non dederit , componat ad ipsam Ecclesiam pro neglecto suo solidos quingentos , & pro fredo ad fiscum solidos ducentos ; ipse verò publicâ pœnitentiâ juxtà judicium Episcopi mulctetur , ut sit honor Dei , & reverentia Sanctorum , & ut Ecclesia Dei semper invicta permaneat.* Hæc sanè verba eadem sunt cum illis , quæ retulit Gratianus , ut propterèà dubitandum non sit , Gratiani canonem ad Capitularia Francorum , quàm ad Triburiense Concilium , esse potiùs referendum. Verùm , qui occasionem errandi dedit, primus fuit Burchardus , qui Capitularia Francorum ægrè commemorabat , ac propterèà in cap. 197. lib. 3. idem hoc caput inscripsit Concilio Mediomatricis, quem sequutus est Ivo in parte 3. cap. 114. Gratianus , qui ex Burchardo & Ivone fragmenta canonum decerpebat, non solùm eumdem canonem Capitularibus Francorum , uti decebat , non adscripsit ; imò neque fuit satis accuratus in referenda inscriptione Burchardi, sed confundens inscriptionem capitis 196. quod tribuebatur Concilio Triburiensi, cum inscriptione dicti capitis 197. idem caput 197. Concilio Triburiensi per oscitantiam tribuit.

Canon 26. caus. 17. quæst. 4. consonare videtur cum canone 4. Concilii Triburiensis , cujus verba integra superiùs retuli ad can. 7. caus. 17. quæst. 4. Verùm non hic sistere debemus, cum accuratiùs possimus investigare ejusdem Gratianei canonis originem. Regino Prumiensis in lib. 2. de Eccles. Discipl. cap. 40. retulerat paucis sententiam dicti canonis 4. Triburiensis ; deindè in cap. 41. hæc subdidit : *Ex Capitularium lib. 2. cap. 49. Presbyteri interfecti compositio Episcopo , ad cujus Parrœchiam pertinet , solvatur , secundùm Capitulare gloriosi Caroli genitoris nostri , ità videlicèt , ut medietatem VVirigildi ejus Episcopus utilitatibus Ecclesiæ , cui præfuit , tribuat , & alteram medietatem in eleemosyna ejus justè dispertiat; quià nullus nobis ejus hæres proximior videtur , quàm ille, qui ipsum Domino sociavit.* Referuntur hæc eadem in lib. 4. Capitularium Francorum cap. 15. & in lib. 5. cap. 186. Parisiensis editionis anni 1677. Vidit hoc Capitulare Burchardus , atque illud in suum Codicem relaturus noluit referre Capitularium nomine , à quo , uti persæpè monui , sibi abstinendum proposuerat , sed potiùs inscripsit nomine Concilii Triburiensis , ex quo Concilio Can. 26. caus. 17. q. 4.

apùd

apùd Reginonem laudabantur præcedentia capita, videlicèt 37. 38. 39. & 40. Ex Burchardo deceptus Ivo in parte 10. cap. 140. eumdem canonem tribuit Triburiensi Concilio, ex Ivone Gratianus, & tandèm ex Gratiano ipso Collector Decretalium Gregorii IX. in cap. 2. de pœnis. Romani Correctores quædam adnotarunt ad illam vocem *VVirigildi*, ajentes: *anteà legebatur Renaldus.* Profluxit id ex ignoratione Amanuensium linguæ Longobardorum, apùd quos Vvirigildi nomen frequentissimum est in ipsorum legibus, significatque pœnalem criminis cujuslibet compositionem.

Can. 6. caus. 20. q. 1. & can. 2. caus. 20. q. 2.

Canon 6. caus. 20. quæst. 1. & canon 2. caus. 20. quæst. 2. tum in appendice 2. Reginonis cap. 37. & 38. tum apùd Burchardum cap. 97. & 98. lib. 3. tum apùd Ivonem cap. 115. 116. partis 7. simùl junguntur, ac nomine Triburiensis Concilii laudantur; quamquàm tamèn in pluribus quidèm conveniant, sed in pluribus dissonent à Concilii ejusdem Triburiensis sententiis, quæ leguntur tum in can. 24. ad quem referendus est dictus canon 2. caus. 20. quæst. 2. tum in can. 27. ad quem referendus est dictus canon 6. caus. 20. quæst. 1. Erunt igitùr hoc in loco describenda ipsamet Triburiensis Concilii verba, ne à proposito recedat, quicumque Gratiani fragmenta sit interpretaturus. Canon 24. Triburiensis hic est. *Quæcumque virgo sub patrocinio antè annos duodecim, non coacta, sed propria voluntate sacrum velamen sibi imposuerit, annumque, & diem nullo repetente velata permanserit, ab eodem sancto habitu ulteriùs non recedat, sed sponsa vero Regi Christo immaculato agno ulteriùs incorrupta, & immaculata deserviat. Si vero idem Patronus pòst annum, & diem sanctum propositum corrumpere, & velatam studuerit repetere, atque Christo suam sponsam rapere secundùm præstituta canonum præjudicamus, ut vires non obtineat, sed Christo Regi suam sponsam relinquat.* In c. 27. hæc habentur: *Statuimus, ut Clericus ecclesiasticè nutritus in Ecclesia coràm populo vel legens, vel cantans, si postmodùm relicto Clericatus habitu à castris Dominicis, quibus adscriptus est, profugus, & apostata elabitur, & ad sæculum egreditur, ab Episcopo canonicè coerceatur, ut ad sinum Matris Ecclesiæ revertatur. Quòd si in hac indisciplinatione perdurat, ut comam nutriat, constringatur, ut iterùm detondeatur, & posteà nec uxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat. Si verò huic hujus sancti Concilii reluctaverit definitioni, secundùm præstitutam Chalcedonensis Capituli constitutionem anathematizetur.* Agnosco quidèm, in his Triburiensibus canonibus non omninò reperiri expressam Gratianeorum fragmentorum sententiam. Ea tamèn sunt, quæ Regino complexus est in memorata appendice, & paucis perstrinxit, ut sacrorum canonum studiosis Clericis proponeret; ac propterèa eadem sunt, quæ ad accommodam Gratiani interpretationem plurimùm, & maximè conducunt, cum Gratianus de more suo sequutus Ivonem fuerit, Ivo Burchardum, & Burchardus Reginonem.

Ex lectione Reginonis mendum profluxit in canonem 1. caus. 20. quæst. 4. qui inscribitur nomine Concilii Triburiensis. Est is Triburiensis canon 26. his verbis in exemplaribus ejusdem Concilii expressus: *Siquis Monachus pro lucro animæ, vel animarum à suo Monasterio exire, & in aliud proposuerit intrare, consentientibus Episcopo, Abbate, & Fratribus, consentimus, & concordamus, quia id fecisse multos sanctos legimus. Si verò fugâ regularis disciplinæ elapsus propositum sanctitatis calcaverit, omnimodis coercendus, & ab hominibus detestandus, atque omni onere est gravandus, ut saltèm rubore verecundiæ confusus, & onere paupertatis afflictus redeat, quem relicta singularitatis professione inimicus tenebat. Si autèm tam irreverens, & pertinax est, ut ad Monasterium redire, & propositum Monachi reluctaverit observare, impleantur super eum constituta, quæ de eo scripta sunt in sancto canone in Concilio Chalcedonensi cap. 4. Papæ Siricii 6. Leonis 26. quatenùs retrusus ergastulo decoqui possit pœnitudinis igne purgatorio.* Can. 1. caus. 20. q. 4.

Hæc de Monachis constituta Regino Prumiensis in sua Collectione lib. 2. cap. 180. cum de Sanctimonialibus ageret,

ret, non dubitavit, quasi de Sanctimonialibus dicta, ità proferre. *Sanctimonialis, si per lucro animæ suæ cum licentia Abbatissæ suæ ad aliud Monasterium pergere disposuerit, ibidèmque commanere, decrevit Sancta Synodus concedi. Si verò fugâ disciplinæ alium locum quærit, redire cogatur.* Quæ verba etiàm ex Concilio Triburiensi laudavit, id est, sententiis Concilii Triburiensis, ubi de Monachis agebatur, valdè similia. Legerat hæc apùd Reginonem Burchardus, qui in lib. 8. suæ Collectionis cap. 22. aliquibus immutatis verbis eadem, quasi ex Concilio Triburiensi, descripsit his verbis: *Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, ibidèmque commanere decreverint, Synodus concedit. Si verò fugâ disciplinæ alium locum quæsierint, redire cogantur.* Sic etiàm ex Burchardo descripsit Ivo in parte 7. Decreti cap. 42. & ex Ivone Gratianus in dicto can. 1. caus. 20. quæst. 4. qui statim hæc subjicit: *Quod autèm de virginibus sacris hoc capitulo statuitur, de Monachis etiàm consequenter intelligitur, & de quolibet etiàm Clerico.* Sanè, si Gratianus ad germanam Triburiensis canonis lectionem confugisset, frustrà adnotavisset, ex eo quòd statutum legerat de Sanctimonialibus, argumentum desumi posse ad Monachos protrahendum; etenim in Concilio ipso de Monachis verè sermo institutus fuerat, licèt Reginonis operâ ad Sanctimoniales relatus. Hinc adparet diversa inter Gratianum, & Reginonem interpretationis æmulatio; etenim Regino curabat, ut canonem Triburiensem de Monachis expressum ad Sanctimoniales produceret; & Gratianus sollicitus fuit, ut canonem eumdem Triburiensem, quem ex Reginonis editione de Sanctimonialibus expressum arbitrabatur, etiàm de Monachis argumentatione quadam & similitudine intelligendum proponeret.

Can. 11. 12. 13. & 14. caus. 27. q. 1.

Quatuor fragmenta, in unam eamdemque sententiam colligentia, descripsit Gratianus nomine Concilii Triburiensis in caus. 27. quæst. 1. videlicèt canones 11. 12. 13. & 14. Videntur illa omnia pertinere ad canonem 23. Triburiensem, cujus hæc sunt verba: *Si quis sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, & pòst dicatum Deo propositum incesta fœdera, sacrilegaque miscuerit, ut in constitutis Gelasii Papæ cap. 20. legitur, protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam, probatamque pœnitentiam omninò non recipi: si tamèn pœnituerint, transeuntibus de sæculo viaticum non negetur. In Chalcedonensi Concilio cap. 16. hoc perpetrantes excommunicentur: Confitentibus auctoritate Episcopi misericordia largiatur. In Epistola Papæ Siricii cap. 6. Velatæ Deo consecratæ, si, abjecto proposito sanctitatis, clanculùm sacrilegâ se contagione miscuerint, vel de illicitis complexibus publicè, & liberè filios procreaverint; has impudicas, detestabilesque personas à Monasteriorum cœtu, & Ecclesiarum conventibus eliminandas esse, judicatum est, quatenùs retrusæ ergastulis tantum facinus continuâ lamentatione defleant. Undè verbo Domini, & canonicâ auctoritate in hac sancta Synodo præcipimus, ut omninò separentur, & juramento colligentur, ulteriùs sub uno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in Ecclesia, & in publico, aut pariter ullam habere communionem, undè suspicio illecebrosi desiderii, aut scandalum libidinosi facti juste possit oriri. Siquæ etiàm inter se dividenda sint, dividant, & uterque sua provideat.* Itaquè in hoc canone Triburienses Episcopi non suam tantùm, sed & potissimùm Gelasii, Siricii, & Chalcedonensis Concilii sententiam proposuerunt. Porrò sententia Gelasii est inter ejusdem Papæ decreta apùd Dionysium Exiguum, & quidèm numero 20. de quibus opportuniore in loco sermonem habebo. Exindè autèm depromptus est canon 14. caus. 27. quæst. 1. eisdem omninò verbis cum Gelasiano Decreto consonans, dummodò pro illis, *si dignè pœnituerint*, legamus: *Si tamèn pœnituerint*; ideò autèm ex Concilio Triburiensi laudatus, quia dictus Concilii Triburiensis canon ad hoc idem Gelasii Decretum referebatur. Sententia Papæ Siricii, ad quam etiàm Triburiensis canon refertur,

tur, habetur inter Decreta ejusdem Papæ his verbis: *Prætereà Monachorum quosdam, atque Monachorum abjecto proposito sanctitatis, in tantam potestatis demersos esse lasciviam, ut priùs clanculò, velùt sub Monasteriorum prætextu inlicita, ac sacrilega se contagione miscuerint, posteà verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicæ leges, & Ecclesiastica jura condemnant. Has igitùr impudicas, detestabilesque personas à Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus; quatenùs retrusæ in suis ergastulis tantum facinus continuâ lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltèm solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.* Cum hoc Siricii capite consonare videtur dictus canon 11. caus. 27. quæst. 1. ideò etiàm Concilio Triburiensi adscriptus, quòd ad Siricii decretum Triburiensis canon referatur. Prætereà canonem Chalcedonensis Concilii jam suo in loco palàm exhibui, & ad eum refertur canon 12. caus. 27. quæst. 1. eadem ratione, qua ceteri hujusmodi canones Triburiensi Concilio tributi. De canone 13. caus. 27. quæst. 1. nihil hic specialitèr subjiciendum arbitror; non enim aliud in eo contineri videtur, quàm perstricta sententia dicti canonis Triburiensis, quem nupèr integrum descripsi, ex quo propterea idem Gratiani fragmentum supplere juvabit.

Can. 31. & 32. caus. 27. q. 2.

Concilii Triburiensis canones non esse omninò integrè, fidelitèrque relatos à Collectoribus, jam satis liquet ex iis, quæ hùc usquè animadvertimus. Atque id etiàm apparet in canonibus 31. & 32. caus. 27. quæst. 2. qui laudantur quasi canones Triburiensis Concilii, cum tamèn multò alitèr in Triburiensibus ipsis canonibus habeatur. Canon igitùr 31. caus. 27. quæst. 2. pertinere videtur ad canonem 31. Triburiensem, cujus hæc sunt verba: *Si quis legitimam duxit uxorem, & impediente quacumque domesticâ infirmitate, uxorium opus non valens implere cum illa, frater verò ejus, suadente diabolo, adamatus ab ipsa, clanculùm eam humiliaverit, & violatam reddiderit, omnimodò separentur, & à neutro ulteriùs eadem mulier contingatur. Igitùr conjugium, quod erat legitimum, fraternâ commaculatione est pollutum, & quod erat licitum, illicitum est factum, & ut Hieronymus ait: mulier duorum fratrum non ascendat thorum; si autèm ascendit, adulterium perpetrabit. Quia verò humana fragilitas proclivis est ad labendum, aliquo modo muniatur ad standum. Idcircò Episcopus, consideratâ mentis eorum imbecillitate, pòst pœnitentiam suâ institutione peractam, si se continere non possint, legitimo consoletur matrimonio, ne, dum sperantur ad alta sublevari, corruant in cœnum.* Hæc verba primus paucis perstrinxit Regino Prumiensis in lib. 2. cap. 245. ibi: *Ex Concilio Triburiensi: Si duxerit vir uxorem, & concumbere cum ea non valens, frater ejus clanculò eam vitiaverit, & gravidam reddiderit, separentur. Consideratâ autèm imbecillitate, misericordia eis impertiatur ad conjugium, tantùm in Domino.* Hinc posteriores Canonum Collectores exemplo Reginonis aliis verbis sententiam Triburiensem descripserunt, quemadmodùm in dicto can. 31. caus. 27. q. 2. Sed & canon 32. caus. 27. quæst. 2. referendus erit, ac supplendus ex can. 43. Triburiensi, his verbis expreso: *Siquis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente filius ejus, vel frater ejusdem rei inscius cum eadem se polluerit, & postquàm se pollutum esse congnoverit, confessus fuerit, & hoc se nescire cum juramento confirmaverit, quia hoc pœnituit, & confessus fuit, pòst peractam congruam pœnitentiam legitimo utatur matrimonio, ne iterùm mordente crudelissimâ libidinis bestiâ saucietur, & in voraginem fornicationis incidere videatur. Nàm, ut Hieronymus ait, ferreas mentes domat libido. Mulier verò, quæ tantum nefas commiserat, ulteriùs pœniteat, atque continens, & innupta permaneat.* Verùm, licèt cum hoc Triburiensi canone plurimùm consonare videatur Gratiani fragmentum; ego tamèn asseruerim, canonem Gratiani referendum potiùs esse ad canonem 10.

Concilii Compendiensis ; Concilii autèm Triburiensis nomen adscriptum fuisse, ut indicaretur, non propriè canonem illum ad Triburiense Concilium pertinere, sed potiùs quædam in eodem Concilio similia legi. Porrò in Concilio Compendiensi cap. 10. hæc leguntur: *Si pater sponsam filii sui oppresserit, & posteà filius ipsam acceperit, pater ejus posteà non habeat uxorem, & ipsa fœmina non habeat virum, quia non dixit, quòd pater ejus cum ipsa mansisset; filius verò ejus, qui nesciens fecit, accipiat mulierem legitimam.*

Qui omninò cum Codicibus Tribu- Can. 7. caus. 30. q. 3. riensis Concilii consonat, is est canon 7. caus. 30. quæst. 3. habetur enim eisdem omninò verbis in can. 48. ejusdem Concilii, quemadmodùm etiàm cum canone 47. Triburiensi consonat canon 4. caus. 30. quæst. 4. ubi tamèn pro illis verbis: *nulla generatio secernit spiritalis,* Can. 4. caus. 30. q. 4. vulgata Concilii editio hæc habet: *in id generatio secernit spiritalis.*

Canon 4. caus. 31. quæst. 1. legitur Can. 4. caus. 31. q. 1. in can. 40. Concilii Triburiensis his verbis: *Audivimus rem execrabilem, & Catholicis omnibus detestandam, quemdam nefario fornicationis opere alicujus uxorem vivente eo commaculasse, & in argumentum iniquitatis juramento confirmasse, si ejus legitimum supervixissent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram adulterio pollutam sibi associaret thoro, & legitimo matrimonio, si hoc jure dici matrimonium potest, per quod oriuntur, quæ Apostolus enumerat, mala, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria &c., ad ultimum verò veneficia, & homicidia, quia pro tam illicito amore alii veneno, alii gladio, vel alii diversis sunt perempti maleficiis. Idcircò acutissimo ferro, ac totius generis artificio resecanda, per quæ cœlestia regna sunt occludenda, quoniàm, ut idem Apostolus ait, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Tale igitùr connubium anathematizamus, & Christianis omnibus obseramus. Non licet ergò, nec Christianæ Religioni oportet, ut ullus eâ utatur in matrimonio, cum qua priùs pollutus est adulterio.* Agnoverunt jam diù Romani Correctores, ex hoc Triburiensi canone Gratiani fragmentum originem habuisse, verùm paulispèr de eo subdubitarunt, quòd apùd Burchardum inscriptum invenerint *ex capite 5. Triburiensi*; quasi Burchardi fides etiàm integerrima fuerit in ipsis numeralibus canonum notis, qui in aliis majoris momenti rebus nullam fidem servavit.

Canon 44. de cons. dist. 1. legitur Can. 44. de cons. dist. 1. in cap. 18. ejusdem Concilii Triburiensis, & quidèm eisdem verbis. Duo ibidèm commemorantur Pontificum Maximorum Decreta, Zephirini, & Urbani I. fertur enim Zephirinus constituisse, ut patenis vitreis Sacerdotes in Sacra Oblatione uterentur, quemadmodùm dicitur in Pontificali Damasi his verbis: *Hic* (id est, Zephirinus) *constituit, ut, præsentibus Clericis, & Laicis fidelibus, sive Clericus, sive Levita, sive Sacerdos ordinetur; & fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ministri antè Sacerdotes portarent, dum Episcopus Missam celebraret.* Fertur prætereà Urbanus I. Sacra vasa argentea instituisse, quemadmodùm ex eodem libro Pontificali deducitur, ibi: *Hic* (id est, Urbanus) *fecit ministeria sacrata omnia argentea, & patenas argenteas viginti quinque apposuit.* Sanè olim & vitrea, & argentea vasa in usu fuisse nemo ignorat, qui vetustissima Ecclesiarum monumenta pervolverit. Sic legimus in Dialogis Gregorio Magno adscriptis lib. 1. cap. 7. S. Donatum Aretinæ Ecclesiæ in Gallia Episcopum, & Martyrem vitreum Calicem à Paganis fractum orando restaurasse. Itèm legimus apùd Hieronymum Epist. 4. ad Rusticum: *Nihil illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, Sanguinem portat in vitro.* Legimus prætereà apùd S. Epiphanium in Panario hæresi 34. Marcum hæresiarcham, qui temporibus Apostolorum vivebat, Calice vitreo ità decepisse asseclas suos, ut vinum album in illum super infusum præstigiis, & magicâ arte quasi sanguineo colore tinctum exhiberet. Ceterùm & illâ ætate vasa argentea, atque etiàm aurea non dedignabatur Ecclesia, ubi commodum fuisset. Hinc Gregorius Turonensis de gloria martyrum cap. 38.

scri-

scribit tempore Diocletiani Imperatoris vasa argentea à Christianis in Sacris Oblationibus adhibita fuisse, & S. Augustinus Epist. 165. ex actis Proconsularibus refert, Christianos tempore Diocletiani habuisse Calices aureos duos, sex autèm argenteos.

De aliis canonibus, Triburiensi Concilio adscriptis.

Quæ hucusquè Gratiani fragmenta retulimus, singula ad Triburiense Concilium anni 895. referri jure debere, aut posse existimavi. Supersunt alia, quæ nomine ejusdem Concilii apùd Gratianum habentur, cùm tamèn in vulgatis Concilii exemplaribus, sive in vulgatis 58. Triburiensibus Canonibus non habeantur. Ex his est in primis canon 2. dist. 54. qui tamèn legitur apùd Reginonem in cap. 407. de Ecclesiasticis Disciplinis lib. 1. his verbis: *Ut nulli de servili conditione ad sacros Ordines promoveantur, nisi priùs à dominis propriis libertatem legitimam consequantur, cujus libertatis charta antè ordinationem in ambone publicè legatur; & si nullus contradixerit, ritè consecrabitur. Porrò, si de gradu ceciderit, ejus sit conditionis, cujus fuerat antè gradum;* & quidèm Regino hæc Concilii Triburiensis nomine inscripsit; quamobrèm cum Regino vel Concilio eidem Triburiensi interfuerit, vel saltèm tempore Concilii Triburiensis, & propè Triburiam vixerit, non erit hac in re, nisi temerè ipsi deneganda fides: nisi fortè quispiam dicere velit, Reginonem sententiam quidèm Concilii, sed diversis verbis, (quemadmodùm in aliis canonibus egit) retulisse; ac tùnc hic idem Gratiani, & Reginonis canon referri facilè posset ad canonem 29. Concilii Triburiensis ex iis, qui in vulgata Concilii editione habentur, ibi: *Secundùm decreta Sanctorum Patrum præjudicamus, & nos id auctores profitemur, ut nullum servum Episcopus ordinare præsumat, antequàm perfecta ditetur ingenuitate, quia non debet vilis persona fungi Sacerdotii dignitate. Leo Papa in Epistola sua cap.* Can. 2. dist. 54.

1. *Debet enim esse ab aliis securus, qui divinæ militiæ fuit aggregandus, ut à castris Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur. Gregorius in decretis suis cap. 7. Multos ex Ecclesiastica familia novimus ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi in Divino servitio valeant conversari. Si verò festinantes ad omnipotentis Dei servitium incautè retinemus, illi invenimur quædam negare, qui dedit omnia, undè necesse est, ut ab humano servitio liber recedat, qui divini obsequii distractam subire appetit servitutem. Sancta Synodus dixit: Præfinita Patrum statuta inviolabilem habeant firmitatem.* Baluzius ad memoratum caput Reginonis in notis ità scribit: *Caput istud non; extat in vulgatis editionibus Concilii Triburiensis; extat autèm etiàm apùd Burchardum, & in veteri Collectione canonum MS. in Bibliotheca Regia. Postrema porrò illius pars, quæ mutila est apùd Reginonem, sic supplenda est ex Burchardo, & veteri illa Collectione: Porrò servus, non canonicè consecratus, postquàm de gradu ceciderit, ejus sit conditionis, cujus fuerat antè gradum.* Ceterùm, ut præfatus sum me magis, quam Burchardi, movet Reginonis testimonium. Romani Correctores rectiùs adnotarunt, similia quædam contineri in lib. 1. Capitularium Francorum cap. 88. vers. *& quandocumquè.* Habetur in cap. 6. Capitularis anni 816. ubi tamèn observandum est, consuetudinem illam recitandi ex ambone chartam libertatis non in omni servorum genere obtinuisse, sed in servis, ad familiam Ecclesiæ pertinentibus. Verba Capitularis hæc sunt: *Et quandocumquè de familia Ecclesiæ utilis inventus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coràm populo legatur, & coràm Sacerdotibus, vel fidelibus Laicis antè cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remotâ qualibet calliditate, libertatem consequatur, & tùnc demùm ad gradus Ecclesiasticos promoveatur.* Hinc verò admodùm simile esse potest, Reginonem partem canonis ex hoc Capitulari, partem ex Concilio Triburiensi expressisse, & nomine Concilii Triburiensis laudasse, eodem deindè nomine illud

ipsum fragmentum apùd Burchardum, Ivonem, & Gratianum fuisse translatum.

Can. 105. caus. 1. q. 1. Apùd Reginonem etiàm legitur in lib. 1. cap. 127. canon 105. caus. 1. quæst. 1. his verbis: *Dictum est in quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari solere, pro baptismo, & communione. Hoc Simoniacæ hæresis semen detestata est Sancta Synodus, & anathematizavit, & ut de cetero nec pro ordinatione, nec pro chrismate, vel baptismo, nec pro sepultura, vel communione quicquam exigatur, sed gratis dona Christi gratuita dispensentur.* Hoc fragmentum retulit Regino cum hac epigraphe, *Ex eodem.* In capite autèm præcedenti laudaverat Concilium Triburiense, cujus canones 15. & 16. paucis perstrinxerat. Burchardus in lib. 4. cap. 101. ex Reginone laudavit eumdem canonem hoc modo: *Ex Concilio Triburiensi, cui interfuit Rex Arnulphus.* Similitèr Ivo: quibus morem gessit Gratianus, cujus verba consonant cum exemplaribus Burchardi, & Ivonis, non tamèn cum Codice Reginonis, quemadmodùm constare potest conferentibus Gratiani fragmentum cum capite Reginonis, nuper descripto. Ceterùm verosimile admodum est, Reginonem, qui primus hoc fragmentum edidit, voluisse describere potiùs sententiam, quàm verba Concilii Triburiensis. Sententia autèm habetur in can. 16. Triburiensi, quem superiùs integrum descripsi ad canonem 14. caus. 13. quæst. 2.: ibi verò de sola sepultura fit mentio, statuiturque, nequis audeat pro sepultura aliquid accipere, quod Regino potiori ratione ad chrismatis dationem, ad baptismum, communionemque protraxit, quia fortè, cum interfuisset Concilio Triburiensi, Sanctorum Antistitum sententias ità acceperat, ut generales viderentur, & ad omnia istiusmodi sacra, & religiosa officia pertinentes; quod ex eo etiàm deducitur, quia Regino in hoc referendo fragmento sese Historicum magis, quàm Collectorem gessisse videtur, ità scribendo: *Detestata est Sancta Synodus, & anathematizavit....& statuit &c.*

Canon 43. caus. 11. quæst. 3. mihi videtur ex variis Conciliorum veterum sententiis elucubratus, licèt tamèn non satis integrè descriptis. Ibi anathema dicitur iis primùm, qui canonicè ad Synodum vocati venire contemnunt; deinde illis, qui, postquàm venerint, Sacerdotalibus præceptis obtemperare detrectant; illis demùm, qui antè finitam causæ suæ discussionem à Synodo abire præsumunt. Et quidèm hæc omnia ad varios vetustos canones referri possent, & ex illis comprobari: non una tamen, eademque erit in omnibus excommunicationis species recipienda. Illis enim, qui ad Synodum vocati negligunt accedere, Episcopis excommunicationis pœna indicitur, quæ tamèn reverà excommunicatio non est, sed tantùm quidam excommunicationis gradus. Nàm exempli causâ, quotiès Episcopus ad Concilium Provinciale vocatus renuebat sine legitima excusatione intervenire, cogebatur intrà Diœcesis suæ communionem consistere, nec poterat rerum Provincialium curam habere, quousquè veniam delicti in sequenti Synodo impetrasset. Atque eadem pœna illis imminebat, qui ad Concilium quidèm accesserant, nondùm tamèn absoluto negotio à Synodo recessissent. Id expressum habemus in Concilio Arelatensi II. can. 19. relato apùd Gratianum in can. 12. dist. 18. conferendo cum can. 10. Concilii Carthaginensis V. apùd Gratianum in can. 10. dist. 18. At, quotiescumquè quis canonibus, in Concilio semèl editis, promulgatisque, restitisset, is propriæ excommunicationis pœnam subibat, quemadmodùm habetur in Concilio Toletano III. anni 589. can. 24. ibi: *Qui Concilia omnium Episcoporum Orthodoxorum, consona Conciliis Nicæno, Constantinopolitano I. Ephesino, & Chalcedonensi, non recipit, anathema sit.* Atque has omnes Conciliorum sententias simùl uno contextu junxit auctor dicti canonis 43. generalitèr asserens, excommunicatione Can. 43. caus. 11. q. 3.

pu-

puniri eos debere, tum qui latis Conciliorum canonibus adversantur, tum qui ad Concilia vocati venire recusant, tum qui à Concilio nondùm absoluto sine causa discedunt. Primus, ut video, hujus canonis editor fuit Burchardus in lib. 11. cap. 74. qui, cum in cap. præcedenti laudasset canonem 8. Concilii *Triburiensis*, *cui interfuit Rex Arnulphus*, subdit: *Quæsitum est in eadem Synodo, pro quibus causis quemlibet hominem Episcopali auctoritate vinculo anathematis ligari oporteat; atque unanimi cunctorum sententiâ decretum est, pro his tribus criminibus fieri debere; cum ad Synodum canonicè jussus venire contemnit, aut postquàm illùc venerit, Sacerdotalibus respuit obedire præceptis, aut antè finitam causæ suæ examinationem à Synodo profugus abire præsumit.* Hæc eadem verba retulit Ivo in cap. 122. parte 14. Decreti, & deindè paulispèr mutata retulit Gratianus in dicto can. 43. Porrò fuisse ipsamet Concilii verba hæc, quæ relata sunt, facilè inficias iverim; etenim nullibi in Conciliis leguntur istiusmodi formulæ: *Quæsitum est in eadem Synodo &c.* sed potiùs videntur historici cujuspiam narrationem continere. Hinc suspicor, Burchardum potiùs referre voluisse sententias Triburiensium Episcoporum, in Concilio ipso prolatas, non statuendo, sed disserendo, antequàm ad canones edendos deveniretur, de quibus tempore Burchardi recentia quædam esse poterant monumenta, cum Burchardus propè tempora Concilii Triburiensis vixerit, itèm in Provinciis non procùl à Triburia dissitis scripserit. Aut fortè etiàm dicemus, Burchardi mentem fuisse, ut veterum Conciliorum statuta referret, & paucis perstringeret, qualia nupèr ex Concilio Arelatensi II. Carthaginensi V. describebam, inscriberetque Concilio Triburiensi, quia quædam similia apùd Reginonem Concilii Triburiensis nomine relata legerat in lib. 2. cap. 296. ibi: *Ex Concilio Triburiensi cap. 8. Conquesti sunt quidam de quibusdam malefactoribus, quorum tam nimia improbitas est, ut admonitionem Sacerdotum non curent, bannum Episcoporum* (id est, convocationem, seu Synodum Episcoporum; etenim bannus licèt quandoquè significet confiscationem, proscriptionem, aliquandò etiàm significat edictum, sive publicam denunciationem, uti notat Sirmondus ad Capitularia Caroli Calvi) *contemnant, ad Synodum terque, quaterque vocati venire despiciant, ad extremum excommunicari pro nihilo ducant. De talibus etiàm in Capitulari statutum est Regiæ cognitioni suaderi debere. Et devoto Regi Arnulpho cum Sancta Synodo placuit, ut quicumque pòst excommunicationem debitam sic Deum parvi æstimant, & Christianitatem, sæculari potestate persequendos; & si interficiantur, jaceant absquè compositione.* Itaquè, teste Reginone, quædam Triburiensi in Concilio proposita sunt de iis, qui Synodo obedire detrectant, communique tum Regis, tum Episcoporum suffragio definita. Ex quibus occasionem sumpsit Burchardus Concilio Triburiensi suprà memoratam sententiam affingendi, quam clariùs, & distinctiùs ex præcedentium Conciliorum canonibus exprimere poterat. Ceterùm quæ cum Burchardi fragmento convenire possunt, ex canonibus Triburiensibus evulgatis habentur in canone 9. ubi præscribitur: *Si Episcopus placitum* (id est, Concilium, sive Sacra Comitia) *canonicè constitutum decreverit, populumque sibi creditum illo invitaverit*, omnes accurrere debere, nullumque posse obicem ponere, *scientes, non illic se contentione seditiosâ decertare, sed pro fide Catholica invigilare.*

Falsò refertur Concilii Triburiensis nomine canon 7. caus. 12. quæst. 5., qui potiùs ex Novellis Justiniani Constitutionibus referendus erat; etenim in Nov. 131. cap. 13. in fine hæc leguntur: *Siquis autèm Episcopus, aut Clericus, aut cujuslibet Ecclesiastici gradus Minister, aut Ecclesiæ Diaconissa moriantur sine testamentis, & legitimis successoribus, horum successio Ecclesiæ competat, in qua constituti fuerint.* His etiàm similia leguntur in l. 20. cod. de Episc. & Clericis. Quomodò verò fieri potuerit, cur hæc, aut his similia Con- Can. 7. caus. 12. q. 5.

Concilio Triburiensi adscripta fuerint, sic mihi videor posse conjicere. Nempè apùd Reginonem lib. 2. cap. 39. ex Concilio Triburiensi hæc habentur: *Perlatum est quoquè ad Sanctam Synodum, quòd quidam Laici improbè agant contrà Presbyteros suos, ità ut de morientium Presbyterorum substantia partes sibi vindicent, sicuti de propriis servis. Interdicimus itaquè, ne hoc ulteriùs fiat, sed sicuti liberi facti sunt, ad suscipiendum gradum, & agendum divinum officium, ità ab eis nihil exigatur præter Dei officium. De peculiari verò Sacerdotum nihil sibi usurpent, sed de duabus partibus faciant Presbyteri, quod eis visum fuerit, tertiam secundum canonum jussa, quibus serviunt, relinquant Ecclesiis.* Fortè ad hoc Reginonis fragmentum in margine quasi ad eamdem rem maximè pertinens adjecta fuerat Novellæ Justinianeæ sententia, superiùs commemorata. Quod occasionem dedit Burchardo, non solùm dictum Reginonis caput 39. in suam Collectionem referendi nomine Concilii Triburiensis, verum etiàm sententiam Novellæ ex eodem Concilio Triburiensi laudandi in cap. 206., & 207. libri 2. Ex Burchardo deceptus Ivo eadem retulit in cap. 281., & 282. partis 6. sui Decreti: ex Ivone demùm Gratianus solum Novellæ fragmentum, eo omisso, quod Regino ex Concilio Triburiensi laudaverat, retulit, illudque Concilio Triburiensi exemplo præcedentium Collectorum tribuere non dubitavit.

Canon 25. caus. 17. quæst. 4. non solùm apùd Gratianum, Ivonem, & Burchardum, verùm etiàm apùd Reginonem nomine Concilii Triburiensis laudatur in lib. 1. cap. 333. ibi: *Ex Concilio Triburiensi. Ut Presbyteri non vadant, nisi stolâ, vel orario induti: & si in itinere Presbyteri spoliantur, vel vulnerantur, aut occiduntur non stolâ vestiti, simplici emendatione suâ solvantur. Si autèm cum stola, triplicitèr.* Verosimile itaquè est, canonem hunc in Concilio Triburiensi fuisse conditum, cum ab eo Collectore laudetur, quem nihil falsò adtribuere voluisse Concilio Triburiensi ex iis, quæ superiùs diximus, facilè jam colligi potest. Ceterùm circa tempora Concilii Triburiensis aliis ex monumentis perspicuè scimus, Presbyteros stolâ, aut orario ornatos incedere consuevisse. Id patet ex Concilio Moguntino anni 813. cap. 28. ibi: *Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis*; & in Capitularibus Regum Francorum lib. 5. cap. 172. in editione Parisiensi anni 1677. ità cavetur, *ut Sacerdotes stolas portent propter signum castitatis, sicut decretum est.* Idem Regino, jam laudatus, initio suæ Collectionis in inquisitione num. 63. inquirendum voluit à suo Presbytero: *Si sine stola, vel orario in itinere incedat.*

Quod ex Concilio Triburiensi legitur in can. 15. caus. 18. quæst. 2. à Burchardo primùm VVormatiensi eidem Concilio tributum est, quem deindè sequuti sunt Ivo, & Gratianus. Sanè, si auctoritati Burchardi fidere possemus, fortè adducerer eo, ut arbitrarer, illud fragmentum Concilio Triburiensi adtribui posse. Verùm cum sæpissimè expertus sim malam Burchardi fidem, potiùs arbitror, Burchardum eo in loco plurium Conciliorum sententias perstrinxisse, nomineque Concilii Triburiensis easdem edidisse; præsertim cum neque in vulgatis Concilii Triburiensis exemplaribus, neque apùd Reginonem, qui Concilii Triburiensis tempore vivebat, tale quidpiam legamus. Præcipuè verò existimo, respexisse Burchardum ad Concilium, seu Capitulare Aquisgranense II. anni 836. tit. de vita, & doctrina inferiorum ordinum cap. 1., ubi hæc habentur: *Ut Abbates Canonici gregibus sibi commissis instanter invigilent, & geminam eis portionem impendant, id est, cibi, & verbi, quatenùs absquè murmurationis vitio Domino servire valeant: simùl etiàm, ut prædicti Abbates Ecclesiastica jura intemerata custodiant, videlicèt ut cognoscant, cujus prænomine notentur in eo, quòd Abbates vocati sunt, quod & intelligitur in typo Christi nomen spiritalis Patris. Ideòque semetipsos nomini, quod accipiunt,*

Can. 25. caus. 17. q. 4.

Can. 15. caus. 18. q. 2.

piunt, conforment, ut subditis, & spiritalibus filiis exemplum præeundo, & informando religiosè exhibeant. Ideòque non convenit ministerio ipsorum aliqua turpia, aut sæcularia, vel etiàm inania quæque sectari, quæ contrà religionem esse noscuntur, sed potiùs canonicè, religiosè, castè, sobriè, atque piè, & justè vita eorum omnibus sibi commissis æternæ felicitatis ducatum præbeat, & in quantum ipsi Abbates, Abbatumque subjecti Episcopis propriis pro se, suisque omnibus rationem reddituros noverint, tanto eorum consilio, atque auctoritate modis omnibus mancipentur. Hinc fortè Burchardus, qui Francorum Capitularia nolebat referre nomine proprio, aliis Conciliis illorum fragmenta adtribuit, paulò alitèr aliquandò descripta. Reverà autèm hujusmodi Canon consonat cum Ecclesiastica disciplina septimi, & octavi sæculi; tùnc enim obtinebat, ut, si quandò quisquis Abbas negligens foret in regimine suo, is & auctoritate Episcopi, & ceterorum Abbatum consilio removeretur. Sæculo sexto solius Episcopi arbitrio Abbates de crimine suspecti removebantur, quemadmodùm constat ex Concilio Epaonensi anni 517., ubi Can. 19. hæc leguntur: *Abbas, si in culpa reperiatur, aut fraude, & innocentem se adserens ab Episcopo suo accipere noluerit successorem, ad Metropolitani judicium deducatur.* Primum, ut arbitror, in Concilio Turonensi II. anni 567. factum, ut non alitèr Abbas ab officio dejiceretur ab Episcopo, nisi propinquorum Abbatum consilio, quippè in Can. 7. ità habetur: *Ut Episcopus nec Abbatem, nec Archipresbyterum sine omnium suorum Compresbyterorum, & Abbatum consilio de loco suo præsumat ejicere &c.* Hùc etiàm pertinere potest Decretum admodùm simile Gratianeo Canoni, quod legitur in Can. 4. Concilii apùd Celichyth anni 816. ibi: *Ut habeat unusquisque potestatem in sua propria Diœcesi Abbatem, vel Abbatissam eligere, & hoc cum consensu, & consultu familiæ, & ab omnibus diligentèr inquiratur, & investigetur. Castitas hujusmodi ab omnibus capitalibus delictis immunis habeatur, id est, ut nec in occisionem hominis, aut procreandis filiis, vel etiàm in graviore, & publico furto sit coinquinatus, sed intrà claustra Monasterii regulariter suam vitam duxerit. Prudens, & acutus in sermone, ne per ejus instantiam, & taciturnitatem grex ei commissus, & iterùm aspiciat Episcopus, ut pro illius amore, vel competenti pecunia, aut ex propinquitate quis plùs eligatur, quàm decet. Hæc ullatenùs sine consensu familiæ, nec familia sine concordia Episcopi, sed in unum conjunctis, & secundùm ordinem per omnia increpare permittatur, & habeatur.*

Canon 4. caus. 23. quæst. 8. primus Concilio Triburiensi adscripsit Burchardus, quem deindè de more suo sequuti sunt Ivo, & Gratianus. Nulla tamèn præstanda fides est Burchardo, utpotè qui inscriptiones canonum immutasse frequentissimè deprehenditur, cum aliàs neque apùd Reginonem, neque in vulgatis Concilii Triburiensis exemplaribus idem Canon reperiatur. Ego suspicor, Burchardum jungere in hoc fragmento voluisse tria fragmenta Herardi Turonensis, qui in Capitulari suo hæc scribit cap. 50.: *Ut Presbyteri & Diaconi, si in bella cum armis processerint, ità deponantur, ut nec Laicam communionem habeant.* In cap. 113. *Ut Clerici, in quacumque seditione arma detulerint, pòst depositionem gravi pœnitentiæ in carcere retrudantur; aliter si armis, sagis, vel sabeis usi fuerint, deponantur.* In cap. 134. *De his, qui sibi quacumque negligentiâ mortem inferunt, aut pro suis sceleribus puniuntur, nulla pro eis fiat oblatio, nec cum psalmis ad sepulturas ducantur.* Hæc omnia Herardus ex Capitularibus Regum Francorum deprompserat, quod occasionem præbere potuit Burchardo, ut & sententiam aliis verbis exprimeret, & inscriptionem fragmentorum immutaret, à nomine Francorum Capitularium abstinens de more suo, quemadmodùm persæpè animadvertimus. Reverà hujus Canonis sententia maximè conveniebat temporibus Caroli Magni, cujus tempore Clerici quamplures armis tractandis dediti erant, atque alacritèr belligerabant: Quarè opus fuit suasionibus Episcoporum, ac præsertim Leo-

Can. 4. caus. 23. q. 8.

nis

nis Papæ III., ut Carolus Magnus latâ lege prohiberet Episcopis, & Clericis, ne ad bella proficiscerentur, uti deducitur ex Capitulari anni 803., cujus fragmentum refertur in lib. 7. Capitularium cap. 142., quo etiàm fragmento abuti potuit Burchardus in laudato capite referendo; ibi enim dicitur, neminem ex Clericis debere arma suscipere, & progredi ad bella, nisi fortè duo, vel tres sint necessarii causâ Sacramentorum militibus administrandorum; atque inter cetera absurda, quæ ex Clericorum militia emergebant, illud recensetur, quòd plures ex Clericis eâ occasione cæderentur, & quòd Ecclesiarum bona facilè exindè diriperentur. Posteà ità concluditur: *Quod siquis fecerit tàm nostris, quàm & successorum nostrorum temporibus, & pœnis sacrilegii subjaceat, & à Nobis, atque Successoribus nostris, nostrisque Judicibus, vel Comitibus sicut sacrilegus, & homicida, vel fur sacrilegus legalitèr puniatur, & ab Episcopis nostris anathematizetur, ità ut mortuus etiàm sepulturâ, & cunctis Dei Ecclesiæ precibus, & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quisquam recipiant.* Quis in istis verbis non agnoscat dictum canonem Gratianeum 4. caus. 23. quæst. 8., licèt paulò alitèr à Burchardo de more suo descriptum? Quamquàm verò plurimum adhùc interest sedulò in ejusdem canonis interpretationem incumbere. Tria potissimùm in eo continentur: in primis, si Clericus in bello, rixave moriatur, aut in gentilium ludis, neque in oblatione ejus, neque ei in orationibus esse communicandum. Secundò statuitur, in manus judicis incidere debere. Postremò concluditur, eumdem non esse sepulturâ privandum.

Quod spectat ad primum, nulla dubitatio est, non licere Clericis belligegare, rixas, seditionesve concitare, concitatasque fovere, quibus pacatus semper esse animus debet, imò, si fieri potest, quorum operâ, atque consilio homines potiùs hominibus infensi reconcilientur. Atque id jam satis, & perspicuè probant laudata Francorum Capitularia, ut alia quamplurima omittam antiquissima monumenta, ex quibus laudare possem canonem 2. dist. 90. Etiàm à ludis gentilium celebrandis avertebantur fideles indictâ excommunicationis pœnâ, uti ex Concilio Aurelianensi II. anni 533. Can. 20. facilè demonstrari posset, & similibus benè multis.

Secunda Canonis pars jubet, seditiosos Clericos *in manus incidere judicis.* Arbitror, Burchardum hoc in loco voluisse perstringere sententiam canonis 5. Antiocheni, in quo de seditioso Clerico hæc statuuntur: *Quòd si Ecclesiam conturbare, & sollicitare persistat, tamquàm seditiosus per potestates exteras opprimatur;* quæ verba fortè idem Burchardus legerat in Capitularibus Regum Francorum lib. 5. cap. 26., & lib. 7. cap. 11.

De sepultura seditiosorum Clericorum fortè dubitatio suboriri posset, cum videatur sepultura eorum negligenda esse juxtà recentiorem disciplinam, qui excommunicati dicuntur, & quorum oblatio non recipitur. Verùm oportet potiùs ad disciplinam illam respicere, quæ Burchardi ejusdem tempore obtinebat. Nondùm eâ ætate usus erat Ecclesiasticæ sepulturæ, cum vetitum esset mortuorum cadavera in Ecclesia sepelire, nisi fortè eorum, quos insignis vitæ Sanctimonia commendasset, eodem ferè modo, quo apùd nos separatis in locis, eisque sacratioribus illorum cadavera reconduntur, qui nostrâ ætate insigne sanctitatis specimen præbuerunt. Ergò tùnc sepulturæ ratio tanta non erat, ut facilè denegari posset, cum ut plurimùm extrà Ecclesiam fieret, præsertim in atrio, aut in porticu. Quamquàm verò duplex erat sepultura, alia, quæ sacris cantibus celebrabatur, alia omninò privata, & sine ullo sacro ritu, statisque publicis cæremoniis, ut, siquandò excommunicatus decederet, is quidèm tumularetur, ità tamèn, ut sine cantu, sacrisque ritibus sepulturam haberet. Deducitur id ex Concilio Bracarensi I. cap. 16. ibi: *Placuit, ut hi, qui sibi ipsis*

aut

aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim sibi hoc per ignorantiam usurparunt. Similiter & de his placuit fieri, qui pro sceleribus puniuntur. Itaquè, quod Burchardus retulit ex Concilio Triburiensi, ut mortuis in seditione sepultura daretur, de ea intelligitur, quæ sine divina psalmodia, aliisque religiosis ritibus fieri solebat.

Can. 7. caus. 29. q. 2. Can. 7. caus. 29. quæst. 2. minimè legitur in Concilio Triburiensi. Primus Burchardus, omissis verbis illis *quæsitum est*, quemadmodùm Romani Correctores observaverunt, adtribuit Concilio Triburiensi. Verùm, cum ipsamet fragmenti verba ad instar narrationis cujusdam exarata sint, videntur non edita fuisse in eodem Concilio, sed potiùs à posteriore Canonum Collectore composita. Illud sanè certum est, mediâ ætate, quum leges Longobardorum vigerent, in usu fuisse, eas, quæ servos habuissent maritos, in servitutem etiàm redigi, uti patet ex lib. 2. legum Longobardarum tit. 12. num. 2. ibi: *Si aldia, aut libera in casa aliena ad maritum intraverit, & servum ad maritum tulerit, libertatem suam amittat.* Quod idem etiàm habetur in Capitulari Francico anni 819. ad interpretationem Legis Salicæ num. 3. editionis Capitularium Parisiensis anni 1677. tom. 1. pag. 608. Quæ tamèn disciplina tùm demùm obtinebat, ubi sciens uxor sese servo viro copulasset; non verò ubi illa in liberum, uti credebat, hominem consensisset. Atque isthæc sententia potuit in Concilio Triburiensi ab Episcopis pronunciari, non ut in canonem referretur, sed potiùs dum alium canonem condituri essent, qui est trigesimus 8. inter editos ibi: *In decretis Papæ Leonis cap. 8. scriptum est: Non omnis mulier viro juncta uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est Patris. Nuptiarum autèm fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales. Itaquè aliud concubina, aliud uxor, sicùt aliud ancilla, aliud libera. Igitùr, siquis filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ità accipiendum est, quasi eam conjugato dederit, nisi fortè illa mulier & ingenua sit facta, & dotata legitimè, & in publicis nuptiis honestata videatur. Undè paternam sequentes auctoritatem sub præsenti hujus sancti catalogo Concilii statuimus, & liberè judicamus, ut quisquis liber libertam, hoc est, ex ancilla per manumissionem, & regalem largitionem liberam factam legitimè in matrimonium duxerit, ulteriùs habere debeat, tamquàm unam ex nobili genere progenitam, exceptâ fornicationis causâ; & quamdiù illa vivat, nullam aliam accipiat. Est igitùr, ut ex Decretis Papæ Leonis prædiximus, ingenua facta, & dotata legitimè, & in publicis honestata nuptiis, & propterea jam non est concubina, sed uxor legibus adquisita. Hæc eadem lex pro qualitate sexus sit fœminis, & viris libertas.* Videntur hæc ad eamdem fermè materiem pertinere, ad quam pertinet dictus canon 7. apùd Gratianum; ac propterea facilè evenire potuit, ut Burchardus, qui Gratiano auctor extitit, ea retulerit, quæ in Concilio Triburiensi antè constitutionem canonis proponendo, vel disserendo dicta fuissent. Quòd si fortè cuipiam non placeant hujusmodi conjecturæ, alium demonstrabo locum, ex quo fortè Burchardus fragmentum ejusmodi elucubrare potuerit. Operâ Jacobi Sirmondi prodierunt canones quidam incerti loci, qui deprompti sunt ex Codice MS. quodam Rhemensi; ubi postpositi fuerant canonibus Concilii Parisiensis V. anni 615., quos propterea canones idem Sirmondus editos suspicatur circà tempora ejusdem Parisiensis Concilii. (Habentur apùd Labbeum in tomo 6. Venetæ editionis pag. 1393.) Porrò in illis numero 14. hæc leguntur: *De ingenuis, qui se pro pecunia, aut alia re vendiderint, vel oppignoraverint, placuit, ut quandoquidèm pretium, quantum ipsis datum est, invenire potuerint, absquè dilatione ad statum suæ conditionis reddito pretio reformentur, nec amplius, quàm pro eis datum est, requiratur. Et interim si vir ex ipsis uxorem ingenuam habuerit, aut mulier ingenuum habuerit maritum,*

tum, filii, qui ex ipsis nati fuerint, in ingenuitate permaneant. Ex his nemo non videt, eamdem propemodùm proferri sententiam, quæ habetur apùd Gratianum in dicto can. 7. caus. 29. quæst. 2., ut propterea liceat suspicari, Burchardum, qui primus eumdem canonem nomine Concilii Triburiensis edidit, ex hoc fortè Concilio incerti loci descripsisse, & aliis verbis recitasse; quod Burchardō non infrequens fuit.

Falsò inscriptum fuit nomen Tribu-
Can. 5. caus. 31. q. 1. riensis Concilii ad canonem 5. caus. 31. quæst. 1. Romani Correctores observarunt apùd Ivonem & Burchardum idem fragmentum Concilio Meldensi esse tributum, in quo Concilio hæc leguntur cap. 69. *Is, qui vivente marito conjugem illius adulterasse accusatur, & eo in proximo defuncto eamdem sumpsisse dignoscitur, omnimodis publicæ pœnitentiæ subigatur, de quo etiàm pòst pœnitentiam præfata, si expedierit, servabitur regula; nisi fortè idem, aut mulier virum, qui mortuus fuerit, occidisse notentur, aut propinquitas, vel alia quælibet actio criminalis impediat. Quod si probatum fuerit, sine ulla spe conjugii cum pœnitentia perpetuò maneant. Si autèm negaverit, se eamdem fœminam, vivente marito, nequaquàm adulterasse, & præfati homicidii nemo eorum reus extiterit, & probatis testibus neuter eorum convinci potuerit, purgent legaliter famam suæ opinionis, & sumpto utantur conjugio, si alia, ut diximus, non præpedit ratio.* Hæc sanè verba eadem videntur esse cum iis, quæ Gratianus describebat. Quænam verò ratio esse potuit Gratiano, ut hunc Meldensis Concilii canonem Triburiensi potiùs Concilio tribueret, facilè conjicio. Etenim Gratianus in Canonibus describendis ut plurimùm sequutus est Collectionem Ivonis. In Collectione autèm Ivonis parte 8. cap. 201., ubi hoc ipsum caput ex Concilio Meldensi laudatur, atque describitur, ad marginem hæc adjecta sunt: *Ex Concilio Triburiensi cap.* 51., quæ additio ab aliquo fortè studioso facta occasionem dedit Gratiano, quâ Meldensem Canonem Triburiensi Concilio addiceret, putanti marginalem lectionem meliorem esse, imò etiàm emendandæ interioris lectionis causâ factam. Atque id studiosus quispiam fecerat, ut indicaret, simile quidpiam legi in cap. 51. Concilii Triburiensis, ubi hæc habentur. *Illud verò communi decreto secundùm Canonum instituta definimus, & præjudicamus, ut, siquis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulteriùs ei conjungatur matrimonio, quam priùs polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ducat in conjugium, quam priùs polluit per adulterium.* Similia quædam leguntur in cap. 40. ejusdem Concilii.

Hoc autèm in loco dissimulare non possum, ex prava hujus canonis interpretatione, vel scriptione à Gratiano disciplinam Ecclesiasticam veterem fuisse immutatam, aut saltèm datam occasionem, ut ab aliis, qui nimiùm huic Collectori fiderent, immutaretur. Viguerat jam à diuturno tempore usquè ad Gratianeum provida sacrorum Canonum dispositio, ut, qui uxorem alienam aliquandò per adulterium polluisset, non posset ullo tempore, ne marito quidèm vitâ functo, eamdem uxorem habere, quemadmodùm rectè colligitur ex dicto Can. 51. Triburiensi, necnon ex l. 11. §. 11., & l. 40. ff. ad leg. Jul. de adulter.; itèm ex Novella 134. cap. 12., quibus etiàm consonat S. Augustinus, relatus in Can. 2. caus. 31. quæst. 1., dummodò particula negativa à Gratiani exemplaribus dematur juxtà fidem optimorum exemplarium, quemadmodùm in suo loco animadvertam. Gratianus primus fuit, qui hanc veterem jurisprudentiam antiquare studuit, docuitque tum demùm non valere matrimonium inter adulteros, si vel adulterii tempore data fuerit fides futuri conjugii, vel in mortem conjugis moliti quidpiam adulteri fuerint; quod tamèn non ex recta interpretatione vetustorum Canonum deduci poterat, sed ex simplicitate, vel imprudentia ipsius Collec-

lectoris. Præ oculis habuit Gratianus dictum caput Concilii Meldensis, ubi exceptio illa legitur: *nisi fortè idem, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notentur*; ex quibus ratus est eo demùm in casu adulteram adultero non posse matrimonio jungi, quo in mortem viri uterque conspirasse feratur. At aliò pertinet canonis Meldensis sententia. In cap. 65. Concilii Meldensis decretum fuerat de raptoribus, ut ipsi publicæ pœnitentiæ addicerentur, pòst publicam verò pœnitentiam eisdem permitteretur, ut non cum rapta, sed cum alia quacumque inire matrimonium possent Can. 10. caus. 36. quæst. 2. Iidem Meldenses Patres in dicto cap. 69. voluerunt, adulterum publicæ pœnitentiæ subjici, *de quo etiàm præfata, si expedierit, servabitur regula*; quæ verba ità interpretari debemus, ut præcedentibus congruant, scilicèt canoni 65., videlicèt, ut adulter pòst peractam publicam pœnitentiam non cum adultera, sed cum alia conjugium inire possit, adjectâ exceptione: *nisi fortè idem, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notentur*; hac enim in specie non solùm cum adultera, sed etiàm cum quavis alia inire conjugium adulter prohibebatur; neque novum est in Jure Ecclesiastico ob enormia quædam scelera conjugia generatim alicui prohiberi, quemadmodùm ipsum Meldense Concilium in cap. 67. de raptoribus Sanctimonialium ità statuit: *Uterque autèm sine ulla spe uxoriæ copulationis peremiter maneant.* Verùm quid posteriore tempore operata non est Gratianeæ collectionis existimatio? Gratiani interpretatio subjecta ad canon 3. caus. 31. quæst. 1. apùd Doctores etiàm gravissimos adeò valuit, ut illi pronunciaverint, tum demùm adulterorum conjugia à sacris Canonibus prohiberi, cum adulteri aut fidem de futuro matrimonio dederunt, aut in mortem conjugis conspirarunt; quæ opinio tandèm jusdicentium placitis confirmata est, atque adprobata.

Canon 24. caus. 32. quæst. 7. falsò etiàm laudatur nomine Concilii Triburiensis, cujus verba potiùs leguntur in Concilio Vermeriensi anni 752. atque ex eo Concilio refertur apùd Burchardum lib. 17. cap. 11. En verba canonis 10. Vermeriensis, qualia hodiè habemus in editis exemplaribus: *Si filius cum noverca sua, uxore patris sui, dormierit, nec ille, nec illa possunt ad conjugium pervenire. Sed ille vir, si vult, potest aliam uxorem habere, sed melius est abstinere.* Et in caus. 11. *Siquis cum filiastra sua dormierit, simili sententiâ stare potest; & cum sorore uxoris suæ simili modo stare potest.* Sanè Burchardus, & Gratianus paulò alitèr duos hosce Vermerienses canones retulerunt, ac breviùs illorum sententiam ità explicarunt, ut liceret conjugi insonti alium conjugem sibi matrimonio jungere, quod tamèn minùs probarunt Vermerienses Patres, ajentes: *Sed melius est abstinere*, quam clausulam & Burchardus, & Gratianus penitùs omiserunt; atque id non miror prætermisisse Romanos Correctores, quòd illorum tempore nondùm in lucem proditi fuissent Vermerienses canones, quales hodiè habemus. Itaquè, quotiescumquè quis cum noverca, filiastra, aut sorore uxoris concubuisset, conjux innocens tria peragere poterat: Et primum quidèm, perpetuæ continentiæ vacare; alterum, conjugis rei societatem evitare, & novas celebrare nuptias; postremum, conjugis rei conjugio frui. Patres Vermerienses primum faciendum laudarunt; potiùs verò, quàm ad postremum res reduceretur, tamquàm minùs malum secundum permiserunt. Porrò necesse est hoc in loco animadvertere, veterem fuisse Græcorum opinionem, asserentium matrimonia per adulterium conjugis, etiàm quoad vinculum dirimi, donèc alitèr placuit Concilio Tridentino, quemadmodùm tradit Cardinalis Pallavicinus in lib. 12. historiæ cap. 4. Quamobrèm, quousquè Viri Ecclesiastici Græcorum canonibus, & doctrinis imbuebantur, non satis apertè tradebant, pòst adulterium conjugis alterum conjugem innocentem à secundis nuptiis

Can. 24. caus. 32. q. 7.

abstinere debere, argumento can. 8. Concilii Compendiensis, sed id tamquàm consilium saluberrimum populo proponere, ac suadere studebant.

Quispiam fortè expectat hoc in loco rationem, quâ motus fuerit Gratianus, ut laudatos Vermerienses canones Triburiensi potiùs Concilio tribueret. Evenit, arbitror, hac in re, quod contigisse adnotabam ad canonem 5. caus. 31. quæst. 1. Laudabatur quidèm apùd Burchardum, sicùt decebat, nomine Concilii Vermeriensis; quidam studiosus ad marginem adnotaverat, quædam non valdè dissimilia legi in Concilio Triburiensi, aut saltèm ad idem matrimonii dissolvendi propositum pertinentia: Gratianus, de fragmentorum inscriptionibus parùm sollicitus, omisso nomine Concilii Vermeriensis, arripuit potiùs marginale nomen Concilii Triburiensis, quod vel eo faciliùs accidere potuit, quòd inscriptiones nominum apùd Burchardum potiùs ad marginem appositæ haberentur, quemadmodùm etiàm hodiè ad marginem adjectæ sunt in editis Burchardi codicibus. Quod porrò simile habetur in Concilio Triburiensi, est in cap. 41. ibi: *Siquis legitimam duxerit uxorem; & impediente quacumque domesticâ infirmitate uxorium opus non valens implere cum illa; frater verò ejus, suadente diabolo adamatus ab ipsa, clanculùm eam humiliaverit, & violatam reddiderit; omnimodò separentur, & à neutro ulteriùs eadem mulier contingatur. Igitùr conjugium, quod erat legitimum, fraternâ commaculatione est pollutum; & quod erat licitum, illicitum est factum; & ut Hieronymus ait: Mulier duorum fratrum non ascendat thorum: si autem ascendit, adulterium perpetrabit. Quia verò humana fragilitas proclivis est ad labendum, aliquo modo muniatur ad standum. Ideircò Episcopus, consideratâ mentis eorum imbecillitate, pòst pœnitentiam suâ institutione peractam, si se continere non possint, legitimo consoletur matrimonio: ne, dùm sperantur ad alta sublevari, corruant in cœnum.*

Canon 6. caus. 34. quæst. 1. ex illis est, quos Regino Prumiensis, quem diximus fortè in eodem Triburiensi Concilio præsentem adfuisse, ex eodem Concilio Triburiensi laudavit in lib. 2. cap. 206. Verùm arbitror, Reginonem eo in loco non ipsa Triburiensis canonis verba, sed potiùs sententiam retulisse, quæ habetur in canone 43. Triburiensi ibi: *Siquis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente filius ejus, vel frater ejusdem rei inscius cum eadem se polluerit, & postquàm se pollutum esse cognoverit, confessus fuerit, & hoc se nescire cum juramento confirmaverit, quia hoc pœnituit, & confessus fuit, pòst peractam congruam pœnitentiam legitimo utatur matrimonio, ne iterùm mordente crudelissimâ libidinis bestiâ saucietur, & in voraginem fornicationis incidere videatur. Nàm, ut Hieronymus ait, ferreas mentes domat libido. Mulier verò, quæ tantum nefas commiserat, ulteriùs pœniteat, atque continens, & innupta permaneat.* Ex hoc generali canone Regino voluit sententiam aliis verbis exprimere singularem, proponendo sibi speciem peculiarem, quam ex hac deindè Triburiensi sententia definiret. Non omittam animadvertere, hunc eumdem Gratiani canonem legi in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino, nomine etiàm Triburiensis Concilii in tit. 3. cap. 5. ad quod Antonius Augustinus ità notat: *In Conciliis non inveni.* Hùc referendus prætereà est canon 10. caus. 34. quæst. 1. qui apùd Reginonem habetur in lib. 2. cap. 207. eisdem ferè verbis, quemadmodùm apùd Gratianum, excepto postremo versiculo, in quo Regino ità scribit: *Cum fornicaria autèm illa graviùs agendum.* Ceterùm adparet, ibidèm Reginonem aliis verbis descripsisse sententiam eamdem Triburiensis canonis 43. nupèr memorati, undè deceptus Gratianus etiàm ipse quasi Triburiensis Concilii verba recitavit. Atque hic rursùm notare juvat, in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino, hunc eumdem canonem legi in tit. 3. cap. 12. ubi tamèn nullius Concilii inscriptio adjecta legitur, eisdemque verbis describitur canon, qualia leguntur apùd Gratianum, non qualia apùd Reginonem habentur.

Can. 6. caus. 34 q. 1.

Can. 10. caus. 34. q. 1.

Rur-

Can. 8. caus. 34. q. 1.

Rursùm etiàm apùd Reginonem in lib. 2. cap. 208. sequitur Concilio Triburiensi adscriptus canon 8. caus. 34. quæst. 1. eisdem omninò verbis. At quis non videt, uti superiùs prænotabam, hisce in locis distinctis facti speciebus Reginonem illustrare voluisse sententiam Triburiensium Episcoporum, generatim expositam in dicto can. 43. Romani Correctores asserunt, simile quidpiam legi in can. 45. ex Triburiensibus. Etiàm id verum est; ità enim ibidèm legitur: *Simili modò secundùm sanctos canones definimus, & judicamus de eo, qui cum duabus sororibus fuerit pollutus, usque in exitum vitæ pœnitens, & continens permaneat. Soror autem, quæ posterior libidinis perforata aculeis scienter se cum eodem commaculaverit, usquè in finem vitæ pœnitens, & continens perduret. Si autèm improvisè contingit, condignâ stringatur castigatione; & si velit, legitimâ conjungatur viri conjunctione.* Notant prætereà Correctores Romani, simile quidpiam legi in canone 33. Concilii Vvormatiensis anni 868. Ejus hæc sunt verba: *Siquis cum duabus fuerit sororibus fornicatus, aut cum his personis, de quibus sacra Scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, & castitatis non valuerit continentiam sustinere, liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere. Similiter & mulier, quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis non perducatur ad chaos, perficiat. Sed hoc de Laicis, viris, ac mulieribus solummodò statuimus.*

Can. 9. caus. 34. q. 1.

Observant Romani Correctores ad canonem 9. caus. 34. quæst. 1. illum legi in can. 63. Concilii Vvormatiensis, anno 868. celebrati. Sanè dictus canon 63. ferè consonat cum Gratiani fragmento: at nec ipse quidèm dici potest primum exemplar, ad quod Gratiani canon sit referendus. Potiùs referendus erit ad Concilium, sive Capitulare Compendiense, sub Pipino Rege habitum anno 757. in quo cap. 14. hæc leguntur: *Siquis cum matre, & filia in adulterio mansit, nesciente matre, quòd cum filia sua mansisset, similiter & filia nescivit, quòd cum matre sua esset, posteà ille vir si acceperit mulierem, dimittat, usquè in diem mortis suæ non habeat uxorem; & illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum, & illa mater, & filia, cum quibus in adulterio mansit, ambabus nescientibus, quòd cum matre, & filia mansisset, habeant viros. Nàm, si in notitiam illarum venerit hoc seculus, dimittant maritos, & agant pœnitentiam, & illarum mariti posteriores accipiant mulieres.* Hæc eadem verba traslata indè sunt inter canones Concilii Vvormatiensis, & in eadem Synodo recepta; quamobrèm concludere jure possumus, sententiam hanc in pluribus Conciliis admissam fuisse, sed primùm in Compendiensibus Comitiis definitam. Sic originem Gratianei canonis inspeximus. Causas nùnc investigemus, ob quas Compendiensem canonem Triburiensi Concilio Gratianus adscripsit, & Burchardus cum Ivone Concilio Vermeriensi, imò & ipse Gratianus etiàm Concilio Vermeriensi in can. 6. caus. 35. quæst. 2. Facile est errata hujusmodi agnoscere ex Reginone, qui primus hoc fragmentum Collectioni canonum inseruit. Inseruit, inquam, in lib. 2. de Ecclesiasticis Disciplinis cap. 219. hac adjectâ inscriptione: *Ex eodem*; quam epigraphen pluribus præcedentibus capitibus adjecerat, videlicèt cap. 218. 217. 216. 215. 214. 213.; in cap. autèm 212. laudaverat Regino caput 1. Concilii Vermeriensis, & caput 1. Concilii Compendiensis, quæ capita in unam, eamdemque sententiam consonant; ac propterèa sequentia capita, quæ cum hac epigraphe *Ex eodem* laudabantur, æquè ad Compendiense, atque ad Vermeriense Concilium pertire legentibus videbantur; hinc duo ex illis habentur in Concilio Vermeriensi, nempe cap. 213. & 214. alia habentur in Concilio Compendiensi, qualia sunt cap. 216. & 217. Ergò apùd illos, qui Reginonis collectionem sequebantur, ambigua erat inscriptio capitis 219. ac propterèa Burchardo, Ivoni, & Gratiano in can. 6. caus. 35. quæst. 2. visum potiùs est Vermeriense Concilium, quàm Compendiense, laudare. Sed prætereà Gratianus, descripturus canonem 9.

caus.

caus. 34. quæst. 1. in inscriptione dicti capitis 212. apùd Reginonem non constitit, aut quòd dubiam lectionem agnosceret, aut quòd legendo idem caput excesserit, ac potiùs præ oculis habuerit antecedentia capita 210. 211. & alia, quæ ex Concilio Triburiensi apùd Reginonem laudabantur, atque ideò occasionem hinc idem Gratianus arripuit tribuendi etiàm Concilio Triburiensi dictum caput 219. Reginonis, sive dictum canonem 9. caus. 34. quæst. 1. nisi fortè quispiam dicere velit, ideò Gratianum nominasse Concilium Triburiense, quòd in eodem Concilio nonnullæ sententiæ essent illi canoni quoquo modo conformes, quemadmodùm liquere potest ex can. 43. quem superiùs descripsi. Hic idem canon legitur etiàm in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino, nullo tamèn præsignato nomine Auctoris.

Can. 12. & 30. de cons. dist. 1.

Canones 12. & 30. de cons. dist. 1. leguntur, non in Triburiensi, sed potiùs in Moguntino Concilio anni 888. simùl juncti in cap. 9. his verbis. *Missarum solemnia non ubiquè, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi permiserit, celebranda esse censemus. Concedimus etiàm, ut, si cubi (quod nostris exigentibus culpis perplurimum est factum à Northmannis, seu alio qualicumque modo) Ecclesiæ fuerint incensæ, in Capellis Missas interim liceat celebrare, donèc ipsæ Ecclesiæ restaurari queant. In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, sub divo, seu in tentoriis, si tabula Altaris consecrata, ceteraque Ministeria sacra ad id officium pertinentia adsunt, Missarum solemnia celebrari permittimus.* Hæc primus Burchardus, pòst Burchardum Ivo, pòst Ivonem demùm Gratianus ex Concilio Triburiensi laudarunt; fortè quòd apùd Burchardum in uno, eodemque codice habiti fuerint descripti tum canones Moguntini, tum Triburienses, ut facilè propterèa Moguntini canones pro Triburiensibus usurparentur, & è converso. Atque hujus rei duplex esse potest conjectura. Primùm, quòd utrumque Concilium in finitimis locis fuerit celebratum, & fortè ad utrumque convenientibus eisdem Episcopis Moguntinæ Provinciæ; Triburia enim propè Maguntiam sita dicitur. Secundò conjecturam præbet temporis propinquitas; siquidèm Moguntina Synodus habita est anno 888. Triburiensis autèm anno 895. ut proindè verosimile admodùm sit, Triburienses canones Moguntinis continuâ serie adjectos ità, ut promiscuè sumerentur, quemadmodùm in aliorum Conciliorum canonibus, & collectionibus contigisse eruditi omnes apprimè norunt.

CAPUT LX.

De Concilio Altheimensi.

Duo sunt hujus Concilii nomine relati Canones apùd Gratianum.

Canon 1. *caus.* 18. *q.* 1. *pertinere videtur ad Concilium Altheimense* II. *anni* 931.

Can. 3. *caus.* 31. *q.* 1. *pertinere videtur ad Concilium Altheimense* I. *anni* 916.

APùd Althaim, seu, ut alii scribunt, Altheim Rhetiæ pagum duo initio decimi sæculi feruntur celebrata Concilia, alterum anno circitèr 916. alterum anno circitèr 931. quæ nonnulli omninò confundunt, contrà quàm Viris eruditissimis placuerit, inter quos est Pagius ad eosdem annos.

Prio-

Priori Concilio, scilicèt habito circà annum 916. interfuisse dicitur Rex Corradus piissimus Princeps; itèm interfuisse Ortonensis Episcopus tamquàm Sedis Apostolicæ Delegatus, sive Joannis X. Pontificis Maximi Apocrysarius, præter Episcopos numero plures, ad disciplinam ecclesiasticam reformandam. Alterum Concilium anni circitèr 931. sub Henrico Germaniæ Rege celebratum est, Episcopos convocantibus Hildiberto Moguntiensi Archiepiscopo, Roberto Archiepiscopo Trevirensi, & Unni Archiepiscopo Hameburgensi. Hujus utriusque Concilii capita injuriâ temporum perierunt, paucis exceptis, quæ primùm à Burchardo, dein ab Ivone, ac quædam etiàm posteriùs apùd Gratianum referuntur: imò ità apùd hosce Collectores habentur, ut ferè ignoremus, quæ unicuique Concilio sint peculiariter tribuenda. In editione Conciliorum Veneta 1730. ad annum 916. quædam Concilii prioris capita describuntur ex Burchardo, sed non universa. Inter ceteros omittitur canon 1. caus. 18. quæst. 1. qui apùd Ivonem & Burchardum laudatur ex Concilio apùd Altheim can. 36. Ego arbitrarer, pertinere hunc canonem ad Concilium Altheimense posterius, sive anni circitèr 931. etenim in præcedenti Concilio anni 916. non tot numero constituti sunt canones, ut trigesimus sextus numerari possit, quemadmodùm Viri eruditi observaverunt: & quamquàm Burchardus, & Ivo eumdem canonem referant ad Concilium illud, in quo Rex Corradus interfuit, hoc tamèn ex eo proficiscitur, quòd, ut ajebam, utrumque Concilium plures minimè distinxerint, & illorum capita omninò confuderint, eo potissimùm tempore, quò omnia Ecclesiastica monumenta in obscuro mansisse notum est universis. De hujus canonis auctoritate ego nullatenùs dubitandum censeo, vel solâ innixus Burchardi fide, ac testimonio, qui paucis pòst idem Concilium annis floruit, quique ejusdem Concilii acta facilè præ manibus habere integra poterat, cum in regione scriberet à Rhœtia minimè dissita. Unum apùd Gratianum animadvertendum est, in illis verbis, *vel habere visus fuerat*, quæ lectio consonat cum editis Burchardi exemplaribus, ità legi apùd Ivonem: *vel habere jussus fuerat*, lectione sanè non improbanda; etenim, ubi de Monachis agitur, siquæ ipsi possideant, præsumuntur Abbate jubente Monasterii nomine possidere. Porrò, si canonis sententiam consideremus, statuunt dicti Concilii Patres, quotiescumquè contigerit Monachum in Episcopum consecrari, res adquisitas in Monasterio, eidem Monasterio cedere, eas verò, quæ ex agnatorum, amicorumque hereditatibus pòst adeptum Episcopatum obtentæ fuerint, ad Ecclesiam Episcopalem pertinere. Sunt hæc conformia vetustissimis disciplinæ Ecclesiasticæ institutis. Etenim, quemadmodùm Monachum decet omnia sua bona addicere Monasterio Nov. 76. & 123. cap. 38. ità Episcopum decet Ecclesiam, cui præsidet, hæredem habere, uti decretum est in l. 20. cod. de Episc. & Clericis, etiamsi sermo fuerit de bonis, minimè intuitu Ecclesiæ adquisitis. Si enim Martyrum decedentium bona ex Principum piorum Constitutionibus olim ad Ecclesiam devolvebantur, eâ ratione, ut refert Eusebius in lib. 2. de vita Constantini cap. 36. quòd *defunctis utiquè molestum non erit, si cujus gratiâ nullum non discrimen subierunt, eam ipsis hæredem habere contingat*; pari causâ Episcoporum bona universa Ecclesiæ concedi convenientissimum erat, pro qua illi enixè, dum viverent, universam operam, & labores suos omnes impenderant. Atque eo vel magis Altheimensis Concilii constitutio vim habere debuit eo tempore, quò in Cathedralibus Ecclesiis rursùm instaurari cœperat vita communis, quæ in desuetudinem propemodùm abierat, veterem disciplinam restituente Concilio Meldensi anni 845. quod deindè alia sequuta Concilia fuerunt; hinc, qui Monachus ad Episcopatum promovebatur, non tam con-

Can. 1. caus. 18. q. 1.

conditionem monasticam immutare, quàm de uno, ità dixerim, in aliud Monasterium transire videbatur. Quum verò jam diù Imperatorum Constitutionibus definitum esset, Monachum de uno in aliud Monasterium transeuntem debere relinquere tempore translationis suæ bona, quæ possidere videtur, Monasterio derelicto, non autèm bona, quæ posteà fuisset adquisiturus, uti eruitur ex dicta Novella 123. cap. 42. hinc jure statutum est, ut Monachus ille, qui ad Episcopalem dignitatem promovetur, debeat quidèm apùd Monasterium relinquere, quæ suæ translationis tempore possidere videbatur; cetera verò deindè ità adquirat, ut relinquat Ecclesiæ, quam administrandam, regendamque suscepit. Mutabatur ergò in hac parte non personæ conditio, sed hæredes. Vel enim Monachi, vel Episcopi qualitas efficiebat, ut qui Monachus, vel Episcopus esset, testari nuspiàm posset; & alius erat hæres Episcopi ab hærede Monachi, cum Monacho Monasterium, Ecclesia Episcopo intestato succederet.

Ad Concilium Altheimense I. anni 916. potiùs pertinet canon 3. caus. 31. quæst. 1. ex capite 5. ejusdem Concilii, tum à Burchardo, tum ab Ivone laudatus, cujus canonis sententia eò pertinet, ut, quicumque se cum aliena uxore adulterio commaculasset, cum altera ampliùs jungi non valeret: & quidèm id absolutè, simplicitèrque definitum adparet; quamquàm Gratianus ad calcem ejusdem canonis adnotet, tum demùm hæc esse intelligenda, vel si inter adulteros pactum de futuro matrimonio contrahendo intercesserit, vel si in mortem viri conspiratum fuerit. Hanc sanè doctrinam, atque exceptiones primus Gratianus tradidit, quemadmodùm superiùs animadvertebam ad canonem 5. caus. 31. quæst. 1. Can. 3. caus. 31. q. 1.

CAPUT LXI.

De Concilio Erpfordiensi.

Hujus Concilii nomine unicum fragmentum habemus apùd Gratianum.

(*Can. 2. caus. 15. q. 4. ad meliorem Codicum fidem exigendus.*

ERpfordiæ, in Thuringia, & Provincia Moguntina, vulgò *Erfurt*, seu *Erford* sub Pontifice Maximo Joanne XI. anno 932. celebratum est Concilium Provinciale, convocante Ruitgero Treverensi Archiepiscopo, in quo quinque constituta Capitula sunt ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia; inter quæ num. 2. legitur canon 2. caus. 15. quæst. 4. quem tamèn Gratianus non integrè retulit. En verba Concilii, ex quorum collatione facilè unusquisque poterit de Gratianeo canone judicare: *Placita sæcularia Dominicis, vel aliis Festis diebus, seu etiàm in quibus legitima jejunia celebrantur secundùm canonicam institutionem, minimè fieri volumus. Insuper quoquè gloriosissimus Rex augmentum Christianæ Religionis concessit, ut nulla judiciaria potestas licentiam habeat Christianos suâ auctoritate ad placitum banire septem diebus antè Natale Domini, & à Quinquagesima usquè ad Octavas Paschæ, & septem diebus antè Nativitatem S. Joannis Baptistæ* (qui fuerint tùnc temporis hi dies antè Nativitatem S. Joannis Baptistæ, passim docent Interpretes ad cap. 4. de feriis) *quatenùs adeundi Ecclesiam, orationibusque vacandi liberiùs habeatur facultas.*

CA-

CAPUT LXII.

De Concilio Salegunstadiensi.

Canones Salegunstadienses apùd Gratianum hi sunt.

Can. 3. *dist.* 76. *ad integros Concilii Codices exigendus.*
Can. 24. *caus.* 2. *q.* 5. *paulò alitèr legitur in integris Concilii exemplaribus.*
Can. 25. *caus.* 2. *quæst.* 5. *paulò alitèr legitur in integris Concilii exemplaribus.*

NON desunt, qui Salegunstadiense Concilium alio nomine Moguntinum appellaverunt. Scilicèt Salegunstadium Oppidum erat in Diœcesi Moguntina, ità nuncupatum à quodam Salegasto Sapiente, aut quemadmodùm alii malunt, à Salicis Populis, & Salingis. In hoc Oppidum anno 1022. convenerunt sub Archiepiscopo Moguntino Aribone Episcopi quinque, inter quos aderat Burchardus VVormatiensis Episcopus, qui tum apùd omnes rerum ecclesiasticarum peritissimus audiebat, quique celebratissimam Sacrorum Canonum Collectionem adornavit. Ibidèm plura sacræ disciplinæ capita viginti canonibus constituta sunt, quorum secundum legimus apùd Gratianum in can. 3. dist. 76. cujus verba omninò consonant cum integris ipsius Concilii exemplaribus, quotiès à Gratiani editionibus ea demantur, quæ demenda esse dixerunt Romani Correctores, licèt ab ejusdem canonis sententia minimè aliena.

Can. 3. dist. 76.

Canon 24. caus. 2. quæst. 5. habetur in cap. 7. Salegunstadiensi, cujus hæc sunt verba paulò alitèr apùd Gratianum descripta: *Interrogatum est, si duo in adulterio inculpati forent, & unus profiteretur, & alter negaret, quid inde agendum esset. Decretum est etiùm à Sancto Concilio, ut ille, qui negaverit, probabili judicio se expurget, & qui professus fuerit, dignè pœnitentiam agat.*

Can. 24. caus. 2. q. 5.

In canone 14. ejusdem Concilii hæc leguntur: *Statuit quoquè Sancta Synodus, si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negaverint, & orant sibi concedi, ut alterum* (putant quidam legendum esse: *alter*) *illorum utrosque divino purget judicio, si unum in hoc deciderit* (putant quidam legendum esse: *si unus in hoc deciderit*) *ut ambo rei habeantur.* Hujus definitionis ratio in eo sita esse videtur, quòd maximè deceat eos, qui se se alieno discrimini sponte, & liberè commiserunt, eumdem cum aliis sortis exitum nanciscantur.

Can. 25. caus. 2. q. 5.

CAPUT LXIII.

De Conciliis Urbani II. Pontificis Maximi.

Nonnulla sunt tempore Urbani II. Pontificis Maximi celebrata Concilia, quæ satiùs duxi uno singula capite complecti, eo quòd sæpiùs contigit, ut eorumdem Conciliorum decreta apùd Gratianum Urbano II. eidem tribui solent.

Ex Concilio Melphitano in Apulia.
- *Can.* 10. *dist.* 32. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 12. *dist.* 32. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 3. *caus.* 1. *q.* 2. *ex diversis fragmentis compositus.*

Ex Concilio Trojano.
- *Can.* 4. *caus.* 35. *q.* 6. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*

Ex Concilio Beneventano.
- *Can.* 4. *dist.* 60. *falsò à nonnullis adscriptus Urbano* I. *Pontifici.*

Ex Concilio Placentino.
- *Can.* 2. *dist.* 70. *consonat cum aliis Urbani* II. *sententiis.*
- *Can.* 4. *dist.* 76. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 108. *caus.* 1. *q.* 1. *consonat cum can.* 3. *&* 4. *Placentino.*
- *Can.* 5. *caus.* 1. *q.* 3. *ferè consonat cum can.* 1. *&* 2. *Placentino.*
- *Can.* 1. *caus.* 1. *q.* 5. *consonat cum can.* 5. 6. *&* 7. *Placentino.*
- *Can.* 5. *caus.* 9. *q.* 1. *referendus ad canones* 8. 9. 10. 11. *&* 12. *Placentinos.*

Additur nomine Concilii Faventini.
- *Can.* 7. *caus.* 16. *q.* 2. *fortè pertinet ad Concilium Placentinum.*

Ex Concilio Claromontano, seu Arvernensi.
- *Can.* 1. *dist.* 60. *consonat cum vulgatis Concilii exemplaribus.*
- *Can.* 4. *caus.* 1. *q.* 3. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 46. *caus.* 12. *q.* 2. *varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 6. *caus.* 16. *q.* 2. *in parte referendus ad Concilium Nemausense.*

De Concilio Melphitano in Apulia.

IN primis auctoritate Urbani II. celebratum est Concilium Melphitanum anno 1089. vel ut aliis lubet 1090. in Melphia scilicèt Apuliæ Civitate, ubi interfuerunt septuaginta Apulensium, Calabrorum, ac Brutiorum Episcopi unà cum Rogerio Apuliæ Duce, & Abbatibus duodecim, non tamèn ipsemet Pontifex Maximus. Quæ ibidèm ad stabiliendam disciplinam Ecclesiasticam ferè collapsam, occasione præsertim dirissimi schismatis, edita sunt, sexdecim canonibus continentur, ex quibus numero duodecimus est canon 10. dist. 32. cujus hæc sunt verba: *Porrò eos, qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro ordine removemus, officio, atque beneficio Ecclesiæ carere decernimus. Quòd si ab Episcopo commoniti non se correxerint, Principibus licentiam indulgemus, ut eorum fœminas* Can. 10. dist. 32.

nas mancipent servituti. Si verò Episcopi consenserint eorum pravitatibus, ipsi officii interdictione mulctentur. Numero autèm tertius
Can. 12. dist. 32. est canon 12. dist. 32. his verbis: *Nemo prætereà ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probata sit castitatis, & qui usquè ad Subdiaconatum unicam, & virginem uxorem habuerit.* Ex his porrò canonibus liquet, incontinentiam Clericorum eâ ætate valdè detestabilem fuisse, ut opus propterea fuerit latis legibus, & Clericos, ubi non paruerint, & Episcopos, ubi neglexerint, castigari. Nomine Sacri Ordinis, de quo in hoc canone mentio fit, nondùm intelligebatur Subdiaconatus, quemadmodùm deduci facilè potest ex can. 4. dist. 60., qui est ejusdem Urbani II. Verumtamèn eadem ferè continentiæ lex & pro Subdiaconis erat constituta; nàm in præcedenti canone Melphitano, videlicèt quarto, hæc leguntur: *Sacrorum statuta canonum renovantes præcipimus, ut à tempore Subdiaconatus nulli liceat carnale commercium exercere. Quòd si deprehensus fuerit, ordinis sui periculum sustinebit.*

In eodem Concilio canone 6. hæc
Can. 3. caus. 1. q. 2. leguntur: *Nullius Abbas, nullus Ecclesiarum Præpositus, quæ juris sunt Ecclesiastici accipere sine Episcopi concessione præsumat.* Et in can. 7. *Nullus Abbas pretium exigere ab eis, qui ad conversionem veniunt, aliqua placiti occasione præsumat.* Hæc indicant, sæculo undecimo Ecclesiæ apùd Monachos Simoniæ vitium irrepsisse, itèm Monachos eosdem Clericorum bona impunè occupavisse, præsertim cum laici, qui Clericorum odio ecclesiastica bona aliquandò diripuerant, potiùs Monachis concedere, quàm Clericis restituere mallent. Id describit ad rem Joannes Diaconus Romanæ Ecclesiæ Cancellarius in Epistola ad Abbatem Molismensem, huic Melphitano Concilio in Veneta Labbeana editione subjecta, ibi: *Omnes Ecclesiarum res in manu Episcoporum canonica decreta constituunt. Sed præteritis temporibus Principibus sæcularibus licuit etiàm Ecclesias Monasteriis tradere. Hâc verò licentiâ magis laxè Principes usi sunt, ut etiàm Ecclesias Monachis venderent. Hoc Papa Gregorius VII. acriter prohibuit, propter quàm prohibitionem Episcopi Monasteria acriùs spoliare cœperunt. Undè idem moderatione hac uti voluit in Concilio antepenultimi anni sui, ut quæcumque res, vel Ecclesiæ antè ipsum Concilium à Principibus datæ Monasteriis fuerant, in eorum possessione persisterent. Pòst hæc secundo Pontificatus sui anno Dominus noster Urbanus Papa Concilium apùd Melphiam Urbem Apuliæ celebravit. Sed quia Gregorii Papæ præceptio, Henricianæ persecutionis urgente periculo, minùs celebrata fuerat, ipse quoquè Dominus Urbanus Papa præcepit in eodem Concilio Melphitano, ut quæ usquè ad illud Concilium per Principes data Monasteriis fuerant, firma, & integra permanerent: de cetero Abbates ab adquisitione hujusmodi abstinerent.* Hæc simùl juncta, simùlque observata, nobis clarè exhibent sententiam canonis 3. caus. 1. quæst. 2. cujus priora verba plurimùm consonant cum memoratis Concilii Melphitani canonibus sexto, & septimo. Cetera verò, quæ in dicto Gratiani canone subsequuntur, ex Gregorio Magno supplenda sunt, sive ex Concilio Romano, quod Gregorio Magno vulgò tribuitur. In eo hæc leguntur: *Antiquam Patrum regulam sequens nihil unquàm de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione pastelli. Quia enim ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, evangelicam verò lectionem Minister legit, confirmationis autèm ejus Epistolam Notarius scribit, sicùt Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere, ità Minister, vel Notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam, vel calamum venumdare.* Sed de hoc Romano Concilio, quod Gregorio Magno tribuitur, commodiùs disserendum esse arbitratus sum in secunda hujus Operis Parte, ubi de Gregorio, & ejus Operibus peculiariter agendum erit.

De Concilio Trojano.

Aliud Urbani II. Concilium, in Apu-

lia celebratum, memoratur in Can. 4. caus. 35. quæst. 6. Ignotum illud fuisse videtur Romanis Correctoribus; est autèm Concilium Trojanum, ità à Troja Apuliæ Civitate appellatum, cujus meminit Petrus Diaconus in Chronico Casinate lib. 1. cap. 7. ad quod Ivo Carnotensis ait convenisse Episcopos ferè 75. Abbates verò 12. Vulgò referunt illud ad annum 1093. quamquàm non desint, qui duo hujus nominis Concilia memorent, aliud anni 1093. aliud anni 1089. integra autèm utriusque Concilii acta non adparent. Edidit unum Baluzius, & ex Baluzio auctor Collectionis Labbeanæ Venetæ editionis ad annum 1093. cui duo tantummodò canones adscribuntur, quorum primus ità exprimitur: *Secundo itaquè die, cum de quibusdam, infrà consanguinitatis lineam copulatis, actum fuisset, tandèm consentientibus omnibus hoc supèr eis Capitulum promulgatum est. Episcopi, quorum Diœcesani sunt, eos usquè in Pentecosten* (legunt alii: *usquè in penitus*) *trinâ advocatione conveniant. Tùnc, si duo viri, vel tres consanguinitatem jurejurando firmaverint, vel ipsimet fortè confessi fuerint, conjugia dissolvantur. Si verò neutrum contigerit, Episcopi eos per baptismum Christi, per fidem Christi, per Christi judicium in vera obedientia obtestentur, quatenùs palàm faciant, utrùm se, sicùt fama est, consanguineos recognoscant. Si negaverint, sibi ipsis relinquendi sunt, ità tamèn, ut si aliud in conscientia habeant, se à liminibus Ecclesiæ, à Corpore, & Sanguine Domini, à fidelium communione noverint segregatos, atque infames effectos, donèc ab incesti facinore desinant. Si se judicio Episcoporum segregaverint, si juvenes sunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur.* Hæc sanè omnia omninò consonant cum dicto canone 4. caus. 35. quæst. 6.

Can. 4. caus. 35. q. 6.

De Concilio Beneventano.

Veteres omninò latuit, canonem 4. dist. 60. qui nomine Urbani Papæ apùd Gratianum refertur, ad Urbanum II. Pontificem pertinere. Innocentius III. in cap. 9. de ætate, & qualit. præfic. & in cap. 7. de servis non ordinandis, ejusdem canonis meminit, ac si editus fuisset ab Urbano hujus nominis I. Romani Correctores incerti omninò fuisse videntur, retulerunt enim eumdem canonem ad Concilium Beneventanum Victoris III. at in eadem Beneventana Synodo Victoris III. qualis habetur apùd Leonem Ostiensem, nihil hujusmodi legitur. Hodiè editi sunt canones quatuor, apùd Labbeum ex veteri Romano MS. & apùd Baluzium ex Codice quodam Ananiensi, seu Colbertino, Concilii Beneventani sub Urbano II. habiti anno 1090. in quo hæc leguntur can. 1. apùd Labbeum. *Nullus deincèps in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiosè vivens inventus est. Sacros autèm ordines dicimus Diaconatum, ac Presbyteratum.* (Legit Baluzius: *Diaconatus, atque Presbyteratus*). *Hos siquidèm solos primitiva legitur Ecclesia habuisse: Supèr his solis præceptum habemus Apostoli. Subdiaconos verò, quia & ipsi Altaribus administrant, opportunitate exigente concedimus, sed rarissimè, si tamèn spectatæ sint religionis, & scientiæ. Quod & ipsum sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia non fiat.* Legit Baluzius ex dicto Codice Colbertino: *Quod ipsum non sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri permittimus.* Ad istud canonem edendum ex eo fortè permotus fuit Urbanus, quòd videret non Subdiaconos tantùm, sed & minores Clericos in Episcopalem dignitatem statim conscendere, non ex singulari merito, sed vel simoniacis concessionibus, vel ex industria, ac sollicitudine illorum, qui ceteris dominari, aut pingues Ecclesiarum redditus sibi quoquo modo usurpare cupiebant.

Can. 4. dist. 60.

De Concilio Placentino.

Celebris est apùd Collectores Conciliorum, & Canonum Synodus Placentina, quam in Æmilia, sive, ut ajunt, in Lombardia Cispadana anno 1095. Urbanus II. celebravit ex Epis-

co-

copis Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Germaniæ, Bajoariæ, aliarumque Provinciarum, confluente tantâ cùm Laicorum tùm Clericorum copiâ, ut in apertum campum omnes convenire debuerint. In medium producta fuit Praxedis repudio rejectæ Imperatricis causa; itèm Simoniacorum, ac Clericorum incontinentium, aliæque similes, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes; pluribus canonibus definitæ. Vulgatæ Concilii hujus editiones quatuordecim canones exhibent; atque ab his abest Gratianeus canon 2. dist. 70. quem tamèn, ut notat Labbeus, exhibebat vetus MS. Codex Eminentissimi Francisci Barberini num. 15. his verbis: *Sanctorum canonum statutis consona sentientes, decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur, & in qua quislibet titulatus est, in ea perpetuò perseveret. Omninò autèm in duabus aliquem titulari non liceat, sed unusquisque, in qua titulatus est, in ea tantùm Canonicus habeatur. Licèt enim Episcopi dispositione unus diversis præesse debeat Ecclesiis, canonicus, aut præbendarius, nisi unius tantùm Ecclesiæ, quæ* (fortè ibidèm ego arbitrarer esse legendum: *in quâ*) *conscriptus est, esse non debeat. Siquæ tamèn Capellæ sunt, quæ suis redditibus Clericos sustinere non possint, earum cura, aut dispositio majoris Ecclesiæ, cui Capellæ subditæ esse videntur, immineat, & tàm de possessionibus, quàm & de Ecclesiasticis Capellarum officiis ipse provideat.* Is, ut liquet, videtur esse Gratianeus canon 2. dist. 70. dummodò MS. Barberino morem gerere omninò velimus. Ceterùm, eum in aliis ejusdem Concilii editionibus nihil tale habeatur, imò Bertholdus ejusdem temporis scriptor, qui omnium Placentinorum capitum sententias perstrinxit, nihil tale memoravit, non est eidem Codici tanta fides præstanda, ut ex eo canonem ipsum tamquàm certum, & prorsùs indubium Placentini Concilii monumentum habere debeamus. Non erit tamèn dubitandum, ea, quæ ibidèm statuuntur, plurimùm consonare cum sententiis aliorum Conciliorum Urbani II. videlicèt Claromontani, in quo hæc leguntur in can. 12. 13. & 14. *Ut nulli Clericorum liceat deinceps in duabus Civitatibus duas prebendas obtinere, cum duos titulos non possit habere. Ut omnis Clericus ad eum titulum, ad quem primùm ordinatus est, semper ordinetur. Ut nullus deinceps in una Ecclesia duos honores habeat.*

Can. 2. dist. 70.

Canon 4. dist. 76. est postremus, sive decimusquartus in vulgatis Placentini Concilii editionibus his verbis: *Statuimus etiàm, ut jejunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur. Primum jejunium in initio Quadragesimæ; secundum in hebdomada Pentecostes; tertium & quartum in Septembri, & Decembri more solito fiant.* En originem hodiernæ disciplinæ, quâ in Occidentali Ecclesia quatuor jejuniorum tempora celebrantur, per hoc Occidentis ferè universi Concilium constituta.

Can. 4. dist. 76.

Canon 108. caus. 1. quæst. 1. referendus est ad can. 3. & 4. ejusdem Concilii Placentini. Postquàm enim in canone 2. statutum fuisset, promissiones pecuniæ, vel donationes intuitu sacræ ordinationis nullas unquàm vires obtinere, ità subditur in can. 3. *Siquis tamèn à Simoniacis non simoniacè ordinati sunt, si quidèm probare potuerint, se, cum ordinarentur, eos nescisse simoniacos, & tùm* (legunt alii: *Si tùnc tamèn*) *pro Catholicis habebantur in Ecclesia, talium ordinationes misericorditèr sustinemus, si tamèn laudabilis eos vita commendat.* Et in canone 4. *Qui verò scientèr se à Simoniacis consecrari, imò execrari passi sunt, eorum consecrationem omninò irritam esse decernimus.*

Can. 108. caus. 1. q. 1.

Quod in canone 1. & 2. ejusdem Concilii legitur, habemus in canone 5. caus. 1. quæst. 3. quem antè Romanam Correctionem Gratianus Gregorio Papæ tribuerat. In canone enim 1. hæc habentur: *Ea, quæ à Sanctis Patribus de Simoniacis statuta sunt, nos quoquè judicio eorum, & Apostolicâ auctoritate firmamus.* Et in canone 2. *Quidquid igitur in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus vel datâ, vel promissâ pecuniâ adquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquàm vires obtinere censemus.* Ad hunc canonem respexisse videtur contemporaneus Auctor Bertholdus

Can. 5. caus. 1. q. 3.

tholdus, ità scribens de hoc ipso Concilio: *In hac quoque Synodo hæresis Simoniacorum penitùs damnata est, ut, quidquid in sacris Ordinibus, & in Ecclesiasticis rebus, datâ, vel promissâ pecuniâ, adquisitum simoniacè videretur, pro irrito haberetur, nullasque vires habuisse, & habere judicaretur.*

In Canone 1. caus. 1. quæst. 5. complexus est Gratianus can. 5. 6., & 7. Placentinos. Canon 5. hæc exhibet: *Quicumque sanè cupiditate Parentum, cum adhùc parvuli essent, Ecclesias, vel Ecclesiarum partes per pecunias adepti sunt, postquàm eas omninò dimiserint, si canonicè in eis vivere voluerint, pro misericordia ibidèm eos esse censemus. Neque pro hoc facto à sacris ordinibus removemus, si aliàs digni inveniantur.* In Can. 6. *Illi verò, qui per ipsos, cum majoris essent ætatis, nefandâ cupiditate ducti eas emerunt, si in aliis Ecclesiis canonicè vivere voluerint, servatis propriis ordinibus pro magna misericordia ibi eos ministrare permittimus. Quòd si ad alias transferri fortassè non poterunt, & in eis canonicè vivere promiserint, minoribus ordinibus contenti ad sacros ordines non accedant, salvâ tamèn in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate.* Et in Can. 7. *Siqui tamèn antè emptionem catholicè ordinati sunt, si ea, quæ emerunt, dimiserint, & vitam Canonicam egerint, in suis gradibus permittantur. Nisi fortè ejusmodi Ecclesia sit, ut ibi primum locum debeant obtinere. Primum enim, vel singularem, vel Præposituræ locum in emptis Ecclesiis eos habere non patimur.*

Can. 1. caus. 1. q. 5.

Qui posteà sequuntur Canones, habentur apùd Gratianum in can. 5. caus. 9. quæst. 1., quem tamèn cum can. 8., 9. 10. 11. & 12. sempèr conferre juvabit. Verba can. 8. hæc sunt: *Ordinationes, quæ à Guiberto hæresiarcha factæ sunt, postquàm ab Apostolicæ memoriæ Papa Gregorio, & à Romana Ecclesia est damnatus, irritas esse judicamus.* In Can. 9. *Similiter etiàm & eas, quæ à ceteris hæresiarchis, nominatim excommunicatis, factæ sunt, & ab eis, qui Catholicorum adhùc viventium Episcoporum Sedes invaserunt: nisi probare valuerint, se, cum ordinarentur, eos nescisse damnatos.* In Can. 10. *Qui verò ab Episcopis, quondàm quidèm catholicè ordinatis, sed in schismate à Romana Ecclesia separatis, consecrati sunt, eos nimirùm, cum ad Ecclesiæ unitatem redierint, servatis propriis ordinibus, misericorditer suscipi jubemus, si vita, & scientia eos commendat.* In Can. 11. *Amodò verò quicumque à prædictis Schismaticis, sanctæque Romanæ Ecclesiæ adversariis se ordinari permiserit, nullatenùs hac venia dignus habeatur.* Et in Can. 12. *Quamvis autèm misericordiæ intuitu, magnâque necessitate cogente, hanc in sacris ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamèn præjudicium sacris Canonibus fieri volumus, sed obtineant proprium robur. Et cessante nscessitate, illud quoquè cesset, quod factum est pro necessitate. Ubi enim multorum strages jacet, subtrahendum est aliquid severitati, ut demus amplius charitati.*

De Concilio Faventino.

Apùd Collectores Conciliorum prorsùs ignotum est Concilii Faventini nomen, quod memorat Gratianus in Can. 7. caus. 16. quæst. 2. hac epigraphe: *Itèm ex Concilio, apùd Faventiam habito.* Quod autèm ibidèm habetur, ad Urbanum II. Pontificem Maximum ipse Gratianus retulisse videtur: Sic enim subjicit pòst dictum Can. 7. *Ecce Urbanus Papa &c.* Jamdiù itaquè visum est eruditis, verba Gratianæ inscriptionis immutare, & loco illorum verborum *apùd Faventiam* legere *apùd Placentiam.* Sanè in vulgatis Concilii Placentini editionibus hoc fragmentum minimè legitur: parùm tamèn id refert, cum hodiè omnes Concilii ejusdem canones non extent ampliùs, sed deperierint, uti colligitur ex Bertholdo. Ceterùm non desunt similes sententiæ vel in aliis ipsis Urbani II. Conciliis, ex quibus deducatur: canonem illum ad Urbani tempora, & sanctiones pertinere jure merito posse. In Concilio Melphitano superiùs memorato Can. 6. hæc leguntur: *Nullus Abbas, nullus Ecclesiarum Præpositus, quæ juris sunt Ecclesiastici, accipere sine Episcopi concessione præsumat.* In Concilio Claro-

Can. 7. caus. 16. q. 2.

mon-

montano anni 1095. Can. 7. hæc habentur: *Ut Altaria, Congregationibus Canonicorum, vel Monachorum per personas data, mortuis personis, libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta, vel privilegia confirmata.* Sed & similia mediâ ætate constituta in Ecclesiasticis conventibus fuerant. Sic in Capitulari Caroli Magni anni 822. can. 5. legitur: *Abbates autem, & Monachi omnimodis volumus, & præcipimus, ut Episcopis suis omni humilitate, & obedientiâ sint subjecti, sicùt canonica Constitutio mandat; & omnes Ecclesiæ, atque Basilicæ in Ecclesiastica defensione, & potestate permaneant... Et Monachi ab Episcopo Provinciæ ipsius corripiantur.* Et in Concilio Moguntino anni 847. can. 14. *Nullus Monachorum.....Parochias Ecclesiarum accipere præsumat sine consensu Episcopi: De ipsis verò titulis, in quibus constituti fuerint, rationem Episcopo, vel ejus Vicario reddant, & convocati ad Synodum veniant.*

De Concilio Claromontano, seu Arvernico.

Intèr Concilia Urbani II. celebratissimum præ reliquis est Concilium Claromontanum, sive Arvernicum anni 1095. in quo ipsemet Pontifex Maximus præfuit cum Cardinalibus quibusdam, itèm 13. Archiepiscopis, Episcopis 225., Abbatibus 90. & amplius, præter viros Religiosos, & honestissimos complures. Ibidèm confirmata sunt Cœlestini Placentini Capitula, ac præsertim, quæ adversùs Simoniacos edita fuerant, & incontinentiam Clericorum. In referendis Concilii hujus canonibus varia fuit Collectorum industria; siquidèm ex MSS. Codicibus, qui hodiè supersunt, modò plures, modò pauciores canones numerantur; modò breviati, & compendio quodam perstricti; modò fusâ oratione illustrati. Paucos ex illis canonibus apùd Gratianum habemus. Ex
Can. 1. dist. 60. his est can. 1. dist. 60., qui in canonibus Claromontanis, à Baluzio editis, legitur ordine secundus, consonatque cum verbis Gratiani, dummodò pro illis Gratiani verbis: *Nisi Presbyteri sint*, legamus: *Nisi Presbyter.* Apùd Labbeum alitèr legitur numero 3., ibi: *Ut nullus fiat Decanus in Ecclesia, nisi Presbyter, nullus Clericus teneat Archidiaconatum, nisi ipsius habeat gradum: ut nullus sit Archipresbyter, qui alicubi dicitur Decanus, nisi sit Sacerdos ordinatus.* Hæc tempore Urbani Papæ, & his similia definiri decebat, quòd sine discrimine Ecclesiasticæ Dignitates indignis, aut incapacibus conferrentur à plurimis, habitâ tantummodò à conferentibus pretii ratione.

Sententia Canonis 4. caus. 1. quæst. 3. alitèr legitur in diversis Claromontani hujus Concilii exemplaribus. Apùd Labbeum in cap. 7. his verbis: *Ut altaria, Congregationibus Canonicorum, vel Monachorum per personas data, mortuis personis, libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta, vel privilegia confirmata.* Magis consonat cum Gratiano editio Baluziana num. 3. ibi: *Quæstum est etiàm de Episcopis, qui altaria Monasteriis data frequenter redimi pecuniâ compellebant. Decretum itaquè est: Quia quidam Simoniacæ pravitatis usus in Galliarum partibus jam diutiùs inolevit, ut Ecclesiæ, vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apùd eos altaria nuncupantur, Monasteriis datæ, sæpiùs ab Episcopis sub palliata avaritia vendantur, mortuis nimirùm, seu mutatis Clericis, quos personas vocant. Nos auctore Deo venalitatem omnem tàm ex rebus, quàm ex ministeriis Ecclesiasticis propellentes, hoc ulteriùs fieri auctoritate Apostolicâ prohibemus, sicùt etiàm præbendas omnes venumdandas interdicimus. Porrò, quæcumque altaria, vel decimas ab annis triginta, & suprà, hujuscemodi redemptione possedisse Monasteria noscuntur, quiete deincèps, & sine molestia qualibet eis possidenda firmamus. Salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem Altaribus habere soliti sunt.* Eadem propemodùm verba leguntur in Concilio Nemausensi sub Urbano II. etiàm celebrato, edito à Dacherio in tomo 4. Spicilegii. Exhibet hic canon depravatam illius temporis disciplinam de Altarium, & beneficiorum possessione.

Can. 4. caus. 1. q. 3.

Cle-

Clerici, utpotè incontinentiæ rei, tamquàm indigni à Laicis ex Ecclesia dejiciebantur, ac redditibus spoliabantur. Laici, sacris Canonibus pressi, cum retinere penès se Ecclesias nollent, Monachis dabant. Monachi, rerum Ecclesiasticarum tùnc temporis maximè cupidi, res Ecclesiasticas ità acceptas Clericis restituere detrectabant, variis prætextibus in semèl capta rerum & jurium possessione consistentes. Antonius Dadinus Altaserra lib. 4. Dissertat. Juris Canonici cap. 8. scribit, clausulam, quæ in hoc Claromontano canone legitur, *salvo Episcoporum censu annuo* &c. fuisse adjectam commento Episcoporum, qui peccandi titulum, & auctoritatem quærebant. Ego verò non video heic talem, ac tantum peccandi titulum, cum ageretur de bonis, & juribus Episcopalibus, quæ ex tolerantia, & mero pacis bono penès Monasteria relinquebantur, aliàs integra ad pristinam Episcoporum potestatem, quasi postliminio reversura.

Can. 46. caus. 12. q. 2.

Canon 46. caus. 12. quæst. 2. legitur eisdem verbis in Can. 1. editionis Baluzianæ Concilii Claromontani. Cossartius quædam edidit hujus Concilii fragmenta ex vetere membrana Pithœi, inter quæ num. 3. ità legitur: *Ut pòst obitum Sacerdotis nullus Laicus usurpet sibi bona illius, sed Ecclesiæ, cujus dum fuit sponsus, obiit, remaneant, ut in illius locum succedenti necessaria præbeant. Nisi quòd vivens pro anima sua distribuerit.* Videtur hæc velùt compendiaria quædam summa Gratianei, & Baluziani Canonis. Vulgata Concilii Claromontani editio in Can. 31. ità habet: *Ne aliquis Clericus res Episcoporum, vel Clericorum vel in vita, vel pòst mortem eorum diripiat, vel in usus proprios conferat. Quòd siquis fecerit, anathema sit; & dictum est ab omnibus: fiat, fiat.* In hac Codicum varietate, cum certo affirmare non possimus, qualis sit editio præferenda, prudens quidèm quilibet in ea parte constantissimè adhærebit, in qua videt se Codices minimè dissonare.

His Canonibus addendum arbitror canonem 6. caus. 16. quæst. 2., cujus verba eadem ferè leguntur in Can. 4. Concilii Claromontani, à Baluzio editi, ibi: *Sanè, quia Monachorum quidam Episcopis jus suum auferre contendunt, statuimus, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absquè Presbyterorum consilio Presbyteros collocent, sed Episcopi Parochiæ curam cum Abbatis consensu Sacerdoti committant, ut ejusmodi Sacerdotes de plebis quidèm cura Episcopo rationem reddant, Abbati verò rebus temporalibus, ad Monasterium pertinentibus, debitam subjectionem exhibeant, & sic sua cuique jura serventur.* Quæ eadem habentur in Can. 1. Concilii Nemausensis, sub eodem Urbano II. celebrati anno 1096. Atque ex hoc eodem Nemausensi Can. 9. depromptus videtur versiculus *in Parochialibus*, his verbis legendus: *Sacerdotes, quandò regendis præficiuntur Ecclesiis, de manu Episcopi curam suscipiant, & in tota vita sua Deo deserviant, nisi canonico degradentur judicio. Quòd si ambitionis, vel cupiditatis causâ ad aliam ditiorem migraverint Ecclesiam, utramque amittant.*

Can. 6. caus. 16. q. 2.

CA-

CAPUT LXIV.

De Conciliis Callisti II.

Ad Concilia Callisti II. pertinent sequentes Canones.

Can. 8. *dist.* 27. *consonat cum sententiis tum Rhemensis, tum Lateranensis Concilii.*
Can. 2. *dist.* 60. *paulò varius in diversis Codicibus, & Conciliis.*
Can. 3. *dist.* 62. *consonat cum vulgatis Lateranensis Concilii exemplaribus.*
Can. 10. *caus.* 1. *q.* 1. *consonat cum sententiis tum Rhemensis, tum Lateranensis Concilii.*
Can. 14. *caus.* 10. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 37. *caus.* 12. *q.* 2. *Urbano Pontifici per Gratianum adscriptus.*
Can. 10. *caus.* 16. *q.* 1. *varius in diversis Concilii exemplaribus.*
Can. 11. *caus.* 16. *q.* 7. *paulò varius in diversis Concilii exemplaribus.*
Can. 25. *caus.* 16. *q.* 7. *consonat sententiis tum Rhemensis, tum Lateranensis Concilii.*
Can. 23. *caus.* 24. *q.* 3. *paulò varius in diversis Codicibus.*

PErvenimus tandèm ad Gratiani tempora, quibus non est verosimile, aut Gratianum cæcutiisse adeò, ut vera ab apocryphis non secernere, aut adeò improbum fuisse, ut falsa posteritati obtruderet. Agimus de Conciliis Callisti II. Gratiani ejusdem ætate celebratis, quæ duo sunt ex illis, quorum fragmenta in suum Codicem idem Gratianus retulisse videtur, scilicèt Rhemense prius in Gallia, Romanum posterius, sive Lateranense. Rhemense Concilium, licèt generale totius Ecclesiæ dici non possit, proximè tamèn generalibus Conciliis accedit, non tantùm ratione Pontificis Maximi, qui illud indixerat, sed etiàm ratione illorum, qui eò convenerant. Illud indixerat jam Gelasius II., qui, immaturâ morte præreptus, absolvendum Concilium reliquit à successore Callisto. Eò autèm convenerunt in Basilicam S. Mariæ Rhemensis anno 1119. sub eodemmet Pontifice Maximo Præsidente Archiepiscopi numero quindecim, Episcopi plures quàm ducenti, atque alii permulti in dignitate Ecclesiastica constituti, atque in eo discussa sunt plura disciplinæ Ecclesiasticæ capita ad vitam, honestatemque Clericorum, rerumque Ecclesiasticarum administrationem pertinentia. Hujus Concilii acta vulgata sunt in editione Labbeana Conciliorum ex apographo Jacobi Sirmondi, atque his accesserunt adnotationes ex Orderico Vitali Histor. Ecclesiast. lib. 12., & Hessone Scholastico, qui testatus est, se ejusdem Concilii gesta & vidisse, & audivisse, & fidelitèr retulisse. Edidit prætereà Baluzius de concord. Sacerd. & Imper. lib. 8. cap. 21. ex MS. Segueriano pervetusto, & ferè illius ætatis. Alterum Concilium, quod est Lateranense, celebratum est anno 1123. ut quoquomodò miseranda illa dissidia componerentur, quæ res Imperii & Ecclesiarum quotidiè turbabant: interèà verò plura disciplinæ Ecclesiasticæ capita discussa sunt ibidèm, ac definita. Acta hujus Concilii, sive Canones tum in Labbeana Collectione descripti inveniuntur, tum etiàm Baluzii operâ in lucem prodierunt ex vetusto Codice MS. Monasterii Ananiensis; attamèn sive numerum canonum, sive ordinem eorumdem spectemus, Labbeanus codex à Baluziano non nihil dissonat, quemadmodùm commodiùs in subjectis capitibus animadvertam.

Ad canonem 8. dist. 27. Romani Cor- Can. 8. dist. 27.

Correctores adnotaverunt, *eum inventum fuisse in codice Vaticanæ Bibliothecæ in fragmento cujusdam Concilii, ab Urbano II. habiti, cap.* 2. Non est tamèn, cur facilè Urbano II. hunc eumdem Canonem tribuamus, cum Gratianus expressè illum adscripserit Callisto II., cujus ætate vivebat; hodiè præsertim, cum integras Callisti Conciliorum editiones habere videamur, quæ Correctorum Romanorum tempora latuerunt. Hujus igitùr Canonis sententia referenda erit ad Concilia tum Rhemense, tum Lateranense, superiùs memorata; etenim in Rhemensi Can. 5. ità legitur: *Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus concubinarum, & uxorum contubernia prorsùs interdicimus. Siqui autèm hujusmodi reperti fuerint, Ecclesiasticis officiis priventur, & beneficiis. Sanè, si neque sic immunditiam suam correxerint, communione careant christianâ.* Et in Concilio Lateranensi can. 3. *Presbyteris, Diaconibus, vel Subdiaconibus concubinarum, & uxorum contubernia penitùs interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem, præter quas Synodus Nicæna per solas necessitudinum causas habitare permisit, videlicet matrem, sororem, amitam, vel materteram, aut alias hujusmodi, de quibus nulla valeat suspicio oriri.* Clariùs autem eamdem Gratiani sententiam legimus in Can. 21. Concilii Lateranensis in editione Labbeana, ibi: *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitùs interdicimus: contracta quoquè matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam debere redigi, juxtà sacrorum Canonum definitiones judicamus.* Hæc eadem verba Callisti II. nomine referuntur in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino tit. 8. cap. 8. Ceterùm idem canon 21. desideratur in Concilio Lateranensi, quale editum diximus à Baluzio ex codice Anianensi; fortè, ut arbitror, abrasus à Monachis, qui probrum sibi futurum esse putabant, si ex veteribus monumentis constitisset posteritati, opus fuisse, ut eisdem interdiceretur, aut matrimonia contrahere, aut concubinas habere, quasi sæculo 12. uxoribus, aut concubinis vacassent.

Antonius Augustinus dial. 4. lib. 2. de emendatione Gratiani ait, se vidisse tria volumina collectionis Canonum, Anselmo Lucensi tributæ, & ibidèm legisse Gratiani Can. 2. dist. 60. his verbis: *Nullus & in Præpositum, nullus in Archiepiscopum, nullus in Decanum, nullus in Presbyter, vel Diaconus.* Subdit autèm, se arbitrari legendum esse in *Archipresbyterum*, pro illis verbis *in Archiepiscopum.* Romani Correctores in vulgatis Gratiani codicibus corruptam lectionem agnoverunt; ità enim in illis hæc quasi Can. epitome legebatur: *Nullus in Præpositum, vel Archiepiscopum, vel Archipresbyterum, vel Archidiaconum, nisi Presbyter, vel Diaconus ordinetur.* Deindè sequebatur canon his verbis: *Nullus in Præpositum, nullus in Archiepiscopum, nullus in Decanum, nisi Presbyter, vel Diaconus; nullus in Archidiaconum, pisi Diaconus ordinetur.* Minùs aptam hujusmodi lectionem agnoverunt Romani Correctores, quam propterèa ex vetustis Gratiani codicibus emendarunt. Ego verò arbitror, rem esse ad ipsa Lateranensis Concilii, superiùs memorati, exemplaria referendam; etenim canonem ipsum lego sive in Can. 2. Lateranensi apùd Labbeum his verbis: *Nullus in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus ordinetur*, sive apùd Baluzium in Can. 6. ibi: *Nullus etiàm in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter, vel Diaconus; nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus ordinetur.* Hujusmodi Constitutio pluriès firmata est circà finem sæculi 11., & principium sæculi 12., video enim in Concilio Claromontano anni 1095., quale Baluzius edidit ex vetusto Codice Anianensi, seu Colbertino, in Can. 2. ità legi: *Nullus Episcopus in Ecclesia sua, nisi Diaconus sit, Archidiaconum instituere, nec Archipresbyterum, aut Decanum, nisi Presbyter sit, ordinare præsumat.* Extant quoquè à Baluzio

Can. 2. dist. 60.

zio editi ex eodem Codice Anianensi Canones Concilii Tolosani, sub Callisto II. anno 1119. habiti, in quo Can. 6. hæc habentur: *Nullus etiàm in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter, nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus ordinetur.* In hac Codicum varietate prudens quilibet illud probabit, quod omnium Codicum auctoritate firmum agnoscet: Intereà verò observabit, sæculo undecimo, & duodecimo obviam itum fuisse gliscenti abusui, quo Ecclesiastica Beneficia passim indignis, atque incapacibus conferebantur, ut plurimùm interveniente pretio, aut aliâ abominabili causâ.

Can. dist. 62. 3. De canone 3. dist. 62. altum silentium servant Correctores Romani; nec enim indicant, quo ex fonte decerptus ille fuerit. Hodiè eumdem facilè reperiemus, sive in editione Labbeana can. 10. ibi: *Nullus in Episcopum, nisi canonicè electum, ad consecrandum manus mittat; quod si præsumpserit, & consecratus, & consecrator absquè recuperationis spe deponatur*; sive in editione Baluziana Can. 3. ibi: *Nullus in Episcopum, nisi canonicè electus, consecretur. Quod si præsumptum fuerit, & consecratus, & consecrator absquè recuperationis spe deponatur.*

Can. 10. caus. 1. q. 1. Ad canonem 10. caus. 1. quæst. 1. generaliter tantummodò observaverunt Correctores Romani, Callistum II. *plura adversùs simonias, & investituras Ecclesiarum, à Germanicis Imperatoribus usurpatas, decrevisse*: sed ejusdem canonis originem minimè indicarunt. Referendus itaquè erit ad Concilium Lateranense I. jam memoratum, in cujus canone 1. eadem omninò leguntur sive in Labbeana, sive in Baluziana editione. Similia etiàm leguntur in Can. 1. Concilii Rhemensis, de quo etiàm superiùs nonnulla attigimus.

Can. 14. caus. 10. q. 1. In eodem Lateranensi Concilio apùd Labbeum Can. 14. apùd Baluzium Can. 11. & 12. legitur Can. 14. caus. 10. quæst. 1. Ità Labbeus: *Sanctorum Patrum canonibus consona sentientes, oblationes de sacratissimo, & reverendissimo Altari B. Petri, & Salvatoris, S. Mariæ Rotundæ* (addit Baluzius: *& Sancti Nicolai Barensis, Sancti Ægidii*) *ac de aliis omnium Ecclesiarum Altaribus, sive Crucibus à Laicis auferri penitùs interdicimus, & sub anathematis districtione firmamus. Ecclesias à Laicis incastellari, aut in servitutem redigi, auctoritate Apostolicâ prohibemus.*

Can. 37. caus. 12. q. 2. Hùc pertinere videtur canon 37. caus. 12. quæst. 2., qui legitur in postremo canone Concilii ejusdem Lateranensis apùd Labbeum, his tamèn verbis: *Alienationes, quæ specialitèr per Ottonem, Guidonem, Hieremiam, seu fortè Philippum, ubilibèt de possessionibus Ravennatis Exarchatus factæ sunt, damnamus; generalitèr autem omnium per intrusionem, seu canonicè electorum sub Episcopi nomine, aut Abbatis, qui secundùm usum Ecclesiæ suæ consecrandus est, alienationes, quocumque modo factas, nec non personarum ordinationes ab eisdem sine communi consensu Clericorum Ecclesiæ, sive per simoniam itidèm factas, irritas judicamus. Illud etiàm per omnia interdicimus, ut nullus Clericus præbendam suam, seu aliquod Ecclesiasticum beneficium aliquo modo alienare præsumat; quòd si præsumptum olim fuit, vel aliquandò fuerit, irritum erit, & canonicæ ultioni subjacebit.* In Codice Baluziano hic canon omninò desideratur. Gratianus autèm Urbano Pontifici potiùs adscripsit. Quamobrèm & de hujus canonis auctoritate commodiùs agam in secunda istius Operis parte, ubi de Urbano ipso, & ejus capitibus disserendum erit.

Can. 10. caus. 16. q. 1. Canon 10. caus. 16. quæst. 1. habetur in Can. 17. Concilii Lateranensis eisdem omninò verbis in editione Labbei. Multò alitèr habet editio Baluziana in Can. 16., ibi: *Sanctorum etiàm Patrum vestigiis inhærentes generali decreto sancimus, ut Monachi propriis Episcopis cum omni humilitate subjecti existant, & eis, ut Magistris, & Ecclesiæ Dei Pastoribus, debitam obedientiam, & devotam in omnibus subjectionem exhibeant. Publicas Missarum solemnitates nusquàm celebrent: à publicis etiàm infirmorum visitationibus, inunctionibus, seu etiàm pœnitentiis, quod ad illorum nullatenùs*

officium pertinet, sese omninò abstineant. In Ecclesiis verò, quibus ministrare noscuntur, Presbyteros non nisi per manum sui Episcopi habeant, qui ei de animarum cura suscepta respondeant. In hac Codicum varietate arbitrarer, Gratianeam potiùs lectionem ceteris esse anteferendam, ubi præsertim Labbeanus Codex cum Gratiano congruit, cum agamus de canone, edito Gratiani ejusdem temporibus, & quem non nisi cum maxima impudentia Gratianus ipse corrupisset.

Can. 11. caus. 16. q. 7. Canon 11. caus. 16. quæst. 7., qui nomen Callisti præsefert, referendus est ad Concilium idem Lateranense Can. 7. in Labbeana, & Can. 4. in Baluziana editione. Et quidèm sive Labbei, sive Baluzii Codex videtur cum fragmento Gratiani congruere, pro illis tamèn Gratiani verbis *animarum cura, & pecuniarum Ecclesiasticarum dispensatio* legit Labbeus, & Baluzius: *cura, & rerum Ecclesiasticarum dispensatio.*

Can. 25. caus. 16. q. 7. Romani Correctores ad canonem 25. caus. 16. quæst. 7. ità adnotaverunt: *Inter decreta Callisti, ex quo citatur, non est inventum. Habetur in decretis Paschalis II. MS. cap. 5. sed non est mutatum nomen Callisti, quia Pontificis isti, qui iisdem ferè temporibus fuerunt, frequenter eadem decreta suorum antecessorum repetebant.* Nondùm Romanorum Correctorum ætate prodita fuerant, ut video, aut etiàm Romanis Correctoribus fuerunt prorsùs ignota acta nupèr memorati Concilii Lateranensis sub Callisto; in quibus canon. 8. apùd Baluzium, canon. 4. apùd Labbeum hæc leguntur: *Prætereà juxtà Beatissimi Stephani Papæ sanctionem statuimus, ut Laicis, quamvis Religiosi sint, nullam tamèn de Ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem, sed secundùm Apostolorum can. omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, & ea velùt Deo contemplante dispenset. Siquis ergò Principum, aut Laicorum aliorum dispensationem, vel donationem rerum, sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vindicaverit, ut sacrilegus judicetur.* Postrema hæc verba eadem sunt cum Gratiani fragmento. Simile quidpiam constitutum est in Rhemensi Concilio, etiàm superiùs memorato, in quo ità constitutum legimus can. 2. *Episcopatuum, & Abbatiarum investituram per manum laicam fieri prohibemus. Quicumque igitùr Laicorum deinceps investire præsumpserit, anathematis ultioni subjaceat. Porrò qui investitus fuerit, honore, quo investitus est, absquè ulla recuperationis spe omnimodis careat.*

Can. 23. caus. 24. q. 3. Canon 23. caus. 24. quæst. 3. habetur in eodem Concilio Lateranensi can. 16. in editione Labbeana his verbis: *Siquis Romipetas, & peregrinos, Apostolorum limina, & aliorum Sanctorum Oratoria visitantes, capere, seu rebus, quas ferunt, spoliare, & novis teloneorum, seu pedaticorum exactionibus molestare tentaverit, donèc satisfecerit, communione abstineat Christiana.* Paulò alitèr Baluzius ex Codice Ananiensi can. 14. ibi: *Romipetas, & peregrinos, seu mercatores, & peregrinos, Apostolorum limina, & aliorum Sanctorum Oratoria visitantes, capere, seu rebus, quas ferunt, spoliare, vel novis teloneorum, seu pedagiorum exactionibus molestare tentaverint, donèc satisfecerint; communione careant Christianâ.*

CA-

CAPUT ULTIMUM.

De nonnullis canonibus, à Gratiano tributis vel Concilio Maticensi vel cuidam Concilio Romano.

Quæcumque Concilia, à Gratiano relata, nota sunt Collectoribus Synodorum quæque suis ordinatè temporibus accommodari potuerunt, hùc usquè expendimus. Nonnulla adhùc supersunt fragmenta, quæ aut Concilio Maticensi, aut Concilio Romano apùd Gratianum scribuntur. Hujusmodi sunt.

Ex Concilio Maticensi.
- *Can.* 40. *dist.* 50. *referendus ad Concilium VVormatiense.*
- *Can.* 41. *dist.* 50. *referendus ad Pœnitentiale Romanum Antonii Augustini.*

Ex Concilio Romano.
- *Can.* 2. *caus.* 4. *q.* 2. *pertinet ad Capitularia Caroli Magni.*
- *Can.* 3. *caus.* 35. *q.* 10. *apocryphus, & in Lateranensi Concilio reprobatus.*

Can. 40. dist. 50. CAnon 40. dist. 50., nomine Concilii Maticensis à Gratiano relatus, pertinet ad Concilium Vvormatiense anni 868. etenim ibi can. 27. hæc habentur : *Qui odii meditatione, vel propter avaritiam Paganum occiderit; quia non levi vitio committitur, ut homicidam convenit pœnitere : quandoquidèm nec exteris gentibus, nisi oblatam pacem respuerint, bellum est populo antiquo penitùs inferre præceptum.* Consonant hæc cum sententia canonis Gratianei; quam tamèn Gratianus ipse, vel quicumque Gratiano auctores extiterunt, paulò alitèr retulere, quàm in Concilio ipso habentur. Inter cetera Gratianus definivit pœnitentiam *quadraginta dierum in pane, & aqua.* Juvat id peculiaritèr discutere, atque unà inquirere in sequentem canonem, videlicèt 41. dist. 50. Porrò verba canonis 41. habentur in cap. 16. tit. 1. Pœnitentialis Romani, editi ab Antonio Augustino, cum hac epigraphe : *judicium canonum*; ubi tamèn pro illis : *Presbyter duodecim annis pœniteat, tres ex his pane, & aqua*, ità legitur : *Presbyter duodecim annis pœniteat; quatuor ex his in pane, & aqua.* Quod itaquè pertinet ad quadraginta dies pœnitentiæ, qui illi imminent, qui paganum occiderit ex odii meditatione, ut dicitur in can. 40. puto excerptum fuisse ex Pœnitentiali, laudato à Reginone in lib. 2. de Ecclesiast. Discipl. cap. 51. his verbis: *Si quis hominem in bello publico occiderit, quadraginta dies pœniteat.* At, quod spectat ad disciplinam canonis 41. dist. 50. non video eam aut universalem fuisse, aut diù in Ecclesiis perseverasse. Nàm Regino in cap. 46. lib. 2. refert Pœnitentiale Halitgarii lib. 6. cap. 1. in quo & Sacerdotum, & Episcoporum homicidarum pœnitentia decem annis absolvitur, ibi : *Si quis Episcopus, aut aliquis ordinatus homicidium fecerit, decem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua.* Mitior erat pœnitentia Clericorum inferiorum, quemadmodùm ibidèm legitur apùd Reginonem in cap. 52. *Si Clericus homicidium fecerit, & proximum suum occiderit odii meditatione, exul septem annis pœniteat.* Similia quædam habentur in Concilio Moguntino anni 847. can. 24. ibi : *Qui Presbyterum occidit, duodecim annorum ei pœnitentia secundùm statuta priorum imponatur.* Circà sæculum 7. in Gallia quicumque hominem Ecclesiasticum interfecisset, pecuniâ Ecclesiæ præstitâ redimebat : sic in Capitularibus Dagoberti Regis anni 630. apùd Isaaccum Lingonensem tit. 2. cap. 5. legitur : *Qui Subdiaconum occiderit*, 300. *solidos componat; qui Diaconum*, 400. *solidos, qui Presbyterum*, 600. *qui Episcopum,*

Can. 41. dist. 50.

pum, 900. *qui Monachum*, 400. *solidos culpabilis judicetur.* Atque hoc ipsum in legibus Longobardorum lib. 1. tit. 9. cap. 27. In excerpto Gregorii III. quædam habentur sub hoc titulo : *Judicia congrua pœnitentibus.* Atque inter cetera cap. 3. ità statutum est : *Qui occiderit Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, Regi dimittendum est ad judicandum. Qui occiderit minoris ordinis Clericum, in judicio est Episcopi judicandus, ut arma relinquat, & in Monasterio Deo serviat, vel septem annos cum luctu pœniteat.* De pœnitentia duodecim annorum peragenda ab eo, qui Presbyterum occidit, agitur in can. 24. caus. 17. quæst. 4. Ex quibus omnibus liquidò constat, non eamdem apùd omnes, aut diù hac in parte disciplinam viguisse in infligendis homicidiorum pœnis. Vulgaris tamèn, atque ut plurimùm definita pœnitentia septennio perdurabat ex Concilio Ancyrano, quemadmodùm duodecim annorum pœnitentia illi præstituebatur, qui Presbyterum occidisset. Ceterùm dictus Gratiani canon 41. paulò obscurus videtur ; neque enim facilè quis divinare potest, utrùm de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis occidentibus, an de Episcopis, Presbyteris, vel Diaconis occisis sit intelligendus. Si verborum corticem intueamur, de interficientibus sermo haberi videtur ; at de occisis oratio instituta, si eos canones perscrutemur, ex quibus auctor Pœnitentialis Romani hoc fragmentum composuit. Ego sanè de interfectis intelligo, ut sententia Gratiani cum ipsis vetustis Conciliorum canonibus congruat ; neque enim adeò verbis Collectoris, & proprietati formularum inhærendum puto, ubi alitèr suadet veterum canonum sententia, ubi etiàm fragmenti auctor de verborum proprietate servanda aliis in locis minùs sollicitus fuisse dignoscitur.

Can. 2. caus. 4. q. 2. Canon 2. caus. 4. quæst. 2. ex illis est, quorum inscriptionem Burchardus Vvormatiensis ex industria immutavit. Jam pluriès monui, Burchardum abstinuisse à nominandis Francorum Regum Capitularibus, cum scriberet apùd Germanos, quibus eadem Capitularia valdè erant invisa ; & quotiès fragmenta Capitularium recitaret, alius auctoris nomine inscripsisse. Itaquè Burchardus relaturus caput 52. lib. 3. Capitularium, illud Maticensi Concilio adtribuit. Pertinet autèm ad Capitulare 2. Caroli Magni anni 809. in quo ità statutum est can. 6. *Ut testes ad testimonium dicendum præmio non conducantur, & ut nullus testimonium dicat, aut Sacramentum juret, nisi jejunus ; & ut testes, priusquàm jurent, separatim discutiantur, quid dicere velint de illa re, undè testimonium reddere debent.* Hæc ipsa habentur in lib. 2. legum Longobardorum tit. 51. cap. 6. & ex Capitularibus Francorum descripsit Regino Prumiensis in lib. 2. de Ecclesiast. Discipl. cap. 336.

Can. 3. caus. 5. q. 10. Tribus in locis Romani Concilii memiuit Gratianus, quin tamèn demonstraret, quodnam specialitèr ex Romanis Conciliis indicare voluerit ; videlicèt in can. 16. caus. 3. quæst. 6. in can. 3. caus. 1. quæst. 7. & in can. 3. caus. 35. quæst. 10. Jàm suo loco demonstratum est, canonem 16. caus. 3. quæst. 6. & canonem 3. caus. 1. quæst. 7. pertinere ad Capitula, quæ vulgò appellant nomine Hadriani Papæ. Dicendum superest de canone 3. caus. 35. quæst. 10. cujus autographum in nullo ex Romanis Conciliis editis quisquam inveniet. Ego arbitror, Gratianum, aut quemvis alium, qui Gratiano auctor extiterit, voluisse referre se ad Concilium Romanum, quod vulgò dicitur celebratum sub Gregorio II. anno 721. ubi can. 9. hæc leguntur : *Siquis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit Uxorem, anathema sit.* Ast hanc Romani Concilii sententiam sive Gratianus, sive quisquis alius corruperunt, & in aliam omninò sententiam detorserunt, imò etiàm quoquomodò detortam adversùs receptas Ecclesiastici Juris regulas explicarunt. Etenim circà sæculum undecimum tradi cœpit à quibus-

busdam duplex primùm, deindè triplex adfinitatis genus antiquis Sacrorum Canonum, necnon Romanarum legum Conditoribus prorsùs ignotum. Primum genus illud esse dixerunt, quod in vera, & propriè dicta adfinitate consistit, eâ videlicet, quam contrahit uxor cum mariti consanguineis, vel maritus cum consanguineis uxoris. Alterum genus agnoverunt inter filios ab uxore, ad secundas nuptias progrediente, editos, & consanguineos primi mariti; vel inter filios mariti, ad secundas nuptias progredientis, & consanguineos primæ uxoris. Tertium genus esse dixerunt inter filios susceptos à marito in secundo matrimonio, quotiès in primo Matrimonio viduam alterius sibi junxerit, & consanguineos prioris mariti uxoris suæ. Porrò, quicumque hæc adfinitatis genera induxerunt scrupulosiùs, cum non invenirent capita ulla Ecclesiastici Juris, sive in Conciliis edita, sive inter sententias Sanctorum Patrum, vel Pontificum, ipsimet capita ad rem suam probandam accomoda confinxerunt. Confinxerunt in primis Rescriptum Gregorii Papæ ad Venerium Calaritanum, quod retulit Gratianus in can. 1. caus. 35. quæst. 10.: Confinxerunt duo Innocentii Papæ decreta, relata in can. 2. & 5. eadem causâ & quæstione: Confixerunt decreta Hygini Pontificis in can. 4. ibidèm: Confinxerunt deniquè canonem Concilii Romani, relatum in dicto can. 3.: Imò & in dicto can. 5. finxerunt, Innocentium Papam, confictæ illius Romanæ Synodi auctoritate motum, jam de secundo affinitatis genere pronunciasse. Apocrypha hæc omnia sunt, quemadmodùm suo in loco singillatim ostendam, quæ sæculo demùm 11. in lucem prodita sunt, licèt vetustissimis Pontificibus Maximis tribuantur. Sanè, si veterum disciplinam respiciamus, nullibi agnoscemus varia hujusmodi genera adfinitatis, cum passim apùd veteres constet, consanguineos uxoris etiàm proximos consanguineis mariti matrimonio jungi liberè potuisse §. 8. Instit. de nuptiis, lib. 2. leg. Longobard. tit. 8. leg. 1. 4. & 12. Concilio Vvormatiensi can. 78. Concilio Bituricensi anni 1031. can. 18. Turonensi anni 1060. can. 9. & Romano anni 1063. can. 9. Memoro hæc potissimùm undecimi sæculi Concilia, ut constet, sæculo undecimo Ecclesiæ plura illa adfinitatis genera nondùm fuisse recepta. Primum de illis sermonem instituit Anselmus Lucensis in sua Collectione circà annum 1080. & ex Anselmo Lucensi non longè posteà Gratianus in causa 35. sive quæst. 10. per totam, sive quæst. 2. pòst can. 21. utentes apocryphis monumentis, quibus novam doctrinam probare conarentur, aut confirmare. Licèt verò magna fuerit sub finem sæculi 12. & initio sæculi 13. Gratiani existimatio, & Gratianeæ doctrinæ, & recipi quoquomodò cœperit hæc de triplici affinitatis genere disciplina, non tamèn hæc eadem diù vigere potuit, cum & Pontificibus Maximis, & Sacris Antistibus displiceret. Quamobrèm in Concilio Lateranensi Innocentii III. anni 1215. improbata penitùs fuit, ut constat ex cap. 8. de consaguinit. & adfinit. Licèt autèm ibidèm Lateranenses Patres professi fuerint, se antiquas Ecclesiæ Constitutiones, & vetera Jura immutare, non tamèn ideò id pronunciarunt, quòd reverà antiquis Ecclesiæ Constitutionibus jam recepta fuissent tria illa adfinitatis genera, seu quòd in animo habuissent discutere, utrùm quæ nomine veterum Patrum fragmenta referebantur, reverà eorumdem Patrum opus existerent, sed contenti reprobare disciplinam, quin solertiùs in auctorum disciplinæ ejusdem personas inquirerent. Ceterùm non omiserunt tradere, disciplinam ipsam *& difficultatem frequentèr inducere, & aliquandò periculum parere animarum.* Unum adhùc observari posset in dicto can. 3. caus. 35. quæst. 10. illius fragmenti auctorem parùm aptè fuisse loquutum ad novam doctrinam, cujus fortè & ipse auctor extitit, confirmandam; etenim eâ loquendi formulâ usus fuisse videtur,

tur, quâ facilè quispiam contrariam sententiam voluntati auctoris affingat. Quid enim significant illa verba, quibus dicitur, sobolem, ex secundo matrimonio susceptam, *nullo modo posse ad consortium cognationis viri prioris pertingere*? Gratianus interpretatur, quasi soboles ex secundis nuptiis suscepta non possit cognatis viri prioris matrimonio jungi, nomine *consortii cognationis* conjugium cum cognatis ineundum intelligens. Quis verò commodiùs alitèr, & è contrario non interpretaretur, asserens, sobolem secundi matrimonii nullum consortium habere cognationis cum cognatis mariti defuncti, atque ità cum illis libere posse matrimonio jungi? En quo tandèm adducantur novæ doctrinæ minùs integri Conditores, qui, dum veteribus Patribus sententias suas affingunt, eas affingunt, quæ possunt in utramque partem flecti facilè interpretando. His ità expositis, absolutam pro viribus exhibeo priorem hujus Operis Partem; quam si benignè susceperint studiosi Jurisprudentiæ Sacræ Cultores, futurum erit, ut labores meos in duabus aliis Partibus edendis gravissimos levet exindè profectura jucunditas animi singularis.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

FINIS.





Inst. 97
Dom. 4
Num. 44

BERARDI
GRATIANI
CANONES

I.

3289